~~147~~
129

Biblioteca Universitaria
A
18
11

S-a-2-5

Enneadum Sibellici tomus tertius

N°

2 400 40 Safta MADE IN SPAIN

del Colº del Compª de Jesus de Lra
R. 6827

TERTIVS TOMVS,

CONTINENS SVPplementum Hiſtoriarum Marci Antonii Sabellici, ab Orbe condito, ex lectiſsimis ſcriptoribus continuatis temporibus concinnatum.

BASILEAE.

Por comision de los Sres. Inquisidores corregi este libro conforme al expurgatorio del año de 1632 en Granada [redacted] 5 de Mayo 1632.
Fr. Osmedrano

SVPPLEMENTVM HI-
STORIARVM AB ORBE CONDITO
M. ANTONII COCCII SABELLICI, EX PAV-
LO IOVIO ATQVE ALIIS, CONTINVATIS TEM-
PORIBVS CONCINNATVM, LI-
BER PRIMVS. 1

IVLIVS pōtifex, Ioannē Bentiuolum ab inueterata tyrānide, cœtuq; audacium filiorum præpotentem Bononia expellit, ope Gallorum adiutus, qui ad portas exercitum admouerant. Bentiuolus septuagenarius senex, animū despondens quum ferociam imminentis Pontificis magnopere timeret, ad castra Gallorum cōfugit, nullo in suprema rerum difficultate, aut uirtutis, aut industrię conatu edito: sic ut postea apud Mediolanum in exilio perierit. Domus eius incomparabilis structurę, quā media in urbe ædificarat, ut abominādi dominatus memoria tolleretur, cōcursu populi à fundamentis euersa est. Sub id tēpus Philippus Maximiliani Cęsaris filius Belgarū princeps, in Hispaniā nauigauit, ut Isabellæ socrus dotale regnū adiret. Receptus est ab Hispanię proceribus usq; adeò studiosē, ut Ferdinandū regē socerū defererent, cui tanquā seni & parum liberali facilè omnes florentē ętate & splēdore uitæ nouū regē anteponebāt. Ferdinandus suorum leuitatem perfidiæ proximā detestatus, Neapolim nauigauit. Nec multò pòst Philippus ab intemperie noui cœli, cui Belgicæ epulæ minimè congruebant, oborta febre surreptus est. Eius mortem luridus Cometes portēdit, qui per aliquot dies ad occiduam plagam arserat. Exinde Ferdinandus Neapoli rebus compositis, & Magno Consaluo propter affectati regni suspicionē abducto, ad sua regna rediens, collocutus est cum Lodouico Galliæ rege apud Sauonam, de inuadendisq; Venetis consilium ab utroque initum est. Tum enim Lodouicus Genuēses armis subegerat, quum pulsa nobilitate statum popularem induxissent, resistereq; ausi è culminibus montium deiecti, uictiq; ad Gallicum imperium impetrata uenia redijssent. Paulus Nouius uir plebeius, qui ad summum honorem fauore plebis erepserat, inauspicati principatus pœnas capite persoluit. Secutum est demum bellum, quòd Germani authore Cæsare cum Venetis gesserunt, partim à Carnicis Alpibus, partim ad Tridentinas fauces. Hinc ad Petram castellum Pitilianus & Triuultius cum Gallicis copijs, Hispanorumq; cohortibus, Germanos facilè represserunt. Ad Caduriū uerò oppidum alteram Germanorum manum pernioosa Carnorum iuga, Liuianus ita cecidit, ut ab eo cruento prælio, aliquot oppida Germanicæ ditionis, & in his Tergestum urbem ui expugnata, Veneto imperio adiecerit. Qua affectus iniuria Cæsar, concitante Iulio pontifice cum cæteris Europæ regibus coniurauit aduersus Venetos: eaq; coniuratione Italia supremam propè adijt cladem. Veneti enim immoderata affecti cupiditate, peramplum, ob idq; inuidiosum ex aliorum ruina imperiū cōdiderant: frementę pontifice, quòd Ariminum atq; Fauentia urbes, pontificio imperio ereptæ, ex æquo & bono sæpius repetitę, minimè redderentur. Non ferebat Gallus Cremonam ditioni suæ detractam, & Hispanus rex nequaquam sibi integrè partum Neapolitanum regnum existimabat, quum maritimæ Apulorum urbes oppigneratæ iam pridem ab Aragonijs, Syponto, Tranium, Monopolis, Brundusium & Hidruntum Venetis præsidijs tenerētur. Coiuere legati principum ad urbem Cameracum in Belgis, decretumq; est communibus uiribus in Venetos bellum, tanto silentio, ut quum eius suscepticonsilij suspiciones emanarent, Venetijs nequaquam maturè crederetur. Eo modo Lodouicus in Italiam cum ingentibus copijs transgressus, ad Abduam Venetos castra conferre, atque aciem tentare ausos cum magna cędę profligat, capto Liuiano. Secundum eam uictoriam intra pauciſsimos dies, nō modò sua quæ repetebat, Bergomum, Cremonam, Cremam & Brixiam sine uulnere recepit, sed eodē terrore Veronam, Vicentiam, atque Patauium, Cęsari capiēda præbuit, quod delero exercitu cū paucis Pitilianus, desperatis rebus ad Mestrium extremum cōtinentis oppidum refugisset. Pari quoquę cursu Iulius non Ariminum modò atque Fauentiam, sed Ceruiam & Rauennam recepit, ultroquę Senatus Venetus Apuliæ urbes, Hispano regi dedendas curauit: sic ut tāta modò Veneti imperij fortuna Italis hominibus planè miserabilis, externis uerò ridenda uideretur, quando uni omnium Turcæ pacis paulo antè confectæ memores, non modò fidem seruarint, uerùm auxilia in id bellum amicè studioseque obtulerint. Sed barbaro regi, quod fidem pacemq; egregiè tueretur, gratias egit, quum huiusmodi auxilijs nequaquam è Republica utendū esse censuisset. Nauarrus ex gregario milite, commendatione uirtutis dux factus, quum antea auspicijs Ximenis archiepiscopi Toletani, classem sua pecunia adornantis, Oranum Mauritaniæ emporium in magno portu occupasset, Buziam demum in Numidia urbem Mahometanorum gymnasio claram cepit atque diripuit, emensoque in de Africæ litore Tripolim inter duas Syrtes, terra marique admotis copijs expugnauit. Sed reuectus ad Mœnicem insulam, quum Girapolim adoriretur insigne accepit detrimentum. Ingruentibus enim Barbaris, Hispani milites per loca aquæ indiga, torrente sole sitim perpessi, ordines seruare nequierunt, uersique in fugam, dum ad nauigia quæ in alto erant, deficientibus scaphis enatare properarent, ab hoste cædebantur. In eo tumultu Garzias Toletanus illustris iuuenis fortiter repugnans, est interfectus. Andreas Grittus Venetus legatus Patauium, segniter tuentibus eam urbem Cæsarianis, recepit, Leonardo Dressano non diu tuente arcem. Is quòd esset Vicetinus ciuis, in baratrum teterrimi carceris Venetijs est deiectus. Quatuor uerò è Patritijs Patauinis, qui stultè perfidioseque Venetis se auersos ostenderat, in foro Veneto latronum more strangulati sunt.

Maximilianus Cæsar, suorum incuria amissam urbem ut reciperet coacto ualidissimo exercitu è Germania descendit, ad quem Gallorum & Hispanorū Pontificiorumque militum auxilia accesserunt. Sed latè prostratis muris oppugnatio eum habuit euentum, ut Pitilianus constantissimus dux, urbem insigni cum laude defenderit, irritoque incœpto Cæsar in Germaniam redierit. Post seruatum egregiè Patauium, Veneti contra Alphonsum Ferrarię principē, aduerso Pado, classem uiginti triremium mi-

ferunt. Eam Ferrarienſes poſt uaria accepta incommoda, authore Hippolyto Ateſtino cardinale, tormentis ſub aggere conſtitutis ita perfregerũt & demerſerunt: ut uix Angelus Triuſanus claſsis præfectus effugerit. Senatus Venetus graui ſalubríque ſuſcepto conſilio, ueniam pacemque à Iulio pontifice per legatos ſupplex petijt, facileque impetrauit, quum ille generoſo ſpiritu publicum Italię corruentis decus, diſcrimenque proſpiceret. Magno ſiquidem ei pudori erat, ſacrorum principis perſonam ſuſtinenti, ſubiectis non parcere, quando ipſe feruidiore ira concitatus, nobiliſsimæ Reipublicæ excidium paraſſe diceretur. Id factum nouarum cladium initium fuit. Nam Iulius Venetos defendens Alfonſo Ferrarienſi bellum intulit. Hunc Ludouicus rex, quum tuendum ſuſciperet, Pontificis hoſtis effectus eſt. Cuius controuerſiæ is extitit finis, ut Gallus per Triuultium ducem, profligato pontificio exercitu, cui Feltrius præerat, Bononiam reducti Bentiuolis Pontifici eriperet. Eauis Pontificio nomini illata, deprecante iniuriam Iulio, atq; opem implorante, uniuerſos prope Europæ reges, aduerſus Gallos ita cõcitauit, ut Africanæ legiones à Ferdinando rege, quæ pontifici opem ferret, in Italiam mitterentur, Heluetijque pontificem contra Gallos tuendum ſuſciperent. Gallus ſuis ſubnixus uiribus, ſacra anathematis tela cõtemnens, ut omnem Pontificis authoritatem conuelleret, concilium Piſis indixit, concedentibus primò Florẽtinis, & mox Gallica præſidia reſpuentibus, ſic ut ſacerdotes à Iulio transfugæ Piſis exacti, Mediolanum confugerent, atque ibi concilium celebrarent. Interim Gaſto Foiſſeius ſorore Ludouici regis genitus, copijs præficitur. Is ſemel atque iterum Heluetios infeſta populatione in agrum Inſubrum deſcendentes repreſsit, Bononiẽſibus raptato per lutulenta itinera ualido exercitu, opem tulit, quum Hiſpanorum & Pontificiorum mœnia quatientium uim ægrè ſuſtineret Alegria Gallici præſidij præfectus. Eius aduentu non planè matureè cognito, Nauarrus atque Cardonius tormenta retraxerunt, & ſe per Æmiliam uiam receperunt, ne ante portas bellicoſe ciuitatis cum Gallis prælio congredi cogerentur. Gaſto liberata Bononia, incredibili celeritate aduerſus Venetos traiecto Pado cõuolauit, qui Brixiam proditione receperant, arce adhuc Gallico preſidio retenta, ad quam expugnandam, quum Paulus Baleonus à ſenatu mitteretẽ, in itinere Gaſtoni ſit obuius ad turrem Magnanimi, quę eſt prope Atheſim, ſtatimq; improuiſa utrinque exorta eſt pugna, qua Baleonus uiribus impar, profligato exercitu ſuo, quum Atheſim tranaſſet ex fuga uix ſeruatus eſt.

Ea benere geſta, Gaſto ubi Brixiam peruenit, per arcem ingenti cæde edita, urbem recuperauit, capto Gritto. De Aloiſio autem aduocato, qui defectionis author fuerat ſupplicium in foro ipſo ſpectante deſumptum eſt. Direpta miſerabilem in modum & cadaueribus repleta Brixia Gaſto unde uenerat, rediens, ſuperato rurſus Pado, pugnæ auidus, ad oppugnandam Rhauennam delatus eſt, ratus, uti euenit, Gardonium atque Nauarrum obſeſſæ urbi ad non dubiam cõſerendæ pugnæ occaſionem, opem allaturos. Sed oppugnantem triduo fortiſsimè ſuſtinuerũt M. Antonius Columna, & Petrus Caſtrius. In ea oppugnatione Gaſto Spinæum tormentorum magiſtrum, & Cetellionem è Colinæa familia, ducem clariſsimum tormentis ictos amiſit. Quum uerò hoſtes aduentare cognoſceret, caſtra mouit, tranſgreſſusque Vitim amnem, quæ hodie Aquaduſſa appellatur, cum hoſte conflixit. Eo prælio longè omnium cruentiſsimo, tormentis utrinque acies proſternentibus, res geſta eſt, ſed maiore Hiſpanorum incommodo, quum Alphonſus Ateſtinus qui primam aciem ductabat, capto opportuno circuitu, tormenta ſua, in latera hoſtium direxiſſet, non paucis etiam è numero ſuorum interfectis. Verùm Gaſto ingenti potitus uictoria, quum recipiẽte ſe per aggerem Hiſpanorum legionem intemperanter perſequeretur, immoderatę uirtutis iuuenis à globo hoſtium circunuentus, atque interfectus eſt. Galli propè pari affecti clade, campo atque hoſtium caſtris potiti ſunt, atque inde Rhauennates ſe dedentes, contra fidem, uiolatis etiam templis, magna clade affecerunt. Eo prælio captus eſt Ioannes Medices cardinalis Pontificis legatus, & cum eo Nauarrus. Supra uerò quadraginta maiorum minorumque ducum cadauera, reperta ſunt. Secundum autem famam prælij Rhauennatis, Heluetij à Iulio infracti animi Põtifice in auxilium excĭti, per Tridentinas Alpes intra pauciſsimos dies in Veronenſem agrum deſcenderunt, repulſoque ab Atheſi Gallorum exercitu, cui Palicia præerat, reretrocedẽtes, nec congredi auſos Gallos, Ticino in urbe obſederunt. Nec multò pòſt quum Baleonus cum iuſto exercitu tormentorumq; apparatu Heluetijs ſe coniunxiſſet, Galli Ticino eiecti, compulſique in fugam ultra Alpes redierunt, atque ita Iulius liberatæ à Gallis Italiæ titulum prætulit, egregieque ultus eſt Florentinos, qui authore Soderino ipſorum dictatore, concilio ſedem dediſſent, reduxitque in patriam Ioannem Medicem cardinalem, qui magno caſu è Gallorum manibus elapſus, cum reliquijs Hiſpanorum in Æthruriã peruenerat. Sed Iulius ſeptuagenarius ſenex, uel felix ea uictoria, le thiferum concepit morbum: Romæque fato functus eſt. Succeſsit autem ei Ioannes Medices, in comitio iuniorum ſuffragijs ſubleuatus: qui Leo mutato de more nomine, eius nominis decimus appellatus eſt. Leone igitur decimo pontificatum ineunte, quum is ad tertium Idus Aprilis thiara ſacri imperij, more maiorum accepiſſet, ut dies quo ad Rhauennam captus fuerat, circumagente ſe anno, infauſtus, tanti ſpectaculi celebritate ex atro in cãdidum uerteretur, ex Rufi legati literis cognitum eſt, Ferdinãdum regem occultas cum Ludouico inducias pepigiſſe. Ea re Britanniæ regem grauiſsimè commoueri, quòd ſe deceptum à ſocero quereretur, cuius hortatu Dorſetium cum ualida claſſe, ad inuadendam Aquitaniæ oram tranſmiſiſſet. Enimuero Ferdinandus cunctas belli rationes fœderumq; iura, uel cum pudenda mutatæ fidei labe, & graui ſociorum iniuria, ad commodũ ſuum referre erat ſolitus. Nam poſtquam Ioannem Cantabriæ regno expulſum, Gallicisque armis id repetere conantem Albanij uirtute repulerat, noui regni gentem Albretis antiquis regibus deditam induciarũ ſpacio confirmandam exiſtimabat: ratus utique opportunũ eius regni acceſsionem multò potiorem utilioremque defenſione Ciſalpinæ Galliæ, cuius auiditate Ludouicus inde pulſus uſque adeò ardere uideretur, ut Ioannem ex antiqua Gallorum amicitia, recentique eius ſocietate regno eiectum, atque ob id apud ſe exulem, tota ſpe recuperandi regni deijcere nõ puderet. Ex horum enim longè maximorum noſtræ tempeſtatis regum ingenijs, & tum liquidò & multum antea præclarè compertum eſt nihil omnino ſanctum & inuiolabile, uel in ritè conceptis ſancitisque fœderibus reperiri, quod in proferẽdis imperijs augendisque opibus, apud eos nihil ad illuſtris famæ decus intereſſet, dolóne & nuſquã ſine fallacijs, an fide integra ueraque uirtute niterentur. Itaque Ferdinando, quod de inducijs occultè tranſactum erat, egregiè diſsimulante, & Gallis arma parantibus, Moronus Maximiliani Sforтiæ legatus, à Leone ſupplex maturam opem implorat: Placentiam Parmamque urbes, ſi Sforтia deferatur, ad Gallos redituras docet: Venetos porrò aduentanti Gallo minimè defuturos demonſtrat, quòd per

per ſummam iniuriam Brixia excluſi, ex nouo fœdere Cremonam repetant, & Veronam quoq; Gallicis freti auxilijs ſe recuperaturos ſperent. Proinde maturè cauendum eſſe, ne conſilia Iulij fortiſsimi pontificis, non ſine diuino numine ad Italiæ libertatem explicata, torque partis uictorijs egregiè confirmata, cum dira rerum omnium conturbatione ſubuertantur. Ipſum autem ſociorum omnium eſſe unum, qui imminentibus malis occurrere poſſit, & præclaro facto res omniũ ſeruare incolumes, poſtquam Hiſpanus à fœdere iam planè diſceſſerit, ſi pecuniam ex ſacro ærario Sforтiæ ſuppeditet, ut perſolutis ſtipendijs, Heluetij ingentibus animis ad tuendam Sforтiæ cauſam parati, in uetere ſtudio & fide contineantur. Hęc diſſerenti Morono, uehemens adiutor aderat Sedunenſis cardinalis, qui ex profeſſo Gallorum hoſtis, ſuæ gẽtis principes Sforтianæ cauſæ, quæ pontificiam dignitatem includeret, ius & nomen conſtantiſsimè defenſuros pollicebatur. Eos enim ubi pontificem, & nouo nomine, & paterno ſpiritu generoſum, nihil animo labare, ſed pontificij Italicique nominis deus auguſto conſtantique decreto tueri uelle audierint, extemplò inuitis armis oſtenſuros, quo ſtudio, qua fide, qua denique uirtute, haſtatus miles Heluetius pro ſocijs ſemel in tutelam receptis, aduerſus ſacroſanctæ maieſtatis uiolatores pugnare ſit ſolitus. At Leo de commutata Ferdinandi regis uoluntate certior factus, præſentique adductus periculo, quod iam Galli ad Cottias Alpes perueniſſent: tametſi uti accidit nouo principatu, nõdum rerum publicarum cogitationes explicaſſet: graui tamen expeditoque iudicio, ijſdem quibus Iulius fortiter glorioſeque ire inſtituerat conſiliorum ueſtigijs ſibi conſtendum exiſtimauit: eo quidem temperamento, ut apertè neminem offenderet, & pacificatoris nomẽ ſacroſancto omnium parente digniſsimum tueretur. Sforтiæ nanque ſalutem omnino negligere, populique Heluetij amicitiã tanquã utilem decoramque Romano pontifici niſi impenſe & grauiter æſtimare nõ poterat, poſtquã Iulius Maximiliano Sforтia legitimis ideoque felicibus armis reſtituto, paternam ei ditionem ex decreto ſenatus adiudicaſſet: & populus Heluetius fide, uirtute, & recenti uictoria inclytus, ſpecioſo decoroque titulo defenſor pontificiæ libertatis eſſet appellatus. Itaque Morono in ſtipẽdium pecunia numeratur, quam ille magnis itineribus Placentiam contendens, Heluetijs cohortibus diuidat, egregium Leonis ſtudiũ oſtentet: detque operam, ut Cardonius, qui tum ad Trebiam amnem habebat caſtra, ſuperato Pado, cum Heluetijs ſe coniungat. Sed his ad famam propenſi amicique Pontificis abundè exhilaratis, & quod ſummæ rerum intererat, præſentis pecuniæ cõſpectu opportunè confirmatis, nihil plus à Cardonio de inducijs ab rege ſuo pariter & à Gallis diligenter edocto impetrari potuit, q̃ ut promouendo caſtra, Padum traiecturi ſpeciem præberet, & Romana uia præter Claſtidium, atque Derthonam, Hiſpani leuis armaturæ equites, ad continendos in fide ſocios Gallorum metu nutantes, excurrere iuberentur. Verùm ea ſimulati auxilij oſtentatio, uel multis impetrata precibus, magno detrimento ſocijs ceſsit. Nam quum Piſcario cum peditatu præeuntes equites ſubſequenti, Vicoirienſes tanquam rapacis ac impotentis gentis timore adducti, portas clauſiſſent, nec poſtulanti commeatum niſi corbibus è muro demiſſum præberent, uſque adeò grauis toto agmine indignãtium militum fremitus eſt exortus, ut cohortes ſub ſignis arma caperent, ulturæ cõrumeliam quod ab agreſti inhoſpitalique populo minimè receptæ, ſub diuo tendere cogerẽtur. Itaque facto impetu prolatiſque tormentis muro portæque ſuccedunt: refracto ponte ligneo & deiectis ex muri corona defenſionem parantibus, nihil uetante Piſcario in oppidum irrumpunt: crudeliq; cæde edita, per ſe opulẽti, & ex terrore Gallici belli eò confugientium diuitijs refertum hoſtiliter diripiunt: inſigni cum infamia Piſcarij ducis, qui aduerſus miſerè atque improuidè obſiſtentes ſocios dignitatem ſuam, uel iniquo maximeq; ſæuo facinore edito, ut milites ditaret, tueri contendebat. Interea Ludouicus ex inducijs ab Hiſpania omni belli metu liberatus, & ualida claſſe in Oceano aduerſus Britannos Armorici litoris urbes defendens, duos ſummæ authoritatis atque peritiæ duces, qui Alpes tranſcendant, Tramulium atque Triuultium deligit, euocat Robertum Sedanium in Eburonibus principem, cum nigra Germanorum legione, atque item Aloiſium Beomuntium è Cantabrię finibus accerſit, cum his Vaſconum cohortibus, quæ paulò antè Palicia duce ad Pompelonem cum Hiſpanis bellum geſſerant. His quoque admiſcet è Gallia aliquot peditum uexilla delectæ iuuẽtutis, quòd tum honeſtiſsimus quiſque, qui non eſſet ad equum reſcriptus, alacritate inſigni pedibus militare decorum putarent. Hos omnes magno tormentorum apparatu inſtructos in Italiam maturare, communicatisque cum Veneto ſenatu conſilijs, Sforтiam ſolis Heluetiorum auxilijs confiſum adoriri iubet. Veneti enim ab Hiſpanis cõtra fœdus intercepta Brixia indignè pro hoſtibus habiti, cum Gallo in amicitiam redierant, his legibus renouato fœdere, ut confecto communibus armis Sforтiano bello, Cremona potirentur, & reliquas demum ſuę ditionis urbes Gallorum adiuti copijs recuperarẽt. Quibus obſignatis tabulis, Liuianus diuturno atq; duriſsimo carcere eductus, in Italiam uenerat, & à ſenatu in honore militaris imperij Petiliano ſuffectus, nouas copias ueteribus addendo, iuſtum atq; optimè inſtructum exercitum cõpararat. Idẽ quoque ex fœdere conceſſę libertatis beneficium Grittus tulit, quem ſuperiore anno Brixiæ captum diximus. Huic iniunctum eſt ut Tramulio atque Triuultio comes iret, & pro legato expediendis conſilijs caſtra Gallica ſequeretur. Eodem quoque tempore Ludouicus intentus in eam curam, ut Genuẽſem arcem, quam Laternam uocãt, obſidione liberaret, per Renatũ Sabaudiæ baſtardum cum Adurnijs fratribus egit, ut coacta per Apennini uicos Ligurum manu, nouas res Genuę aduerſus Fregoſios molirentur. Præerat tum Liguriæ Ianus Fregoſius ſtudio atque opibus Iulij pontificis in ciuitate principatum conſecutus. Is paulò ante Hieronymum Fliſcum ſummo loco natum, Gallicis ſtudẽtem rebus, quum exiret è curia, per propinquos ſuos ſanguinarios homines ſingulari crudelitate trucidarat. Qua cęde exacerbati fratres eius, Othobonus & Sinibaldus, ita urbe exceſſerant, ut paratis ad uindictam animis, cum Adurnijs Fregoſiorum hoſtibus conſilia atq; arma conſociarent. Ab eo atroci facto Ianus populari inuidia uſq; adeò deflagrauit, ut iã planè auerſa magna ſenatus parte, uim imperij ægerrimè retineret, quod Adurnij Gallica inſtructi pecunia per Pulciferæ ualles aduentarent, & Præianes Gallicæ claſsis præfectus, Liguſtico mari uagaretur, obſeſsisq; in arce Gallis per minora nauigia ad fallendam magnarum nauium cuſtodiã idonea, commeatum ſæpe ſubmitteret, eò grauiore Genuenſium incommodo, quòd mercaturæ negociationes intercluſa nauigatione ſuſtuliſſet, totusque curuatæ molis portus Laternę arcis tormentis expoſitus, ab eo periculo inutilis atq; infeſtus redderetur. Qua rerum difficultate circumuentus Ianus, quòd neq; pecuniam imperare, neq; imperatã à factioſis dubijsq; ciuibus exigere auderet, animũ deſpondit. Adurnij nanq; opinione celerius in ſuburbana tecta ad diui Petri Arenam peruenerãt: commiſſoq;

missoq; peracri prælio in ascensu collis qui Laternę A
arci imminet,urbemq; despicit, Fregosias cohortes
in fugam uerterant,neq; in eo tumultu quisquam è
populo turbulentis seditionib. assueto defuit,quin
secundis acclamationibus uictores exciperet: & Fli
sci pariter à diuersa porta armatis clientibus urbem
introirent,à quib. Zacharias Iani frater,unus è per-
cussoribus Hieronymi,trucidatus & pedibus rapta
tus per urbę,patratæ cædis pœnas dedit. Ianus au-
tem in eo occupatę urbis aduersо fremitu,cõscensa
nauicula ad suam classem profugit. Nec multò pòst
Antoniottus Adurnius saluis Galli regis auspicijs,
& Laternę arcis custodib.omni genere commeatus
abundè recreatis, à senatu populoq; ciuitatis atque
Liguriæ princeps est appellatus. Dùm hęc in Ligu-
ria geruntur, Heluetij de Gallorũ apparatu trãsituq;
Alpium certiores facti, cõcilio indicto, dictisq; sen-
tentijs, admirabili Pagorum omnium consensu,
Sfortia omnino defendendum censent, uiri longè
omnium promptissimi, gerendo bello duces deli-
guntur, & ante alios Altosaxus antiqua sua nobili-
tate clarus, & tum præcipua de exactis Italia Gallis
laude illustris, qui sublatis uexillis confestim in Ita-
liam contendant. Itaq; passim scribuntur milites,
nullo proposito stipẽdio, nullaq; præsenti pecunia,
quod nunquã antea acciderat, nomina dantes, tan-
ta quidè alacritate, ut mirũ uideri posset noua odia,
ueteribus fidelis amicitiæ fœderibus inducta, tantũ
ualuisse. Feri enim homines probeq; constantes, &
sua simplicitate generosi, æquo animo ferre nõ po-
terant, quod Lodouicus uarias ipsorum forti opera
multoq; sanguine uictorias cõsecutus, illiberali de-
mum ingratoq; ingenio, ut minores bello sumptus
faceret, Germanos uagæ incertæq; militię mercena
rios & ignotos, ipsis prętulisset, qui & uicini essent,
& Galliam omni tẽpore aduersus externã uim prõ
ptissimè defendissent. Primi omnium Vraniæ, Sui- B
thiæ, Vnderualdiæq; prętores, quos Humanos uo-
cãt, uti Italiæ proximi, Alpes trãsierũt, peculiari etiã
rerũ suarũ metu concitati: superioribus enim bellis
erepta Gallis Bellizona, & Lugano demũ occupa-
to, in Italiã imperij ditionẽ extenderãt, quã omnino
tueri oportere, cùm magni prouentus, tum publicę
existimationis causa iudicabant. Hos cõtinenti ag-
mine reliquę cohortes è Glarona, Zuchio, Lucerna,
Cesusio, & demum ex interuallo Tigurinorũ & Ber
nensium summæ authoritatis atq; potentiæ, Pago-
rũ uexilla sequebãtur. In postremo agmine, in quo
erant quinq; milia delectorũ peditũ, fuit Altosaxus
per dispositos in itinere commeatus, quantum fieri
uiæ compẽdio posset, per Grisonos festinare iussus.
Ad hos enim Lepõtiæ Alpes pertinẽt, quæ Splugæ
& Septæ nomine hodie uocantur, & è Curia Rheto
rum urbe per Clauennam ad Larium lacum perdu-
cunt. Sub idem tẽpus Sfortia aduersis nutãtis Ligu
riæ rumoribus, & Sacramori Vicecomitis inexpe-
ctata defectione perculsus cũ primis Heluetiorum
cohortibus Nouariam cõtenderat: ut opportuna in
urbe tutus ab insidijs, aduentantes legiones expe-
ctaret. Sacramorus circumualládæ arci præerat, uir
principe ortus familia, sed maiorũ suorum uirtutis
& glorię penitus oblitus, utpote qui fortuna sua mi
nimè cõtentus, ad antiquum inclytę domus decus,
nequaquã bonis artibus aspiraret. Alebat enim cir-
ca se audaces ueteranos ab egestate atq; superbia cę
dib. assuetos & maleficijs infames, & in his aliquot
primæ nobilitatis adolescẽtes dissoluta uita perdi-
tos & effrenes, qui à parentũ imperio gratiaq; dila-
psi, licentiæ militaris libertatẽ quęrebãt. His omni-
bus in turmas cohotesq; descriptis, Sacramori fra-
trumq; domus, penuarijs copijs incõditè & liberali
ter expositis, ita parebat, & quum extra modũ pro-
digo, neq; patrimonij prouẽtus neq; stipendia suffi-
cerent, uecordia præceps ad retinendũ instituti lu-
xus nomẽ, nonnunquã in pecuniosos fœneratores
& opifices noctu grassaretur, atq; inde infame nouã
Catilinæ nomen apud Insubres referret: nec insulsè
quidem, quum multo ære alieno oppressus, ne de-
coqueret, sibi omnino coniurandum arbitraretur.
Quibus de causis, quòd se multis inuisum, & prin-
cipi suspectũ nosset, cũ Triuultio transegit, ut alæ e-
quitũ prefectus regia stipẽdia mereret, quę erãt ma
ximè opulenta atq; perpetua. Interim daret sedulò
operã, ut obsessorũ inediæ occurreret: & si fieri pos-
set, Sfortia per insidias interficeretur. Vt cũ insigni
munere, quo tota belli controuersia finiretur, ad re-
gem transiret. Ab hac pactione, nocturnæ stationes
ad ualli munitionẽ ita sensim laxatæ sunt, ut Galli
ex cõposito exeuntes, singulis noctib. paratum, &
gratuitò traditũ omnis generis cõmeatum in arcẽ
referrẽt. Sed ea dissimulatio nõ occultæ plena per-
fidię, diu tegi nõ potuit quin emanaret, prodẽtibus
fortè baiulis, qui quaterni multo labore succollan-
tes integrã uini uegetẽ, ad uallum obsessæ arcis in-
tempesta nocte cõportassent. Hac re deprehẽsa Sa-
cramoroq; detecto atq; eo uim parante, Maximilia
nus per se pauidus, monentibus amicis ut sibi cau-
eret, desperatis Hispanorum auxilijs, Mediolano ex-
cedẽs (ut diximus) Nouariã contendit. Meminerat
enim se nõ multũ antea, quũ è festo matronarũ cõui
uio noctu sine funalib. in curiã rediret, occursu inco
gnitæ armatorũ caterue insolenter atq; acriter om-
nib. telis petitũ fuisse, quo tumultu Galeacius Sfor
tia Pisaurẽsis principis frater ipsius lateri comes hæ
rens glãde traiectus interijsset, nõ nullis proculdu-
biò eam uim atrocis facti nequaquam fortuito, sed
parato dolo illatam, ad Sacramori satellites referen
tibus. Cõstabat enim Sacramori domũ, quæ una ex
uicecomitib. Magni Matthæi posterorũq; eius Me-
diolani principum, quanquã ex notho proauo uerã
surpẽ respiceret, Sfortianis tanquã insititijs nouisq;
principib. imperiũ semper inuidisse, quòd post Phi
lippum fato functum ex Planctæ spuriæ connubio
freti armis, illud intercepisse uiderentur. Tum uerò
Sacramorus quòd nullus iã locus, Sfortia profecto,
tendendis insidijs relinqueretur, nihil ubi more at-
tulit, quin impotẽtis animi perfidiam nudaret. Iam
enim Galli duces à Taurino ad oppugnandã Nouа-
riam contolabãt, & Liuianus transuersis itineribus
per Tartari amnis paludes perducto exercitu, ad oc
cupandã Cremonam iter intenderat. Primum om-
nium aduocata concione cõmutatæ uolũtatis caus-
sas exponit, noui cõsilij necessitatem demonstrat,
opimiora stipendia, & præmia ex liberalitate opulẽ
tissimi regis singulis pollicetur, patefactaq; muni-
tione, aliquot euocat Gallos: explicatis; regijs ue-
xillis, ingenti armatorũ stipatus agmine, per mediã
urbẽ in forum percurrit: occupat extẽplò curiã, ple-
biq; diripiendam præbet, nec ulli tamen ciuium ab
armatis uis infertur. Exinde populũ tantę rei nouи-
tate & certo metu à Gallis & Venetis imminente
perterritum, patritijs improuiso timore prępeditis,
hortatur, ut ad ueterẽ Gallię regis fidẽ redeat: Sfor-
tiani dominatus obliuisci uelit: qui multis ab ini-
qua proscriptione exiliũ, fugam, egestatẽ, cõpedes
& fœdè necis laqueos attulerit: quãdo Ludouicus
ad non dubiam clementiam semper uictor, ab im-
mensis; opibus regum maximus, rapaci sæuoq; ty
ranno semper egẽti, & iam planè ab omnib. deserto
præferendus uideatur. Per hunc modũ Mediolanẽ-
ses, ut plerunq; accidit ex timore in nouã spem pro-
clinatis, arma tenẽti facilè parent: nouũ Ludouico
regi sacramentũ dicunt: restitutoq; senatu, Sfortia-
na insignia publicis locis deradunt. Nec multò post
Sacramorus pacata urbe accitus in castra, quòd Hel
uetij numero auncti prẽter opinionẽ feroces animos
præferrẽt, & prelio certaturi uiderẽtur, supra octin-
gentos galeatos equites eductos ad Ticinũ amnem
contendit.

contendit. Eodem tẽpore quo hęc Mediolani gesta A
sunt, à Gallis ducibus ad Agapitanam portã magno
tormentorum apparatu Nouariæ mœnia quassabã-
tur, tam graui ciuiũ metu, quàm insigni Heluetiorũ
alacritate. Hi enim egregio cõsensu intrepidisq; a-
nimis, quanquã prostrato adapertoq; penitus mu-
ro, ita uim tãti instructi exercitus, & Gallorũ minas
despiciebant, ut nullum introrsus aggerẽ more mi-
litiæ, nullaq; prorsus ad sustinendũ inuadentis ho-
stis impetum, munimenta se erecturos profiterẽ-
tur, frustra obsecrante Siluio Sabello, ut trãsuersam
saltem fossam Italorum militum ciuiumque labore
iuxta ruinas perduci finerent. Idẽ quoq; cæteri Sfor
tiani proceres non ignari militiæ postulabãt, & an-
te alios Ioannes Gonzaga, Alexander Bẽtiuolus, &
Camillus Montanus Prætorij præfectus, quod for-
tibus ęquè & peritis ducibus maximè decorum fo-
ret, de temerarijs hostibus minore quàm fieri posset
labore atq; incommodo uictoriam retulisse. Sed his
obtestationib. superba fronte reiectis, Iordinus Vn-
derualdius prestãtis elatiq; animi Tribunus, ad eos
ẽcuersus, Desinite uiri inquit fide & dignitate ue-
stra illustres, uobis timere, & tantopere soliciti esse
de belli euẽtu. Nam his armis, forti dextra alabardã
quassans, & hastatorũ coronam ostendens, cùm pu
blicam omnium salutẽ, tum maximè principis de-
cus & dignitatem nostram proculdubio strenuè at-
que feliciter defendemus: modò Gallis sua inani ia
ctantia ferocibus, tantum animi tantumq; bellici ar
doris insit, ut propius accedere, intrareq; per paten-
tem murum audeant. Experientur enim qua disci-
plinæ cõstantia, quo robore animorum, qua deniq;
ui corporum, Heluetiæ legiones hostes secum con-
gredi ausos excipere ulcisciq; soliti sint. Tum uerò
ad minuendam irridendamq; Gallorum audaciam,
qui promota acie se irrupturos quum signum dare-
tur neminiq; parsuros iactabãt, quòd nemo unquã B
tanta hostium contemptione factum antea memi-
nisset, lectorum lintea transuersis suspensa perticis,
contra hiatus prostrati muri prętenderunt, ut com-
meantes in urbe milites in stationeq; dispositi, nec
ab hoste conspici, nec ideo certis minorum torme-
torum ictibus peti possent. Emiseruntque subinde
tubicinem pacati oratoris tuta insignia præferentẽ
ad hostium duces, qui mandata ferrẽt. Petebãt Hel-
uetij non absurdè per iocum, ut iam tandẽ Galli li-
beratores ab emittendis tormentis temperarent, ut
tantis sulphurei pulueris pilarũq; uanis sumptibus
parceretur: postquam nõ uno in loco latè prostrata
mœnia æquatum solo aditum irrupturis præberẽt:
nec ullæ intus munitiones, quę uel quadratis ordi-
nib. intrantes morarentur instituteq; paratæq; essent.
Proinde securi aduersus omnes insidias, quib. Hel-
uetij confisi uera uirtute minimè niterentur, si Galli
Germanię; uiri essent, arma atq; animos expedirẽt,
ut æquissima conditione cũ paucis cohortibus cõ-
grederentur, antequam maiora suæ gentis auxilia,
quæ iam non procul abessent, importuno ipsis tem
pore superuenirẽt. Ad ea Triuultius grauiter respõ-
dit, Heluetios, qui in rem suam nusquã proterui aut
stolidi esse consuessent, rectè consulteq; facturos, si
pro Sfortia exuto urbibus & ab amicis fœderatis;
deserto, pugnare atq; insanire desinerent aduersus
maximum pręsertim inuictumq; regẽ, cuius modò
tot principes acerbissimè cõiurati, neq; opes neque
spiritus infregerint. Debere eos si saperẽt, & liberis
ac uxoribus optimè consultũ uellent, quod pro sua
peculiari erga gentẽ amicitia atq; beneuolẽtia uehe
menter optaret, recẽtis, & uetustę Gallorũ necessitu
dinis memini sse: opportuneq; prospicere, an aliũde
quàm è Gallia, pace & bello, stata atq; uberrima sti-
pẽdia inter niuosas Alpes rerum propè omniũ ege-
nis essent prouentura. Quorsum inquit eorum qui
obstinatè stulteq; ferociunt, consilia euadent: si tra-
here atque alere bellum uelimus, quum affluente
commeatu atque pecunia, quæ duo prẽcipuè uobis
desunt, redeuntibus ad fidem populis abundemus?
Neque enim eos usq; adeò uecordes & uitæ prodi-
gos esse crediderim, ut nos nullatis munitos castris
tot tormentis instructos ualidissimisq; Germano-
rum & Cantabrorum auxilijs & peramplo fretos
equitatu, adoriri & in uestigio efferæ temeritatis
pœnas dare malint, quàm cum triplici stipendio, &
certis opulentisque muneribus, ad uxores domum
redire: quæ omnia abundè ex fide regia statim con-
sequentur, si Sfortiam, uti antea ex merito patrem
eius inuisum terris, cœloq; damnatum tradiderunt,
continuò in manus tradãt, aut certè dedita urbe nu
datum præsidio fortunæ suę iactandum relinquãt.
Hæc tubicen renunciare iussus, pecuniaq; donatus,
ad suos in urbem redijt. Cæterùm his responsis ad
duces relatis, & mox per singulas cohortes emanã-
tibus tantum abfuit, ut quisquam è primoribus at-
que signiferis permoueretur, ut præ insita confir-
mataque audacibus animis ferocia, uix ab eruptio-
ne temperarent: quanquam nõnulli Gallico, ut cre-
ditur, capti auro sententijs labarent, & certa oblatę
pacis præmia dubio & difficillimo bello, cautis &
satagentibus anteponenda differerẽt. In eam enim
curam sedulò Triuultius incumbebat, ut peruica-
cium feritas per partes occulta largitione mollire-
tur. Interea Maximiliano ingenti cura anxio pauen
tique ad omnes rumores, Heluetiorũ auxilia citatis
agminibus aduẽtare, Altosaxum uerò Comensi uia
ad antiquum Galeritiæ cohortis uicum peruenisse
nunciatur. Eodem quoq; tempore Tramulius atq;
Triuultius de hostium itinere per exploratores co-
gnoscunt. Aduocatur itaq; consiliũ: astricti; sen-
tentijs deliberando disputatur, mouere ne retrò ca
stra expediat, longiusq; ab urbe loco tuto cõsidere,
an cũ expedita exercitus parte nouos hostes patẽti
bus in cãpis adoriri, sine tormentis, sine equite, dis-
soluto; agmine properantes, quandoquidẽ circũ-
fuso equitatu, productisq; falconib. per agiles cur-
rus cohortibusq; leuis armaturę Vasconum sagittis
rem gerentibus, aut proteri aut magno certè illato
detrimẽto ad Ticinum retrudi possint, priusquam
eis è Nouaria, uel ab Altosaxo qui in Ticini transitu
adhuc hæreat, in tẽpore succurratur: nec interea ma
nẽte eadẽ castrorum forma, & Germanis suo pecu-
liari uallo inclusis, reliquisq; copijs maiorũ tormen
torum corona præseptis, quicquã de hostium erup-
tione timeri possit. Hoc maximè probabat Rober
tus Sedanius, suspenso nec abnuente Tramulio, uti
erat pugnaci ingenio & ad omnẽ uel dubiæ pugnæ
aleam parato. Sed Triuultius peruicacis & feruidæ
gentis recentẽ uim reformidãs, omne prælij discri-
men uitandũ esse testabatur, uti alienũ aut certè nõ
necessariũ ad sperataę uictoriæ prouentũ, qui planè
sine ullo incõmodo à cautis minimeq; pręproperis
sperari deberet. Indomitæ, inquit, uires, quę uel gra
ui impetu sine multo sanguine detrimentoq; per-
rumpi nequeũt, plerunq; mora utili & tuta cunc-
tatione diffringũtur. Quod herclè magno usui nobis
eueniet, si hinc ad Riottã uicum procul ab urbe ui-
ginti stadijs castra referamus. Neq; enim eius sen-
tentiæ cesserim, nisi imprudens senex sim, qui diui-
dendas copias putet, ne utrique parti tanquam in-
firmæ & inualidæ ad resistendum conandumq; ui-
res desint, & nobis cũ triplici hoste, si ita fors ferat,
uno tempore fuerit dimicandum. Erant uera hæc,
planeq; secura quæ Triuultius assentientibus cæte-
ris asserebat, nisi Fortuna (ut plerunq; accidit) sanis
infesta cõsilijs, cuncta quæ ille optima ratione pro-
uiderat, inopinato ueluti correpta turbine præuer-
tisset. Nihil enim à tãto duce, qui Italicarum rerum
usu regionis que peritia ac ętatis honore Gallos an-
teiret, temerè confirmari uidebatur, uel ob id præ-
sertim

sertim quòd in latifundijs suis peculiariq; & sibi A
noto in prædio ad Moram amnem ponenda castra
iudicabat: quámobrẽ subticenti Sedanio, uel à stre-
nuis & pugnæ cupidis in Triuultij sententiam iba-
tur. Itaque nullo strepitu edito rebus omnibus ad
profectionem instructis, ab oppugnatione recedũt,
& ad Riottam castrametantur. Et modò Heluetij
nemine hostium qui contrà iret, in itinere conspe-
cto, Nouariam peruenerunt, magnaq; gratulatio-
ne & lætitia omnium, quum donati uino largiter
ietassent, uix unius horæ spacio ad quietem delum
pto, noui ducis in consilium descenderunt. Nã prio
res, ut qui antea moueri retro castra reduciq; tor-
menta conspexissent, iam hostes ad Riottam con-
stitisse didicerant: edoctiq; ab incolis de natura lo-
ci situq; camporum, & de uado, ripa, & flexibus
decurrentis amnis, priusquam hostes ab urbe lon-
gius recederent, confestim audendum fortibusq;
animis inuadenda castra iudicabant, uel exigua nã-
que mora hostem emitti è manibus rebantur, quòd
non postea, ut æqua conditione confligerent, occa-
sionem essent reperturi. Nam aliæ quoque Gallo-
rum cohortes, aliæq; turmæ equitum, adducente
Stuardo Albaniæ regulo, Alpes transisse cognoue-
rant, quæ copiæ magno incommodo ipsis aduersæ
forent, hostibus uerò peropportunæ, atq; adeò tan-
quam utilissima ratione bellum trahentibus expe-
ctandæ conferentur. Tum uerò exurgens Craffius
Tigurini pagi magister, uir eximię authoritatis, No
lite obsecro inuicti fratres (inquit) differendo com
mittere, ut cõsilium ingentibus animis susceptum,
importuna Altosaxi atque auxiliorum expectatio-
ne corrũpatur. Id enim una maximè celeritate tutũ
& euentu felix euadet. Nec quicquam aliud nobis
rectè & nauiter decernentibus, quàm maturè facto
opus est, ne tantæ occasioni, quæ in hanc spem rei
bene gerendæ nobis offertur, & leui temporis mo- B
mento præuerti potest, nequaquam impigrè desi-
mus: satis nanque erunt uel paucę cohortes inuictę
uirtutis ad opprimendos hostes, dum nihil nos an-
tè ausuros, quàm se cõiungat Altosaxus, existimãt.
Proinde utamur illorum errore: & incautè super-
bis opinioneq; deceptis inexpectáto impetu im-
prouisum terrorem ad non dubiam cædem & fu-
gam inferamus. Vicimus profectò si uictoria egre-
gio consilio concepta atque explorata, intrepidis a-
nimis & fortibus dextris quæratur. Tũ uerò cuncti
ad unum duces atq; signiferi, nullam omnino mo-
ram sibi afferunt, quin peroranti Craffio statim acce
dant: de ratione ineundæ pugnę grauiter decernũt.
Ediciturq; militibus ut cibo & quiete corpora cu-
rent: & post secundam uigiliam ad uexilla coëant:
quid fieri uelint ante auroram duces imperaturos.
At Maximilianus qui anxio fatisceniq; animo su
prema uolutabat: tum primum sese erigere confir-
mareq;, præclarum erga se gẽtis studium tantumq;
animorum ardorem admirari, complecti singulos
cẽturiones, hisq; prolixè testari, quibus imperium,
fortunas, salutemq; deberet, gratias ingentes relatu
rum. Sed dum intentis omnium animis in euẽtum
futuræ pugnæ arma parãtur, & sol iam in occasum,
inclinaret, mirum dictu, & quod memorię prodendũ uidetur, Gallorũ canes relictis castris magno cõ-
tinentiq; agmine Nouariam intrarunt, admistique
Heluetijs qui in statione erant, eorũ crura lambere,
caudas adulanter quatere, demissisq; blandè auri-
bus singulis applaudere cœperunt, tanquam Helue
tij iã ipsorũ essent domini, aut certè futuri, ut mox
apparuit. Primus omniũ Iacobus Mortinus è Tor-
fano nequaquam agresti ingenio uir, & Italicæ gna
rus linguæ, tanquam auguralis disciplinæ, uti ab e-
uentu credi par est, non imperitus, omine accepto
ad Maximilianum cõtendit, eiq; uictoriam de Gal-
lis est pollicitus, quòd à maioribus gentis esset ob-

seruatum in auspicijs præliorum, proculdubiò eo- A
rũ fore uictoriã ad quos hostiũ canes tanquã ex in-
felicibus castris ad tuta fortunataq; hospitia perue-
nissent. Igitur Heluetij duces simulãdo aliud quàm
quod parabatur, tympana tota nocte pulsari & cir-
cumferri per urbẽ iubẽt: ut speculatoribus, si qui ad-
essent, exeundi speciẽ præberẽt: ideoq; hostes quos
rota die in armis fuisse constabat, etiã nocte eadem
instructos in equis distinerent. Cęterùm imperator
omnibus, ut cibo & somno corpora firment, & lucẽ
operiantur: ut quisq; uirtutẽ suam pulcherrima de-
coris cõtẽtione in pręclara luce ostẽderet, nec igna-
uos porrò impunè terga uertere aut deserere ordi-
nes ausuros. Hæ siqdẽ Heluetiorũ seueriſimę sunt
leges, ut sub oculis spectãtis exercitus, qui pręmetu turpia atq; indigna uiro forti tẽtauerint, à proxi-
mis cõmilitonibus statim obtruncentur. Ita maior
metus minorẽ uincit: & metu fœdæ mortis, decora
mors nõ timetur. At paulò antè quàm diluceſceret,
duces ex omnibus copijs (erãt eæ ad nouẽ milia pe
ditũ) mille spectatæ uirtutis deligunt, qui octo fal-
conibus præsint, & Maximilianum equites q; eius,
qui admodũ erãt pauci, sed primæ nobilitatis comi
tentur. Reliqui in duas sese acies pãdunt: & diuer-
so itinere, nequaquã strepẽtibus tympanis, silentiq;
prorsus agmine ad hostes feruntur. At Triuultius,
qui tametsi inueteratæ prudẽtiæ dux habebaẽ, pau-
cos tamẽ fessosq; pedites antequã aduenirẽt Alto-
saxus egressuros aduersus firmissimas copias, aut
quicquam de fortuna prælij tẽtaturos nõ putabat,
ubi hostiũ acię in conspectu esse cognouit, Tramu-
lium cæterosq; duces excitat, signa canere, torméta
in aduersos collocari, & cuncta pro necessitate peri
culi, quæ usu & disciplina didicerat, administrari iu
bet. Temporis tanta fuit exiguitas, hostiumq; tam
paratus ad dimicandũ animus, ut Galli equites uix
ad frenandos equos & galeas induendas tẽpus ha-
buerint: utpote qui magna parte diei & noctis, intẽ
ti ad imperia in armis constitissent: & serò demum,
quòd Nouariæ pacata omnia nunciarẽtur, in taber-
nacula ad quietẽ se recepissent. Satis tamen oppor-
tuno tempore leuis armatura equestris uti expedi-
tior, extenso ad læuã longissimo cornu, ueniẽtibus
mille Heluetijs occurrit, qui ut hostiũ tormẽta de-
clinarẽt, quod his iam peterentur, sinuoso circuitu
ad Morã fluuium contendebãt: ut inde ponte supe
rato, terga hostium & tabernacula adorirẽtur. Erat
enim is amniculus quanquã suo decursu lenis, si.ua
do transiretur, quòd mediã æquaret coxã, pediti cal
ceato & iam pugnanti, ualde incõmodus. Hunc Lu
douicus Sforcia ab emissario Sesithis amnis ad uber
tatem agri, indito suo cognomine, in ea prata dedu
xerat. Itaq; Heluetij ad pontẽ patenti uia proceden
tes tormẽtis hostiũ ex transuerso peti, ingruenteq;
per alueum & utrãq; ripã procella equitũ, uehemẽ-
ter premi cœperunt. Tum uerò Mottinus præsenti
animo cõsilium mutat, & Maximilianum, qui insul
tantibus Epirotis magno in discrimine uersabatur,
pugna excedere & cõtinuò in urbẽ reuerti iubet: ut
belli caput acerbitati fortunæ expositũ speratæ ui-
ctoriæ cõseruaret. Eum uerò generosę renitẽtem &
ut se cõmunis sortis casum subire pateretur, cõstãti
animo depręcantẽ, duo cẽturiones cũ totidẽ mani-
pulis freno arreptũ, & detractis calside cristis, indi-
taq; uili clamide ut paludamentũ tegeretur, ex acie
subducunt, conglobatoq; equitum agmine in urbẽ
redire cogũt, ut inde periculo uacuus, ipsorum uir-
tutis spectator, maturæ uictoriæ nũcium expecta-
ret. Itaq; Mottinus ea solicitudine liberatus, nutan-
tem suorũ aciẽ quæ iam tres falcones amiserat, sau-
cijs in medium receptis componit, & ui facta ma-
gnoq; impetu prouectos Epirotas propellit, interfe
ctoq; ibi Alexio Bosigio nobili Græco Epirotarum
alæ prefecto latè profligat. Eodẽ quoq; impetu de-

fertur

fertur ad hostium castra, cæsisq; lixis & stationis A
militibus perturbatis, impedimenta capit. Paulò
antè autem quàm hæc à Mottino fierent, aliud ag-
men capto per adultæ segetis campos longiore iti
nere, paruoq; ob id à tormentis accepto detrimen-
to, in latus hostium impetum fecit. Cõstiterat eo lo
co Gallica acies tripartita: hinc Tramulius, Rober-
tus illinc cornibus præerant, Triuultius medium
agmen tuebatur, proximaq; inter equitũ acies Ger-
manorum phalanx intra modicam fossam se rece-
perat, quod uallum noui ac admirabilis artificij ad
prælium casus, quo se includeret à Sedanio insti-
tutũ, in eo hostiũ improuiso superuentu defigi atq;
erigi nequiuissẽt. In hanc itaq; Heluetij, circumdu-
cta ad dextram acie, concitatis animis se conuer-
terunt, quòd uictoriã sibi facilẽ tum fore intelliger-
ent, quũ hostilis exercitus præcipuum robur facto
cuneo perrupissent. Id Galli duces è proximo con-
spicati, tormenta statim in confertos dirigi, & lata
strage ordines perrumpi, mox in latus fatiscentis
agminis equites cataphractos uehementi impetu
procurrere iubent. In eo tumultu Bernensium tri-
bunus in aduersum os pilaueberatus, & Antius
Aman Zuchius pugnantes cadunt, nihil tamen ho-
rum milites, uel ducum morte, uel periculo suo uel
commilitonum horribili clade perterriti, sese colle
ctis uiribus in globum è disciplina componũt: equi
tes magna ui propellũt: & statim uti antea decreue-
rant, superata fossa Germanos adoriũtur. Ibi conti-
nuò cruentum & atrox prælium subortũ est: nul-
læ tamen utrinq; uoces, sed horrendus armorũ fra
gor & summisi cadentium gemitus audiebantur.
Germani, ut commilitones superiore anno ad Tici
nũ cæsos ulciscerentur, & ut belli gloriam ante qua
tuordecim annos apud Syluam nigram in Rauraco
rum finibus amissam, nouo decore redimerent, ar-
dentissimè præliabantur. Heluetij uerò ut ueteres B
& proprios hostes è Germania profugos, in contu-
meliam Cæsaris pro Gallo mercede pugnantes, ali
quando delerent, paribus animis & uiribus decer-
tabant. Interea dum collato pede cum Germanis
res gereretur, Triuultio atq; Tramulio impedimen
ta capta, trucidatosq; castrorum custodes, atq; om-
nia in tergo tumultu & cædibus compleri nuncia-
tum est. Cuius rei fama adeò Gallorum animos tur
bauit, ut eò magna pars equitum, dum quisq; solli-
citus suis sarcinis impedimẽtisq; prospiceret, ad re-
cuperandam prædam sine imperio conuolarint.
Parte quoq; altera eodem penè temporis momen-
to, tertia Heluetiorum acies à fronte sese ostendit.
Quæ dum tormenta à Gallis in oppositam syluam
frustra emitterentur, quod inter arbores ad fallen-
dum hostem inutiles ministros, qui armatorũ spe-
ciem facerent, astutè reliquisset, per obliquum sen-
sim irrepserat, inclinatis humi corporibus, & attra-
ctis per cuspides maioribus hastis, ut præter uolan-
tes globos euitarent. Tanta fuit contemptio incidẽ
tium pilarum, et tantus incumbentium impetus, ut
Galli & Cantabri pedites, cadẽte Aloisio Beamon-
tio ipsorum duce, & cum his cohortes duæ Ligurũ
& Salassorum celeriter cæsæ fusæq; sint, & capta in
super tormenta uictores in fugientium terga con-
uerterint. Quod ubi conspexere cæteri equites, tor
menta scilicet ab hostibus occupata, in quibus Gal
li semper plus fiduciæ, quàm in dextris atq; uirtute
omnibus bellis posuissent, deletos iam propè Ger-
manos, tentoria capta, atq; hostes sternere omnia,
& campo latè potiri, inter pudorem & metum ter-
ga uerterunt. Duces perculsis omnibus, ipsi saris ut
in trepida re impauidi, turbatos ordines conuerten
tes se, ad dissonos clamores sociorũ instruere cona-
ri: cõsistere & pugnare cogere: adhortari præfectos
atq; signiferos ut metũ ponerẽt, & paucos agrestes
fessos, inermes, & iã uulneribus debilitatos tãtisper

sustinerent: dum leuis armatura circumfunditur.
Germani prælij pondus sustinent, & pugna omni-
bus locis reparatur. Sed nihil his uocibus cohortan
tium atq; imperantium Ducum permoti equites,
sese in turpissimam fugam dederunt. Quoniã Helu-
etij, quanquam dux eorum Mottinus torméto di
scerptus concidisset, potiti castris cruenti atq; fero-
ces iam sinistrum latus equitum inuaserant. A de-
xtra uerò & in tergis maior acies infestis cuspidi-
bus territos et confusos acerrimè perurgebat. Perie
runt in reparãda acie Monfalco Albanianæ alæ præ
fectus, & Coriolanus Triuultius summæ spei ado-
lescens. At Germani qui plus dimidia parte cæsa, a-
missisq; duobus uexillis, & Florantio duce grauis-
ter uulnerato, aliquandiu constantissimè depugna
rant, ubi se ab equitatu deseri, reliquum peditatum
undique deletum, & tormenta capta conspexere,
quòd fuga turpis & minimè tuta uideretur, erectis
suo more cuspidibus, dedentes sese, à uictore hoste
clementiam quæsiuerũt. In eo graui tumultu Seda
nius impotenti dolore percitus, ut Florantio & Ge
mesio filijs in tanto uitæ discrimine circumuentis,
extremam opem ferret, adacto cataphractorum ue
hementi cuneo ad mediam hostium aciem penetra
uit, filiosq; iacentes inter cadauera & multis fœda-
tos uulneribus, ita erexit & sustulit, ut semianimes
sarcinæ modò ceruicibus equorum asportati, cum
summa paternæ pietatis & bellicæ uirtutis laude,
ad parata iam futuris bellis decora seruarentur. Ita
Heluetij triplici agmine dimicãtes, sesquihoræ spa
cio & memorabile prælium & grauissimum bellũ
confecerunt. Nec tamen uel tanta hostium strage e-
dita, ad prædam discursum est, quanquam precio-
sa supplex ducum, & cuncta opulenti exercitus im-
pedimenta multorum animos allicerent. Viri enim
patriæ disciplinæ memores, quòd neminem arma-
tum in acie uiuum capere, nec uertentem terga inse
qui liceret, medio in campo confertis ordinibus in
multam diem immoti constiterunt, ne Galli equi-
tes aut ducum astu aut suo pudore concitati regre-
derentur, & spoliandis cadaueribus occupatos op-
primerent. Verùm adeò pertinax & intenta hostiũ
fuga fuerat, ut Triuultius uoce rauca pulueulẽtus
adequitans nec adhortationibus, nec contumelijs,
nec authoritate Imperij signa sistere, aut præcurren
tes abiectis hastis equites retinere ualuerit. Cõstat
Grittum eius infaustæ expeditionis comitem, qui
unà profugiebat, sæpius in turba properantium di
xisse, Hodie ut uideo, equites uererani qui tam effu
se calcaribus studetis, iam non estis Venetorum ca-
taphracti, sed nobiles Galli, qui eos fugaces fœmi-
nas appellare consueuistis. Nunquam enim accide-
rat, ut inuicti fortunatiq; antea duces, tanto instruc
ti exercitu, à paucis peditibus ludẽte Fortuna fun
derentur. Ferũt Gallicũ equitatũ in fuga deleri po-
tuisse, si Maximilianus ducẽtos saltẽ cataphractos
habuisset. Nemo enim è Gallis equitibus (tantus
erat euadendi ardor) lanceã ultra Sesithẽ tulit, in-
secuti tamẽ sunt fugientes ex interuallo Syluius Sa
bellus & Corradinus Cribellus cũ expeditis turmis
ad Trecatum usq; oppidũ. Pagani uerò ab agris atq;
omnibus uicis ad prædã effusi, ubi sepes, fossæ,
concisaue aruorum itinera palantes & trepidos mo
rabantur, ipsi plures conspecta pręda paucos & cur
su fessos, crudeliter opprimebant. Vixdum confe-
cto prælio, & adhuc spirantibus qui ceciderant, su-
peruenit Altosaxus lupina pelle contectus, atroci
uultu, promissa & perhorrida barba hosti formidan
dus. Is quòd serò cum cohortibus aduenisset, præ
dolore gemens fremensq; barbam conuellebat,
quòd incruentis alabardis inglorius confecto bel-
lo, domum redire cogeretur. Enimuerò Vertius
Gallicæ factionis Heluetius, inchoata iam pugna,
ex acie Olegium profugerat, exitiali mendacio de-

letos Heluetios, Maximilianum captũ, atq; omnia aduersa in prælio obuenisse renuncians. Quo nuncio commotus Altosaxus, qui & ipse dudum superato Ticino Olegium peruenerat, uti cautum ducẽ, & de legionum salure sollicitum decebat, paululũ subsistit, sed mox auditis tormentorũ fragoribus, tametsi uera esse quæ Vertius attulerat magna ex parte putabat, opinione tamen inuictæ uirtutis primarum cohortium, fractas attritasq; Gallorũ uires se inuenturum ratus, iustis passibus ad hostes properauit: paucos uerò post dies, quum Altosaxus in consilio Heluetiorum ab æmulis atq; inuidis tardi tatis accusaretur, & indicio Vertij qui perfidiose uanum rumorem attulerat, suspicionem criminis præclarè diluisset, Vertius conquisitus atq; ita damnatus est, ut more maiorum in frusta secaretur. Eodẽ die Heluetij collecta suorum cadauera humeris in urbem reportarunt, ut optimè de Republica meritis iusta soluerentur. Desiderati sunt in ea uictoria mille circiter & trecenti, è quibus supra septingentos tormentis discerptos retulere, quum ferè totidem sauciati è prælio discessissent. Periere autem in partibus Gallorũ ad octo milia omnis generis. Inter Heluetios duces Iordini Vnderualdij immanis propè effera uirtus emicuit, qui consensu multorũ supra uiginti hostes alabarda confecit, & certæ laudis præmia tulit. Tum uerò Maximilianus tanto successu lætus aduocata concione, quum præ gaudio manarent lachrymæ & uix effari posset, cunctis gratias egit, & quod præsentis lætitiæ munus esse poterat, commeatum omnem donatiui nomine militibus diuidendum dedit. Torméta quoq; & quicquid prædæ partum fuerat, cohortibus in præmiũ uirtutis accessere. Sed uallum de hoste captum Maximilianus tanquam uictoriæ monumentum porticibus affixit. Huius ualli structura quam nos uidimus, ut posteris documento atque usui esse possit, paucis explicanda uidetur. Dimenso ad paruam castrorum effigiem quadrato passuum quinquagenũm spacio, quatuor solidi stipites in angulis defigebantur ad umbelicum solo extantes, latera minoribus aliquot tignis per interualla pariter defixis sepiebantur, ad ea plicatiles cancellos ferreis ansis recta confibulatos applicabant. Intra hanc munitionem legio ita se instruebat, ut totius ambitus summa corona centum ferè muralibus sclopetis aduersus hostes undique muniretur. Hoc modo ingruentium hostium uim sustineri & planè refringi posse Sedanius existimarat, quòd Heluetios, priusquàm ad hastas manusq; uenirent, inconsulti impetus pœnas daturos credebat, quum prætentis hastis hispida phalanx & suo tuta robore insuperabilis, defensura uallum, & demũ in perturbatos parefacta munitione, ad non dubiam uictoriam eruptura uidetur. Sed hæc militari ingenio excogitata, tantoque labore & sumptu per Alpes aduecta, sicuti spectantium oculos nouitate formæ & spe uictoriæ subnixos animos magnopere delectabant, ita ut plerũq; solet, Fortuna subtilibus artificijs nihil arridens, tũ maximè quum oportebat, rationi atq; operi successum eripuit. Id uerò Germanos fefellit, quòd eodem die moturis retrò castra ducibus, eius uallum apparatum uti suis iam impositum curribus minimè erigendum putassent. Sed id acceptum uulnus Tramulius, quum hæc ab eo Bononiæ quæreremus, in Triuultium non insulse reiecit, quasi ille in prædijs suis ut adulto pabulo parceretur, secus ac ipse diseruerat, castra metari noluisset. Triuultius uerò uti nusquam antea uictus, quum de eius prælij euentu multa narraret, ad fatalẽ nomini suo iniuriã referebat, quòd temerarijs & in furorẽ actis nulla ratione uel à peritissimo duce obuiam iri posse prædicaret. At Sacramorus, qui ut ad Nouariam in castra cõtenderet, ad Ticinum continuò traiecturus peruenerat, ubi primum ex multo reboatu & cõtinenti fragore tormentorũ, proculdubio accẽsa pugna rẽ geri præsensit, coacto suorum agmine paululũ subsistit, ut ex euẽtu pugnę cõsiliũ caperet: sed nõ multo pòst, quũ ex multorum fuga, Heluetios profligatis Gallis campo uictoriaq; potiri didicisset, ne intercluſus fluminibus, cùm ab hoste tũ ab infestis sibi undiq; incolis deleretur, retrò ad Abduã est profectus, superatoque amne ad Cremonensium fines Venetis copijs se coniunxit. Per eos enim dies Liuianus cũ omnibus copijs Cremona excesserat: nã paulo antè plebe ad Venetũ nomẽ inclinante in urbẽ fuerat receptus, quãquã Galeacius Pallauicinus rẽ ad Gallos deducere conareẽ, & nõnulli ciues ex prima nobilitate Sforziano nomini studerent, q, à Brunorio Petra arcis custode, ut belli exitum expectare uellent, continuis obtestationibus in fide continerentur. Sed iam Sforzianæ uictoriæ fama adeò latè emanarat, ut Liuianus, qui eam diu suppimere nequiuerat, suspẽsis adhuc ciuibus & integris rebus, suis excedendum existimarit. Itaque eadẽ celeritate qua dudum uenerat, Veronam contendit, prolatoque tormentorum apparatu ad diuę Luciæ templũ urbem oppugnare est adortus. Vir enim in omni cõsilio uiuidus & ferox, reiq; gerendæ percupidus, ali quid sibi omnino tentandum existimabat, ut audaci facinore Gallicæ cladis fama tegeretur, & quales erga Venetum nomen Veronensium animi forent, uehementi facto impetu tanquam ex itinere proti nus experiretur. Sed is conatus ad incertam spem præproperè susceptus, eum habuit euẽtum, ut quũ deterſis pinnis depulsisque propugnatoribus, milites ingenti animo per scalas in summam muri coronam euasissent, nec prælato exitialique saltu in urbem se demittere auderent, undique glandibus tracti atque interfecti deijcerentur. Inter quos fuere summæ fortitudinis Centuriones, Thomas Fabronus è Pistorio, & Vicinius Vmber, qui primi conscẽderant: Georgius namq; Tridentinus antistes, subsidio delectu septem cohortes adduxerat, quæ confertis ordinibus sub muro hostium descensum expectabãt. Quo animaduerso periculo, nemo militũ fuit, qui non excipientis phalangis cuspides formidaret: & pudore & metu confusus in muro minimè cunctaretur. Ea re improsperè tẽtata, Liuianus usq; adeò festinanter reductis tormentis & signo profectionis dato è conspectu urbis discessit, ne ab erupturo hoste distineretur, ut aliquot noros milites, qui ad proximum puteum ardentissimo sole potandi causa ex acie diuerterant, crudeli manu confoderet, frustra deprecante Paulo Baleono, qui infestos sitique confectos à mucrone temperandum esse disserebat: iustisque inde confectis itineribus ad Tombas Vincentini agri in statiua castra cõcessit. Baleonus autem ad dextram cum parte copiarũ Allieniacũ petere iussus, id oppidum & arcem paucis diebus expugnauit, Villiada Hispano ad extremũ se dedente, qui exigua manu arcẽ acerrimè defenderat. Iisdem quoque diebus Octauianus Fregosius Nouarienſis uictorię fama excitus, commendante Leone Pontifice, ut Genuam reduceretur, cũ Cardonio atque Piscario transegit. Octauianum enim præstanti ingenio hominem, & multis bonis artibus instructum, Iulianus Leonis frater ueteris amicitiæ nomine mirificè subleuabat: pariq; studio Piscarius affinitate sibi coniunctũ pollicẽtemq; pecuniã Hispanis in stipẽdia diuidendã, Iano Fregosio anteferendũ arbitrabatur. Hunc enim cũ pleriq; ciuiũ tanquã nimis properè à se desertũ omnino metuerent, multi etiã in uniuersum oderãt, quòd ipso conniuẽte sanguinarij fratres nefarias manus Hieronymi Flisci sanguine imbuissent: illũ uerò patre principe genitum egregięq; uirtutis fama illustrem adeò populus expetebat, ut in omni re ciuili uel bellica

bellica Iano potiorem existimaret: quòd in longo exilio à Fortuna grauiter eruditus, in gubernanda Republica magnam spem lenitatis, & temperantię allaturus esse uideretur. Itaq; Piscario in Pulciferã uallem, ab Apennini iugo pulsis undiq; montanis Liguribus, cum exercitu descendente, Adurnij fratres desperatis Gallorum auxilijs, consilium summæ pieratis atq; prudentiæ sibi desumpserunt: professique in concione se publicam ciuium salutem principatu & patrijs penatibus charioré habituros eo animo, ut patriam omni tumultu belli q; periculo liberarent, positis armis, ab Genua discesserunt, quum alterum tantum atq; uigesimum diẽ dominatum tenuissent: tanta quidem cũ laude, ut magna pars Senatus, abeuntibus gratias ageret, & pleriq; honesti amantesq; patrię ciues, nusquam obstrepẽte populo, uel natura insolenti & factioso, eos ferè cum lachrymis ad multum spacium prosequerentur. Othobonus quoq; & Sinibaldus Fliscq; eodẽ consilio, sed æquioribus animis, quòd principatus Fortunam inueterata consuetudine, solis Gibellinis attributam minimè respicerent, & fraternæ cędis iniuriam probè uindicassent, in castella sua quæ ad Tiguliorum montes & Lauaniam amnem pertinent, profecti sunt. Eo modo Fregosius pacato agmine in urbem receptus, & à populo dux & princeps est appellatus. Triduoq; post imperata pecunia, quæ octuaginta milium aureorum nummũm summam excedebat, Hispanis stipendia persoluit, remuneratusq; Piscariũ, id ab eo impetrauit, ut sine maleficio finibus excederetur: atq; ita cum omnib. copijs in Placẽtinum agrum est reuersus, indignantibus Heluetijs, quòd Hispani, qui eo bello neque fidem neq; opem, difficillimis ipsorum rebus præstiterant, alieno sanguine partæ uictoriæ præmia intercepissent. Iisdem porrò diebus quibus Adurnij fratres principatu & patria decesserunt, Præianes Gallus, quum intromissa in Laternam arcem quanta maximè potuit, commeatus & tormentarij pulueris copia custodes diligentissimè confirmasset, iussu regis è Liguria cũ quatuor triremibus, quod nemo antea ausus fuerat, per Gaditanum fretum ad Armoricum Oceanum enauigauit. Eo enim tempore Britanni ualida classe per Galliæ oram infesta populatione uagabantur. Existimabat enim Præianes triremes suas tranquillo præsertim mari, & nullo spirante uẽto, aduersus maiora hostium nauigia quæ uelis agerentur, magno usui futuras: quod hostium excellæ naues (ut nonnunquam æstate accidit) ex malicia in alto destitutæ expedito longarũ nauium remigio, circũfisti, & adactis colubrinis expugnari atq; demergi posse uiderentur. Sed nihil ea æstate tantis classium incursionibus magis memorabile gestum est, quàm ut Odoardus Surrei filius Britannicæ classis præfectus, magno casu penè solus occideret. Is iuuenis, ut magnitudinẽ animi ostẽtaret, quum secundo uento inflatis uelis Præianem ad Vidanam portũ qui Brestius dicitur, frustra persequeretur, ita demũ demissis antennis substitit, ut opprimendi hostis cupiditate in magnarum nauiũ scaphas delecto instructas milite audacter desiliret: & triremes humili fabuloso q; in litore semiductus adoriretur. Quo certamine, quum Præianis epibatę acerrimè sese defenderent, Odoardus dum in prætoriã scandere conaretur, à prora reiectus contis, & secure uulneratus in mare concidit: atq; ita Britanni amisso classis præfecto, re infecta ad classem redierunt. Triduo autem Odoardi cadauer fluctibus expulsum in arena repertũ est, & statim agnitũ, quoniam aureũ corniculũ collo suspensum gestaret, quod præfecti maris est insigne. Eo enim fistulæ more inflato, magistri nauiũ diuersis sibilis & cantibus opportunè ediris, nautas ad officia reuocare atq; incita re cõsueuerũt. Nec multo pòst duæ maiores Britannicæ naues, Thoma Gniueto immensæ fortitudinis præfecto, audente concitanteq;, Gallicam inusitatæ magnitudinis nauem, quam Cordigeram appellabant, adortę sunt, tormentis utrinq; latera pertundentes. Cordigeræ præerat Plumorgher, inter Gallos Oceani accolas rei naualis peritissimus. Is præsenti infausto q; cõsilio in hostiles naues ex propinquo subeuntes, quod in acerrimo certamine sępe factum legimus, cathenatos harpagones iniecit: terribiliq; fragore tormentorum undiq; edito, ita prælium exarsit, ut quũ facibus, incẽdiarijs q; malleolis ad mutuam cladẽ res gereretur, uno tempore tres simul naues miserabili exitu cremarentur, & supra duo milia hominũ aut discerpta tormẽtis, aut flammis circumuenta, aut demum semiambusta sponte in Oceanũ pręcipitata perierint, totidem q; ferè omnis generis æenea tormenta Oceano mergerentur. At Ludouicus maiores etiam è Britãnia motus expectans, quum iam ira & dolore multum exarsisset, quod pauci atq; inermes Heluetij, peritissimos duces, ueteranũ equitatũ & pedites numero roboreq; præstantes uera uirtute superassent, omnibus regni uiribus in Belgarum fines traductis, ad Britãnicum bellum se conuertit. Enimuerò Henricus fama rerum ad Nouariam gestarum permotus, quum iam antea in Aquitaniam ad populãdam oram maritimam Odoardo Surrei filio cum classe transmisso, ingẽtes copias terra mariq; parasset, ab Anthona Dobraq; Calesiam (quæ portus Icius olim fuit) ipse breui sub secuturus maximam partem exercitus traiecit. Siquidem rex iuuenis super insitum à natura odium aduersus Gallos, studio etiam glorię accẽsus, quod defendere iniurias sacrosancti Pontificis & tueri armis religionis causam æquum atque magnificum rebatur, ipse transfretare constituit, concitandis maximè Germanorum animis, quorum ingentem numerum mercede cõduxerat. Namq; Cæsar huic bello intentus, & Margarita eius filia uirilis animi mulier, ob ueterem repudij contumeliã Gallis infensa, quæ tunc, adolescentis Caroli tutrix, in Cisrhenana Germania (ea Belgicæ pars est) longè lateq; imperitabat, auxilia caraphractorum equitũ & peditum passim ex utraque Rheni ripa Britãnicis castris adiunxerant. Iam Britanni duce Talbotto è Calesia Taroannam Morinorum urbem oppugnatum uenerant: admotis q; muralibus tormẽtis, mœnia magna ui & summa pertinaciæ fama quassabant. Ea urbs muri circuitu parua, sed ædificijs frequens, quòd ab imminenti monte & ab Lisia impeditissimo flumine muniebatur, ex omni parte difficilem habebat oppugnationem. Addita erãt asperitati situs mœnia fossæq;, & super hæc equitum ac peditum præsidia, quibus præerant strenuissimi duces Pontiremius atq; Rouergas. Interea dum Talbottus Taroannam continenter oppugnat, Henricus è Britãnia superato freto Calesiam uenit: quod ubi per Gallias uario rumore uulgatum est, Ludouicus in tẽtissima cura delectus habere, euocare quosque nobiles ac ueteres equites perfunctos iã militia, classem in Oceano ædificare: prospicere simul omnibus regni lateribus, & ad omnes casus remedia cõparare, omniũ primũ Narbonam & quæq; proxima Pyreneis saltibus prędidio firmat, Hispano haud satis fidẽs, etsi cũ eo inducias paulo antè pepigerat, ne finitimæ gẽtes belli auidæ in tergo repẽtinũ bellũ aperirent: Heluetiorũ quoq; in finibus iustũ propè exercitum, qui Heduos ab iniuria tueatur decernit. Ii namq; uix dũ è Nouaria uictores domũ reuersi, concilio Turegi habito: quũ legati magistratus q; omnium oppidorum uno tenore de inferẽdo Galliæ bello retulissent, sublatis uexillis arma ceperãt, eo consilio, ut monte Iura superato, per Sequanorum fines in hostilem agrum irrumperent: atque omnem eam Burgundiæ partẽ quæ Gallorũ est (ea

ad

ad Ararim & ad ulteriorem Alduadusij ripam ſpectat)ui ad defectionẽ compelleret,uel effuſe popularentur. Enimuerò Cæſar,ut Heducũ urbes,quas in altera Burgundiæ parte poſt Carolum eius ſoceru̇m ab Heluetijs ad Nanſim cum exercitu cæſum, Galli armis per occaſionem occupauerant, ueteri nepotis imperio reſtitueret,Heluetios iure fœderis ad tranſmittenda auxilia & ad maturandam profectionem ſollicitabat. Eos quoq; Henricus oſtentatis præmijs atq; ſtipendijs, & Maximilianus Sfortia nondum arcibus receptis,firmandi imperij cura anxius,ut quandoq; ſemel cœptum bellum finiret, in eaq; temporum fortuna ſuperbos hoſtes in perpetuum domarent,uterenturq; recenti uictoria, cõtinuis legationibus adhortabantur. Quibus de cauſis,Ludouicus Tramulium cum parte equitatus & cohortibus ex itinere conſcriptis in Heduos matu rare, & totis uiribus prohibere tranſitu Heluetios iubet. Demum Roberto Sedanio mandat, ut quàm maximum poteſt peditatũ in Eburonibus Arduen næq; ſyluæ proximis populis mercede conducat, & continuò in Morinos proficiſcatur. Idem ut faciat Carolo Gheldriæ duci iniungit. Is, quoniam initium diſſenſionis inter Gallum & Cæſarem atque huius belli non obſcura cauſa fuerat,è Menapijs atque Sicambris quibus imperitat,legiones duas, ad iuncta Batauorum manu expertæ uirtutis mittit. Ita breui Ludouicus maximo equitatu è tota Gallia coacto, & Germanorum auxilijs ingenti pecunia comparatis, ad hoſtes qui iam in Morinos peruenerant,contendit. Eodem quoq; tempore Henricus,ut uires cum Talbotto per quàm maturè coniungeret,paratis quæ ad profectionem pertinebãt, è Caleſia mouit,inſtructo agmine procedens,itineri ſimul ac prælio intentus. Venerant enim Gallorũ antecurſores, & leuibus prælijs agmina in itinere laceſſebant: mox aliæ atque aliæ turmæ equitum, atq; ipſa ſub uexillis grauis armatura equeſtris in patentibus campis ſeſe oſtenderant, non eo quidẽ conſilio ut acie confligerent,ſed ut Britannos oſtentatis uiribus magis ac magis morarentur. Verùm Henricus,quum maiora quædã tormenta ſuo ponderе effractis axibus,ac comminutis paſſim curruũ rotis tenaci in limo fortè hæſiſſent, & ob eam cauſam neceſſariò ſubſiſtere,& tardius agere agmẽ cogeretur, directa acie bis pugnę poteſtatẽ fecit. Contrà uerò Gallis conſultò certamen detrectantibus, quod uniuerſæ dimicationis caſum neceſſariũ non ducebant, ad ſanctum Odemerum (id caſtellũ eſt) ſubſedit. Sequentibus uerò diebus intermiſſo nunquam itinere,pluribus equeſtribus prælijs decerta tum eſt: perijtque in partibus Gallorum Matthæus Coroneus nobilis Græcus,leuiorum equitum præfectus. Ita Henricus incolumi exercitu, nequicquã Gallo iter demorante, quartis caſtris Taroannam peruenit. Tunc primum urbs quàm acerrimè oppugnari cœpta: namq; tripartitò hinc Talbottus, illinc Carolus Somerſetus, & tertio loco Rex ipſe in gentibus tormentis, murorum pinnas & interna urbis ædificia diruebant. Ex aduerſo Pontiremius atque Rouergas nouis operibus mœnia quaſſata reficere,contrà & ipſi hoſtium caſtra tormentis infeſtare,die noctuq; pro mœnibus,pro portis agere ſtationes,nihil ſe animo demittere,et ſumma ſpe auxilia Gallorum opperiri. Interea ad famam aduentus Henrici regis Cæſar maiore animo quàm uiribus bellum complexus,tendentibus iã in Heduos Heluetiorum legionibus, paucos Germaniæ proceres ſecum ducens ad Henricum peruenit. Secuta eum quoq; eſt magna Germanorum multitudo,qui pacis odio & lucri cupiditate ad id bellũ, in quo tres potentiſsimi Reges de Imperio dimicaturi uidebãtur,ex omni ſe prouincia effuderant. Henricus quoque, ut erat quatuor fermè & uiginti annos natus ab excelſo florentis ætatis uigore pecuniæ profuſus ſuper aduectos ab inſula ingentes theſauros,immenſæ liberalitatis fama & ſtudio erga milites incredibili,mortalium mentes accenderat: magnitudo enim animi,corporis decus atq; proceritas, admirationis humanæ in eo rege modum exceſſerat. Appropinquanti igitur Cęſari obuiã ad ſancti Odemari oppidum proceſsit Henricus: cõſalutatumq; eum & patrem appellarũ in caſtra perduxit. Venerat eò Cęſar magnis itineribus,ſine regio apparatu, ut alicui memorabili prælio intereſſet. Nã in ſuperiore quoq; Germania fama erat aduentare cũ magnis copijs Ludouicum,ut liberaret obſidione Taroannã,aut cũ Britannis de ſumma rerũ dimicaret. At dum reges mutata ueſte circumuecti mœnia,apparatũ oppugnandæ urbis munitionumq; naturã inſpiciunt,ac de genere prælij expugnationeq; deliberãt, nunciatur ab exploratoribus, Ludouicum qui in Ambianis ſubſederat, cum omni genere cõmeatus uniuerſum equitatũ intra biduũ Taroannã eſſe ſubmiſſurũ, quòd ſciret concluſos diuturnitate oppugnationis feſſos, ac neceſſariarũ rerũ penuria laborantes, diutius nõ eſſe tantas difficultates toleraturos. Quod ubi Cæſar pro cõperto habuit, quoniã & rei militaris peritia & notitia locorũ plurimũ ualebat, cõmunicato cum Rege conſilio,traducere in ulteriorẽ Liſię ripã maximam exercitus partem, & ad hoſtes ſumma celeritate,ut imparatos inuaderet, contendere decernit. Ergo quatuor pontibus unius horæ propè momẽto perfectis,quibus ſimul omnes copiæ tranſmitterentur,relicto in oppugnatione Talbotto,Liſiam traijciunt, & ad Ghingattã uicum duobus paſſuum milibus ab urbe diſtãtem pergunt. Erat Ghingatta obſcurus antea pagus: ſed duabus iam Cæſaris uictorijs Gallo infauſtus: ſiquidem Ludouico undecimo Gallorum rege cum Germanis de finibus contendente, ipſe Cæſar uix dum pubeſcẽs, Philippum Dechordum expertiſsimum ducem, cum triginta milibus Gallorum iiſdem in campis acie ſuperarat. Igitur Galli,ut obſeſsis in tãta rerum egeſtate ſuccurrerẽt,cũ octo milibus equitum,receptis in medium ſarcinarijs iumentis,rectà Taroannam mouent. Præerat omnibus Pienes, uir in Morinis ſummæ nobilitatis: quoniam in prouincia, quam ipſe iam pridem à Ludouico regendam acceperat,bellum gerebatur. Verùm cum eo aderãt clariſsimi quique Gallorum ductores, atque equitatus duratus in armis, & multarum gentium uictor: in quo nihil præter Fortunam ueterem deſiderabatur. Eo modo Pienes quum è tumulis deſcendens,qui ad Ghingattam uergunt, in ſubiecta planicie ſigna atq; equites oſtendiſſet,Cæſar & Henricus incredibili pugnæ deſiderio deflagrantes, partiti inter ſe copias,ea forte ut alter equitatum in hoſtes duceret, alter uerò cum peditatu & curruli bus tormentis continuò ſequeretur, inſtruere ordines, quid fieri uelint præfectos docere, adequitare legionibus,hic Germanos et Belgas,ille Britannos quos ab inſula tranſuexiſſet, adhortari ne ueteris gloriæ militaris obliuiſcerentur, ne eos hoſtes aut fortes, aut inſuperabiles exiſtimarent,quos omnibus bellis atque omnibus ſęculis & progenitores ſui & nuper Heluetij pedites acie deuicciſſent: adniteretur, auderetq; primo impetu,ac ſibi ducibus & regibus ſuis,qui opinione uirtutis omnem dignitatem atq; ſalutem in dextris militum poſuiſſent,fortem operam maturamque uictoriam præſtarent. Germani pedites ignari adhuc aduentus Cæſaris, ut eum aperto capite paludatum ſingulis ordinibus adequitantem cognouerunt, ex eius præſentia uictoriam auſpicati ſtatim acclamauere,Salue Cæſar,Salue pater optime,Imperator inuicte,te duce iam uicimus. Is ut ardorem militum uidit, non cunctandum ratus, arreptis ſecum quatuor milibus equitum,in quibus

quibus Hippotoxtæ Britanni, & Ciſrhenani equites cataphracti ſub Hanſeo Roſeo atq; Laleno fortiſsimis ducibus fuerant,ad Gallos pergit. Henricus quoq; pari paſſu cũ robore legionũ, ſagittarijs ſuis immixtus ſubſequitur. Iã plures Gallorũ equitum ut cõmeatũ intromitterent,circumducti ab lęua,ad eam portam,quæ ſegniorem Britannorũ ſtationẽ habitura uidebatur, peruenerant: & à Talbotto qui paratus in armis adſtiterat, cum detrimento repulſi fuerant: quum Henricus ad primũ hoſtium conſpectum, ad perturbandos eorũ ordines duas eminus colubrinas diſplodi iuſsit. Mox Cæſar quẽ fatalis hoſti locus & antiqua uictoria claris auſpicijs ad prælium accendebant,in aduerſos impetum fecit. Tanta fuit ſagittarum uis,tãtus;q; cataphractorũ irruentiũ ardor,ut primo concurſu Galli equites turbati fuſiq; ſint, quanquã acerrimi duces manu prompti inſignibusq; fulgentes ante alios fortiſsimè decertarent,atq; imperũ hoſtiũ ſuſtinere,et reparare perculſam aciẽ increpitis retẽtisq; militibus conarentur. Cæterùm quoniam nec tormenta nec pedites in ſubſidium equitatus adduxerant, urgente Cæſare,& appropinquante cũ tota mole peditatus Henrico,cedere & terga dare coacti ſunt. Duces ipſi in tanta equitum perturbatione dedecoris metu dum acrius reſiſtunt, capiũtur: ante alios Marchio Rothelinius,qui paulo antè Doneſio, fratre mortuo,dux Lõgauillę creatus fuerat. Cum eo Palicia, Imbercurtius,Baiardus atque Buſiuus. Sed Palicia & Imbercurtius ob ueterem amicitiã & cognationem,quæ cum Roſeo intercedebant, ab equitibus Sequanis,in acie dimiſsi ſunt. Signa uerò quæ in illam uſq; diem tot gentium cruore conſperſa,in tot bellis atq; periculis ſeruata fuerãt,occiſis aut captis ſigniferis, in poteſtatem Britannorum deuenerũt. Fuit hęc pugna periculo ducum magis quàm militum cędę inſignis: quum nec peditatus conflixerit, nec tormenta uſui fuerint,& ſolis haſtis atq; mucronibus uſi cataphracti, utrinq; colluctari inter ſe eqs atq; corporibus maiorem tumultũ, quàm cædẽ ediderint. Pienes paucis ſuorum deſideratis,trepidanti agmine ad Blangim unde uenerat,celeri fuga ſe recepit. Cæſar autem & Henricus captiuis comiter apud ſe habitis,in uetera caſtra redierunt. Iã Talbottus cuniculos effoderat, tormentis muri partẽ diſiecerat,& magna ſpe iam tum expugnandæ urbis tenebatur,quum Pontiremius atq; Rouergas,Britannis captiuos Gallos oſtentantibus,deſperato commeatu,per colloquiũ tridui inducias poſtulãt. Quibus impetratis,pacti ut inde cum armis atq; uexillis ſine fraude diſcedere liceret, urbẽ continuò dedunt,paulo pòſt uictores,colonis aliò migrare iuſſis,ut ab ſimili pertinacia cæteras urbes deterreret, ſeruatis templis incendunt. Ita clariſsima Morinorum ciuitas milleſimo quingenteſimo tertiodecimo anno à partu Virginis,Nono Calẽdas Septembris exciſa eſt. Ludouicus interea ad Motrellũ coactis copijs & indicto concilio procerum, decreuit idoneo omnibus rebus loco caſtris ſe tenere,neque ad euentum Fortunæ experiri iterum hoſtiũ uires: qui magnam bellicæ laudis opinionẽ,deuicto uetерano equitatu adepti fuerant. Enimuerò manu prõptus & cõſilio optimus, quanquã uniuerſi certaminis deſiderio teneretur,præfectiq; omnes ad abolẽdam ignominiam,deuouendo ſeſe pro uictoria prælio depoſceret, haud tũ tutũ fore exiſtimabat,ſi perculſos animo milites,ac ſuperiore gloria rei militaris obſcurata, quaſi degeneres factos, quũ intra ſeptuageſimũ diẽ ad Nouariã atq; Ghingattam infœliciter dimicaſſent,fortiſsimis hoſtibus, ac tum recenti uictoria elatis obiecciſſet, uel ob id maximè q; rumor in caſtris percrebuerat,Heluetiorum uiginti quinq; milia cũ duobus milibus equitũ,quos Cęſar addiderat, per anguſtias Sequanorum in Heduos penetraſſe, & iam eorum agros magna belli clade populari,neq; Tramulium continuè caſtra mutantem aut ire obuiam, aut manus conſerere audere. Quibus de cauſis Ludouicus,ſuſpenſa Gallia, & ad noui belli periculũ excitata,cunctando circumſpectare hoſtium motus: & reliquum ætatis extrahere, quàm in diſcrimen ſummæ rei deuenire malebat. Mox conuerſus ad altiora conſilia, Iacobũ Scotorum regem iam tum antea precibus fatigatum, per legatos ſollicitat,ad nouas res in inſula molien das,gerendumq; apertè bellum aduerſus Henricũ. Erat Iacobus maximis beneficijs & antiquis ſuperiorum regũ neceſſitudinibus Gallo obſtrictus, ob idq; facilè impelli poterat ad quamcunq; belli fortunam ſubeundam: quanquã per ſe animo immodicus, & natura infenſus Anglico nomini, priuatis etiã laceſſitus iniurijs,inferre ultrò bellum & proferre Imperij fines meditaretur. Nec deerant,prętер Gallorũ legatos,arma,pecuniã,torméta,duces, claſſes atq; omnẽ belli apparatũ pollicentes,qui mobile regis ingeniũ uarijs artibus expugnaret, ex intima aula ſpectatæ apud eũ gratię regni proceres,muneribus empti ab Gallo,ut propoſita præſentiũ rerum occaſione,ac oſtentato totius inſulæ Imperio, in ſpem proſperi euentus & magnæ fortunæ erectum,ad ſumenda arma uehementer accenderent. Quando abductis in cõtinentẽ omnibus fermè copijs, & Henrico in Gallia bellum gerente,regnum ſub uxoris tutela relictum inuadere, atq; armis exagitare interiora Britanniæ, haud factu difficile uideretur. At hæc ſecum quum ipſe multum animo uarius reputaret, obuerſabantur ante oculos uxor, quæ Henrici ſoror erat,& nouum pariter atq; antiquũ pacis fœdus ſub Alexandro Pontifice iampridem cum Henrico ſolenni ſacramento percuſſum, & ab Iulio bullatis item tabulis confirmatum. Dirę demum imprecationeſq; Pontificis, ac polluendæ religionis metus,ſi defenſores Põtificiæ dignitatis oppugnaret,& expoſitum iniuriæ nudatumq; præſidijs regnũ, nihil tale uerente Henrico, ui & armis aggrederetur. Ex aduerſo autem rerum ſuarum ſollicitus, utpote cui iam pridem ſuſpecta erat Henrici potentia, nimio plus creſcere rem Anglicam, & ferocem iuuenem in tranſmarina prouincia bello clarum fieri,non ferebat. Quoniam finito in Gallia bello eum hoſtem ingẽtis ſpiritus, ac ſemel militiæ ſtudio accenſum minimè quieturũ apparebat, ſed continuò non contentum finibus ſuis, illaturum arma,ac ſubactis Scotis,ſeq; paterna ſede pulſo, unius inſulæ unũ regnũ eſſe facturũ. At in contrario rerum ſucceſſu,ſi fortè Henricum imperitum militiæ pugnaciſsimam Gallorum gentẽ,ac talem tãtumq; regem in hoſtili ſolo difficili bello pulſantẽ, aliquo ingenti prælio ſuperatum Fortuna deſtitueret, idẽ regnum ac eadem tota Britannia mouenti modò animo,ac Fortunam ex tuto tentanti ceſſura uidebantur. Hac inani ſpe ſublatus, alienato animo, ut cauſas uiolati fœderis prætenderet, antequam hoſtilia moliretur, literas ad Henricum querimoniarũ plenas conſcribit. Egiſſe iam pridem Henricum multa in contumeliam Scotici nominis, eaq; ſe pro iure affinitatis ac fœderis forti animo ſemper tuliſſe: quũ grauiſsima damna finitimis Scotis illata ut conſtitutũ fuerat, Henricus minimè refarciret, quũ in per cuſſores Bartonis piratæ Scoti nõ animaduerteret: & Spurium Heronem qui præfectũ cõfiniũ Scotiæ interfecerat, impunè agere in Anglia pateretur: legatos ſuos contra ius gentiũ non admiſiſſet: oratoré uxoris inuito rerentũ non dimiſiſſet, complures nobiles Scotos in Scotia captos uinctoſq; crudeliter etiã tunc in cuſtodia haberet. Ea omnia quanquam per ſe magna & intoleranda, diſſimulari tamen potuiſſe. At nõ ſe paſſurum ulterius Ludouicum amicum regẽ, cognatione et fœdere ſibi obſtrictũ, ab eo

ad internicionem oppugnari, Caroli Gheldrij con- A
sanguinei agrum pluſquam hoſtiliter ab Anglis de
uaſtari. Propterea eſſe ſupremum animi ſui iudiciũ,
cauſam ſocij regis iure fœderis defendere uelle, ne-
que interea ſe finem facturum populationibus atq;
incendijs, quandiu Ludouicus ab eo in Gallia uexa
retur. His Henricus ita reſpondit, ſe non magnope
re mirari quòd Rex Scotorum pro uetere gentis in
ſtituto fidem falleret. Nouiſſe enim iampridé eius
animi inconſtantiam, & conſiliorũ leuitaté, quibus
eò dementiæ perductus eſſet, ut aliená cauſam pro
prio periculo tueri, & florentes res ſuas cum perdi-
tis Gallorum rebus permiſcere conderet. Quòd ſi
uiolare iuſiurandum, fidem prodere, & arctiſsimæ
neceſsitudinis obliuiſci æquum & regium putaret,
neq; multũ eo dedecore permoueretur: timeret ſal
tem Deos immortales, qui turbatæ pacis & ruptо-
rum fœderum uindices eſſe conſueuiſſent, adduce-
returq; exemplo regis Nauarræ, quem Dijs ita iu-
bentibus, ex patrio regno in eas miſerias præcipi-
tatum, Ludouicus in Gallia ſine regno trãquillè re-
gnare permitteret. Proinde deſineret memorare at
que obijcere, quæ ad uiolandam pacem ipſe confin
xiſſet, ea enim ſe iam pridem literis atq; legationi-
bus ut uetera omnino, uanaq; diluiſſe. Cæterùm eũ
impudentiſsimè feciſſe, quòd nihil earũ rerũ ante
quàm ipſe mare traijceret, commemorarit. Propte
rea ſciret apud ſe etiam abſenté, non eſſe rátæ exiſti
mationis Scotorum regem, ut eius repentina atque
inſperata perfidia terreri poſſet. Ageret modò ut lu
beret, ſe enim neque ulla denunciatione periculi de
ſtiturum ab fœlici incœpto: neq; iniuriam animo
depoſiturum. Igitur Iacobus indicto bello, uniuer-
ſas regni uires contrahit: atq; omni nobilitate ar-
mata, ad Tuedum fluuium, qui utriuſq; Imperij li-
mes eſt, contendit. Britannia nanque omnis, inter-
currente per tranſuerſum Tuedo, ubi æſtuaria ab
diuerſo littore introrſus arctiſsimè ſinuantur, atq;
aliam propè inſulam efficiunt, in duas partes diuidi
tur. Maiorem proximam continenti Gallię, uergen
tem ad Hyberniam & ad Cantabricum Oceanum,
Angliam ab Anglis populis appellant: qui quondá
ab Hercynio ſaltu per Germaniam profecti, ad quæ
rẽdas nouas ſedes in inſulá traiecerint: ac pulſis in-
digenis, propter agrorũ fertilitatem ibi cõſederint.
Alterá uerò tertia ex parte Anglia minorẽ, effractis
longè lateq; littoribus, ad Thulem in arctum pro-
minentem, ubi Caledonia ſylua, & breuiſsimus in
Orcadas traiectus, ab recentibus etiam populis eò
trãſgreſsis, Scotiá uocãt. Hæc importuoſa, parũ ur-
bibus frequens, horrida ſyluis atque frigoribus, ab
humanitate & cultu cæterarum gentium recedit. Il
la uerò propinquitate continentis, benigniore cœ-
li temperie, metallorum & pecoris fœcunditate flo
rentiſsima omnium inſularum in morem noſtrum
ædificat, atque elegantiæ plurimum ſtudet. Angli
& Scoti eadẽ fermè lingua, quæ Germanicæ haud
abſimilis eſt, utuntur. Vtriſq; ſtudium rei militaris
propè par, atq; eadem arma, lignei & ingẽtes arcus,
alabardæ demum ac prælongi conti: clauæ quoq;
ferreæ (accias ipſi uocant) quas ambabus manibus
regunt. Præcipuum apud utroſq; robur in pedite.
Si qui adſint in bello equites, magna pars ſagitta-
rij ſunt, pauci uerò cataphracti, quòd eorum equi,
quanquam acres, ad iuſtam magnitudinem nõ exi-
creſcãt, ut Friſij, Bethici, atq; Apuli: & propterea ſta
tariæ pugnæ minus idonei exiſtimentur. Corpora
uirorum alba, lacertoſa: comæ autem omnibus bre
ues, & barbæ ſubrutilæ. Vniuerſa uerò gens ſupra
cæteros mortales conuiuiorum ſtudioſiſsima. Ea
enim p uarias & exquiſitas dapes, interpoſitis mu-
ſicis atq; ioculatoribus, in multas ſæpius horas ex-
trahunt, ac ſubinde perductis choreis, amoribus fœ
minarum indulgẽt. Religione, inſtitutis ac legibus,
atque eodem corporis ac ingenij habitu, medij in-
ter Gallos atque Germanos collocantur. Fuere eæ
gentes paulò ante Iulium Cæſarem, qui primus no
bis Britanniam aperuit, agreſtes atque efferæ, nulla
nauigandi peritia, nullo propè militiæ uſu, aut ex-
ternarum rerum cognitione, quòd ſpacio dirimen-
tis Oceani ab noſtro orbe diuiſi dicerẽtur. Sed quũ
Romana arma uiderunt, atque eos ſub Claudio Sca
pula, Oſtorius, Suetonius, Paulinus, et Veſpaſianus,
ac mox ſub Flauijs, Cerialis, Frontinus & Agricola
magni duces, atq; ipſe demũ Seuerus Imperator, dũ
Romanum flореret imperiũ, circũducta claſſe inte-
riora quo que inſulæ peruagati, cæſis hoſtium exer
citibus, ſaltibus penetratis, atque ipſa naturæ rerũ
difficultate perdomita & pacem & iugum pati coẽ
gerunt. Cœpere tunc primùm repreſsi tamen ma-
gis quàm domiti, intellectis continuò Romanis ar
tibus, è diſciplina belli negotia adminiſtrare, conde
re leges, & corporis robur ingenij uiribus tempera
re. Nec multo pòſt aduentu nouarum nationũ com
poſitis moribus, quum per calamitatem ruentis im
perij Cæſares fatali deſidia ueterem fortunam ami
iſſent, excuſſo ſtatim iugo, opibus, & belli gloria
plurimum ualuerunt. Namque inſtructis claſsibus,
ut uires in alieno ſolo experirentur in continentem
delati, Hiſpanis, Gallis, atque Germanis maximas
clades intulerunt. Protulereq; in Italiam mercena-
ria arma. Siquidem Guelphis Gibellinisque ferro
inter ſe ad internicionem debacchantibus, qua cla-
de attritis omnium uiribus, res Itala penitus ab ſtir
pe interijt, Anglos equites Ioanne Aucutho duce
maximis ſtipendijs conductos ob eximiam uirtu-
tis opinionem, tyrannorum auſpicijs in Italia mili-
taſſe conſtat. Nouiſsima autem expeditione patrũ
noſtrorum memoria, aduerſus Gallos multa pręcla
ra militiæ facinora geſſerunt, & egregię uirtutis te
B ſtimonium prębet Caleſia ad Geſſoriacum littus eo
bello Gallis ablata, & in hanc diem, ob maximã tra
iectus opportunitatem, maiore gentis opinione
quàm pręſidij uirib. ptinaciſsimè cõſeruata. Cęterũ
Iacobus ab Tuedo Humeum uirum nobilem cum
parte exercitus ad populandos hoſtium fines præ-
mittit. Is repentina incurſione oppreſsis finitimis,
obuios capit, reſiſtentes obtruncat, eorum pagos
incendit: coactaq; omnis generis hominum & pe-
coris præda, in pacatum regredi parat. Sed Angli
quos ſubitus aduentantium hoſtium rumor, mox
uillarum incendia, & maioris etiam cladis metus
ad arma excierant, uindictæ ira perciti, ac dolore ſi
mul amiſſarum rerum, ad occupandas uiarum angu
ſtias, quà Humeum rediturum exiſtimabant, cõten
dũt: adortiq; è ſuperiore loco graue ſub ſarcinis ho-
ſtium agmẽ, clamore, multitudine telorum, ac mox
tumultuario omnium procurſu, uniuerſos fundũt,
ac magna cæde edita Humeum fugientem perſecu
ti, Scotorum fines irrumpunt: abactisque armẽtis,
& concrematis pluribus uicis in Angliam reuertun
tur. At Iacobus nihil eius primi certaminis omine,
quod mox infœlicem rerum exitum portendit, per
motus, ut detrimentum acceptum maiore commo
do atque uictoria reſarciret, omnes copias ad Nor-
banum oppidum ducit. Id corona cinctum ui capit,
ac ſolo æquat. Inde populabundus & ferox ad op-
pugnandum Beruicum munitiſsimum oppidum,
quod in finibus Scotiæ Henrici, præſidijs tenebа-
tur, proficiſcitur. Interea Surreius Britanniæ proce-
rum longè nobiliſsimus, quem paulo antè Henri-
cus ob egregiam fidem atque uirtutem ad incerta
belli, & ad tuendos regni fines cum imperio & iu-
ſto exercitu in Britannia reliquerat, coactis copijs
ad Iacobum cuncta belli clade uaſtantem contен-
dit. Aderant cum eo Dacreus finium præfectus, uir
omni bellica laude inſignis, Odoardus Stanleius, et
Spurius Heron cum ualida turma equitum, quam
ipſe

ipſe nuper exul ab Scotia atq; Anglia in ſyluis per- A
latrocinia & cædes exercuerat: atq; alij cum auxi-
lijs, quæ paſsim à regina per urbes ſcribebantur. E-
tenim ad noui belli famam, non tantum proximi
Scotis uti periculo expoſiti: ſed remotæ etiam gen-
tes, maiore odio quàm metu, quum omnes iniquo
animo uiolati fœderis iniuriam ferrent, uoluntariá
militiam ſecutæ, ad Surreium feſtinabant. Poſuerat
tunc caſtra Iacobus in uertice montis, quem Flod-
don incolæ appellant, loco, arte atque natura muni
tiſsimo: nanque ab læua continentes palus, quam
limoſæ uoragines atque intetnata paſsim arundi-
neta plurimum impediebant, ſubiectam planiciem
occupauerat: ab dextra Tylus fluuius profunditate
aluei & aquarum rapiditate difficilior, quàm ut ua-
do tranſiri poſſet, ad imas mõtis radices labebatur.
Terga quoq; præciſæ rupes & denſiſsima nemora
protegebant. A fronte uerò, ubi mollem aſcenſum
atque unum omnino aditum natura reliquerat, Ia-
cobus perducta foſſa & collocatis interiore labro
omnibus tormentis, adeò egregiè ſe muniuerat, ut
circumuallari ab inferiore loco, aut oppugnari ſine
pernicioſa hoſtium dimicatione non poſſet. Eò Sur
reius quum peruenisſet, admiratus locorum iniqui
tatem, quòd nequaquam temerè ſibi oppugnanda
caſtra cenſebat, ad Iacobum cum mandatis Araldũ
regium mittit, quorum hæc ſumma erat: uideri ſibi
Iacobum impiè crudeliterque feciſſe, quòd ſolenne
pacis iuſiurandum uiolarit, ſanctiſsimæ cognatо-
nis iura polluerit, abſenti Henrico bellum intu-
lerit, & ſuccenſis caſtellis finibusque uaſtatis, An-
glos nil tale uerentes, eodẽ impetu trucidarit. Pro-
pterea ſe uenisſe cum exercitu ultum iniurias: deli-
geret ipſe æquum locum, & certam diem uniuerſo
certamini: ſe enim nulla interpoſita dubitatione
quum primum pugnæ poteſtatem faceret, de ſum-
ma rei dimicaturum. Ad hæc Iacobus, ut erat elati B
animi ſpectatæq; promptitudinis, Araldo comiter
appellato, gratias Surreio agit: addit q; publicè lau-
des, quòd pugnã ultrò depoſceret, quã omnibus eũ
ar tibus uitaturum diu anxio moleſtoq; animo ti-
muiſſet. Itaq; ſecundũ eos ſpiritus pararet arma, &
haſtatas Scotorum phalanges tertia die in patenti-
bus campis expectaret. Ibi ſe de iniurijs ſeuerè co-
gniturum, quas intempeſtiuè contumelioſeq; me-
moraſſet: & nouas ueteresq; controuerſias armis fi
niturum. Conſtituta die Surreius in ſubiecta plani-
cie tribus paſſuum millibus ab hoſte conſedit, atq;
aciem direxit. Sed Iacobus tametſi paratus erat prę
lio decertare, ſuis tamen caſtris atq; munitionibus
ſe continuit. Quoniam ab expertiſsimo quoq; pro
cerum, committendæ pugnæ conſilium improba-
batur: & ante alios Huntleius, quo nemo fortior in
eo exercitu aut callidior habebatur: clariore uoce,
ut prætoriani quoq; milites audirent, in conſilio di
xerat, Nihil ſtultius aut leuius eſſe, quã author ho-
ſte manus conſerere, & ad eius arbitrium atq; libi-
dinem ſummæ rei fortunam periclitari: teneret ſe
opportuno ipſo loco, & ferocem hoſtem cunctatio
ne ludificaretur: magnam enim eſſe in hoſtilibus ca
ſtris rei frumentariæ penuriam: neq; commeatu ab
interiore Anglia in ſummis itinerũ difficultatibus
ob perpetuos imbres, poſſe facilè cõportari. Seden
do, ac nihil temerè agendo breui regem ſecundiſsi
mis pugnaturum auſpicijs: & hoſtes iniquitate lo-
ci & commeatus inopia ſuperatos, ex tuto cæden-
dos militibus ſuis præbituruм. Multa quoq; prodi
gij loco habita, quanquam uana & fortuita putabã
tur, eius animo religionem & nouum terrorem in-
cuſſerãt. Eo enim cum ducibus de prælij ratione di
ſputante, lepus è prætorio profilierat: ac mille peti
tus telis per mediam ſtationem intactus euaſerat.
Quin & mures ea nocte lorum galeæ fibulam q; cor
roſerãt: & uela interioris tabernaculi ſub auroram
ſanguineo rore fuiſſe conſperſa dicebantur. His de
cauſis nequaquam prodeunte in aciem rege, Surre-
ius qui paluſtribus & fœdiſsimis in locis ob rerum
omnium difficultatem diutius conſiſtere non pote
rat, nec iudicabat hoſtem niſi ſumma cõpulſum ne
ceſsitate dimicaturum, caſtra mouit: & relictis ad
æquam hoſtibus, traiectoq; Tylo flumine in æquiorẽ
locum ad initia Barmoreæ ſyluæ ſe contulit, eo con
ſilio, ut milites quos maximis itineribus confectis
feſſos, toto eo triduo tenuiſsimè aluerat, fertiliore
& tutiore in loco recrearet, nouas interim expecta-
ret copias, & ad motus hoſtiũ, qui multitudine ſua
proximos montes compleuerant, nouam & ipſe ge
rendi belli rationem ſequeretur. Intererat tantum
flumẽ Tylus inter bina caſtra regis atq; Surreij, nec
utrinq; ab tormẽtis atq; miſsilibus temperabatur.
Sed magno uſui Surreio erat collis ab citeriore ripa
in altitudinẽ mille paſſuum molliter aſſurgens, qui
caſtrorum frontem ab omni tormentorum iniuria
protegebat. Ex eo colle Thomas Hauardus Surreij
filius, eximiæ uirtutis iuuenis, circumiectos colles,
quos hoſtis occupauerat ſubiectamq; planiciem o-
culis contemplatus, patri renunciat, Iacobũ ab Sco
tia excludi, aut ex munitiſsimo loco detractum, eli
ci ad pugnam facilè poſſe, ſi rurſus copias ſuperiore
in loco Tylum traducat, & non magno circuitu cã-
pto, introrſus quantum montis angustiæ patiãtur,
à tergo ſeſe oſtẽdat. Surreius qui uni huic rei, ut cõ-
grederetur animum intenderat, ſummiſsis locorũ
atq; militiæ peritiſsimis, qui maiore cura ſitum re-
gionis inſpicerent, quum eadẽ illi afferrent, Hauar-
diq; conſilium omnium opinione cõfirmaretur, ex-
tẽplò conclamari, & colligi uaſa iubet. Inde ad tria
millia paſſuum promotis caſtris, bipartitò binisq;
pontibus uno tempore flumen tranſmittit. At Iaco
bus de Surreij conſilio coniectura iudicãs, ne circa
eadem iuga ſedendo contra dignitatem ſuam inter
cluſus ab Scotia, liberam frumentandi facultatem
amitteret, ac ſimul quod ad retinendam authorita-
tem pertinere cenſebat, ne ex detrectatione prælij
obſeſſo ſimilis, aliquãtum plus fiduciæ in loco atq;
munitionibus, quàm in militum uirtute ponere ui-
derẽtur, caſtra protinus mouet, & ad occupandum
proximum montem, quem ne hoſtis prior obtine-
ret magnopere timebat, rectà contẽdit. Factum eſt
ſumma eius celeritate & calonum induſtria, qui in
diſceſſu (ut imperatum fuerat) tuguriolis militum
ſtramentis q; & reliquo omni pabulo incenſis eam
regionem continenti fumo atq; atra caligine com-
pleuerant, ut Iacobus propoſitũ locum prius attige
rit, quàm Surreius, qui ab hoſte uix mille paſſus abe
rat, aut diſceſſum eius ſenſerit, aut lõga incedentiũ
agmina fuerit cõſpicatus. Ira Iacobo ſumma colliũ
tenente, Surreius ad radices cum omnibus copijs
ſucceſsit, paululumq; ibi commoratus, quòd mõs
neq; arduus neq; difficilis uidebatur, antequam ho
ſtes caſtra munirent, conſcendere atq; omnino præ
lio decertare cõſtituit. Mox aduocata militũ cõcio
ne, demonſtrat quẽ in locũ deuenerint: hinc præal-
tas fluminis ripas, illinc abruptos & perpetuos mõ
tes, niſi quã acerrimè pugnẽt & fortiter uincãt, om-
nem ſalutis ſpem & fugę rationẽ adimere. Auderẽt
contra perfidos hoſtes, qui uiolato fœdere per occa
ſionem abſentis regis, de imperio totius Britannię
cogitandum ſibi exiſtimarint, neq; eorum multitu
dine magnopere animo perturbarentur. Satis eſſe
perſpectum frequẽtibus patrũ uictorijs, quantũ in
Scoto roboris eſſet atq; cõſtantiæ, nec defuturos in
acie deos ipſos, ſicuti antea aduerſus uiolatores fi-
dei, & humani iuris atq; religionis cõtemptores nũ
quam ex merito defuiſſent, modò ſuæ priſtinæ uir-
tutis milites memoriã retinerẽt. Cõſenſu enim om
nium mortaliũ, iuſtiſsimã eſſe belli cauſam propul-
ſarę iniurias, & tueri armis focos, liberos, cõiuges,
&

& quod his multo præclarius uideretur, libertatis pontificiæ dignitatem, quam Henricus magno animo & sanctiore consilio defendendam susceperit, ob id mare traiecerit: atq; ita dijs bene iuuantibus, suæ maiestatis oppugnatores, pulsos captis eorum ducibus, & munitissima urbe recepta, in interiora Galliæ compulerit. Quin igitur dijs ijsdem auspicibus eadem contagione fœdatos aggrederentur, & si gentis decus, si regis existimationem, priuatá denique gloriam atque salutem charissima haberent, se ducem sequerentur, paratum scilicet, aut egregiè uincere, aut pulcherrimam mortem oppetere. Conclamauere statim milites, pugnæ signum daret, neque dubitaret committere prælium iniquo etiam in loco: se enim in aduersa montis iuga infestis armis peruasuros confirmant, neque nisi uictores in castra redituros. Igitur Surreius in ea spe & militũ alacritate, ex omnibus copijs tres acies facit. Hauardo primam attribuit, in qua & Edemundum alterum filium curare iubet, ipse medium agmen tuetur: Odoardum Stanleium tertiæ præficit: Dacreũ cum equitatu in subsidijs collocat: tormenta certis interuallis inter ordines & in frõte disponit, & ad hostes iusto passu progredi. Interea Iacobus, ut erat ex eo monte despectus in subiectos cãpos, quũ procul armorũ fulgor, distinctaq; hostiũ agmina uiderẽt: ratus sibi ea die uictoriæ occasionẽ dari, si natura loci atq; amplitudine copiarũ superior, quàm primum cum hoste confligeret: urgente fato prælij signũ proposuit, conuersusq; ad regni proceres qui proximi adstiterãt, talem habuit orationem. Postq̃ fortissimi commilitones, meliori conditione q̃ unquam antea maiores nostri cum hoc hoste pugnauerint, nobis hodie dimicandum est, memineritis hanc esse illam diem supremæ occasionis ad uindicandas iniurias, quam nec uenturam speraſtis unquam, & frustra hactenus exoptaſtis, quum à superbissimis hostibus omnes indignitates & contumelias pateremini. Verùm qui hæc diu per inanem iram gemendo, inuocandoq; sepius ultores deos domi pertulimus, & tandem in hac pulcherrima rerum occasione tam iusta quàm necessaria arma cepimus, uilissima profectò capita essemus, & leuissimi omnium mortalium, si, quum facto & uera uirtute opus est, & conferre pedem, & per mortes & uulnera uictoriam appetere oportet, tunc hostium faciem timeamus, & belli pericula trepido animo metiamur. Ego quidem in bona pace his imperij finibus contentus, tranquillitati atq; ocio studere potui, & carere periculis atq; laboribus, quos quotidie bellum affert, si nulla dedecoris cura habita priuatam fœlicitatem & gentis dignitate & salute uestra potiorem existimassem. Sed frequentissimo uestro consensu, in maxima ulciscendæ iniuriæ atque omnium rerum opportunitate, quum gerendum apertè bellum omnes censeretis, quòd ea quæ nos & progenitores nostri ab infensissimis hostibus sustinuissent, fœda, aspera, intolerandaq; erant, bellũ magno animo indixi, & quod perampla mihi uictoriæ spem facit, uos maiore studio, maximo ardore, & incredibili alacritate signa secuti estis, ut quandoq; insigni facinore, atq; ultimo ueluti uirtutis opere edito, egregiam animi fortitudinẽ testaremur, atq; immortales controuersias memorabili uictoria finiremus. An fortè de secundo prælij successu dubitandum? quum hostium exercitus nulla in re cum nostro sit comparandus, qui totus ex fugacissimo genere militũ constat: tyrones enim sunt ex tumultuarijs delectibus in speciẽ militũ armis instructi, dum ueterani omnes, aut iuuentę robore & specie bello idonei ab Henrico in Galliã traducerẽtur. Hos ergo numero paucos, lassitudine fameq; confectos quum appropinquauerint, ex superiore loco telorum multitudine nõ obruetis? Succedũt colli instructa acie, non quia audent, sed quia necesse est, ut honestius atq; celerius insoliti laboris ac inediæ dolorem morte effugiant, ferarũ more, quas furor in rabiẽ agit, quũ impatientia animum, & fames uentrẽ exagitauerint. Mecum ergo ferrũ stringite, & iugulum horum tyronũ impetite, pudeatq; eò non progredi mortis metu, quò me ducem uestrum pro gloria uadentem uideritis. Alloquentis adhuc regis orationẽ, armorum strepitu ac dissonis clamoribus milites excepere. Nec mora, Iacobus primùm suo, deinde omnium è conspectu remotis equis, ut æquato omnium periculo, & spe fugę sublata (sicuti gentis mos est) limul & corporis robur atq; animi uirtutem ostenderet, omnes copias in quinq; quadratas acies dispertit, ea ratione ut tertiũ agmen, in quo signũ regium erat, atq; omnes uiri insignes militabãt, duplici utrinq; acie tanquam duobus cornibus clauderetur. In dextro Huntleius Crafordius & Mõtirosęus: in sinistro Humeus Lenuoxius & Argilius, qui singularem militię usum habere dicebãtur, curabant. Præficitq; singulis cohortibus singulos ex ordine equestri: & cũ his aliquot centuriones Gallos, quos paulo antè in Scotiã Ludouicus ad tradendam disciplinã transmiserat, collocatisq; idoneo in loco omnibus tormentis, quæ magno usui per decliuia montis esse non poterant, ipse in medio agmine contra Surreiũ constitit. Iam erexerat in aduersum collẽ primas cohortes Edemundus, quum tormentis utrinque emissis, turbatisq; primis ordinibus, Humeus hastatos induxit, qui adeò acri impetu subeuntibus incubuerunt, ut cæsis antesignanorũ promptissimis, & strato Edemundo, totam propè aciem in fugam cõuerterint. Iamq; nulla spes reliqua erat cõsistendi, perterritis semel pulsisq; cohortibus, nisi in tanto discrimine, hinc Spurius Heron, uir admirandis corporis atq; animi uiribus insignis, suo alienoque cruore perfusus, Edemundũ subleuasset, & ab alia parte Dacreus ad subita pugnæ intentus, transuerso cursu in latus hostium procellam equitũ immisisset. Mox succedente etiam Hauardo cum lectissimis militum, haud dubiè restituta acies, redditusq; iam uictis animi uigor. Ita æquata prælij fortuna, aliæ atque aliæ Anglorum cohortes afflictæ cum integris, ipso metu commistę, æmulatione uirtutis rectam agminis frontem erigere in montes cœperunt. Ibi quum ad robora Scotorum peruentum esset, & utrinque maioribus propè odijs quàm uiribus certaretur, Montirosęus atque Crafordius ad cohortandos milites in primam aciem prouecti, pugnantes cadunt, perrumpiturq; hastatorũ phalanx: ac dissipata per iniqua montis ab equite peditęque conciditur. In sinistro autẽ cornu eodem tempore Stanleius iam contracto certamine Scotos æquioribus locis detraxerat: & superfusa sagittarum multitudine eò adegerat, ut non conferti, sed laxatis ordinibus rari ac uitabundi pugnarent, eorumque signa fluctuare inciperent. Quod ubi animaduertit, circumductis continuò tribus subsidiarijs cohortibus in aperta hostium latera, tantũ terrorẽ intulit, ut sustinere irruẽtium impetum, aut consistere nequiuerint, sed protinus coniecti in fugam, & per deiectus montis prępicipitati, in syluas se condiderint. Ibi Argilius atque Lenuoxius uoce manibusque inclinatam aciem retentantes interficiuntur. Interim Iacobus qui paulo antè cum Surreio pugnam inierat, ut ab cornibus turbari suorum ordines, atque hostes ab lateribus circumfundi uidet, cohortẽ prętoriam, euocatos & proceres quos circa se habebat adhortatus, ut nihil se, nihil maioribus suis indignũ cõmitterent, in medios hostes inducit. Ita nouũ priori acrius de integro prælium ortũ, quod rota ea acies tecta ferro, Anglorũ sagittas egregiè sustinuerat, obtrũcatisq; primorũ ordinũ aliquot cẽturionibus, ad signa propè peruadendum sibi nouis rebus, aut quicquam aduersus Gallos moliendum arbitrabantur, quoniã ab his in utraq; temporum fortuna belli & pacis, clementissimè sibi imperitatum existimabãt. Igitur ubi Henricus magnitudine castrorũ urbem circumplexus tormenta admouit, censu eorum habito, qui propugnare possent, supra triginta milia hominum conscribunt: magnam uim telorum in murũ cõportãt: reficiendis mœnibus atq; extruendo intus aggeri plurimum studunt: & summa alacritate (ut sunt ad quæq; rerum initia ardentissimi plebis animi) primos oppugnationis impetus egregiè sustentãt. Sed quum maioribus tormentis propugnacula deijceretur, nec potestas esset cõsistendi in muro, & uno atq; altero in loco instituræ interius munitiones continentibus mœnium ruinis nudarentur, cœpere tunc primum præsentibus periculis territi, propriæ quisq; saluti cõsulere, loca deserere, ab signis domũ dilabi, ac demum cogitare quod in discrimen se, liberos, coniuges, atq; omnes urbis fortunas conijcerent, si diutius sine militum præsidio tueri mœnia aduersus tantum exercitum conarentur. Ita Neruij quõdam Belgarũ fortissimi, nihil memorabile, aut dignũ prisca belli gloria in oppugnatione perpessi, quum frustra Gallorũ auxilia expectarentur, emissis oratoribus qui se imperata facturos diceret, mulctati pecunia deditionem fecerũt. At Heluetij paucis antè diebus quàm hæc in Britannia fierent, Heduorum fines hostiliter ingressi, ab ea quoq; parte Gallis magnum terrorem fecerunt. Namq; Tramulium, qui opportunis in locis ostentata acie uenientibus sese obiecerat, ac se demum tantæ multitudini imparem ratus, passim cedendo ac detrectando certamen retrò abierat, in urbem Diuionũ compulerant: & prolato oppugnandæ urbis apparatu, circumsessisq; itineribus ad teli iactũ ab muro castra posuerant. Erat apud Heluetios Germanorũ equitum præfectus Vldericus Virtembergẽsis regulus: per quem Heluetij rem frumentariam prouisam habebant, explorabant itinera, loca castris ante ceperant, & quæ pedestribus copijs usui forent, summa facilitate consequebantur. Is quanto maximè potest studio incœptæ oppugnationis negociũ administrabat: totoq; animo ad celeritatem incitatus in qua spem ipse posuerat: nihil apud suos, nihil apud hostes remissum patiebatur: quod neq; perterritis hostibus, aut confirmandi sese, aut muniendę urbis spacium dari, neq; mora interposita, multitudinis frangi impetum, quæ haud facilè uno consilio agitur, uolebat. Ita quum latè murorum strage edita, interiora urbis patẽrent, & per ruinas quæ fossam magna ex parte compleuerant, ad irrumpendũ aditus cõtinuè pararetur, ipse circumeundo opera atq; manipulos adhortari gregarios milites, ac docere quantum ad summã uictoriæ pertineret, potiri omnium rerũ plena atq; opportuna urbe, in qua si paululum adniterentur, & dux belli atque ornatissima ala equitum cum ipsis ciuium fortunis, in præmiũ laboris atque uictoriæ cessura esset. Aduersum ea Tramulius, tametsi usus egregia ciuium uoluntate, & perpetuo labore militum subitarias munitiones erexerat, tormenta & omne genus telorum in murum cõtulerat, cataphractos pedibus pugnare iussos in prima acie statuerat, ciues ad omnes quoque casus confirmatis eorum animis armauerat, nihilominus quod dudum rem in Morinis infeliciter gestam esse compluribus nuncijs afferebatur, nullam sibi iam prælij fortunam expectandam ratus, tentare Heluetiorum animos, & omnibus conditionibus pacem petere constituit. Igitur idoneos nactus homines qui unà cum Heluetijs in Italia fuerant, & ex longa militandi consuetudine & mores gentis & ducum studia & ueteranorum etiam uoluntatem apprimè nouerant, impetrato colloquio emittit.

pertaserat. Erant utrinq; procera uirorum corpora opinione uirtutis ad supremos casus ab utroque duce delecta: prælium q̃; ut necesse erat, uarium, anceps, modò his, & modò illis prosperum & exitiabile. Rex ipse ante signa pedester pertinacissimè pugnã ciens, alios laude, pudore alios, omnes deniq; uario hortatu accendebãt, ut quod tantopere desiderassent, adepti, hostes ferro atq; uulneribus ulciscerentur. Contrà Sorreius, quum optimus quisq;, aut caderet, aut sauciaretur, magna ui contendere, uulneratos in postremã aciem subducere, suos plurimum adhortari, ut ad gladios rem adducerent: & qua maximè hostes urgebant multum ipse pugnare. Sed dum incerto adhuc pugnę euentu ad uexilla res geritur, Hauardus & Stanleius qui ab utroque cornu pulsis hostibus uictores ad medium agmen redibant, conuersi in hostem bipartito signa intulerunt: & in tẽpore Dacreus quoq; in terga quàm maximè confertis equis incurrit. Ita Scoti quũ ab fronte, ab latere, à tergo cæderentur, neq; labore & uulneribus fessi, per aceruos corporum atq; armorum perrumpere possent, circumuenti in orbem pugnare cogũtur. Tum uerò Iacobus, quum regium uexillum, cadente Adamo cui Forman erat cognomen, stratum uidisset, nihil iam dubitans quin è uestigio moriendum esset, ut ab imminẽtibus contumelijs animum uindicaret: in confertissimos hostes procurrit, ibiq; pugnans cõfoditur. Nec longè ab eo pari pertinacia atq; uirtute contendentes interficiuntur uiri sacrati, & sacerdotijs insignes, Archiepiscopus unus, episcopi duo, abbates quatuor: proceres uerò, & equestri dignitate honoribusq; militiæ illustres triginta sex. Humeius & Huntleius equos per tumultum nacti, cum postremis cohortibus, quę ut constabant ex ignauissimo genere militum, manus non conseruerant, beneficio imminentis noctis in Scotiam profugerunt. Ad octo milia Scotorũ ea die cæsa: totidem fermè capta sunt, omnia uerò signa militaria relata: & tormenta maiora uiginti duo: in queis fuere colubrinę septem ingentis magnitudinis, quas Iacobus, à similitudine, septem sorores appellabat. Castra uerò eodem impetu expugnata, direptaq;, cadauer regis postremo die à Dacreo repertum, & Beruicũ delatum, ubi diu sepultura caruit: nam ab Anglis, quòd Gallis Schismaticis q; fauisset, sancto funeris sepulchriq; honore, & Christianis ceremonijs indignus putabatur. Adnotabant pleriq; repetita superiorum regum memoria, Iacobum infelici potius Stuardæ familiæ fato, quàm suo cecidisse, quòd pater, auus & proauus eodem potiti regno atq; idem sortiti nomen, ante diem ferro perẽpti mortem oppetijssent. Eo modo quum ad Tylũ quarto Idus Septembris, anno à Christi natali millesimo quingentesimo tertiodecimo ad internicionẽ Scotiæ nobilitatis pugnatum esset, Surreius speculatoria naui, quanta maximè potuit celeritate, literas rei feliciter gestæ, & occisi regis paludamẽtum multo cruore conspersum Henrico transmisit. Diuerterat Henricus per eos dies Lillam: ubi capta Taroanna Margaritam Cæsaris filiam conuenit. Ea etenim illustribus fœminis comitata studio uisendi regis, & ut patrem exciperet, è Gandauo illuc usque gratulabunda processerat. Itaq; præ lætitia per petuĩ dies edendis spectaculis atque conuiuijs absumpti: decurrereq;, nobilissimi Belgarũ cum Britannis, omnibus utrinq; cultu uirtuteq; certantib. Sed Henricus cognitis rebus, quæ in Britannia gestæ fuerant, in ea rerũ fortuna non cunctandum ratus, ad Tornacum exercitum mouit. Ea est ciuitas Neruiorum longè amplissima, & mercatorum concursu atq; opibus, celeberrima: quam non multis antè annis suo iure uiuentem, Gallorum reges in fidẽ ditionemq; receperant. Nec Tornacẽses in eo bellorũ metu, quanquã haud dubiè libertatẽ amisissent, stu

tit. Ii familiares centurionum & præsertim pagorum signiferos adeunt: atque in primis quàm demisse deprecantur, ne finitimum regem in ea rerum fortuna opportunum iniuriæ oppugnare contendant, qui Heluetios in honore semper habuerit. Tribuerent aliquid antiquis fœderibus, neque pro leuibus atque alienis belli causis, ueterem erga eam gentem beneuolentiam, regiamque liberalitatem animo deponerent. Hæc & alia illi publicè & ad uulgus militum, ingentia pollicendo, atque omnes ad pacem pertentando aditus, breui plurium animos expugnarunt. Itaque primi omnium Bernenses, amplitudine ciuitatis & militum numero, magnæ inter cæteros authoritatis, Lucernenses demum & Friburgenses, ac multi pręterea ex alijs Pagis, iam uulgata inter milites pacis mentione, atque ex ea causa intermisso ardore oppugnationis rem ad consilium deferunt, in quo principes exercitus, tribuni, & primorum ordinum centuriones, præterea scribæ & signiferi, & id genus alij, sententias dicere, & de summis rebus deliberare consueuerunt: ac tandem certis de causis, quas hic recensere, & longum, & non necessarium esset, in has conditiones pacem dixerũt. Lodouicus Gallorũ rex concilium Pisanum, quod in Galliam translatum sit, atq; omnem sacerdotum controuersiam edictis tollat, in posterum ab Romano põtifice non discedat, neq; eius urbes oppidáue attrectet. Eam Burgundiæ partem quam iureconsulti statuerint, Carolo Cæsaris nepoti restituat, ex arcibus Mediolani & Cremonæ præsidia deducat, Gallia Cisalpina abstineat, milites Heluetios nisi uniuersi oppidorũ, pagorum & ciuitatũ magistratus assentiant, mercede ne conducat: Heluetijs pro impensa susceptæ expeditionis quater centena milia aureorũ nummũm exoluat, intra quindecim dies dimidium eius summæ, reliquũ intra menses duos: item Vlderico & decurionibus equitum octo milia pro mercede impendat. Tramulius quòd respicere ad summam belli, atq; omni industria præsentibus malis occurrere, sani & prudentis imperatoris arbitrabatur, concedendum aliquid necessitati atq; periculo, quod haud dubiè omnium salutem trahebat, iudicauit. Porrò Heluetij, quum iniussu regis, nec pacem ullam fœdúsue rectè fieri posse, nec sponsori Tramulio credere tutum esse existimarẽt, propter necessariam temporis dilationem, quo spacio Lodouicus consuleretur, obsides postularunt, qui capite luerent, si citra statutum tempus pacto non staretur, aut rex acta Tramulij minimè rata & firma esse censeret. Itaque obsidibus acceptis, & ex formula iurisiurandi tabulis conditionum obsignatis, castra mouent, & per Sequanorum fines fine maleficio domum reuertuntur. Hæc ubi in Morinos literis & fama perlata sunt, Cæsar & Henricus haud ignari tantum sibi ad conficiendum bellum facultatis & uirium detractum iri, quantum hostibus ex ignominiosa pace terroris atq; periculi decessisset, fractis tanta spe animis, ad aliam belli gerẽdi rationem omnes cogitationes conuerterunt. Sed paulo pòst Cæsar eadem celeritate qua uenerat, in ulteriorem Germaniam abscesit, Henricus autem post aliquot dies oppidis propè omnibus Neruiorũ in potestatem redactis, quum diu rerum Hispanicarum expectatione frustratus, & cũctantibus Gallis iam exacta æstate, bellum spargere, & ad singulas urbes circumducere exercitus, quod minimè tum commodum arbitraretur, nollet, relictis præsidijs ad tutanda quę cœperat, Calesiam redijt, primo quoq; tempore ad triumphum Scoticum in Britanniam traiecturus. Sed dum milites atq; tormenta nauibus imponit, & tranquillitate maris operitur, Gallica classis quæ post Odoardum ad Blancasabiam in terfectum, nihil ea æstate memorabile gesserat, è superioribus portubus deducta, ad freti angustias deflexit, eo consilio ut Britannicam classem transportãdis militibus occupatam aggrederetur, onerarias que ad Portesmutum insulã in statione relictas incenderet. Verùm tanta subitò tempestas coorta est, ut magnis si unquã fluctibus mare illud intumuit, tunc maximè uadosi freti æstu, & ualida refluxus mole insanierit. Ita Gallicæ naues puncto temporis dissipatæ, quum aliquas hausisset Oceanus, aliquas litorum scopulis allisisset, ante portum Humfluorum naufragium fecerunt: aliquæ fusis armamentis, quæ cursum tenere non poterant, capiendas sese parato hosti præbuerunt. Erant nonnulli mortales qui hæc in religionem uerterent, & diuinam esse iram interpretarentur, quòd schismate sacerdotumq; dissidio polluta esse Galliam existimarent: quãquam ea die quę fuit Idibus Octobris, accideric, ut luna plena esset, qui dies testimonio C. Cæsaris maritimos æstus maximos in Oceano facere consueuit. At Lodouicus post pudendam pacem, dissimulata palàm ea insigni contumelia, quũ decessisse finibus Heluetios, Ferdinándumq; regem nihil Henrici generi successibus permotũ, præclarè in diuciarum fidem tueri, contentumque Cantabria suis se tenere Pyrenæi saltibus, & iam senescere Britannicum bellum, instareque hyemem aduerteret: nudato animo conditiones improbare atque reijcere cœpit tanquam summæ iniquitatis & insolentiæ plenas: ideoq; testari se tam superbę paci nequaquam staturum, quam Tramulius ex arbitrio cum Heluetijs spopondisset. Consiliarij quoque & magna pars togatorum, postquam ex indignitate pactionis regem furere criminarią; ultrò Tramulium uiderũt, ex adulatione & metu potius quàm quòd id ex æquo & iure esse dicerent, ut pacem irritam faB cerent, pœnitentiæ & fraudi uanam iuris specie imponere cõtendebant, quod Tramulio iniussu regis non licuerit ulla turpi sponsione bellum finire, exemploque Caudinę pacis quondam cum Samnitibus à consule Posthumio factæ, nihil quod Gallos ex pacto, uel religione obligaret, iniussu regis ritè fieri sanciriue potuisse: num etiam eodem iure, si Tramulius ex metu, uel sua temeritate spopondisset, regem diadema posituram, uel Luteciam Parisiorum antiquissimam regiam deserturum, traditurum arma & uniuersam Galliam Heluetijs uectigalem facturum, ea omnia ex æquo & bono spõsionis pariter seruanda forent? Ex aduerso quoq; non deerant, qui hæc uti inania & puerilia detestantes, priuatis sermonibus dicerent, Tramulium egregium fortemque uirum cuncta ordine sapientissimeque fecisse, quòd in ea rerum desperatione, tot hostibus coniuratis, hinc & inde prementibus, atque alijs haud sincera fide euentum belli spectantibus, saluti totius Gallię maturè atque opportunè consuluisset: eum esse inter Gallię proceres, qui multis rebus integrè & feliciter gestis, carpentis uulgi inuidiam uirtute superet. Non ea rectè improbari consilia, quibus cautus imperator atque hostium expertus magnis periculis occurrendum esse duxerit. Cæterùm Heluetij quum se deceptos intelligerent, coacto apud Lucernam concilio, iureiurando omnes affirmauerunt, se quàm primùm per occasionem possent, ulturos illam tergiuersationẽ, atq; eadem quæ fœdere promisisset, armis repetituros. Habitæ insuper quæstiones de his qui enixè fouisse Gallorum partes ferebantur. Tortus inter alios Gaspar Goldilus factionis princeps, de aliquibus etiã supplicium sumptum: nam uulgus militum & sordidissimi quique procùl à militia, claros homines multis fortibus factis, qui ordines apud Gallos duxerant, crimini atq; inuidiæ expositos deferebant.

In

In quos ab accensis ira magistratibus tãto seuerius A animàduertebatur, quanto omnes eleuare infamiã facti, & fœderatis principibus satisfacere cupiebãt. Eadem æstate iussu Leonis pontificis, Bernardinus Carduial & Fœdericus Sanseuerinas pseudocardinales, quos per interregnum ad Liburni portum captos, & Florentiæ asseruatos memorauimus, Romam uenerũt. Quibus mox à Leone supplicibus ac ueniam petẽtibus, antiquus pilei honos restitutus, magna tamẽ patrum dissensione. Nanq; Matthæus Sedunensis efficacis ingenij, & acerrimæ uir eloquentię, Christophorusque Eboracensis Gallorum hostes, grauissimis orationibus aduersabanẽ, quòd ad eosdem dignitatis gradus, fœdo, & in posterum exitiabili exemplo reducerentur, qui misere in primis Italiæ, & sacrosancto pontificiæ libertatis propugnatori, excitato ubique terrarum belli incẽdio, tot calamitates intulissent. Verùm pontifex cuius mite ingenium facilemque naturam in specimen cęterarum uirtutum omnes illo tempore laudabãt, clementius agendum sibi aduersus eos quos opera sua captos constabat, existimauit, ut põtificatus initia quiete rerum paceque firmaret, & finem imponeret controuersijs, quas translato Lugdunum cõcilio turbulenti sacerdotes excitarant. Siquidẽ fessos, & aduersis successibus fractos ostentata spe ueniæ, ad sanitatem redituros apparebat. Nec multo pòst Lodouicus haud ignarus tantam bellorũ molem, qua ipse obrutus quassatusq; uix steterit, ab diuina ira pendére, ut religioni ac pontificiæ maiestati satisfaceret, perturbatoq; & exhausto regno consuleret, adulterinum concilium abrogauit: iussitq; Claudium Massilienſem episcopum, & Soleriũ legatos suos Lateranensi adhærere, illudq;, prædamato Pisano, ut sanctum atq; legitimum approbare. Idem fecere Guliermus Maclouiensis, & Renatus Baiocensis: qui & ipsi antea à Iulio gradu pulsi, B ad pristinos honores redierunt. Eodem quoq; anno Iulianus Medices Leonis frater ab senatu populoq; Romano ciuitate donatus est: in cuius gratiã, in area Capitolij temporarium theatrũ extructũ est omni picturatarũ uarietate mirificè cultum. Egere in scena Plauti Penulum decore mirabili, & prisca quidem elegantia Romanæ iuuentutis lepidissimi quiq;, uariaq; extra ordinem poëmata recitata, florentibus non aliàs fœcundiore seculo poëtarũ ingenijs. Siquidem põtifex liberalibus disciplinis institutus, ueluti paternam gloriam in eo uirtutis genere superaturus, quum publico elogio literatorũ præsidium inscriberetur, studiosos omnis elegantiæ, qui inter armorum strepitus non emerserant, iam tum magna spe liberalitatis accenderat.

SVPPLEMENTI

LIBER II.

DVm hęc in Gallia atq; Britannia gererẽtur, Cardonius & Prosper, qui ut suprà memorauimus, Gallo ab Heluetijs profligato, Liuianũ è Tõbis Patauiũ redeuntẽ subsecuti, in Venetiã duxerant, Patauinũ omnẽ agrũ ac Vicentinũ nullo prohibẽte populabantur. Enimuerò Liuianus & Baleonus ex decreto Senatus partiri inter se copias, & Patauiũ atq; Tatuisiũ præsidio tueri iussi, ut imminentem hyemem expectarent, nullam hostibus pugnæ copiam faciebant. Emittebatur autẽ leuis armatura equestris, quę subitis excursionibus hostiũ pabulatores infestaret, cognoscendisq; eorum consilijs, ad castra exercitatione quotidiana progrederet, neq; id sæpius frustra factum. Nam quum Caruaial è castris in proximum pagum diuertisset, à Mercurio, qui per momẽta temporis uestigia hostiũ obseruabat, captus est. Eius equites, inter quos erat Spinosa, uir fortis cũ duobus militũ præfectis, diu frustra per angustias uiarum colluctati, ut eruptione euaderent, in portas absq; uulnere deuenerunt. Trãsfugerat paulo antè Mercurius à Cæsare ad Venetos ex inconstantia animi, an ob iram fortè aliquam, uel spem liberalioris militiæ, nobis incompertum. Cæterùm Cardonius ostensurus magis oppugnationẽ, quàm tale negotiũ summa ui tẽtaturus, productis castris duobus passuum milibus à Patauio consedit, neq; enim propius castrametari licuerat, quoniam Veneti per id tempus, quod uacuum à bello atq; ab hoste ociosum fuerat, Patauium tanquam belli arcem & Venetiarum propugnaculum mirabili studio communiuerãt. Suburbanas uillas, hortorum sepes atq; macerias, excisis quoq; opacis arboribus, ne uel umbram quidem qua tegeretur hostis haberet, solo æquauerant. Inde felicis agri uasta planicies circumquaque patescens, nihil tutum, si in conspectum ubis uenirent, à tormentis quæ pro turribus disposita fuerant, relinquebat. Ob eas difficultates Cardonius & Prosper fossam, per quam tutò copias atq; tormenta ad murum perducerent, facere instituũt, ea quidem ratione, ut egesta humus in lęuo margine aggerem faceret, atque altitudine sua commeantes milites ab omni missilium iniuria tueretur, ita ex tuto mœnibus appropinquare, uineas agere, & nouis operibus obiectis muralia tormenta subuehere posse confidebant. Verùm quum per aliquos dies contracto ex agris magno agricolarum numero, aliquam operis partem perfecissent, & ex urbe expeditæ cohortes atque equitum turmæ in opus molientes emissæ, omnia turbarent: institutum aggeris quod minoribus etiam ducibus difficilè uidebatur, omissum est. Sed nec postea per ocium dies acti: nam utrinque equites & pedites leuia certamina committebãt. Vnum fuit memorabile. Tres Hispani pedites elati animi, Italos ad certamen prouocarunt, nulla quidem priuata simultate: sed ut si essent aliqui Romanę indolis in Veneto exercitu, cõtrà progrederentur, & paribus armis pro gloria decertarent. Liuianus, quum ea uox à militibus alacriter excepta fuisset, multique certatim eas partes deposcerent, totidem manipularios expertæ uirtutis emisit, qui breui uno è tribus Hispanis interfecto, cæteris lauciatis & captis, uictoriam cum plausu & gratulatione militum retulerunt. Iam æstas præcipitauerat: Cardoniusque & Prosper nequicquam oppugnatione tentata, ad Albarettum propè Athesim castra reduxerant, quum Matthæus Gurcensis cardinalis, qui tunc Veronæ præerat, urgere literis ac nuncijs duces cœpit: incusare eorum ocium, & palam conqueri, quòd exercitum tot auxilijs firmum paratumque omnes labores pro Cæsare subire, in æstiuis tamdiu esse paterentur, nihilque iam propè exacto autumno, quod ad commodum tuendamque existimationem Cæsaris pertineret, effecissent. Ducerent quoquo modo in hostem, & cum excidio hostilis agri fortunam periclitarentur. Milites quoque Germani atq; Hispani, apud quos spes prædæ, cędes, uulnera, & uirtutis decus, omni securitate atque ocio cariora ducebantur, turbidis uocibus, uti ad aliquod egregium facinus educerentur, flagitare: uix abstinere à probris, & ducum famam lacerare. Quibus de causis excitatus Cardonius, cõmutãdam sibi omnem belli rationem existimauit, uocatisque in prætorium præfectis: Scio inquit, uiri fortes, usuque militiæ periti, perfidiæ mihi uel ignominiæ parari contumeliam, si nouum cõsilium euentu aut asperum aut felix minimè capiamus. Enimuerò patientiam meam uinci patiar: succumbamque paucorum libidini, qui me dicunt ex com-

posito bellum alere, & delectari magis imperio & A populationibus, quàm uera laude maturaq́ uictoria. Duæ sunt in conspectu munitissimæ hostium urbes Patauium atque Taruisium, quæ oppugnari capiue nostris uiribus haud facile possunt, quum id Cæsar ipse ac paulo pòst Roseus atque Palicia multitudine fortissimorum militum, ac mirifico oppugnandę urbis apparatu freti, difficilimis etiam Reipublicæ Venetæ temporibus, cum iactura tentauerint. Supereſt, postquam finiendum est bellum, ut nostra uirtute atq; ausu, omnibus incommodis atque omnibus belli calamitatibus hostes, qui congressum uanis artibus deuitant, exagitemus. Neq; hoc erit factu difficile, si transmisso Medoaco, ea oppida quæ ad mare sunt infestis armis adeamus, atq; omnia ferro igneq́ue populemur. Tũc enim hostes qui per ignauiam inclusi mœnibus hybernorũ tempus operiuntur, ulturi iniurias, aut in aciem descendent, facultatemq́; uictoriæ præbebunt, aut luctuosum regionis excidiũ prospectantes, nos omni præda onustos & intactos redire patientur. Duces qui in consilio aderant, in utranque partem disputatione habita, uariè sentiebant. Alij enim quibus feruida ingenia, elatis exercitus uiribus prosperos rerũ successus polliceri, consilium imperatoris, qui dignos suo nomine spiritus gereret, laudare: alij contrà rerum usu & militari prudentia insignes, intempestiuam Cardonij audaciam non probare, nõ esse enim eò temerè procurrendũ, unde uel difficilis receptus foret, uel clades, aut ignominia timerentur. Ipse ante alios Prosper Columna, qui uirtutis militaris inueteratæq́; prudentiæ fama, quanquam ad Cardonium summa imperij respiceret, cuncta propè in eo exercitu administrabat, cunctator natura, & cui belli casus atq; fortuna maximè displicebant, multis rationibus Cardonij consilium improbare, immoderatam eorum fortitudinem, qui temeritatem atque fortunam pro disciplina sequerentur, coarguere. Quid si inquit, postquam hostes contemnitis, dum in sinu eorum cuncta ferro flammaq́ue populamini, tunc imbres è turbida nube ceciderint, ut anni tempus & regionis natura minantur? Num aliquam aut reditus aut salutis spem habebitis? Num putatis dum inexplicabiles imbribus uiæ, lubricus & limosus ager, inflatiq́; amnes iter expeditum denegabunt, tunc Liuiani ingenium percitum & ferox quieturum? Non cõuolaturam ad excidium nostrum montanorum agrestium multitudinem, quibus nihil infestius, nihil crudelius? Num si obsessis itineribus commeatum auertant, & eminus & cominus lacessant agmina, onusti sarcinis, enecti fame, nullo stabili uestigio innixi aciem explicabitis? & spem in dextris atq; uirtute ponetis? Ego Cardoni secuti finem belli atq; uictoriam hoc exercitu incolumi nobis non serò obuenturã arbitror, ita propositi tui sententiam graui proximam periculo minimè laudarim, quòd si id duxeris è commodo Ferdinandi regis & Cæsaris, ipse uotis nuncupatis, ut ea res prosperè atq; feliciter cedat, lubens uolensq́; iter & arma primus arripiam. His uerbis Prosper, quãquam iniecto discrimine metu aliquorum animos perculisset, uidereturq́; is ardor, ut ex uultu apparebat, aliqua ex parte refrixisse, nihilominus Cardonius in sententia ut proficiscẽdum esset, perseuerare: nihilq́ue dictis Prosperi commoueri, urgente maximè Piscario, qui quum pedestribus copijs præesset, agendo pugnandoq́; laudem quærebat. Igitur postquam de profectione decretum fuit, pronũciari iubet, ut milites scorta, quæ in uarios usus Germani, Hispani uerò ad libidinem trahere consueuerũt, inutilesq́ue ministros dimittant, sarcinas & impedimenta relinquant, nihil præter arma parent. Hæc omnia, simul & inualidos uel parum idoneos milites Veronam remittit. Postero die lustrato exercitu cognoscit hanc esse summam copiarum: Hispanorum tricenarias cohortes quindecim, Germanorum septem, quarum singulæ quingentis ferè militibus constabant, ueteranus uterq; miles, & recenti uirtutis gloria insignis, utpote qui nuper ad Rauennam inter se fortissimè dimicarãt. Hispanis Piscarius, Germanis Iacobus Landaus præerant, septingenti item equites cataphracti ex uetere militia Ferdinandi regis, centum quoque & quinquaginta Germani sub Riciano, & Celembergo Cæsarisducibus: atq; item leuis armaturæ expedita manus, quã Succarus Heduus ducebat. Ex pontificio uerò exercitu (nã Leo fauere Cæsari ex Iulij põtificis fœdere tenebatur) Troilus Sabellus, Mutius Columna, & Vrsinus Mognanius, hic leuis armaturæ equitũ alã unã, illi autẽ cataphractorũ duas adduxerant. Sexcenti etiam Hispanici generis equites, in queis pleriq; sagittarij sub Petro Castrio cẽsebant. His copijs optimè instructis, Cardonius duodecim falcones æneos præsidij causa adiungit, & ab Alba retro ad Bouolentã castra mouet. Id oppidũ opulentum & frequens, primo incursu occupat & diripit. Inde ad Medoacum progressus incerto profundoq́ue alueo decurrentem, cymbis ac lintribus, quas carris aduexerat, inter se connexis, continuò superat, atque in sinum fertilissimæ regionis cuncta belli clade euastãs defertur. Hinc Plebis Sacci celebre oppidum euertitur, capti incolæ, direptæ domus, abacta arméta, & iniectæ demũ ædibus faces: mox quum furés barbarus in ipsas suburbani litoris delicias peruenisset, infelices pasim uillas, & superba prætoria, quę regio sumptu longa in pace ac florentibus Reipublicę temporibus, Veneti primates extruxerant, maiore quàm unquam inuidia in Italia debacchatum fuerit, miserabili incendio absumpsit. Troilus quoque qui triennio antè à Venetis discesserat, cum equitibus suis & cohorte una progressus ad Licefucinam uicum, ubi naues uersatili machina è Medoaco in Hadriaticum traducuntur, omnia metu complet, ac in prędam uertit. Deseruerant ædificia accolæ: & cum armentis metu territi, Medoacum transierant, religatisq́; in ulteriore ripa omnibus nauigijs, ne illis potitus hostis ad trãsitũ uteretur, sagittis eminus sese ac ripam tuebantur. Troilus contrà dispositis sclopetarijs eos territat, atq; è ripa depellit: mox militem adnatare & retrahere scaphã iubet. Qua è uestigio retracta scandentibus plurimis, cæteræ naues ab ulteriore ripa soluuntur ac traducuntur: confestim q́; earum beneficio flumen traijcitur. Agrestes etsi multitudini suæ, & sagittis quas ligneis arcubus emittunt, multũ cõfidebant, quum militũ impetum sustinere nõ possent, in proximas paludes confugerunt. Hoc confecto negocio Troilus ex priuato quoq; odio hospitalibus diuersorijs, cæteris q́; ædificijs incensis, in castra reuertitur. Eodem quoq; tempore Mutius cum ala equitum & ualida Germanorum manu, Mestriũ frequentissimum oppidum contendit, fusisq́; in itinere paucis hostium equitibus, quum coniectos in fugam continuò sequeretur, eodem cursu immixtus Venetis, portam irrumpit, uiribusq́; superior, desertum à Mestrinis, oppidum occupat: arcemq́ue pari fortuna temerè munitam interfectis defensoribus capit, ac statim sæuiẽtibus Germanis in discessu oppidum incenditur. At Cardonius & Prosper interea cum tota mole exercitus circumiectum agrum eximiæ fertilitatis effuse populati, ad Margariam maritimum uicum castrametantur: indeq́ue breuissimo maris interiectu prospectãtes hostium sedem, tormenta per aggerem in proximum littus deduci, & in contumeliam superbæ atq; opulẽtissimæ ciuitatis displodi iubent. Ea res non aliàs maiore metu attonita ciuitate, non tam sclopis boatuq́; horrisono plebis fœminarũq́; aures perculit, quàm conscriptos patres atq; ipsos magistratus in aduersis semper intrepidos, incredibili mœrore affecit. Fumabant procul grassantibus incendijs uillę, uici, castella, oppida: neq; aliud quàm tantulũ maris spacium, similem urbis calamitatẽ morari uidebatur. Erant qui è sacris turribus & speculis, cognito tractus ac litoris situ, propriarum uillarum flammas agnoscerent, & cadentes domos frustra lachrymis prosequerẽtur. In tanta calamitate, quum omnium animi ad ulciscendũ arderent, Liuianus propè insaniens, per literas ac nuncios singulis horarum momentis ab senatu petere, ne se diutius in ocio clausum teneri, ne tot ac tantas iniurias cum ignominia è mœnibus contemplari ac deflere absq; ullo uindictæ solatio paterentur: habere se iustum exercitum duratum in armis, ardentẽ pugnæ studio, uindictæ cupidine uehementer incitatum, quo demorari hostes impeditos prædæ onere, transitu fluminis prohibere, ac concidere facilè posse, si sibi ius imperij pugnandi q́; potestas libera relinquatur. Ergo summo omnium studio ab senatu Liuiano rescribitur, exercitum sub signis educat: cum Baleono iunctis uiribus una castra faciat, & si id è cõmodo Reipub. duxerit, quàm primum nactus & loci & tẽporis opportunitatem, cum hoste cõfligat. Decreto senatus accepto, Liuianus parat sacra publico ac patenti in loco. Quibus peractis, apud milites concionatus, Exploratã, inquit, certamq́; uictoriam hodie nõ habere m de barbaris immanissimis q́; latronibus, qui tot calamitatibus illatis, onusti prǽda simili quoq; temeritate effugere imminentẽ cladẽ, & pacato itinere redire posse cõfidunt: nisi uos illi ijdem essetis, qui tot efferis nationibus ad excidiũ Veneti nominis conspirantibus, quod reliquum supereſt Italicæ uirtutis decus per tot casus atq; pericula cõstantissimè conseruastis. Enimuerò quum uos considero milites, atq; hostium conditionem intueor, magna B me spes uictoriæ tenet: ab longa siquidẽ quiete recẽtium uirium robore præstantes, magno atq; exercitato equitatu, tormentorum omniumq́ue rerum apparatu ac copia, quæ desiderari in negocio possint instructi, cum his hostibus pugnaturi estis, qui prǽda graues, confecti propè inedia, numero pauci & linguarum uarietate dissimiles, uix primum nostrorum impetum sustinebunt, quũ maximè nobis obstantibus, experiri altitudinem fluminis, in ripa cõsistere, pugnareq́; oportebit. Neq; hostium duces in dubijs & repentinis pugnæ casibus, uno consensu eadem consilia capturos arbitremini, quibus diuersa omnino ingenia & uarios animi impetus dissimili linguę morumq́; commercio aliud atq; aliud cœlum indiderit. An dum hic pandi aciem, ille densari, & sisti agmen, inferríue signa uno tẽpore mixto imperio uidebũt, tunc Germanus Hispanum, & utrunq; Italus audiet, uel iuuabit? Vicimus profectò milites, uicimus nisi dij, qui satis superq́; hactenus huic Reipublicæ irati infeliq́; fuere, tantorum scelerum ultores adesse noluerint. Hęc quum dixisset, acclamantibus præfectis, atque uniuersa concione, ut signum profectionis daret, magna spe & lætitia omnium copias eduxit, & ad Medoacũ ubi hostes transituros existimabat, contendit. Inde Baleonum à Taruisio, & cæteros milites qui in præsidijs erant, ad signa uenire: Paulumq́ue Manfronum ad contrahendã agrestiũ multitudinem in saltuosa & montana loca proficisci iubet. Habebant tunc castra Hispani ad campum S. Petri, quum nunciatum est Liuianum cum uniuersis copijs ultra Medoacum consedisse: ibiq́; prælij & uindictæ auidũ, quò minus flumen transeatur armis prohibiturũ esse. Ea res uastati finem fecit, quoniam suspẽsis omnium animis, audacissimi etiam quiq; militũ, non quàm latè, aut crudeliter uexandi incolæ, exurendúsue amœnissimus ager forent, sed quo modo prædam referre, &

A uitam tueri oporteret, cogitabãt. Igitur Cardonius coacta præda, ut antequã Liuianus uniuersas uires cõtraheret, ipse superato flumine in pacata loca reuerteretur, ad Medoacum ubi in ulteriore ripa hostes constiterãt, peruenit. Eo in loco aliter atq; ipse putauerat, quum difficilia aduersaq́; omnia reperisset, paratos scilicet in armis hostes, ripã magno tormentorũ numero cõmunitam, ducem ferocẽ promptumq́; ad omne belli facinus obeundũ, cœpit animo agitare quo detrimento militũ, & quãto totius summæ rei periculo, si in ea parte uadũ fluminis tẽtaretur, uniuersus exercitus traducẽdus esset: ac demum accire Prosperũ atq; Piscarium, cęteros q́; duces consulere, quoniam de salute omniũ agebatur. Visum est peritioribus superiora uada fluminis esse percontanda: noctuq́; eò progrediendũ, ac ignaris hostibus è uestigio transeundum. Missi exploratores renunciauere posse facilè superari amnẽ, si supra ad sextum miliare æquioribus ripis coërcitum acplacidè decurrentem peterent. Ergo Cardonius de secunda uigilia castra mouet: relinquit ignes, atque omnem leuem armaturam equestrem, quę speciem præsentis exercitus faceret, atq; hostes distineret. His demum imperat, ut exoriente sole plures in ripa fluminis obuersentur, ac simulato transitu alueum tentent, cæterùm globo facto castra subsequantur. Vixdum certa luce ad locum peruentum est, quum exemplò primi agminis duces flumẽ in gressi, omnem simul equitatum in aduersam ripã educunt. Hispanorum quoq; phalanx eodem tempore infra equites, qui impetum fluminis refringebant, consertis stipatisque ordinibus non formidauit altitudinem profluentis. Nanque sicuti incertis pasim uadis transibant, accidebat ut aliqui pectoribus tenus mergerentur, aliqui uerò capite solo ex tarent. Erant magnum ad superandam uim fluminis incitamẽtum, ipse ante omnes Piscarius pedes cohortando signiferos, flumen intrans: & cum eo ornatissimi primorum ordinum centuriones, qui ducis exemplo ex equis descenderãt, & ante alios in amnem se coniecerant, ut manipularibus suis æquarentur. Hispanos, Germani, & mox Cardonius & Prosper cum alijs copijs subsecuti sunt, ac demũ leuis armaturę equites, qui ex composito ludificati hostem, ut imperatũ fuerat, consequebantur, fluuiũ transmiserũt. Occurrere satis in tempore transeuntibus Epirotæ antecursores. Nam Liuianus suspicatus quod erat, intempesta nocte hostes inde mouisse: expeditam equitum manum speculatum prę miserat, ipseq́; inalbescente cœlo, cognito hostium discessu, fuerat insecutus. Verùm quum hostes paratos ad dimicandum in acie reperisset, leui certamine ad aquam facto, prælio abstinuit: siue quòd Baleonum accitum è Taruisio expectandum esse cẽsebat, siue quòd ad iniquam pugnandi conditionẽ perducendos prius hostes esse, quàm manus consereret, arbitrabatur. Ita à superiore consilio depulsus Liuianus, alia ratione hostibus iter præclusurus Vicentiam contendit. Nam euastata urbs illius futura erat, qui prius incustoditam neglectamq́; occupasset. Erat locus in uia publica, secundo ab urbe lapide, prope pagum, cui Vlmo nomẽ est, satis idoneus si uel mediocriter operibus muniretur, ad prohibẽdos trãsitu hostes: quoniam nulla commodior uia qua eos redire necesse erat, Veronã ferebatur. Hũc locum Liuianus aggere propè extructo ac perducta fossa, ut uiæ spacium concideretur, adductis tormentis egregiè communit, ac opportunè cum Baleono, qui dudũ uenerat, citra loci angustias castrametatur, lætus admodum quòd hostes aut ex iniquissimo loco, si ui euadere tentarent, pugnaturos, aut si absterriti aliò iter flecterent, ad extremã commeatus inopiam, & mox in deditionem peruenturos esse iudicabat. Interea Cardonius eo consilio ut

rectà Veronâ contenderet, cum omnibus copijs ad Vlmum processit,ubi quum concisa itinera,occursuq; hostium occupatas uiæ & collium fauces cognouit, quoniam diei parum supererat,& fessus itinere miles erat, quingentis passibus ab Liuiano castra ponere coactus est maximo suorũ cum labore: nam legentes locũ figentesq; tentoria, directis tormentis Veneti,metu, cæde,incõmodisq; turbabãt. Fuere Hispanorum castra quandiu ab luce diei permissum est, pauoris atq; periculi plena, quum nihil tutum à tormentis relinqueretur. Tanta erat pilarũ uis,quę frontem lateraq; feriebant,ut integri peditum ordines, extensis humi pectoribus procũbere, equites post dumeta atq; arborum stipites occulere sese, aut depressiora loca quæritare cogerentur. Sed nox insequens crescente metu durior atq; turbidior fuit,quoniam Baleonũ castra castris iunxisse & magnum numerum agrestium à tergo instare, & quæq; uiarũ plana,perductis passim fossis,atq; aggestis cespitibus, interrupisse cognouerãt. Quibus de causis fiebat, ut quum à fronte obstante Liuiano perrumpere in patentem uiam non possent,consternatis metu omniũ animis, nulla solita alacritas,nulla spes, nullaq; pristina uirtus in mœsto exercitu uigeretur. Iamq; apparebat Prosperum, qui temeritatem susceptæ expeditionis damnauerat, uatem futurum,si effusior imber(quod solum ad extremam calamitatem deerat) superueniret. Ad hæc incommoda biduo antè absumpta omni re frumẽtaria, solis abactæ prædæ carnibus fatigatus exercitus. Ita excitatis ignibus,quãtum nec satis esset ad torrendos boues,quos ab aratris abduxerãt, fessi attonitique, lucem simul atq; euentũ incertæ salutis operiebãtur. Interim dum in stratis equis, induti arma insomnes totam noctem agunt,præfecti alarum ac primores ordinum ad prætoriũ Cardonij frequentes adesse, de summa tãti discriminis cõsultare, per uices circuire exercitũ, milites bono animo esse iubere,nihilq; quod metũ alijs augeret, præferre. Inter alios Prosper discurrẽdo legiones & equites alloquutus, cunctos certa spe fiduciaq; cõplebat. Tanta erat eius uiri opinio,ut in summa etiam rerũ difficultate, eo duce nihil aduersi cõtingere sibi milites posse timerent. His rerum angustijs dum premerẽtur, disputatione habita, eò omnium sententiæ inclinarunt, ut retrocedendum, ac mox dextrorsum qua uia Bassianum ducit,iter flectendũ esset:eo quidem consilio,ut discedẽtes, Liuianum,quem natura pugnacem atq; insigne aliquod facinus acri animo uolutantem agnoscebant,ex munitissimo loco in æquam planiciem attraherent: atq; ibi uti antea depositi animo confirmati consererent manus, aut si hostis pugna persecutioneq; abstineret, iuxta Tridentinos montes circuitu capto, atq; euitata Vicentia, Veronam incolumes reuerterentur. Igitur Cardonius paulo antè quàm dilucesceret,uasa colligi & sine tumultu signum profectionis militibus dari iubet. Sed dum præmissis impedimentis, Prosperum,qui ex instituto primum agmen ductare cõsuesset, ad capiendum extendendumque iter hortaretur, suborta est grauis & decora contentio inter eos de ordine aciẽrum: quæ (ut mihi uidetur) pro disciplina in reliquũ tempus documento esse possit,negante scilicet Prospero se antecessurum, quando sibi tum postrema acies certo iure conuertendæ in hostem frontis, insigniq; ineundæ pugnæ prærogatiua deberetur. Differebat enim acriter Romano more, decus suum tueri solitus, ex lege militari nequaquam eam esse primam aciem, quæ in itinere incedenteq; toto exercitu cæteras omnes anteiret,sed eam omnino uocari primam,quæ opinione uirtutis firmissima,graui iudicio institutoque,uel à fronte, uel à tergo occurrenti hosti opponenda censeretur. Id quum præfecti ueteres approbarent, Cardonius pro suo ingenio altercãti facilè cessit:adeoque expeditè prægressus est, ut Alarco uir salsus,& cautè mordax,Imperatorem rectè probeque facere diceret, quòd absque alienæ laudis obtrectatione, ut instantis pugnæ periculo honestè subduceretur, legibus parére didicisset. Ex euentu enim prælij ad Rhauennam,unde intactus euaserat, nõ magnopere pugnax, sed cautus habebatur. At Liuianus qui statim ab aurora regressum hostium, itérue, & eorum ordinẽ, quòd nebula densior orta ex humore telluris intexerat campos, clarè prospicere nequiuerat, ut primum comperit discedere hostes,quanquam animus aliàs moræ impatiens, nequaquam arderet cupiditate pugnandi,increpante segnitiem atque imperante Lauredano legato, tanquam incompositi ac planè fugientes è manibus elaberentur,signa canere,& duce Antiniola procurrere expeditos equites iubet. Verùm conuersus ad Hugonẽ Pepulum, Guidonemq; Rangonum, Periclitemur, inquit, uel temerè, sed generosè tamen prælij fortunam, postquam immodica uis imperij rationẽ uincit, ne si hodie cautus & cunctator esse uelim, paulo pòst ignauiæ aut perfidię accusatus in senatu præ grauante inuidia, funesto Carmagnolæ exemplo, aduersis ac malignis imperitorum suffragijs concidam.Hęc ab his,qui aderant didicimus. Via erat,ut suprà memorauimus, perangusta in faucibus collium,per quam Venetus extenuatis ordinibus trãsire cogebatur, inde latior campus quo Hispani insederant, circumquaque mollibus tumulis conclusus in medio patescebat. Illuc usque euectus Liuianus, præmissa primo leui armatura equestri, cum tribus falconibus, quæ postremum abeuntium agmẽ carperet,ac demoraretur, omnes copias ac tormenta superatis angustijs in planiciem eduxit. Iam equestre prælium, quod primò segniter fuerat initum, dissolutis statim falconibus exardebat, quum Germani equites globo facto procursantes Venetos propellunt,coniectosque in fugam deserere falcones cogunt. Conspicatus hoc uixdum instructa acie Liuianus,nulla interposita dubitatione, quòd res in celeritate posita uidebatur, ne primi refugientes, alios iniecta trepidatione turbarent,pugnæ signum proponit,Baleonũ, quem dextro cornu præcesserat,laxiore circuitu in latus apertũ irruere: Antonium Pium ab lęuo arctius aduersus hostium pedites consistere, & circumfundere uelitum alas iubet. Ipse mediam aciem ex flore & robore militum densatam in qua Sacramorus, Guido Rangonus & Hermes Bentiuolus curabant,in medios hostes inducit. Re cognita Cardonius & Prosper qui quadrato agmine incedebant, ut si qua imponeretur dimicandi necessitas, subitum casum expedito exercitu subirent, primi agminis præfectis significant, ut quum primum hostium pedites in proximo cõspexerint, prælium committere non dubitent. Interim è media acie Veneta cataphracti equites, Germanos quos cœpta uictoriæ spes ardentius prouehebat, adorti, primo impulsu repellunt,stratis uulneratisque Ricciano & Celembergo Succaroque eorum ducibus, fusos ad signa usque sequuntur. Troilus, qui in ea parte iuxta uiam publicam ante uexilla turmarum constiterat, animaduerso periculo laxari aperirique paulùm ordines,ac liberum spacium fugientibus dari,ne turbati actrepidantes integram certamque aciem miscerent, eosq; ut transibant nequicquam morari, sed continuò in postremum agmen refugere iubet. Demum ipse & Mutius, & Alarco, cum uniuersæ pugnæ,quam omnibus artibus petebant, occasionem adesse cernerẽt, signa inferunt, & si unquã aliàs magno ardore procursum fuit, in proruentes hostes incurrũt. Erat utraq; acies numero & uirtute equitum propè par. Quingenti enim fermè utrinque ex Italia ueterani, singulari

singulari decoris studio atrocissimam pugnam edebant. Iamque Liuianus huc & illuc uolitans, testatus illam diem, illam aciem fore & laborum finem & præmiorum initium,tanta uincendi spe suorum animos accenderat,ut nonnulli per confertissimos acerrimè depugnando ad uexilla usque penetrauerint,conatique ea abripere,quum fortiter resisteretur,discerpserint,& Ebrardum Corneum Mutianæ alæ signiferum egregiæ uirtutis senẽ, cum filio impigro iuuene interfecerint. Verùm integra spe atque integro utrinque metù,dum equites in fronte concurrunt,Prosper concionabundus singulos ordines præteruectus, hinc Piscarium cum Hispanis, illinc Landaum cum Germanis peditibus pari acie ac passu inferre gradum, ac peruadere in medias hostium cohortes iubet. Eorum tantus fuit suo pondere incumbentium impetus, ut cohortes Baboni Brescchelli, quas eximiæ uirtutis opinione Liuianus primas hosti obiecerat, uix tentato certamine, penè priusquam hostem uiderent, terga uerterint. Tunc mediacies equestris,ab latere uno pedite nudata, impelli primò ac urgeri acrius, mox cum cæde conuerti in fugam cœpit,neque cadentibus primis, quanquam pugnacissimi quique equitum impressionẽ hostium sustinere conarentur, semel turbata impulsaq; acies reparari retinerique potuit. Ita occisis qui resistebant, strata sunt uexilla, ac in primis insigne Liuiani, quod ad extremum moriens M. Antonius Montanus diu seruauerat. Eodem impetu,Sacramorus & Hermes ab equis deturbati,occursu Germanorum obtruncantur. Piscarius Othonem Sacramori fratrem, uel priuatè sibi inimicum generosè conseruauit. Ab sinistro autem cornu Antoniani milites, ut mediam aciem, in qua uictoriæ ratio,& prælij moles futura esse uidebantur, cęsam profligatamque sensere, abiectis fœdè armis terga dederunt. Idem pari ignauia ac fato Baleonij fecere. Nam Paulus cum haud satis in tempore ob palustre ac limosum solũ in quod circuendo hostes fortè inciderat,dextrum cornu circũtulisset, Liuianusque aliter ac ipse putauerat, celerius pugnã inijsset, factum est ut conspecta aliorum cæde ac fuga,diffisi uiribus suis integri intactiq; diffugerent. In fronte tamen quanquã pauor & fuga omnium occupauerat animos, complures egregij cohortium præfecti, pro tuenda dignitate anteactæ militiæ, dum fugientes prehensant, dum ordines ac locum seruare conantur, atque impigrè hostes feriunt, deserti ab suis & à multitudine hostium circumuẽti,interficiuntur. In his fuere paulò clarioris nominis, Ioannes Bernandinus, Aleccius Salentinus, Ioannes Baptista Doctus è Patauio, Seraphinus Gallia Vmber, Alfonsus Mutus Pisanus,Philippus Carsoleius & Annibal Simonus è Bononia, qui primos ordines ducebant. Paulus autem amissis Troiano atque Hieronymo spurijs fratribus, ac dispalato omni suo equitatu,rebus desperatis aufugiens in palustrem delatus campum,ab Hispanis equitibus capitur. Liuianus interea quanquam à suis & à Fortuna deserebatur, diu fuga increpita redintegrare prælium conatus, ad extremum fractus animo ac uiribus è pugna se proripuit, superatoq; cum maximo discrimine Eretano amne,Patauium contendit. Cęteri duces fermè omnes in fuga capti,aut à Germanis qui nemini pepercere, interfecti sunt. Multos hausit, & in primis Antonium Pium, Bachilio amnis,qui è Vicentinis iugis defluens,celeri cursu atq; impeditis ubiq; ripis apud Patauium Medoaco miscetur.Nam ut ad ripam fessi trepidãtesq; peruenibãt, aut inter cunctationem tentandi fluminis,aut gurgitibus absumebantur, oppressi ab hoste uarijs casibus interibãt. Germani quoq; & Hispani solutis ordinibus sectati hostes, quos præcurrẽtes equires strauerãt,aut turba fugientium cumuliq; armorum passim inuenti tardauerant, interfecere. Andreas Lauredanus legatus, uir indignus ea calamitate, nisi infausto funestę pugnæ author extitisset, dum captus extra pugnam ingens auri põdus quo se redimeret polliceretur,crudelissimè à quodã lixa iugulatus est. Andreas uerò Grittus Vicentiã se recepit, ægreq; quoniam à principio fugæ cataracta portæ demissa fuerat,seruatur. Ea res multis exitiũ peperit: nam spe deiecti ingrediendæ Vicentiæ retrocedentes hostibus occurrebant. Ab his occisi alarum prefecti Carolus Montonius,Franciscus Saxatellus,Cõstantius Pius Antonij filius,Meleager Foroliuiensis:prefecti uerò cohortium ac centuriones supra uiginti sex. Multi ab Italis & Hispanis consecuti sunt,sed ij quos Fortuna passim Germanis obiecit, interiere. Caduriane enim cladis memores, ut propinquos & commilitones ulciscerentur, nemini se parsuros solenni sacramento iurauerãt. Cęsa ea die, quæ fuit Nonis Octobris è Veneto exercitu supra quinque milia: & in his,quod nullo antea prælio acciderat, quadringẽti equites, cataphracti: Tormenta quoq; currulia uigintiquatuor, cum omnibus signis militarib. capta,è uictoribus pauci desiderati. Agrestes uerò qui circumiectis collibus occupatis, expectantes prælij euentum,eminus quatiebant arma, ac truci ululatu exitium hostibus minabantur,ut Venetos fusos uiderũt,antequam Castrius cum equitibus in colliũ summa peruaderet, in proximas ac continentes syluas confugerũt. At Venetijs acceptæ cladis fama omnium mentes perculit,quòd Rempublicam,quam iam pridem attenuatis uiribus infirmã affectamq; intelligebãt, difficulter atq; ægrè reparaturam equitatũ constabat. Meminerant enim ad Agnadellũ peditatu occidione occiso, integras tamen equitum alas superfuisse, quibus haud dubiè quartum iam annum bellicosissimarum nationũ impetus sustinuissent. Sed hic publicus mœror nequaquam tamẽ à belli cura patres auertit. Decreuere enim cõscribendas esse urbanas cohortes, quæ continuò præsidij causa Patauiũ atq; Taruisium mitterentur. Nec mora,nobilissimi Venetæ iuuentutis, sicuti censu,& seruãdæ patrię studio inter se certabant, armatis clientibus singulos manipulos ad defensionem earum urbium adduxerunt. Ea manus quanquam tumultuarium ac deforme auxilium erat, Liuiano tamen & Gritto (hic enim Taruisij,ille Patauij infelices exercitus reliquias colligebant) defendẽdorũ mœnium spem fecit. Verùm Cardonius, etsi hoste propè deleto conficiẽdi belli occasionem sibi dari existimabat, si continuò ad oppugnandam alteram urbium uictorem exercitum duceret, paulo pòst tamen quòd per anni tempus impediebatur, ac omnia indies in negocio difficiliora fore animaduertebat, hyematurus circa Vicentiam,in hyberna deduxit exercitũ. Perեos dies de permutatione Baleoni & Caruaialis in Senatu actum: dimissusq; à Cardonio Baleonus Venetias contendit, eo pacto,ut Caruaialem,qui in custodia Venetijs erat, liberũ in castra perduceret,aut si id ab Senatu impetrari non posset, ipse bona fide reuerteretur. Itaque Baleonus fauẽtibus suffragijs rem facilè pro meritis impetrat: & Caruaialẽ transmissurus, eum ad Cardonium Patauium perducit. Sed dum parantur comites expectaturq; Hispanus caduceator, Gurcensis Cardinalis, quò minus permutatio transigeretur, intercessit,testatus id è commodo Cæsaris minimè fieri, quòd Baleonus apud hostes multò maiori usui momentoq; in tanta ducum orbitate,quàm apud suos Caruaial futurus esse uideretur. Ad hæc Baleonus, quando non Cæsaris, sed Cardonij captiuus esset,ex fide & pacto seliberum dicere, testari demum, si Caruaial quem offerebat minimè reciperetur, se lege solutum nequaquam in castra rediturum. Sed dum inter has iuris

cõtentiones tempus abſumitur, Caruaial quum ſe poſtponi Baleoni minimè pateretur, neque eam dignitatis contumeliam elato ingenio ferret, in ſupremam ualetudinem incidit, moxque ex ira indignatione eque exæſtuans, iam antea ſenio & carcere cõfectus, interijt. Baleonus uerò à Leone pontifice literis adſcitus, nequaquam finita controuerſia Romam ſe contulit. Sub idem tempus ad radices Alpium qua iter in Heluetios, ſupra Bellizonam, prealtus mons terræmotu concuſſus ingenti fragore edito corruit: totaque ea conuulſarum rupium moles in læuam prolapſa fauces conuallis, per quam Brennio amnis decurrens Ticino miſcebatur, obſtruxit. Quo caſu ſtagnare amnis, & nequaquã tanta obice ui undarum prærupto uallis ſpacium implere coactus eſt. Vnde mox in centum ferè ſtadiorum magnitudinem lacus excreſcens, accolarum ædificia ac prædia, antequam annus circumageretur, oppreſsit. Contraria autem ratione Ticinus deſertus ab ſocio amne, ac nihil alienis uirib. auctus, qui paulo antè Bellizone ponte lapideo & ratibus iungebatur, quum ſuas tantum undas traheret, humilis in Verbanum effugit. Ea tamẽ aquarũ uis poſt uigeſimum menſem, ut in proceſſu operis memorabimus, cum uaſtitate pulcherrimi tractus, & miſerabili multorum mortalium interitu, effracta mole prolapſi montis erupit. Adulta uerò iam hyeme Mediolanenſis arcis cuſtodes ad extremam commeatus inopiam perducti, quum nec ſpes tolerandæ ulterius famis ulla iam eſſet, & clarè intelligerẽt Gallorum auxilia fruſtra expectari, quod Alpibus niue geluq; rigentibus, nihil iuſta expeditione Ludouicum regem moturum conſtabat, in has conditiones arcem dediderunt: ut ſi intra trigeſimum diẽ Ludouicus opem non tuliſſet, ipſi continuò arcem relinquerent. Interim datis obſidibus, quotidianis cibarijs iuuarentur, poteſtasq; eſſet emittendi eos præſidiarios, quos ualetudo tentaſſet. Ita multi ſemianimes ut erant ſquallida fame, & grauitate uitioque aëris propè enecti, in hoſpitales domos, ubi ingenuis ac miſeris publica liberalitate alimenta dantur, educti, ac medelis refoti fuerunt. At quum ſtatuta die nihil omnino è Gallia, quod ad negociũ pertineret, afferretur, Liuianus relicto omni tormentorum apparatu, arce exceſsit decimoquarto anno, ex quo ea Gallus potitus fuerat. Nec multo pòſt pari neceſsitate compulſus arcis Cremonenſis cuſtos Binnonus, ſimiles inducias pepigit, atq; arcem tradidit. Galli uerò ad Alpes dimiſsi, comitante ala equitum, ne qua tranſeuntibus iniuria inferretur, incolumes in Galliam abierunt. Ob eas res trium dierum ſupplicationes decretæ, quòd tunc primum firmato imperio Maximilianus rerum Mediolanenſium potiri uidebatur. Poſt cladem ad Vicentiam, legati & ducis temeritate acceptã, ad Maranum Foroiulij oppidum res quoque infeliciter à Venetis geſta. Occupauerant paulò antè Maranum Germani ſacerdote quodam prodente, qui poſtea captus, & in fruſta diſſectus, perfidiæ pœnas dedit. Id oppidum in intimo ſinu ad Aquileienſium paludes poſitum, quod natura loci alendo bello ualde opportunum uidebatur, Veneti trãſmiſsis eò cum copijs Paulo Manfrono & Balthaſare Scipione, terra mariq; haud ſegniter oppugnabant. Id quum Chriſtophorus Francapanes frequentibus nuncijs Maranenſium auxilia implorãtium maturè cognouiſſet, ex omnibus caſtellis quæ Venetis priore bello ablata, in finibus Hiſtriæ & Foroiulij armis Cæſaris atque præſidijs tenebantur, amplam militum manum collegit, & Maranum contendit. Eius aduẽtu ſoluta obſidione, magnum hoſtibus ex inſperato detrimentum eſt illatum. Manfronus & Scipio nequicquam oppugnatione tentata, quum numero inferiores erumpentibus oppidanis atq; inſtante Chriſtophoro ancipiti pugna diſtinerentur, pulſi primò, mox præcipiti fuga in proximum litus acti, dum pars ſcandere naues tentat, alij per auia rupium, alij conuerſi in hoſtem, uario euentu ſalutem quærunt, uulnerato Scipione funduntur, triremisque una capitur, quum metu premente, acimpedientibus ſeſe militibus remiges obuertendi facultatem ab initio tumultus amiſiſſent. Sed quum hæc Venetijs nunciata eſſent, & nouo fletu prioris calamitatis memoria ægris omnium animis induceretur, longè maiore cladis mole rem Venetam afflixit, natum repentè incendium media in urbe, atrox ſi unquam antea, & luctuoſum atque terribile. Siquidem initio ſtatim ſequentis anni, qui fuit à partu Virginis milleſimus quingenteſimus quartuſdecimus, tertio Idus Ianuarias, de prima uigilia, in Riualto frequentiſsima urbis regione, repentinus ac ualidus ignis, multiplicis mercimonij tabernas primùm inflammauit, mox iuuantibus aquilonibus, qui ſæuiſsimi ea nocte fortè perflabãt, attigua etiã ædificia corripuit, mirum dictu acuiſu horrendum, quanta uelocitate & ſimul cœperit & ab dextra læuaque in immenſum populabundus, innumeras ædes, Diui Ioannis templum, & cuncta ſimul quæ ad farinas (id loci nomen eſt) & ad forum pilcarium uergunt, abſumpſerit. Ita ut momẽto temporis, ſuperſemiuſtas & corruentes domos, miſerabili uaſtitate inſolitum atque inane loci ſpacium, flammæ patefecerint. Eadem uiolentia hauſtis mummulariorum officinis, rectà per argẽtarios ad templum Apollinaris uſq; peruagatus, nihil reliquum fecit, præueniendo remedia miſerorum ſui rapiditate atque ſæuitia. Stetit intactum ope fauentis numinis diui Iacobi uetuſtiſsimum ſacellum, circum ambuſtis lateribus. Eo nihil antiquius Venetijs habetur, utpote quod in ipſo naſcẽtis urbis primordio, ab circumiectis populis in Hadriaticas paludes Barbarorum metu fugientibus, ædificatum fuerit. Ii enim haud irritis auſpicijs orſi à religione, eius urbis fundamenta iecerunt, quæ poſt euaſtatã uarijs excidijs Romam, & ſitus miraculo, & diutur nitate imperij atq; opibus cæteras poſtea ſuperauit. Inde perpetuam noctem debacchãte flamma, neq; exitus calamitatis, neq; remediũ reperiebatur. Nã ipſa noctis obſcuritas, ubi exitialis ſplendor nõ aderat, turbatũ uentis mare, & diſcurrentibus in cõtraria cymbis aduerſum, diſſonæ plorantiũ uoces, ac fugientiũ callibus anguſtis pauidarũ turba mulierum, humanum omne ſubſidium abſtulerant. Denique omnia plena luctus atque mœroris. Nec deerat qui ſpecie officij, dum res è proximis flammis ereptas ac per manus traditas ſimulatione iuuantium accipiunt, dominis alio atque alio diſcrimine attonitis, paſsim furarentur. At prima luce cum magiſtratibus Andreas Grittus ſuperuenit, iuſsitq; fabros continuò demoliri domos ardentibus iũctas, ut graſſantibus incendijs liber campus, atq; ipſum cœlum occurreret. Ita tandem reſtinctum eſt. Fuere qui non caſu, ſed dolo factum id crederẽt: quod eodem quoq; temporis puncto, diuerſa in regione urbis, cœnobium Cruciferorum conflagrauerat. Subijciebantq; crimini & inuidię Germanos, tanquam ij pari calamitate illata, ſimilem iniuriam ulciſci cõtenderent: quoniam ſuperiore anno oppida duo in Germania fraude Venetorũ arſiſſe dicebantur. Cõſtrauit hæc inopina & miſerabilis clades ciuium animos: qui eo atrocius id damnum æſtimabant, quod ſuper inſignes exercituum iacturas in difficili rerum ſtatu, & graue & inſperatũ ingruerat: quaſi Fortuna miſeri Imperij nihil reliquum nomini Veneto facere uideretur. Eiuſdem æſtatis fine quæ hæc in Venetia geſta ſunt, in Cænomanis, quanquam omnia bello arderẽt, haud magni rerum motus fuere. Strabat à Venetis Crema: eamque ſupra ciuium

uium egregiam fidem mirabili operum munitione firmatam; cum ualida militum manu Rentius Ceres tuebatur: uir indefeſſus & fortis, atque ea maximè obſidione clariſsimus. Brixiam autem & Bergomũ pro Cæſare Hiſpani præſidio impoſito tenebant. Sed tunc maximè Bergomatium res in anguſto poſitæ erant: quoniam attritis recenti clade Brixianis, ſoli propè hybernorum incõmoda tolerare, & pecuniam in ſtipendium præbere cogebantur. Quibus de cauſis exulcerati ciuiũ animi, quãquam ex uetere etiam ſtudio in Venetos, defectionis tempus circumſpectarent, eò inclinarunt, ut accerſenda eſſet ab Crema militum manus, qua præſidium Hiſpanorum opprimerent, & mutata fide tranſirẽt ad Venetos. Erat tunc fortè apud Rentium Cagnolus quidam Bergomas cohortis præfectus, cui cuncta tradendæ urbis cõſilia à ſpeculatoribus ac transfugis deferebantur. Is quũ obnixè operam ſuam pollicendo, docẽdoq; quibus artib. facilè urbe eſſet potiturus, ſpem haud dubiã perficiendi negocij Rentio dediſſet, cum Marcello Aſtallo equitũ præfecto, & duabus delectorum cohortibus Bergomum mittitur: atque ita uiarum compendio ac notitia uſus, confecto per noctem itinere, antequam Hiſpani & bona pars ciuium aduẽtum Venetorum ſentirẽt, ab his cum quibus egerat introducit. Nec mora, ad domum regij quæſtoris cõuolant: eã facilè expugnãt: pecuniam cum paulo antè Hiſpani incleméter exegerant, diripiunt: & præſidij partem trucidant, partem comprehendunt: mox quoque arcem ueterẽ interfectis propugnatoribus ui capiunt. Hoc confecto negocio, Cagnolus atq; Marcellus partem militum præſidij cauſa apud ſe retinent: cæteri eadem celeritate qua uenerant, Cremam remittuntur. Ea Bergomatium defectione commotus Maximilianus Sforția, ſtatuit nihil eſſe cunctandum, ne fama uicinæ ſibi urbis captæ nimio plus Venetorum uires coaleſcerent: alienarenturque eorum animi, qui partes Cæſaris ſequebantur. Itaque coactis copijs Syluium Sabellum, & Oldradum Lamponianum, Abduam continuò tranſmittere, atq; hoſtiliter ducere in Bergomates iubet. Ii circumiectum agrum populati, ad ædem Diui Antonij in ſuburbanis ædificijs caſtra locant: atque uno tempore obſidione oppugnationibus que incluſos premunt. Non erat omnino Syluius abſque fiducia urbis per uim capiendæ, etſi non multũ ſpei in uirtute collecticij exercitus reponebat, quoniam magna pars optimatiũ diuerſo ſtudio à plebe, quæ ſemper ab initio etiam belli Gallici ex occulto rem Venetã fouerat, diſſentire dicebatur: habebatq; ea res maximũ excitandæ ſeditionis momentum, mœnia quoque nec ſatis altitudine muri foſſarúmue obiectu munita, minimè difficilem expugnationem habebant. Hiſpani etiã è ſtatiuis agri Brixiani in auxilium exciti aduẽtare, comminariq; direptionem ferebantur. His de rebus ſolliciti ciues, Rentium admonent, & ſalutis & fortunarum ſuarum periculum exponunt, obteſtãturque per antiquam urbis erga Venetos fidem, uelit quàm maturè perditis propè rebus accurrere. Rentius Bergomates, quos ipſe dudũ in diſcrimen rebellionem q; perduxerat, minimè deſerendos exiſtimans, ad ſexcentos utriuſque armaturæ equites, & quingentos fortiſsimos pedites deligit, parti peditum equos attribuit, ut cõfecto itinere deſilire ab equis, ac nequicquam fatigati, rem pedibus gerere poſsint: Marianũ Alecium & Chriſtophorum Epirotam his præficit, imperatq; ut quàm celerrimè Bergomum contendant, & ab ea parte qua ſegnius ſtationem haberi cognouerint, magno impetu caſtra hoſtium adoriantur, atque excitato ad eruptionem Cagnolo, ex occaſione uel manus conſerant, uel augendi præſidij cauſa & confirmandis ciuium animis militum partem intromittãt. Igitur Marianus atq; Chriſtophorus ab Crema proficiſcũtur, ac ſilenti citatoq; agmine aduẽtus ſui famam prætergreſsi, in conſpectũ hoſtium deueniunt, paucos inermes qui licentius euagabantur, opprimunt, fugantq;, ac delati eodẽ curſu in raram militum ſtationem, occiſo ibi Cittadino centurione, & Guerrerio Celanio equitum præfecto, magnum terrorem atq; tumultum ad portam caſtrorum incutiunt. Sforțiani, utpote qui nihil tale timuerant, trepidare, diffugere, alij arma capere, alij ut uirtus & tela in promptu erant, ubi diſcrimen poſcebat, accurrere. Syluius ipſe magnitudine periculi propè attonitus, cum paucis tamen aduerſus irruentes hoſtes egreditur, nomine quenque fortiſsimum ac ueteranum ſuum uocans, eos conglobat, ſummotisque paululum hoſtibus, cancellatos caſtrorum poſtes, quos iam Veneti magna ui impulerant, claudi iubet. Ipſe excluſus & hoſtibus immixtus, loci notitia magis quàm ſuorũ uirtute ſuperata materia, incolumis in caſtra reuertitur. Porta quoq; caſtrorum eodem tẽporis puncto egregiè defenſa uirtute Ioann. Petri Surræ, qui decies ſepties olim ex prouocatione uictor, ob ſummam fortitudinis opinionem, duarum cohortium præfecturã adeptus fuerat. Clamabant è mœnibus Bergomates, atque ipſe Cagnolus: puluerẽ, ſtrepitum, clamorem q; pugnantium oculis atque auribus accipiebant, apparebatque Sforțianos facilè fundi delericq; poſſe, ſi præſidiarij eruptione facta, diſperſos uarijs in locis, diuerſo prælij euentu pugnantes inuaderent. Verùm dum Cagnolus atque Marcellus partim ciuium diffiſi animis, partim ueriti ne à Virgilio Syluij præfecto, qui cũ cohorte mœnibus ſucceſſerat, libero egreſſu prohiberẽtur, nihil ab urbe mouent: Sforțiani equos conſcendunt, ſuperuentuque Cæſaris Feramuſcæ, qui equites in auxilium adduxerat, Venetos primò repellunt, mox cunctis denſata frõte procurrẽtibus, occiſo Piſone Romano centurione, cũ cæde in fugam cõuertunt. Ea re turbati Marianus atq; Chriſtophorus, quòd latere aperto ab ualida & uetere turma equitũ impetebãtur, nec reparare turbatam aciem poterant, quãtum inter uulnera commodè geri potuit, ad ſalutem proripere ſe in fugam cœperunt: ita hoſtium terga cædentes Sforțiani, multis interfectis, cõpluribus captis, in quibus fuit ipſe Chriſtophorus, cum maximo dolore Bergomatium in caſtra redierunt. Poſtero die ad expugnandum Orinianum caſtellũ copiæ ductæ. Id erat Coleonorũ, qui Bartholomæo eiuſdem familiæ clariſsimo duce progeniti, Venetis plurimum fauebant. Quod uti erat haud mediocriter munitum, primo impetu captum ac direptũ fuit. Cæterum Bergomates, poſtquã omnia aduerſa obuenerant, ne ſi inter deditionis cõſilia cunctarentur, ſe ac fortunas ſuas maiori periculo implicarent, ad Hiſpanos (ij enim in Brixiano agro erant) oratores mittunt, qui nomine Senatus urbẽ dedãt, defectionis ueniam deprecentur, ac properè ex Hiſpanis præſidium adducant. Cauſa accelerandæ legationis fuit, ut Sforțianos urbe excluderent, cum quibus uera atque acerbiſsima odia exercebant, ac tunc maximè exacerbati recentibus iniurijs, quòd nuper Sforțiani traiecto Abdua, feroces ac lingua immodici, direptionem atque omnia hoſtilia comminati fuerãt. Ita Bergomates iterum ab Hiſpanis facta deditione in fidem recepti, dimiſſumque per aduerſam portam Venetum præſidium. Pœna cæſi præſidij atque defectionis, fuere pecuniæ: nanque Matthæus Granata Hiſpanorum præfectus, ut erat miti ingenio ac ſapientiæ ſtudijs potius quàm militia clarus, nemine percuſſo, eos lenitate conditionum magis quàm ſeueritate ac metu in fide continendos eſſe arbitrabatur. Capellam demum arcem in edito ſitam expugnare adortus: ueterẽ enim Cagnolus deſeruerat, quum diu tormentis diuerbera

tam

tam turrim labefactare non posset, cuniculum age- A re instituit, per quem excauata rupe, inclusis sulphureis ignibus nota atque instituta ratione, fundamenta murorum excinderet. Verùm paulo pòst Granata, dum urgente fato incautius in opere uersaretur, tormento ab arce emisso interfectus est. Amisso duce Hispani nihilo segnius incœptum cuniculũ continuo labore prosecuti, rem eò perduxerũt, ut metu atque periculo expugnatus Hieronymus Tartarus custos, arcem dediderit. Recepto Bergomo & Capella arce in potestatem redacta, Sfortiani & Hispani diductis per municipia, & pagos omnib. copijs, in finibus Cremensium consedere coërcendis potius Venetis, quàm quòd iusta obsidione infestam urbem premere arctius, aut oppugnare posse confiderent. Enimuerò Rentiani crebris excursionibus prædas agebant: neque intercludi ab Crema, ui aut arte ulla, nec quin erumperet ubi uellent, prohiberi poterãt. Ea erant studia colonorum, qui Venetum nomen maximis etiam attriti calamitatibus excolebant, ut summittere commeatum inclusis, speculari consilia progressusque Sfortianorum, & cuncta quæ in eorum contubernijs cognouissent, Venetis quàm occultè deferre nõ dubitarẽt. Quibus de causis sæpe Rentius, ut erat intentus in omnes occasiones feliciter erumpebat. Erat in Calcinato uico Cæsar Feramusca cum equitibus incuriosè, ut plerũq; fit ex recenti uictoria, moram trahens, confisus scilicet oppidanorum fidei, & uiribus suis. Hunc Calcinatenses nequaquam dilata perfidia, ut ociosè & negligenter consedebat, Cremensibus renunciant, pollicenturq; si eò Rentius equitum turmã quàm occultè transmittat, fore ut Cæsar cum omnibus equitibus suis sine uulnere in potestatem deueniat. Rentius haud moratus in ea facultate opprimendi eius hostis, qui nuper ad Bergomum cladem intulerat, de secunda uigilia cum delecta equitum manu Marcellum emittit. Is ut compositum à Calcinatensibus fuerat, ex improuiso oppidum occupat, & ad contubernia militum contendit: Cæsar tumultu audito ac cæteri equites è stratis semisomnes, dum correptis armis frustra defensionẽ parant, uinciuntur, & Cremam perducũtur. Marcellus autem haud multum ea re gesta lætatus, quum inter obluctantes ueteranos, qui strictis gladijs ne caperentur resistebant, lethale uulnus in pede accepisset, paulo pòst Cremæ interijt. Paucis inde diebus, quum propius Cremam accessum esset, Sfortiani excursionibus, & contrà eruptionibus Cremenses ex occasione frumentandi, sæpius equestri prælio decertarũt. Enimuerò frequentes eius regionis uici, & castella direptionib. opportuna, labantibus nunc huc, nũc illuc incolarum studijs, materiam quotidiani certaminis præbebant. Siquidem tueri partiũ opes, aduersarijs calamitates inferre, & mutuis accessibus, ut ex Fortuna uarios belli euentus, rerum commutatio sequebatur, aut præstò adesse, aut uim insultãtium sustinere necesse erat. Fortè ab Syluio, M. Antonius Philetinus & Baptista Pisinanctes equitum præfecti, ad Vmbrianum uicum non longè ab Crema excurrere iussi, magnâ ex hostilibus pagis omnis generis prædam ceperant: iamq; eam carris impositam, in pacatum propè aduexerant, quum Rentiani, ne tantam socij atque amici Veneti nominis contumeliam detrimentumque accipere præsidiariorum incuria uiderentur, erumpunt: ac breui confecto itinere, Pisinanctem agminis coactorẽ, eiusq; leuis armaturæ equites magna ui à tergo adoriuntur. Pisinanctes conuerso agmine irruentes sustinet, primosque repellit: mox maiore mole ingruentibus Rentianis (aliæ etenim atque aliæ equitum turmæ ab Crema submittebantur) recipere sese equites iubet. Philetinum de multitudine hostium certiorem facit, hortaturque, ut quàm maturè coacta præda cum plaustris, & graui armatura citatore itinere antecedat. Se interea hostes retardaturũ, ac mox saluti, equorum uelocitate consulturũ. Philetinus ad hæc, ut erat magni uir animi atque audaciæ singularis, se non prius quàm hostium faciẽ uideat, aut loco moturum, aut arrepturum iter quod fugæ simile uideatur, respondit: atq; ita aduentante hoste, noui decoris cupidus, quòd nuper eũ Syluius alæ cataphractorum præfecerat, cohortatus equites ne opinionem ducis fallerent, in proruentes infestis hastis incurrit: quo impulsu turbauit primos atque disiecit. Verùm quum equitum numero longè inferior, Marianusque & Tulius hostium duces id conspicati circumfusis undique turmis paucos inuaderẽt, cœpit temeritatis sentire incommodum, atque acrius ut euaderet colluctari, sed Pisinanctæ prælio excedente, & suis uaria sorte pugnantibus, ipse frustra propria uirtute cõtendens, suffosso equo capitur: deductusque ad Rentium, ut erat grauiter uulneratus, Cremæ moritur. Nec multo pòst haud absimili casu Tulius, qui in præfectura equitum Marcello successerat, frumentatum ad Abduam usque progressus, cum Sfortianis fines Laudensium tutantibus manus conseruit: ubi ipse, ut erat manu promptus, in nouissimo suorum agmine depugnans, iam præmissa præda interficitur. Ita tres magnæ indolis atque uirtutis Romani iuuenes, Marcellus, Philetinus, & Tullius egregiè fato functi paucorum dierum spacio perierunt. Obsideri demum Crema arctius cœpta, eruptionesq; Rentianorum aliquanto attentius quàm antea factum fuerat, ui arteque prohibitę. Namque Prosper Columna ad Maximilianum uenerat: assentienteque Ferdinando rege, dux Sfortianarum copiarum declaratus, cum equitatu ueterano, Hispanorumque cohortibus quatuor Cremã accesserat. Genus obsidionis tale instituebatur, ut ex omnibus copijs bina castra facerent. Syluius ab ea parte qua Crema Laudem Pompeiam atque Abduam spectat, quam latè longeque porrectis munitionibus, Prosper uerò diuersa in parte ab Syluianis operibus, ad fanum sancti Bernardini, Trauaconæ paludis interiectu, omnem frumentandi erumpendiq; facultatẽ hostibus adimerent: & aliunde comportari in urbem commeatus uigilijs stationibusque dispositis prohiberent. Eiusdem anni uere primo legati Emanuelis regis Lusitaniæ Romam uenerunt, tulereq; Leoni pontifici è uictorijs Indicis dona magnifica, elephantem ab multis sæculis Romæ non uisum animal, leænamque, & diuini cultus uestes innumerabilibus margaritis exornatas, in quibus operosis artificum texturis pictæ acu diuinarum rerum imagines uisebantur. Erat legationis princeps Tristanus Cunnius, uir triumphalibus insignibus & rerum in India gestarum gloria clarus. Is multa de gentium moribus, ubertate soli, natura ac uastitate maris, & de antarcticæ plagæ syderibus memorabat. Enimuero paucis antè annis, iubente eodem Emanuële, Lusitani insana nauigatione Atlanticum, Fortunatasque insulas præteruecti, promontorijs Praxio & Bonæ spei superatis, Æthiopicum litus adiuerant, gentes subegerant, Rubri maris ac Persici sinus angustias superarant. In Carmania atque India bello uictis regibus Cannanoræ, Cucini & Calecuthæ, celeberrimis emporijs exercendæ mercaturæ sedes arcesque posuerant. Proximè uerò, quum nouorũ ducum aduentu aucta esset classis, ultimos Indiæ orbis que terminos sibi propositos, atque ita felici ausu eadem ducti peritia nauigandi, ab Calecutha præter Indum ac Gangem fluuios ad auream Chersonesum peruenerunt, ubi regem Malachæ armis defensionem parantem, tormentorum nouitate absterritum, ac prælio uictum, tributarium fecerunt. Ab alia quoque parte Indorum, classibus sæpe deletis,

deletis, custoditisq; Erythræi faucibus, ac sinus Ara- A bici nauigatione Ægyptijs mercatoribus interclusa, Indici maris imperium tenuerunt. At ijsdem fermè diebus Liuianus, qui Patauij post cladem accepram reparandis copijs intentus, satis amplam militum manum in speciem iusti exercitus coëgerat, quum tota hyeme in hybernis quieuisset, ad recuperandum Foroiulium se conuertit. Enimuero Germani, duce Christophoro Frãcapane, iam antea pulsis ab Marano Venetis, cuncta quæ ab ora maris ad Oppiterginos montes & ad superiora Carnorũ uergunt, usque ad Liquentiam flumen, in potestatem redegerant, præter unum omnino oppidum nomine Osophum, quod per se asperitate loci atque incolarum studio munitum, Hieronymus Sauornianus cum equitibus sagittarijs tuebatur. Id quum Christophorus sibi totis uiribus oppugnandũ proposuisset, & collectis circiter duobus milibus peditum, & septingentis equitibus, in quibus Germani plerique nobiles euocati & prætoriani Cæsaris erant, eò cum omni tormentorum apparatu contendissent, causa fuit Liuiano celerius quàm constituerat mouendi ex hybernis. Siquidem in eo afflictæ rei Venetæ statu, quum omnia ad defectionem spectarẽt, occurrendum erat uictori, hosti: qui haud dubie, si Osophum caperetur, ad inuadenda ulteriora Venetiæ maiorem facultatem esset habiturus. Igitur Liuianus sedentibus ad Atestе & ad Montagnanam Hispanis, è Patauio cum amplius mille & ducentis utriusque armaturæ equitibus Taruisium uersus mouet. Ibi falcones sex, & cohortem unam expediti militis ex Taruisino præsidio cæteris copijs adiungit, indeque perpetuo cursu, quòd in præsentia celeritate opus erat, Coneianum, ac mox Sicillum petit. Erant Sicilli præsidio Veneti equites fermè ducenti, qui cum Germanis apud Portumnouum hybernantibus, ex occasione pabulandi, quotidie leuia certamina committebant. Hos Liuianus excurrere in conspectum hostilis oppidi, ac elicere omnibus artibus ad pugnam Germanos iubet. Cæterum præcurrentibus, Malatestam Baleonum Pauli filium acerrimum iuuenẽ cum cataphractis submittit. Nec fefellere opinionem Germani: namq; è mœnibus conspicati hostium equites, ex consuetudine superiorum certaminum properè equos cõscendunt: ac patenti porta eruecti in concurrantes impetum faciunt. Contrà Veneti proprio consilio conuersi in fugam, quum longius incautos abduxissent, adesseque subsidiarius eques, continuò obuertunt se, impetum proruentium excipiunt, & pugnam instaurant. Malatesta insigni equo in primam aciem prouectus, Ricianum Germanorũ ducem ante alios egregiè decertantem singulari certamine aggreditur, coniectoq; post mutuos ictus per cassidem in aduersum os gladio, uulneratum ab equo deturbat & capit, cæteri amisso duce, celeri fuga, amplius triginta suorum interfectis aut captis, in Portumnouum se recipiunt. Eos cum omnibus copijs Liuianus ad portas usque persecutus oppido includit, ac simul productis tormentis, ne respirandi uictis uel minimum quidem tempus relinqueretur, imparatos oppugnat. Ita incredibili militum studio, continuata per diem ac noctem oppugnatione, iam fessis defensoribus, qua murus uetustate debilior ui tormẽtorum collapsus, ingressum præbebat, oppidum intrat, ac paucis in tumultu occisis, comprehenso que præsidio, diripit, atque eadẽ Fortuna usus arce potitur. Paucarum demum horarum quiete militibus data, castra mouet, & superato Tiliauento flumine, ad oppidum Sancti Danielis proficiscitur. Inde Nicolaum Vendraminũ cum Epirotis, & Bernardinum Antiniolam cum sagittarijs ad deterrendum ab incœpto Francapanem Osophũ præcurrere iubet. Verùm is paulo antè, quũ id oppidum abruptis rupibus impositũ, quod summa fide atque uirtute Hieronymi defenderetur, frustra ab se oppugnari perspiceret, simul ac de aduerso prælio equestri, & de Liuiani aduentu certior factus, soluta obsidione ad Ventionum supra Natisonem fluuium iter facere cœperat. Veneti nouissimũ abeuntium agmen uelocitate equorum consecuti, in tergo cædem & tumultum maximum ediderũt, conanteque Christophoro explicare aciem, & prælium iniquo in loco committere, conturbata extrema acie, ultimos quoque equitum multitudine sagittariorum circumuentos fuderunt. In ea rerum asperitate Christophorus, quum milites uniuersas hostium copias adesse putarent, & propterea quòd angusto in loco res erat, ubique trepidaretur, relictis maioribus tormentis ac compluribus suorũ amissis, ipse uulneratus per abruptos calles in montana se recipit, neque ulla re magis quàm celeritate & locorum notitia usus, salutis discrimen euasit. Namque premente in tergis Liuiano, Sauornianus cum expedita clientium & montanorum manu ab Osopho transuersis tramitibus, ad occupandas uias rumq; angustias contenderat: cuius aduentu, quòd peritus locorum undique infesta arma fugientibus intulisset, dissipato cæsoque Germanorum agmine, tormenta octo muralia capta sunt. Ea uerò Hieronymus perduxit Venetias: & ut essent uictoriæ monumentum, in naualia intulit, ita gratias agente Senatu, ut ab insigni fide uirtuteque, commendante Luca Trono, celebratus, præmia meruerit: scilicet, ut Osophi commeantium è Germania mercium perpetua statio cum uectigali, immunitate incolarum, statueretur, & præsidio (quòd egregiè se defendisset) uirtutis ergò perpetua stipendia prouenirent. His rebus gestis Liuianus cuncta ea oppida, quæ metu aut ui ad Germanos defecerant, in fidem recepit, præter Gorriciam atque Gradiscã: ad quæ eodem secundo rerũ cursu cum omnibus copijs ferebatur, ut præsentis fortunæ periculum faceret, nisi Hispani cognita eius profectione, motis properè castris, ut intercluso itinere eum reditu & Patauinis mœnibus prohiberent, in maxima spe gerendarum rerum è Foroiulio reuocassent. Effuderat enim se per Patauinum agrum, & intactas superiore hyeme possessiones impunè populabantur. Sed uixdum Liuianus Patauium redierat, quum Francapanis, dum armãdis agrestibus & suscitandis ad renouandum bellum populis, per Altinatium fines & saltuosa Carnorum uolitaret, præcipitatus in insidias à Ioanne Vetturio, qui cum Epirotis ea pariter saxa circuibat, captus est: suoque & alieno cruore perfusus (multum enim uir lacertosus atque terribilis, ne uiuus in potestatem hostium ueniret repugnarat) Venetias perductus, teterrimo carcere includitur. Gratias Senatus Vetturio egit, quòd eũ hominem cepisset, qui supra belli causam, Veneto nomini infensissimus per quinque annos, positis nunquam armis, Venetorum partes oppugnasset, inhumanamque crudelitatem in captiuos exercuisset. Nam quibusdam oculos eruerat, alijs amputauerat manus, aut aures absciderat, uidebaturque is si pacis unquam mentio fieret, æquiores conditiones allaturus: quoniam Gurcensis Cardinalis, sororem ei in matrimonium collocarat: & Cæsar fideli eius semper atque fortissima opera usus, calamitosi uiri rationem habituri uidebantur. Sed Vetturius haud diu ea re bene gesta lætatus, quum in explorato itinere per impedita regionis euagaretur, cum ala suorum equitum, à Cæsarianis captus est. Resq; postea in Foroiulio aliquanto quietiores fuere. Sed paulo pòst ad Cittadellam agri Vicẽtini, longè plures Venetorum equites, quàm ipsi ex Cęsarianis ad Portumnouum ceperãt, ab Hispanis oppressi sunt. Præmiserat enim Liuianus supra Vicentiam, Bernardinum

nardinum Antiniolam cum trecentis equitibus, ad tuenda ea præsertim oppida, quæ uagantibus Hispanis maximè opportuna iniuriæ uidebantur. Erat id genus præsidij incertum & uagum, nam quicquid camporum & collium inter Basianum Cittadellam atque Marosticam interiacet, interdiu circumducto equitatu percurrebatur, cæterùm noctu ad unum trium oppidorum equites se recipiebant. Quibus de causis, quum improuisi omnibus horis ac omnibus in locis occurrerent, nulla nisi bene ualida hostium manus, aut in pagis tuto cõsistere, aut ex priore consuetudine, paulo liberius prædatũ ire audebat. Verùm eæ rerum difficultates paulo pòst breui negocio sublatæ. Namque Cardonius multũ antea in eos equites intẽtus, ut pabulatoribus suis pacatum agrum redderet, circum emisis speculatoribus, occasionem opprimendi hostis inuenit. Fortè enim ab excursione Cittadellam se receperat cũ equitibus Antiniola, ut eo in oppido ex quotidiana consuetudine pernoctaret. Id quum properè renunciatum esset, Cardonius nequaquam moratus, deposcente Piscario, omnem leuem armaturã expedire arma, atq; equos ascẽdere iubet, & supra quingentos ex omnibus cohortibus lectissimos pedites ita adiungit, ut accelerandi itineris causa, singuli equites post sese singulos eodem equo confessores pedites adueherent, Piscario autem præcipit ut cum ea manu Cittadellam contendat: utatur noctis beneficio, & ne quod effugium pateat hosti sine tumultu portas dispositis stationibus obseruet. Ipse uerò cum tormentis & maiore parte exercitus iustis passibus atque ijsdem uestigijs Piscariũ subsecutus, eò proficiscitur. Antiniola qui nihil minus quàm Cardonium, quem eo ipso die ad uetera castra sedere per exploratores cognouerat, aut moturum inde, aut educto exercitu ad se opprimendum tanta celeritate conuolaturum putauerat, postquã ab excubijs conclamatum est adesse hostes, tuba signum proponit, quo monentur milites ut equos insternant, atque arma capiant. Verùm antequam milites è cõtubernijs repentino metu exciti ad signa quæ in foro erant, coirent, iam oppidum corona cinctum erat. Tum uerò Antiniola dux impiger eruptione facta, in hostes inuehitur, impetum irruentis Piscarius per sclopetarios egregiè sustinet, cõfosso cãdenteq; equo in pedes desilit, compulsisq; intra portam hostibus muro tormenta admouet. Nec mora, patefacto angusto aditu, Hispani ui facta irrumpere conantur. Veneti equites acerrimè propugnant, Ferdinandumque Nigrum eximiæ uirtutis centurionem interficiunt. Dum eo modo contenditur, atque hostes distinentur, Piscarius ad aduersam oppidi partem scalas ferri apponique imperat, ipseque inter primos murum conscendit, hortatur Romerium signiferũ, ut saltu intro audacter se deijciat, hunc perfracta coxa ex casu ægrè se erigentẽ, Mancius summæ fortitudinis centurio subsequitur. Tum uerò alij atque alij per lanceas se deijciunt, oppidoque nemine ab ea parte defendente, potiuntur. Itaque Antiniola undique circumuẽtus uulneratur & capitur, oppidumq; multis equis multaque diuite præda repletum, ab Hispanis diripitur. Antiniola uerò (quòd erat ex sorore Liuiani genitus) reliquis ferè omnibus dimissis, honesta in custodia seruatus est. Ad Veronam autem Malatesta Baleonus non multos post dies incommodum Cittadellæ acceptũ aliqua ex parte sarciuit. Is enim per montana delatus in agrum Veronensem, non longè à uico Sancti Martini delectos singulari pernicitate Epirotas equites præmisit, qui in suburbanas uillas excurrerent, & proxima quæque mœnibus, tumultu per agros excitato popularentur, ratus sicuti prospero euentu ad Portumnouum acciderat, præsidiarios eruptione sese in temere proue-

A ctos Epirotas [illegible]suros, & bene gerendæ rei occasionem præ[illegible]tos. Nec eum fefellit opinio: namque, ut primum adesse hostes agrestium clamore & fuga nunciatum est, moxque è mœnibus in proxima uolitantes, ac omnis pecoris abigentes prædã cernerentur, Cesariani nulla interposita dubitatione quin erumperent, & in primis Succarus iuuenta & robore uirium ferox, patefacta porta in hostes citatis equis impetum faciunt. Epirotæ quo magis insidiæ tegerentur, conglobati primo terga uertere, pecus & sarcinas præ se agere, ac demum simulare se numero hostium territos, & passim deserere prædam. At Succarus, ut primo congressu recuperatam maximam prædæ partem, atque hostes loco pulsos pleniore cursu regredi uidet, conuersus ad suos, Patiemúrne, inquit, semper hoc fugacissimũ hostium genus pro portis impunè latrocinari? quin fessos recentibus equis insequimur, & temeritatis pœnas dare cogimus? Hæc dicentem atque acrius incitantem equum plures uarij generis equites insecuti, dum in nouissimo fugientium agmine multum cursu uulneribusque contendissent, in insidias precipitantur. Malatesta enim qui ex composito in caua ualle tectus arboribus instructos equites continebat, dato repentè signo per transuersum in patentem uiam prosilijt: atque ardentius euectos hostes à tergo adortus, nouam aciem interclusis ostendit. Cæsariani undique circumuenti, dum facto cuneo perrumpere in proximum campũ contendũt, ab circumfusis opprimuntur. Ex Pontificijs, Tiberius Galesus equitum præfectus hasta transfixus cadit. Ascanius Romanus Columniæ alæ uexillifer, & Succarus ipse, & Gothifredus Calearius Veronẽsis prætoriæ cohortis præfectus, capiuntur. Hos cũ Malatesta cum alijs captiuis in castra perduxisset, Liuianus Ascanio & Succaro comiter appellatis, B Gothifredum multis uerborum contumelijs affectum, frustra deprecante Malatesta, euestigiò necari iussit, quoniam quum sermo de Liuiano incidebat, petulantius obloqui, & sine præfatione honoris, pusillum eum & gibberosam belluam appellare consueuerat. Accessit quoque ad maturandum supplicium, quòd partium Cæsarianarum caput èrat, & multum manu consilioque ne Venetus urbe reciperetur obstiterat, quum per uarias bellorũ occasiones, multi è ciuibus tædio præsentium rerum atque hybernorum incommodis fatigati, à Cæsare se totos alienassent. Succarum autem tanto in honore apud se habuit, ut eum quod est inuiolabilis amicitiæ sacramentum, his sacris adhibuerit, quibus lustrico die Liuium Septimium nuper ex sorore Baleoni susceptum baptismate abluit. Ea res solenni ritu & maioribus cerimonijs celebrata est, siquidem in ripa profluentis Medoaci, armatus & diuisus exercitus tanquam aduersæ acies in simulacrum iustæ pugnæ præpilatis hastis concurrit: displosaque puncto temporis tormenta omnia in lætitiæ signum, tanto armorũ fragore & clamore militum, ut præteruolantes aues exanimatæ ceciderint. At Rentius qui Cremæ cuncta obsidionis mala singulari constantia perpessus, totum æstatis tempus extraxerat, uidebatur ob pestilentiam Fortunę cessurus, quæ, uulgata passim per milites ac oppidanos contagione, multisque hominum milibus ea lue absumptis, in eius quoque prætorium irrepserat. Sed mitescente iam cœlo, & quum iam rari essent in quos ea uis grassaretur, omni diligentia remedijs comparatis, pristinas animi uires recipere, ac redire in antiquam spem sustinendæ obsidionis cœpit, his maximè de causis, quod conniuente ad hæc Pontifice, à Placentia commeatus liberè supportabantur: neque id omnino paucitate militum prohibere poterant Prosper & Syluius. Cremensis autem obsidionis impediendæ negociũ susceperat

Nicolaus

Nicolaus Scotus & cum eo multi eiusdẽ factionis Maximiliano Sfortiæ infensi, quod animo proposuerant propinquitate regionis atq; notitia itinerũ summa facilitate consequebantur. Erant qui existimarẽt pontificem harum rerum esse authorem, qui haud dissimulanter distineri attenuariq; eo bello Maximilianum uolebat, ne si Crema potiretur, bello uacuus in eodem uictoriæ cursu, Placentiam Parmamq; reciperet. Cui uni curę Heluetios quoq; animum intendere, nec per occasionem, qui armis eas urbes repeterent, postquam legationibus id frustra tentauerant, ullam moram facturos apparebat. Igitur ob eas res obsessi, auctis animis bona spe compleri, in Syluianis uerò castris refrigere obsidionis apparatus, remissa corruptaq; omnia esse. Enimuerò quum stipendia minimè procederent, & seueritate Prosperi ab rapinis milites absterrerentur, multi deiecti spe prædæ, quòd Cremã expugnari posse desperabãt, alij occultè dilabi, alij oppressi ęre alieno atq; omnium rerum inopia, equos uendere, alij uicti diuturnitate quotidiani laboris missionẽ petere. Syluius uerò singulos complexus deprecari ne postquam ad laborum finem peruentũ esset, discedere uellent ab se duce, ab semicapta urbe, ab his denique munitionibus quas tanto studio laboreque perfecissent: affore breui, qui ab Mediolano pecuniam afferant, stipendiumque persoluant. Sed postquam super ea re sæpè ad Maximilianũ frustra scripserat, apud Prosperum demum legatumque principis agere, ac obtestari se deserturum eas munitiones, aut si coactus eo in loco permaneat, ni cõfestim copijs pecuniaque iuuetur, aliquod lethale uulnus accepturum. Hæc etsi sanis auribus accipiebantur, attamen quoniam fama erat Syluium alioqui nobilem strenuumq; uirum paulo illiberalius quæstui uacare & milites stipẽdijs suis fraudare, nihil quod usui esset, ab Mediolano submittebatur. Verùm ut postea cognitũ est, Maximilianus longè altiore consilio negligentiam simulabat, patiebaturq; bellum incuriosius geri, quoniam Cæsar, si Crema caperetur aliena pecunia, alienoq; etiam periculo partam eodem iure quo Brixia & Bergomum tenebantur, acquiri sibi uolebat, atq; adijci ueteri imperio quod Abdua flumine finiretur, quæ res haud mediocrem Maximiliano formidinem intenderat. Is enim rerũ suarum sollicitus, hostem Venetũ uiribus attenuatum imperio suo finitimũ esse malebat, quàm amicum Cæsarem in Italia eò potẽtiæ efferri, quæ mox sibi formidini atq; exitio foret. Siquidem cõstabat Cęsarem pulsis ab Italia Gallis, quum Maximilianũ in Insubres è Germania properantem ab itinere ad Constantiam retinuisset, cogitasse de tradẽdo Insubriæ imperio Carolo nepoti: traditurumq; fuisse, nisi Heluetij & Iulius pontifex ad quorum dignitatẽ pertinebat potiri rerum Sfortianos, apertè conatibus eius obstitissent. Igitur dum peruersis consilijs Sfortiani bellum gerunt, Rentius nactus occasionẽ inuadendi hostis parat sulphureos ignes, quos ligneis tubis tripedalibus atq; ollis testaceis incluserat, quorum formam rationemq; tradidimus in memorabili oppugnatione Rhauennę. Sebasto autem Narniensi imperat, Andreæq; Matritio prefectis, ut cohortes instructas sub signis de prima uigilia ad portam ducãt, ibiq; signum profectionis expectẽt. Erant duo omnino aditus quibus adoriri Syluiana castra poterant, ab læua ubi latior campus & uia publica quæ ad Vmbrianum ducit, difficilem habebãt oppugnationem, quoniam ab ea parte Syluius firmissimas munitiones erexerat, ac locis idoneis tormenta & perpetuas militum stationes imposuerat: ab dextra autem nec fossa nec uallo, sed segni tãtum custodia muniebantur, quod iuxta erat palus limosis atq; perpetuis aquis fœda & inaccessibilis: ab fossa etenim quæ ab incolis Trauaconia appella

A tur, uitio interrupti aggeris magna uis aquę in subiectam planiciem effundebatur. Ab hac parte Rentius, quòd nihil tale expectaturos hostes intelligebat, audendum esse ratus, pontibus per noctem palude constrata, omnes pedites traijcit. Ipse uerò, ut suis si quid durius accideret, subsidio esse posset, cũ equitibus idoneo in loco constitit. Cęterum Sebastus atq; Matritius edocti ab duce quid fieri uellet, traductis cohortibus maximo cum silentio, sub teli iactum ad castra hostium contendunt. Ibi signiferis subsistere iussis, prægressi ipsi militum agmen, noctis tenebris tecti, ad Syluianos uigiles suspẽso gradu perueniunt. Eos tanquam socij essent ex Syluianis exploratoribus demissa uoce leniq; sibilo deceptos, ac sero tesseram postulantes obtruncant, confestimq; uocatis ad se cohortibus delati ad castra, ignes quos parauerãt in semisopitam stationem, & in proxima tabernacula militũ iaculantur. Ita puncto temporis omnibus fermè tuguriolis incensis, quàm latè relucens flamma fœdam militum equorum trepidationem & fugam, qualem in nocturno metu oriri necesse erat, & armatam hostium aciem irruentem ostendit. Heluetij qui ex prima cohorte ducenti fermè aderant, quanquam ab somno attoniti, & turbati incẽdio aspectuq; hostium, satis pro disciplina solitaq; uirtute conferti irrumpentes excipiunt, aduẽtuq; Syluij qui arrepto scuto per ignes & semiambustorum equorum fugam inermiumq; militum tumultum cum familiaribus aduolauerat, impetus hostium aliquantum repressus. Sed quum tubi formidabilem uomentes ignem, atq; ollę cum exitiabili flamma intortæ ab Venetis per turmas experientesq; arma milites uolitarent, tanta consecuta est omniũ trepidatio, ut dissipatis ordinibus, ac neglecto ducis imperio, nemo cõsistere auderet, sed protinus euitatis incendijs saluti fuga consuleret. B Ita in confusos consternatosq; illati Veneti occiso Pertero Heluetiorum duce, & Florabraccio Stipiciano equitũ præfecto, castra occupant, tormenta quæ per tumultum à Syluianis displodi non poterant, in fugientes conuertunt, & cum ingenti equorum atq; hominum præda satis magna hostiũ cęde edita, in oppidum reuertuntur. At Prosper qui mille & quingentos amplius passus inde aberat, quanquam ex incendio castrorum tormentorumq; boatu, haud incertus erat uersari in maximo discrimine Syluium, siue is hostilis uel fortuitus ignis foret, nihilominus nocturna prelia non esse tentanda existimans, neq; temerè exeũdum, ut sera remedia perditis iam rebus afferrentur, cauto magis quàm nobili consilio armatus suis munitionibus se continuit. Syluius uerò è medijs hostibus flãmisq; conscenso quem sors obtulerat equo degeneri, incolumis Laudem se recepit. Ea clade hosti illata Cremẽses quum ab magna rerum omnium inopia in eo successu uictoriæ subleuarentur, non tantum liberati obsidione, sed obsessuri ultrò Prosperi castra commutata belli ratione uidebantur. Eodem quoque tempore Liuianus animo agitans, quibus maximè consilijs atq; artibus acceptas clades ulcisceretur, Hispanos qui secundum Athesim ęstiua habebant, adoriri constituit, neq; id tamen aperta ui, quòd exercitui ex nouis delectibus refecto minus fidebat, tentandum sibi arbitrabatur. Erat quatuor in partes diductus Hispanorum exercitus, apud Lendenariam uicum Piscarius cum tribus milibus peditum, ad Rodigium Garzias Manricus cum ducentis amplius equitibus cataphractis, alia uerò equitum ac peditum manus apud Bastiam pagum agebant, plures, etiam ad sui præsidium Cardonius Veronam adduxerat, quòd tunc fortè à Cæsarianis de belli summa Veronæ concilium habebatur. Igitur Liuianus ut hostium speculatores falleret, aliud simulando, quàm quod sibi occultè atq; celeriter per

 ficiendum

ficiendū proposuerat, edicit ut de prima uigilia om A nes armati paratiq; ad profectionē ad signa conue-niant. Interim quo magis consilium tegeretur, ali-quot tormenta addito præsidio ad Anaxum flumē (id hodie Piaua est) uia Taruisina aduehi iubet, cęte-rùm diuerso itinere intempesta nocte à Brentellis tertio à Patauio lapide, quo in loco plures dies sta-tiua habuerat, castra mouet, & Marosticam uersus atq; Vicentiam, ignaris militibus quo ducerentur, contendit. Demum muratis sæpè castris per abru-pta loca itineraq; autumnalibus pluuijs corrupta, noctu plurimū iter faciens, cœlo etiam ob assiduos imbres infenso, ad Athesim deflexit. Inde paululū moratus in his munitionibus, quas paucos ante dies, capto ibi Morellione Hispano, & præsidiarijs interfectis, Malatesta & Vrsinus occupauerant, con-structo ex ratibus ponte flumen traiecit. Tum uerò Liuianus militibus gratias egit quòd infesti cœli in-iurias & difficillimi itineris asperitates forti animo tolerassent, quòd singulari celeritate eò peruenis-sent, unde cū maxima præda ac laude essent discес-suri. Pararent extemplò arma, neq; lassitudine aut alio corporis incommodo permouerētur: paratam enim esse prædam facilemq; uictoriam, si eadem ce leritate uti ad Portumnouum feliciter egissent, & pari propè errore hostium uterentur. Demum Car-dillum uirum impigrum quem familiaribus equitis bus suis præfecerat, & Malatestam cum expeditis turmis Rodigium præcurrere & quoscque obuios capere ac uincire, ne per illos aliqua aduentus fama ad Hispanos deferretur, atq; occupare demum por tam iubet. Ipse continuò subsecutus triplici acie in structa, paratus oppugnare inclusos aut prælio de-certare si cognito eius aduentu hostes erumperent, ad oppidum pergit, tanta felicitate atq; silentio, ut quum subiectos mœnibus campos iustus teneret exercitus, nemo tamen id senserit aut uiderit. Ea e- B nim erat in oppido rerum tranquillitas, ut Hispani qui nuper audierant Liuianum supra Marosticam raptare exercitum, ueluti in summa quadam securi tate soluti ociosiq; sine custodia, sine statione in fo-ro essent. Nam ea fortè die mercatus rerum uenaliū ab agrestibus qui è proximis pagis conuenerant, ha bebatur. Ita Cardillus & Malatesta per quem Liuia nus omnia difficilia atque aspera tentabat, nemine prohibente, citato cursu portam irrumpunt atq; in forum conuolant. Extemplò turbata ibi omnia, fœ minæ, agrestes, oppidani tumultuari, diffugere, mi-litibus Hispanis maximo impedimento esse. Tamē milites quanquā repētino periculo exterriti, quòd arma induere, capere hastas, equósue conscendere undiq; circumuenti non poterant, sinistras sagis in uoluunt, gladiosq; distringūt, ac multis illatis & ac ceptis uulneribus Cardillum ante alios impigrè pu gnantem interficiunt. Sed superuentu cohortium quas Vrsinus introduxerat, & multitudine equi-tum oppressi obrutique, quum uirtutem irritam ac exitialem fore cognoscerent, si pertinacius resistere tur, gladijs proiectis deditionem fecerunt. Ita for-tissima atq; ornatissima ala equitum cum ingenti præda capta, atq; oppidū cum externis etiam mer-cimonijs quæ fors ea die congesserat, direptum: Garzias Manricus cum signiferis turmarumq; præ-fectis Venetias perductus & in carcerem conditus est. At Piscarius sero de suorum fortuna certior fa-ctus, quum coactas in unum copias in hostē uia Ro digina ducere cœpisset, cognouissetque non multo pòst Liuianum cum uniuerso propè exercitu eam rem confecisse, erectoque animo maiora moliri, ab Lendenaria mutato cōsilio Veronam se recepit. In-terea Rētius delectis Syluij copijs, de successu Liuia ni per literas edoctus, in ea rerum occasione, suadē te legato Veneto Bergomum contendit: ultroq; re ceptus ab his ciuibus qui semper uicti mulctatique

pecunia, nec tum quidē à prima fide, uel infelici exi tu discesserant, urbe potitur. Occupato Bergomo, spes quoq; recipiēdæ Brixiæ Venetis facta est. Nec mora cum duabus cohortibus & turma equitum Bartholomæus Villaclara nobilis Brixianus, cuius forti opera eo bello Veneti usi fuerāt, & cum eo Ni colaus Scotus Brixiam mittuntur, qui ciuium ani-mos tentēt, augeantq; in maius Rodiginam uictoriam, & Bergomatium facti exemplum ad laudem proponant. Verùm ij quòd uirtute & diligētia Aloi sij Icardi, qui tunc arcis custos & præsidij præfectus erat, ambiguæ fidei ciues in officio continebantur, irrito incœpto Cremam redierunt. Secūdum tamē Bergomatiū defectionem quum Hispanos fermè omnes undiq; deletos esse fallis finitimorū rumo-ribus afferretur, pleriq; sociorū inclinatis ad rebel-lionem animis, res nouas moliturі uidebantur. Cę-terum Cardonius ab Verona cum ualida parte ex-ercitus, & ab Crema Prosper motis properè castris, ad oppugnandum Bergomum uno tempore cōuo larunt. Syluius quoq; ab recenti clade reparatis co-pijs, accitisque è Brigantęis montibus peditum au xilijs, cum apparatu oppugnandæ urbis Bergomū contendit. At Rentius qui res hostium perditas ac profligatas esse existimās, relicta Crema, Bergomo parum munitæ urbi ac muro debili, cùm suam tum exercitus salutem temerè commiserat, cognito di-scrimine, parare ea cœpit quæ ad defensionem per-tinebant. Concionatusq; ad Bergomates docuit rē nullius esse periculi, modo pristinæ fidei memores esse & iuuare rem Venetam uellent, sicuti antea im pigrè liberaliterq; fecissent. Scire se propediem affu turum cum uictore exercitu Liuianum: nec dubita re de uictoria. Futurum enim esse, ut hostium copiæ in quibus nihil præter uana ducum nomina robo-ris inesset, una die aut nocte altera delerentur. Ante omnia susceptos hospitio milites alerent, darentq; operam, ne qui temerè per urbem tumultus excita rentur, cætera sibi curę fore. Ita ciuibus alacriter im perata facientibus, suburbana ædificia lugente po-pulo diruit, coactisque ad opus ex plebe & ex agre-stium numero tribus hominum milibus, introrsus ab muro fossam depos pedes latam perducit, omne genus telorū locis idoneis imponit, & singulis co-hortibus secundum urbanas tribus, certa mœnium spacia defendēda attribuit. Campanas demum (in-uiolatum ante eam diem sacri æris genus) templo-rum turribus detrahit, & conflat: eorumq; metallo utitur ad fundēdas colubrinas. Hæc sicuti impigrè Rentius Bergomates q; parabant, ita foris egregiè ab tribus ducibus bellum gerebatur. Syluius cui id negotium demandatum erat, ab ea parte qua supe-riore anno castra habuerat, mœnia tormētis aggres-sus, quum abolendæ ignominiæ auidus, obuia eun do periculis, ingentem mœnium ruinam edidisset, magis ac magis patefacto aditu, magnā spem irrū-pendi Hispanis militibus fecit. Neq; Rentiani per decliuia, ideoq; exposita falconū ictibus loca, absq; magno periculo hiātem maximis passim fenestris murum ligneis dolijs atq; cespitibus obiectis farci re poterant. Quibus de causis, quum pauor & con-sternatio ciuium ac militum animos occupasset, Rē tius seruandi exercitus ac dedendę urbis consilium cepit. Apparebat enim eos uix primū hostium im-petū toleraturos, Hispanorumq; præsertim, qui su-pra cæteras bellicæ uirtutis laudes, scientia atq; ar-tibus expugnandarum urbium maximè ualerent. Eo etiam minore ciuiū spe militumq; fiducia, quòd conanti per egregios artifices tormenta conflare, nullum iustæ magnitudinis effingi potuerat. Igitur Rentius nullam prędij fortunam periclitatus, sicuti omnium opinione celerius, ita non pro uetere uir-tutis fama, tubicinē emittit, & cum eo idoneos ex numero ciuium & militū qui de deditione cum ho

stibus

stibus agant. Quòd ubi in castris uulgatum est, con A clamant milites è manibus eripi sibi uictoriam, con tumelioseq; & ingratè facere duces, quòd se omniū rerum indigos & militum miserrimos, cōfectos la-bore atq; uulneribus tenuissimis stipendijs alant: quum uerò ad prædā & ad parata belli præmia uir-tute uiam aperuerint, tunc malignis consilijs & fœ dis pactionibus faciles expeditasq; uictorias inter-pellent. Seruari eo modo hostes, non deleri, ac foue ri bella, non confici, dum priuatis quæstibus duces student, & sanguine militum abuntur. Ideoq; se in posterum dicto audientes non futuros, si in tāta delendi hostis occasione, suis præmijs & proposita laude fraudentur. Syluius quoq; quòd eum recen-tis iniuriæ dolor uehementer incitaret, ad Rentij priuati hostis & opulentæ urbis excidium ferebā-tur. Sed contrà disserebat Prosper, ab insita modera tione clementiaq; Italico præcipuè sanguini parce-re, & clades ab agris atq; urbibus auertere solitus. Eam enim esse propriæ disciplinæ rationem, ut in-cruentis, quantum fieri possit, armis uictoria petā-tur, & urbes ad partæ pacis commoda diligentissi-mè conseruentur, ut inde uberrima militi stipendia cum laude, non spolia immerentibus populis, aut altaribus & fanis cum nefario scelere detracta pro-ueniant. Itaque sibi uideri cum Rentio Bergomati busq; de deditione perquàm maturè trāsigendum, proficiscendumq; continuò aduersus Liuianum ci tra Athesim cuncta metu cladibusq; miscētem, quę facile paludibus implicitū oppressuri sint, si in eum totam belli molem conuertant, opportunè quoq; Piscarium iam à Verona descendentem facturū in-de negotium hosti, ad non dubiam uictoriæ spem. Huic tutæ mitioriq; sententiæ Cardonius facilè as-sentit, & Bergomatibus ex merito de fortunis acui ta desperantibus incolumitas datur. Rentius uerò cum præsidio (erant ij ad quatuor milia equitum ac B peditum) sine tuba, sine tympano Cremam redire permittitur, ea conditione, ut quantum ad rem Cre mensem pertineret, trium mensium in duciæ forēt: atq; ita Bergomates mulctati pecunia, leuitatis suæ pœnas dederunt. His rebus cōfectis Cardonius & Prosper stipendium militi persoluunt, & cum expe dita parte exercitus, sicuti animo proposuerant, ad Liuianum qui tunc ad Alieniacum castra habebat, quàm maximè possunt iustis itineribus proficiscun tur. Eodem quoq; usi consilio Piscarius & Alarco, eductis Verona copijs ad Montem Silicem iam per uenerant, atque idoneo in loco ultra Athesim castra posuerant, rati Liuianum è Rodigio atq; Alieniaco in uetera castra redeuntem, à proposito itinere auer ti atque intercludi posse, uel necessitate itineris in proximas regressum paludes expugnatum iri ab i-psa locorū iniquitate. Sed Liuianus haud ignarus rerum quæ ad Bergomum infœlicē exitum habue-rant, iudicans Cardonium & Prosperū nullam mo-ram facturos, quin celeriter ad se opprimēdum per Cremonensem agrum & Mantuanum conuolarēt, ne sibi cum duobus exercitibus res foret, in pacatū excogitato nouo itinere se recepit. Tormētis enim ac totius exercitus impedimētis ratibus impositis, quæ secundo amne Athesi in Hadriaticum deuehe rentur, ipse continentes ac difficillimas paludes in-gressus, quà nunquam antea exercitus ductus fue-rat, ad Caput aggeris maritimum uicum non longè à Clodia fossa, præter hostium atq; accolarum opi-nionem, incolumem reduxit exercitum. Nec multo pòst Maximilianus Sfortia Nicolaum Scotum, quē non longè ab Abdua cum equitum & peditum ma nu auxilio Bergomatibus uenientem pauci Helue-tij in itinere ceperant, capitali supplicio affecit. Erat is propter bellicam uirtutē maioribus suis dignus, sed qui lingua immodicus, dum Maximilianum in solenter carpit, malè principum uires superbo prę-

cipitique ingenio metiretur. Sub idem tempus Gal li, qui reliqui omnium in Italia apud Genuam in ar ce Phari tunc maximè terra marique obsidebantur, deditionem fecerunt. Verùm, quum per uiginti se-ptem menses, quibus egregiè obsessi omnes rerum asperitates tolerauerant, sępè uarij & memorabiles casus acciderint, non prætermittendum uidetur quod dignum memoria existimauimus. Soluerat à Nicæa prouinciæ Lodouici regis iussu uir Dalma-ta, rei maritimæ assuetus, cum nauigio iustæ magni tudinis omni genere commeatus onusto, eo consi-lio, ut suis ad Phari arcem multarum rerum inopia laborāribus opem ferret, quod duobus minoribus antè nauigijs felici nauigatione contigerat. Is prę-teruectus superiorem Liguriæ oram, imprudenti-bus his qui cum expedita classe ea maria custodie-bant, rapidum ex alto nactus Aphricum, conuersis uelis Pharum tenuit, atque arcis scopulo appulsus, obsessis quibus attineretur, rudentes dedit, & an-choras iecit, tanta Gallorum lætitia, quanta necesse erat in summa rei frumentariæ desperatione. Nec Ligustica classis quæ in statione erat, quanquam ex itinere prętereuntē tormentis peteret, contra uen-torum uim eius impetum prohibere potuit. Itaque Galli nautæ in proximum litus exponere partem commeatus iam cœperāt, cum maximo dolore po-puli Genuensis, qui ad mare effusus, & speculas & litoris spacia compleuerat, gemens frendensq; im-potenti ira, quòd tot mensium diligentiam & opera-ram ac paratum laboris & industriæ fructum, pun-cto temporis amisissent. Cæterùm Emanuel Cabal lus inter Ligures rei nauālis peritissimus cōuersus ad multitudinē: Hodiernum inquit negotium oc-casionis est atque uirtutis, non irarum uel intempe stiui questus. Quare macti uirtute iuuenes, qui tan tum dedecoris animo atq; oculis sustinere non po-testis, mecum hanc nauem statim conscendite, & si unquam pro gloria dimicastis, nunc maximè ad re-tinēdam nauālis disciplinæ existimationem, patriæ ac ciuibus fortissimam operam præstate. Nec mo-ra scandentem onerariā nauem trecenti fermè iuue nes, duce Andrea Auria uiro impigro, secuti sunt, ni hil miserabile mortis genus horrentes, quum haud dubiè obuiam hostium tormentis eundum esse in-trepidis animis reputarent. Emanuel summa celeri tate explicatis armamentis statione egressus, modi co in altum capto circuitu, quo aura plenius uela in flaret, secūdissimi uenti beneficio, rectà ad hostium nauem contendit: nihilque territus crebris pilarum ictibus, quibus continenter ab arce petebatur, inie cto statim harpagone, in eam primus insilijt, & prę-cisis rudentibus quibus propugnaculo arcis alliga-batur, momento temporis auulsam in altum abri-puit, tanta arte atq; peritia inter scopulos hostileq; nauigium directa prora, ut quod propositi erat in maximo periculo, & nauē excluserit, & abrasis sco-pulis paratum naufragium euitarit. Interiere tamē aliqui tormentis dilacerati, & Andreas ea inciden-tium pilarum procella attonitus, uix pòst multos dies ad se redijt. Dalmatam uerò nauis prefectum, qui in mare se præcipitauerat, ut ad arcis scopulos adnataret, sustinianus nobilis adolescēs per undas itidem adnatādo, euadentem consecutus, crinibus arreptum in proximum litus pertraxit. At Caballus captiuam trahens nauem, dum extra tormenti ia-ctus in altum eueheretur, facilè ex alta naui in hu-milem transcendentibus armatis, ad sexaginta Gal los interfecit aut cepit: mox regressus ad classem, summa populi gratulatione suscipitur, donaturq; quingentis aureis, præda uerò socijs naualibus di-uisa. Fuere ad centū uini amphoræ: fruméti & salitę carnis uis ingens: tormētarij pulueris triginta cadi: præterea arma omnis generis. Signata pecunia in stipendium triplex: uestis multa: & uaria id genus,

que ad ſoluendam obſeſſorum inopiam excogitari pararíue potuerant. Ea res nõ tantũ præſentis commeatus certam ſpem interpellauit, ſed in poſterum docuit, nihil temerè nauibus committendũ aduerſus eos hoſtes, qui iure maritima uirtute atq; peritia longè alias gentes anteirent. Poſt id factum, apparuit Gallos, qui omne cibariorum genus abſumpſerant, deditu ros fuiſſe arcem niſi (ut ſuo loco memorauimus) ante euentum prælij Nouariẽſis, Aduerſi & Fliſci eos omnibus neceſſarijs rebus adiuuiſſent. Nouiſsimè uerò Octauiano rerum potiente quum ciues diuturnæ obſidionis tædio atq; incommodis fatigati, nec ſupremam hoſtium famem, nec ullam iam temporis moram æquo animo diutius ferrent, nouum oppugnationis genus inſtituerunt. Vnienim huic curæ maximè erant intenti, ut quando q; infeſtiſsima arx, quam Galli Liguriæ frenum appellabãt, in perpetuam ſpem libertatis expugnata tolleretur. Perſuaſerat Octauiano atque Senatui Petrus Hetruſcus machinator & artifex mirabiliũ operum, poſſe facilè excindi arcem, ſi actis per ſubiectam rupẽ cuniculis, immiſſoq; tormentario pulueꝛe, exemplo Neapolitanę arcis, nota certaq; ratione ſæuituri demum intus ignes excitarentur. Verùm quum nec à terra, nec ab aperto mari, ui ac multitudine tormentorum hoſtilium prohibente, deſtinatus animo artificis locus adiri tutò poſſet, ſumma negotij difficultas ab omnibus proponebatur. Arx enim præciſo undique ſcopulo impoſita, qui porrectus in mare, peninſulæ formam efficit, à continente propter oppoſiti montis frontem, anguſtum & abruptum locum habebat, omni iniuriæ tormentorum atque telorum expoſitum. Quà uerò circumfluo mari alluitur, propugnacula erãt idoneis in locis erecta, inſtructaque maioribus colubrinis, quibus conſpecta in alto nauigia interuallo etiam uiginti ſtadiorum, è deſtinato peti poterant: ſimulq; lunata facie pateſcẽs portus, & operoſa moles quæ in altum excurrens frontem oſtendit, adeò infeſta reddebantur, ut nec humile quidem nauigium in portu conſiſtere auderet, atq; uniuerſa claſsis ad Carinnianum litus, quod obiectu molis tegebatur, ſuſpecta & malefida in ſtatione agere cogeretur. Hac etiam rerum iniquitate propoſita, quum humanis artibus locorum aſperitates audendo agendoq; ſuperari poſſe exiſtimarẽt, eodem Hetruſco authore, nauigium ad Pontonis formam ædificant planiore carina latum capaxq; & ingentis etiam molis patiens: huius latera cingebantur continenti & perpetua ſaccorum ſerie, in queis lanæ tomentaq; inerãt, atq; id genus rerum quę molliter cedendo uim tormentorum facilè excipere atque eludere conſueuerũt. Id noctu ad arcis ſcopulos impunè adigi poſſe ſperabant, quò ſi peruenirent, uòd nullus tormentorũ uſus ab alta arce in ſubiectos foret, pluteis ac modica teſtudine tectis foſſorib. excauari tutò poſſe ſuppoſitam rupem omnium opinione confirmabant. Igitur paratis ad hoc ferramentis fabros imponunt, adduntq; præſidio cum delectis militibus Gigantem Corſum ſingularis animi centurionem. Ratio autem adigendi nauigij hæc una reperiebatur, ſi noctu ingentem anchoram lembo aduectam ſub arce profundo mergerent, indeq; ductarium & longiſsimum funem ad nauigium perducerent, ea ſpe ut cum uerſatili machina colligere funẽ cœpiſſent, reſiſtente anchora nauigium neceſſario pertraheretur. Hæc quum imperata atque feliciter perfecta fuiſſent, & quieto mari intempeſtaq; nocte nauigium adigeretur, Galli in omnes hoſtium motus excubantes, utpote qui per ſuæ factionis homines, multum antea cognitis eorum conſilijs Pontonis aduentum ſenſerant, ſubitò ſaxa, tormenta atq; animos ad id certamen præpararunt. Enimuerò, ut poſtea ab ipſis Gallis cognitũ eſt, ſummæ audacię uiri- A natores non deerant, qui noctu ſtationem falleꝛent, & literas in arcem deferꝛẽt. Iam dimidium itineris nauis confecerat, quum Galli extructã in ſummis propugnaculis ingentem pyram continuò ſuccẽderunt, cuius latè relucens flamma ſubiectũ mare diſcuſsis tenebris illuſtrauit, tãta claritate, ut tormentorum certiſsimis ſemper ictibus nauigium peꝛeretur, & penitus tranſuerberaꝛetur. Quæ res omnium animos fregit, quòd ſe noctis tenebris tectos fore, & obiecta remedia omnem eam uim impunè latura crediderant: quod ſecus accidit, nam prima pila adacta in proram, dilaceratis aliquot militibus & fabris, à puppe etiã euaſit. Secunda pariter & tertia ac quarta innumerabiles q; aliæ, horrenda intus ſtrage edita, diſiectis miſerabiliter humanis artubꝰ. cruore, cadaueribus & deſperatione totũ nauigiũ compleueruꝛt. Ita quũ quiſq; metu mortis ab officio deceſsiſſet, nec ulla iam ſpes ſalutis cõſternatis corpore atq; animo relinqueretur, in mare præcipites deſiliunt: ibi plures ſcaphis excepti quæ ad ferendum auxilium periclitantibus ſuis aduolauerant. Alij uerò, in queis fuere Gigas & Hetruſcus nãtes, oppugnati etiam in undis multis falconũ ictibus, incolumes tamen ad litus peruenerunt. Nauigiũ uerò quaſſatũ pertuſumq; uarijs in locis, paulo pòſt eſt demerſum. Ac tunc maximè uſus rerum omniũ magiſter edocuit nihil ualidum aduerſus uim atq; impetum tormẽtorum, humana ſolertia poſſe comparari. Inclinante autem æſtate, quum Octauianus ſumma diligentia qua Pharus terreſtri itinere adiꝰtur, diſpoſitis in ſtatione cohortibus, & triplici claſſe in alto conſtituta, ueluti lunari acie circumiecta maria clauſiſſet, cuſtodes ad deditionem compulit: namq; intolerantia famis Gallorum corpora aduerſa ualido tenꝛauerat, atq; ea uis morbi ingruẽte autũno & deſperatis uitæ ſubſidijs, grauiſsimè graſſatura uidebatur. His uerò conditionibus arce exceſſum eſt, ut præſidiarijs ſtipendiũ ab Octauiano populoq; Genuẽſi cõtinuò perſolueretur, & ſine fraude nauibus Maſsimiliam aduꝺeꝛentur. Ita tradita arce & recepto ſtipendio incolumes in Galliã trãſportati. Populus uerò leuatus tanto onere ac cura, quanquam ſuperis gratias ageret, & plurimum ea uictoria lætaretur, omnes tamen quum memoria repeteꝛent, quo dolore, quantaq; pecunia eam arcẽ impotẽti imperio uictoris regis in collum proprios q́ue humeros erexiſſent, illam demũ captam pauidis etiam animis horrebant. Apparebatq; eam maiores calamitates quandoq; allaturam liberæ ciuitati, niſi quàm primum ueluti excuſſo ſeruitutis iugo, fortes atq; optimi ciues in memoriam recuperatæ libertatis, tanquam ſuſpectum & exitiabilem excinderent atq; delerent. Vnus quo minus id fieret Octauianus prohibere poterat, quum arma præſidiaq; teneret. Sed is magno & liberali animo priuatis ambitionibus publicum decus prætulit, maximoq; fauore omnium à fundamentis arcem euertit, aliquanto tamen maiore uirtutis indole deſiderio ciuium ſatisfecit, quàm poſtea dignitati patriæ atque Italiæ conſuluerit.

SVPPLEMENTI
LIBER III.

ANnus qui fuit à partu Virginis milleſimus quingẽteſimus quartuſdecimus, uniuerſam in primis Italiam cæteras q; prouincias quę proximè bello exarſerant, quietiſsimas habuit. Sed quantum pacata Italia Occidentis q; prouincię leuatæ bello uidebantur, tantum Septentrio, & magna pars Orientis, eo belli incendio deflagrarũt, quòd continenti ueluti flamma, à

ma, à uiginti annis uniuerſum terrarum orbem per A uagatum, & magna imperia, & nobiliſsimas gẽtes, cladibus terroreq; concuſſerat. Ortum primò bellũ in Pannonia atrocitate ſceleris potius nouitateque periculi, quàm rei geſtæ ſucceſſu memorabile. Imperabat tunc Pãnonijs Vladiſlaus Sigiſmundi Sarmatarum regis frater. Hic Turcarum incurſionibus ſæpè laceſsitus, qui finitimos agros exurere, & magnam captiuorum multitudinem quotannis abducere conſueuerunt, ſemel aut bis iuſtum exercitum inſtruxit: quo terrore repreſsis hoſtibus, præſenti metu potius finitimos ſoluit, quàm uòd exemplo Hunniadis, hoſtile ſolũ infeſtis armis ingreſſus populando urendoq;, eos quoq; ſimiles clades timere docuerit. Sed quum Selymus Turcarũ imperator Perſico bello implicitus (ut mox ex ordine rerum memorabimus) omnes Europæ copias per Helleſpõtum in Aſiam traiecturus eſſet, uigeretq; etiam tunc bellum in Croatia, pleriq; regni proceres, & in primis Thomas cardinalis Strigonienſis, excitato rege, propulſandi atq; inferendi belli conſilium ceperunt, quaſi nutu deorum bene gerendæ rei facultas offerretur: quòd nudata præſidio Mœſia, & Illyrij Triballiq; infenſiſsimi Pãnonis hoſtes, abducto à Selymo flore militum, inualidi ad reſiſtendum uidebantur. Verùm ea tempeſtate adeò affectus Pannonicarum rerum ſtatus erat, ut opulentiſsimũ pauꝛò antè imperium, commutata cum rege fortuna, inteſtinis malis corruptum, ignobile exhauſtumq; iaceret: Vladiſlaus q́ue cùm ſenio, tum multa obeſi corporis aruina oppreſſus, omnem regni adminiſtrationem omiſerat, ab una tantum innocentia, facilitate, indulgẽtia, & quòd plerunq; ſui ac imperij obliuiſceretur, à proceribus commendatus. In ea difficultate negotij, quum res ad conſilium deferretur, decernitur euocandos eſſe milites qui Chriſtianæ religionis auſpicijs militent, & gratuita opera B regni fines tueãtur, maximeq; Tinninum atq; omnem Croatiam ab iniuria defendant. Ea regio ad Illyricum pertinet, ab Aquilone latos habet campos, ab Auſtro ad Iulias alpes uſq; ad Lyburnicæ oram ſe extendit. Introrſus Sauus flumen ex Carnicis alpibus per Illyricos placido curſu effuſus, ſimul Cetinna & Hunna minores amnes prouinciam claudunt. Igitur Thomas, qui nuper à Leone pontifice legatione ſuſcepta ad Vladiſlaum uenerat, aduocata frequenti concione, & recitatis ſacris diplomatibus, pollicetur eis qui arma induerint, & pro Chriſto Deo aduerſus Turcas in acie ſteterint, eorum crimina, ueniam, quæ humana fragilitate præter inſtituta legis impiè commiſiſſent: & deniq; egregiã mortem occumbentibus æternam cum diuis fœlicitatem. Ad huius edicti famã multi mortales coiuere, quibus Cardinalis purpurea cruce obſignari pectus iubet, eos q; cruciferos milites appellat. Sed mox quũ latius per regni fines ea fama uagaꝛetur, innumerabilis agreſtium multitudo relictis pagis arma ſumpſit, etenim durum laborem aſpernati, & tunc maximè nobilium odio deflagrãtes, pars multò maxima tædio uitæ potius quàm pietate religionis adducti, ad urbem Peſtum confluebãt. Ea urbs in ulteriore ripa Danubij ſita, interlabẽte fluuio Budam cõtrà reſpicit. Nec Peſti ſolùm, ſed in uicis atq; oppidis, ubi primi ijſdem perſuaſionibus domo exciti ex itinere alios atq; alios ſibi aſſociauerant, non contemnendæ manus armabantur. Igitur Barbara atq; incõdita multarum gentium colluuies, quæ ſicuti non una cauſa arma ceperat, ita nullo ſalubri conſilio gerebatur, primò inſoleſcere aduerſus nobiles, ac iactare, ueniſſe tempus quo ſerui cum dominis uitæ conditionem commutarent. Poſtremò ſumma procacitate poſcere commeatũ, rapto paſſim uiuere, & comminari nobilibus excidiũ, niſi cõtinuò eorum facultatibus iuuarentur. Thomas qui ab initio ad duo milia equitum & peditum ægrè ſe conſcripturum putauerat, ubi renunciatum eſt paſſim manus cogi, exciri ſedibus remotas etiam gentes, & breui demum ſi ſparſæ uires in unum confluerent, ſupra quadraginta milia bellatorũ in armis fore, tanta territus multitudine, publico edicto uetat ſuperuenientes cruce ſignari: ſi qui priuato conſilio ſibi cruces affixerint, his aqua & igni interdicit, atq; eadem cæteris cõminatur, ſi his tanquam impijs & ſceleratis non deceſſerint. Primi ex uolũtarijs in queis erant pleriq; uiri honeſti, qui pietate & promerendis cœleſtis uitæ præmijs nomina dederant, & à Cardinale cruces ſumpſerãt, Ambroſio duce continuò ſeceſſerunt, atq; arma poſuerunt. Cęterùm alia multitudo quũ neq; ulla denunciatione ſupplicij permoueretur, nequaquam à tam fœdo incœpto abſiſtere, populari uicos, expugnare uillas, capere & per omnes cruciatus interficere nobiles, atq; eorum agros omni belli clade uaſtare. Nec mora, feroces & turbidi neglecta religione, & ſpreta authoritate regis atq; legari, ne ſine imperatore, ſine auſpicijs exercitus eſſet, regem deligũt Georgium quendam Sechelum, uirum fortem, intrepidũ, omnis ſceleris audẽtem, nec ignarum militiæ: & ſuperhæc, nobilitatis hoſtem acerrimum. Is bipartito exercitu quo latius terrorem ſpargeret, & quàm effuſe graſſaretur, minoribus copijs Lucatium fratrẽ præeſſe iubet, ipſe cum robore exercitus ſublato crucis uexillo ad urbem Varadinum hoſtiliter ducit, in itinere cuncta in prædam uertit, nobiles quos capit, adacta per ſedem præacuta ſude, miſerabili ſupplicio enecat: matronas, ingenuas uirgines uniuerſo exercitui proſtituit. Varadinenſes cognita agreſtiũ immanitate equitatum omnem urbanum emittũt, ut agrum ab iniuria defendant: cum his agreſtes iuneunt pugnam, ac primo impetu temerè inuectos equites fundunt, magna ex parte trucidant. In ea rerum perturbatione Vladiſlaus & Thomas conſilij propè inopes, quòd ex inſperato omnia fœda aduerſaq; obuenerant, trepidare, armare prętorianos, preſidia ab finibus Turcarum reuocare, quod Peſti, quod Budæ equitum erat colligere, atq; auxilia demum à Cęſare, à Sigiſmundo, à Bohemis poſtulare. Interea Georgius ad Cinadium contendit, eam urbem, quòd ut pleraq; regionis ædificia ex cratibus materiaq; conſtabat, cumulo ſarmentorum & ſtramenti ſtruibus circumuallare inſtituit, ut nec tenta quidem oppugnatione ſubitis flãmis incluſos, atq; ędificia ſimul abſumeret. Vrbis Epiſcopus, qui ex apparatu hoſtium futuram calamitatem præſentiebat, clã ex oppido in proximas ſyluas effugit. Cæteri ferè omnes pars fumo, pars igne aut telis circumfuſæ ſtationis, quæ, ne ullum miſeris pateret effugium, loca flammis intacta atque omnes exitus obſeruabat, cum oppido miſerabiliter perierunt. Poſtridie uerò Georgius Cianadienſem Epiſcopũ quẽ repertum in ſyluis agreſtes uinctum in caſtra perduxerant, coràm multis affectum probris & contumelijs, ferrea claua percuſsit, & ſemianimem palo infixum ſpectandum exercitui præbuit. Simili quoq; rabie quoſq; clariſsimos genere & opibus, aut ſacerdotijs, inſignes conſectatus, ut in manus uenerant, exquiſitiſsimis tormentis dilaniauit. His acceptis incommodis & maioris etiam cladis metu perculſa nobilitas, paſsim per urbes habitis conſilijs, quibus tanto diſcrimini atq; imminentibus malis obuiam iretur, arma, tela, equos, tormẽta, quanta fieri potuit celeritate aduerſus hoſtes comparauit. Primus omnium Ioannes Bornemiſſa, uir inter eas gentes ut barbarum nomẽ ſonat, maximè ſobrius, delectus à rege cum Budano exercitu Danubiũ tranſiecit, & in patentibus cãpis contra agreſtes quibus Lucatius præerat, aciem inſtruxit. Sed non prius ſolerti uir ingenio pugnandum ſibi cum efferis hoſti-

bus iudicauit,quàm eorum animos pertentaret,ex A periretur; an ullis persuasionibus sanari possent. Igitur circumemisso præcone, qui proposita uenia & ostentatis præmijs liberam transeundi ad se potestatem pronunciaret, eos uerò qui apud Lucatiũ mansissent, nullam spem postea salutis habituros, breui non contemnendam eorum manum in deditionem acceptam in castra recepit. Mox Lucatium & cęteros crebris suorum transfugijs territos, emi nus tormentis oppugnare adortus, quum inter munimenta carrorũ quos illi pro uallo Budanis obiecerãt, pilarum procellam magnam stragem edidisset, & mox collatis signis & circumfuso equitatu fusos & disiectos latè occidisset, magnam eorum partem deleuit. Lucatius ab initio pugnæ, quum haud dubiè fortuna hostium esset, cum paucis celeri fuga ad Georgiũ fratrem se contulit. Bornemissa ea parta uictoria, Budã triumphanti similis inuectus, dedi ditios magistratibus tradidit, ut ij ex iure & æquo quàm maturè decernerent, impijs ne data fides seruanda, an ab his qui tot calamitates intulissent, nobilium sanguis paribus supplicijs repetendus. Medium quoddam censuere patres, ut in defectionis authores, atq; aliquos maleficijs insignes animadverteretur, ne fallẽdo publicam fidem, ius gentium uiolare uiderentur: paucorum tamen exemplo terrerent cæteros, pluresque seruatos uellẽt, ne sublata spe ueniæ, efferatos iam multis immanibus factis aliorum animos, ad maiora scelera in ea desperatione salutis accenderent. Itaque octo fermè securi percussi, quinq; fudibus infixi, gratissimum nobilium oculis spectaculum præbuerunt. Nec multo pòst nobiles successu Bornemissę aucti animis, quũ uagi & in plures exercitus diuisi agrestes eadem sęuitia igne ferroque omnia popularentur, propè ad internitionem gentis aliquot secunda prælia fecerunt. Dimicauere primò ad Nagelacum uicum feli B citer, mox apud Agriam urbem aliquanto maioribus uiribus & pleniore victoria. Varadinẽses quoque dolore interfectorũ ciuium, ac uindictæ cupidi tate accensi, prospero pugnæ euentu recentem iniuriam expiarunt. At Georgius tametsi tot cladibus acceptis, & uires, & ex aduersa fortuna omnem suã existimationem, quæ maxima sæpè rerum momenta, in ipsis negotijs afferre consueuit, fratris uitio atque imperitia legatorum amiserant, nihilominus ipse animo non deficit, contractis reliquijs ac accitis nouis auxilijs bellum reparat, & ad Tybiscum amnem progreditur. Oritur is in finibus Sarmatarum, delatusq; per ulteriorem Pannoniam, recepta prius Temesa, haud ignobili flumine apud Furtarchum Danubio miscetur. Ea erat natura rapidissimi fluminis, ut propter aquarum multitudinem uado transiri non posset. Itaq; Georgius ex proximis ædificijs dolia lignea, cathenas ferreas, tigna, trabes que conquirit, ex his repentè pontem fabricat, tabulisq; consternit tanta operis firmitudine, ut tormenta ænea, onustos commeatibus currus, atq; omnia impedimenta exercitus facilè pateretur, atque ita omnes copias traducit, eo consilio, ut in pacatiora loca abscedendo, nouas uires acquireret, occuparet que aliquod oppidum in finibus Turcarum, quò se recipere, frustrari hostium impetus, atque inde tanquam ex munita tutaq; arce bellum in hyemem extrahere posset. Namq; ex Bohemia omni bellico apparatu instructas copias ad se opprimendum aduetare, prętera omnes nobiles & episcopos qui ex sacris reditibus turmas equitum alere consueuerũt, cum regio equitatu conferre in unũ uires audierat. Erat Temesuar oppidum ab flumine Temesa prætерlabente nomen accipiens, arte naturaq; munitũ, quod maximo Pannoniorum studio propter finitimos Turcas ualido præsidio tenebat, id Georgius sibi animo proposuerat expugnandum, ratus si eo potiretur uenię & pacis magnam mercedem habiturum, uel si rex pacem abnueret, ipse demum tradito oppido cum insigni munere ad Turcas deficeret. Igitur prolatis tormentis quæ uel bello ceperat, uel ipse in castris conflauerat, mœnia quatit. Mox ubi parum proficere uisus est propter loci iniquitatem, suorum imperitiam, propugnatorumq; uirtutem, consilium cepit inuadendi ab ea parte oppidi, qua flumine muniebatur, quòd ibi nec altitudine muri, nec omnino arduo ascensu tutam, facilem & expeditam uictoriam ostẽdebat. Ergo in idoneum locũ magno suorum multitudine ad opus ducta, fossas plures facere instituit, quibus Temesam paulò supra oppidum defixis in uado sublicis atq; aggestis cratibus obstructum magna ex parte auerteret. Nec successus deerat, nisi industria obsessorũ, & prouincialium perfidia ea res in irritum cessisset: siquidem magnis pollicitationibus atq; pecunijs empti aliquot eius regionis agricolæ qui in castris officij causa uersabantur, noctu transgressi in aggerem, quum nulla ibi militũ statio excubaret, effractis obicibus quibus ab priore uado repellebatur amnis, omnẽ illam aquarũ molem uetеri alueo reddiderũt. Georgius spe potiundi oppidi sua etiam cõfessione deiectus, quum huc atq; illuc raptando exercitũ animo uarius & conscientia scelerũ exæstuans, nullũ salubrem exitum malè sanis consilijs suis inueniret, per exploratores fit certior appropinquare cũ magnis copijs Ioannẽ Transyluaniæ præfectum, quẽ Pannonij Vayuodam uocant. Is nuncius Georgiũ quan quam ad omnia impauidũ maximè perculit, & uim omnem agrestium & spiritus fregit. Erat enim Vayuoda, qui sibi postea regis nomen parauit; tametsi adhuc imberbis, propria indole & uirtute paterna, multis fortibus factis apud Turcas æquè atq; apud Pannonios clarus, magnaq; erat eius exercitus opinio, quo cum Turcis Zapoluis pater in finibus Transyluaniæ multos annos continenter bella gesserat. Transyluania ultra Danubiũ longè lateq; patẽs regio, ueteres Dacos & inferioris Mysiæ partem, extinctis priscis nominibus, occupat, eius solum uarijs in locis auriferos surculos & glebulas aureas passim gignit. Cæterùm paucæ urbes, multa uerò oppida, nec rara passim ædificia uisuntur. In uniuersum, armentorũ diues est, & militarium equorũ ferax. Vladislaus regionẽ obtinet maiore gloria quã prouẽtu. Siquidẽ ueteribus prouinciæ terminis ab Aquilõe Sarmatas, ab ortu Valachos, Getas, & Turcarum fines attingit. Igitur Georgius ut uidit instare fatale prælиũ, quo haud dubiè supremis conatibus sibi agendum pro salute, aut egregiè cadẽdum judicabat, circumeũdo exercitum, capere arma milites iubet, & in æquum locum deducit. Inde aduocata cõcione breuissimè docet quæ supplicia & cruciatus eos maneãt, qui ab suo rege defecerint, & nobilibus tot calamitates intulerint, nisi unũ omnes sentiant: & desperata salutis conditione, forti animo prælij fortunam periclitentur. Nihil iam commeatus, nihil spei, nihil deniq; consilij in castris superesse pręter unam uirtutem & audaciam: qua freti si obstinatè in animum inducant, aut uincendum egregiè, aut in uestigio moriẽdum, commeatus abũde, tutos receptus, amicas gentes, & ex usu uictorię salutem, opes, gloriam, inuenirent. Ex aduerso Vayuoda nulla magis ad milites cohortatione usus q̃ ut inermes sceleratosq; latrones despicerent, neq; alicuius negotij futuram uictoriam arbitrarentur, qui multos annos bellando pugnandoq; cum Turcis & Valachis, fortissimarum gentium uictores discessissent, propius exercitum admouit, immissisq; leuis armaturæ equitibus, qui expediẽtes arma hostes iniecta trepidatione turbarent, aciem direxit, extensis ab cornibus quantũ maximè poterat equitum alis: ut à frõte simul & à lateribus, imperitam multitu-

multitudinem adoriretur. Georgius, ut in trepida A re infracto animo quicquid roboris in exercitu erat, in fronte collocat: cæteros quibus parũ fidebat in subsidijs & in postremo agmine agere iubet, & citato equo ad primos aduehitur. Ibi continuò, & propositum pugnæ signum & acriter utring; procursum, stetere aliquantulum utraq; acies incerta uictoria: sed quum Vayuodani uirtute, armorũ usu, & belli causa longè superiores essent, circumfuso equitatu, primos qui peruicaci audacia aliquandiu conseruatis ordinibus restiterant protriuerũt: mox alios primorum cędę territos, acri impetu loco pulsos, in fugam uerterunt. Georgius cum Lucatio fratre, quibus ut parceretur Vayuoda iusserat, uiuus capitur, alij fœdissima fuga toto campo sparsi ab equitatu passim interficiuntur. Magna tamen pars eorũ quum proiectis ad terram armis flentes salutem peterent, conseruati fuerunt. Vayuoda ad internitionem Cruciferi nominis confecto prælio, Georgiũ tortoribus excruciandũ tradit. Illi nudũ & cathenis uinctũ in equuleo constituũt, & corona candẽti ex uomere cõflata, ut regũ mos est, coronant, uenisq; dissectis, profluentẽ sanguinẽ potandũ Lucatio prębẽt. Deinde ad uiginti agrestes qui in exercitu ordines duxerant, tridui inedia maceratos ad id crudelitatis cogũt, ut dẽtibus spirantis ducis artus dilacerent, atq; diglutiãt. Ille mira cõstantia, neq; gemitũ edere, neq; in miserabili mortis genere quicq̃ horre scere: unum tantũ deprecari, ne insontẽ Lucatium quem ipse renitẽrem ad id bellum perduxisset, his cruciatibus dignum existimarent. Postremò laniatis omnibus membris, quum diutius grauissimos dolores uel immani spiritu sustinere non posset, extractis uisceribus exenterant, in frusta secant, atque ahenis & uerubus coctũ, comedendum militibus suis apponunt. Eos uerò talibus epulis satiatos cũ Lucatio omnibus supplicijs dilaceratos interficiũt. B horrendum sanè spectaculum, & ante memoriam nostrã inauditum, à quo tamen, etsi Georgius extrema quęq; meruerat, uiiri Christiani animum atque oculos auertere debuissent. Ea miserabili carnificina deletis agrestibus qui duorum fratrum signa secuti fuerant, cæteri earum partium per Pannoniam in plures manus sparsi, cognita suorũ fortuna, suas quisq; domos detractis crucibus abierunt. Enimuero & duces sibi fecerant, & coaliturі crescente etiã tum perditorũ multitudine, bellumq; priore atrocius iunctis uiribus tracturi uidebantur, nisi ab incepto deterritos quàm maturè Vayuodanus exercitus oppressisset. Tot uerò tantisq; successibus elata nobilitas, quum adhuc arma retineret, in Cardinalem penè bellum conuertit, authorem enim eum tantorũ malorum calamitatumq; fuisse dictitabãt. Nobis autem persuasum est, Bohemos postquam Cruciferorum nomẽ interierat, domo iam excitos pecunia Cardinalis, in Pannoniam peruenisse, ea de causa, ut nobilium ferociam qui insolentiores spiritus sumpserant reprimeret, & dignitatem suam certissimis præsidijs aduersus eorum inuidiam tueretur. At dum Vladislaus egregia de Cruciferis parta uictoria, atq; intestini belli compressis initijs, Pannoniam pristinæ paci quietiq; restituit, Sigismundus frater aduersus Moscouitas maiore fama ac uiribus bellum gerebat. Exarserat id multis antea annis tradita per manus à maioribus cõtrouersia, quã de finibus Calsimirus pater, ac mox fratres Albertus & Alexander uario euentu atq; interpositis nõnunquã inducijs, cum eius gentis regibus exercuerant. Erat in finibus Moscouitarum Smolenchũ oppidum, quod propter crebras eius gentis incursiones, Sigismundi præsidijs tenebat. Adiacet opportuno in loco ulteriori Borysthenis ripæ, nõ aũt Ruboni amni, sicuti perperam collocauere, qui Ptole-

męi libris nouas incogniti orbis tabulas inseruerũt. Nanq; Smolenchũ neq; Liuonio mari proximũ est, neq; Moschæ urbi comparatum ad Septentriones uergit, ut ab expertissimis prouincialibus qui huic quoq; bello interfuerunt, didicimus. Id oppidũ Basilius sicuti pleraq; alia Russiæ & Lithuaniæ loca, ueteri quodam iure pertinere ad Moscouitarũ imperium ratus, superiore anno oppugnauerat, obsederatq; per aliquot menses tanta pertinacia, ut munitissimã arcem cessuram acerrimo hosti appareret, nisi summa uirtute præsidij defensa fuisset, & in tẽpore à Sigismundo Lithuanorũ auxilia superuenissent. Quorũ aduentu Moscouita irrito incepto abscedere coactus, quòd uiribus inferior erat, & brumales dies superant in ipsa profectionis festinatione, relictis pluribus tormẽtis, & multò maxima impedimentorũ parte amissa, in regionis ulteriora cõcesit. Eam uerò quæ secuta est hyemẽ in apparatu nouі belli totã absumpsit, animo agitans quibus cõsilijs ac uiribus Smolencho potiri posset, ratus ea arce semel capta, propter maximã loci opportunitatẽ se liberè Lithuaniam omnẽ, atq; Poloniam infesto agmine peruagaturũ. Itaq; quum iam uernũ tẽpus appeteret, coactis supra quadraginta millibus equitum ad oppugnandum Smolenchũ descendit. Nec multo pòst nactus quosdam summæ perfidiæ præsidiarios, quorũ animos per occulta colloquia maximis pollicitationibus diu antè tẽtauerat, per proditionem oppidũ cepit. Occupato Smolencho, Basilius tres equitũ manus circũ emisit, populatusque proximos hostium fines Lithuaniã irrupit, cuncta similі belli clade uastaturus. At Sigismundus qui tũ sub ipsam aduentus hostium famã è Cracouia Vilnam uenerat, ut ex propinquo intentus in omnes rerum casus facilius bellum administraret, cum ualido exercitu Constantinum Rutenũ ad hostes progredi iubet. Erat Constantinus inter eas gentes celeberrimi nominis imperator, multùm consilio & uirtute animi, sed maximè corporis uiribus pollẽs, qui bello quondam captus uulneratusq; apud Moscouitas in cathenis atq; compedibus septẽ annos fuerat. Vnde illi ex dolore uinculorum & uulnerũ, uindictæ cupidine summus ardor & singularis industria in eo bello incomparabilem gloriam pepererunt. Sexcentis milibus passuum à Vilna Smolenchum distat, tantundẽ fermè itineris est è Smolencho Moscam, pariterq; à Cracouia Vilnam, si rectà inter Ortum & Septentrionem proceſseris. Sed à Vilna Smolenchum usq; itinera paluſtria, inculta, solitudine uasta, ducendo exercitui maximas afferunt difficultates, nisi in multos dies prouiso commeatu, & longitudini itineris, & locorum sterilitati, quàm maturè consulant qui copijs præsunt. Vsu enim apud eos compertũ est, nulla re magis quàm commeatus inopia exercitus uinci, propterea ingẽtem quadrigarum numerum, quibus hominі iumẽtoq; uictus feratur, ducere consueuerunt, in queis & salus exercitus, & uincendi spes omnis collocatur. Constantinus his omnibus summa diligentia comparatis, ad Borysthenem decimis quartis castris peruenit. Ibi Moscouita ulteriorem ripam perpetua militum acie communiuerat, & idoneis in locis tormenta collocauerat, sperans Polonos pugnę auidos, ingressuros temerè amnem, & iniquissimo etiam loco prælium commissuros. Cæterùm Constantinus quum biduo antè citra amnem cum antecursoribus hostium, qui ad explorandum quales quantæque Polonorum copiæ essent, superiore uado transierant, secundum prælium fecisset, ædito in loco subsistit, iudicans non temerè incertis rapidi fluminis uadis exercitum committendũ, ne sibi cum parato hoste, cum tormentis, ac simul cum ipso uorticosi amnis impetu uno tẽpore res fo-

ret. Siquidē Borysthenes recepto Neprio amne ingentem aquarum molem trahens, ceca uada & abruptas passim ripas limoso inæqualiq; alueo transeuntibus præbet. Quibus de causis Constantinus paulò supra castrorū locum missis exploratoribus qui altitudinem fluminis percontarentur, uadū reperit, & ab quietiore fluminis cursu non omnino difficilem locum, quo equitatum transduceret. Ergo contractis quàm occultè lintribus ac lembis, atque ex his subitario ponte effecto, peditatū & tormenta traducit, equitatum uerò omnem conferta acie, uno impetu ingredi amnē iubet, progressusq; ante alios uniuersum agmen, ne uno quidem milite amisso in aduersam ripam ducit. Moscouitæ qui satis in tempore cognito per exploratores hostium cōsilio ducere eò instructas acies, interscindere pōtem, atq; equitatum transitu prohibere poterant, nec loco nec uestigio se mouerunt, neq; unum quidem telum in hostes emiserunt, tanta hostium contentione, ut præinsita Barbarorum animis arrogātia (sicuti ab captiuis postea cognitum est) tertiam suorum partem satis esse ad delendum Polonorum exercitum existimarent. Enimuerò exploratores retulerant dimidio minores esse hostium copias, in queis etiam pedites essent, neq; tam paruam manū, tanti equitatus impetū esse toleraturam. Habebat Constantinus duo milia Polonorum equitum grauis armaturę, ad duodecim uerò milia Lithuanorū qui hippotoxotæ fermè omnes erant. Præterea peditum tria milia, in quorum uirtute dum aciem instrueret, eius diei uictoriam constare admonuit. Erant ij partim hastati, partim sclopetarij. At Mosco uitæ qui supra quadraginta milia equitū erant, quū numero longè superiores essent, neq; sibi Polonos aut Lithuanos uirtute bellica pares existimarent, nihil de euentu imminentis prælij dubitabāt, quin quo maior ea uictoria atq; præclarior pararetur, prę missis præconibus ad transeuntes Polonos, tota acie pronunciari iusserunt, ne dolum, ne occultas insidiarum fraudes suspensis animis timerent, parārent arma, atq; aciem quieti instruerent. Basilū ea die ut progenitores consueuissent, uera uirtute dimicaturum. Poloni tametsi magnam spem atq; fiduciam in armis atq; uirtute posuerāt, stupentibus tamen similes, ab eo hoste qui sæpius rupto fœdere & uiolatis inducijs fidē fefellisset, dolos & insidias suspectabant. Sed adeò ferocibus elati animis erāt, ut in præcipiti temporis articulo, omnem æquioris loci conditionem despicerent, quasi non ea plena ueraq; uictoria existimanda, quæ ducis ingenio atque artibus magis, quàm quæ aperta uirtute atque audacia militum comparetur. Sic Romani quondā omnium gentium uictores, ferocia atque immania eius cœli corpora solis confisa uiribus atq; lacertis, sæpe prælio superarunt, quum illi disciplinam atq; astus imperatorios, ante capere locum castris, circumuallare exercitus, non ordine, non acie iniussu ducis excedere, ex iniquo loco nunquam dimicare, nihil ex prouocatione commoueri, plures ex insidijs, paucos circumuenire, dolū, timorem, ignauiā, proditionem appellare consueuissent. Igitur Basilius uana spe uictoriæ inflatus, quum transisse Polonos omneis ab exploratoribus referretur, cōuersus ad duces, præfectosq;, Transiuere (inquit) hostes amnem, non rediturī si uiri eritis. Quare fortissimi cōmilitones accepto signo statim irrumpite quàm maximè conferti, & quū hostium agmini sagittarū nubem superfuderitis, singulos bini circumsistite: atq; ex hodierna uictoria opulentas urbes Vilnam atq; Cracouiā diripiendas uobis proponite. Hæc ubi dixit, ex uniuerso exercitu ad septē milia fortissimorū equitū delegit, quibus imperat ut hostes à tergo circūueniant: atq; illinc quū in fronte prælio ardere cognouerint, auersos ac nihil tale timentes to

A tis uiribus adoriant. Erat enim ab læua modica uallis ad occultandas similes insidias nata, q̄ perpetui colles uestiti densissimis uepribus contegebant. Ii molli ac demisso sensim iugo ad ripā Borysthenis extendebant: nec ab equitatu superari poterant dumetis ac fruticibus cōtinenti ueprium serie cuncta tenentibus. Eo itinere equites proficisci iubet, ex alijs uerò copijs tres acies facit. Primam, in qua fuere ad duodecim milia equitū, in dextro cornu collocat, eiq; Michaëlem Golijzam uirum strenuum præficit. Secundam pro sinistro cornu constituit iuxta colles tanquam subsidiariam, apud sarcinas atque alia impedimenta exercitus. Ipse cum robore uirorum mediam tenuit. Ex aduerso Constantinus non ignarus inermem hostem sibi nulla ex parte parem futurum, si ad primū eius procursum sagittarū multitudinem sustineret, & res ipsa collato pede & cominus consertis equis geri posset, omnes cataphractos in fronte constituit, qui primam uim sagittarū exciperēt. Vtrumq; autē cornu Lithuanis, terga uerò pedite firmauit. Inde prouectus equo singulis ordinibus adequitās, Non iam, inquit, aut pro gloria, aut quomodo Smolenchum fraude amissum armis recuperetis, sed ne perfidi & fœdissimi Moscouitæ Lithuanis atq; Polonis imperitent, uobis hodie dimicandum. Neq; ego uos mei commilitones, ulla magis adhortatione ad uirtutē atq; uictoriam accēdam, quàm ut memineritis esse in tergo Borysthenem amnem, quem, si cedendo, aut turpiter fugiendo ab armato hoste pulsi ignauiq; transiri iterū posse putaueritis, cum maxima gentis ignominia atq; insigni uestra clade nobilitabitis. Sed ne tantū dedecus atq; flagitium admitti meis auspicijs patiamini, oro obtestorq; te Deus optime maxime, uosq̄ue Polonici imperij uindices tutoresq;, certissimi diue Ladislae ac Casimire, uoueoq; ambobus aram actemplum, si uobis cordi erit Polonum uincere, ac mihi fas fuerit fusis fugatisq; perduellibus, maturā plenamq; uictoriam reportare. Dicente adhuc Constantino à Moscouitis signa cecinerunt: ac simul ab dextro cornu Michaël equitatū suum procurrere, & dirigere sagittas iussit. Nec Constantinus (ut in ordinanda acie præfectos docuerat) cataphractos continuit: sed continuò inclinatis hastis impetum facere, & rem ad gladios celeriter adducere iussit. Tanta fuit eorum celeritas, ut spacia cadentium sagittarum præteruecti, magna ex parte ingruentem illum imbrem effugerint, ac mox equorum pectoribus armisq; urgentes hostem hippotoxotis usum arcus & secundas sagittas, in quibus summopere confidebāt, ademerint. Contrà Lithuani quàm maximè expansis alis in latus hostium inuecti, in confertissimam eorum aciem innumerabiles sagittas emiserūt, quo casu oppressi Moscouitæ, quum nec à fronte perrumpere instantibus cataphractis, nec cedere premētibus extremis possent, soluta acie in utrunq; Lithuanorum cornu sese præcipites effuderunt, ibiq̄ue duo simul prælia diuersis in locis inierunt. Eodem quoq; tēpore equites quos per occultam uallem in terga Polonorū à Basilio missos docuimus, cum ingenti clamore & maximis tubarum clangoribus, quo maioris multitudinis speciem faceret adorti nouissimos, in tergo pugnare cœperunt: quod ubi animaduersum fuit, præfecti quidā uiri fortes, inter quos fuit Polosche a regulus, tametsi Constantinus ne se loco mouerent, ne pugnam iniussu capesserent, edixerat: rati tamē in subitis & difficillimis pugnæ casibus, nō ad præscriptū agenda omnia, sed occurrendū præsenti rerū occasioni, quòd imperatorem alia in parte pugnantē consulere, aut omnino certiorem facere in ea temporis exiguitate non poterant, phalangem peditum in hostē conuerterunt. Phalanx suo ordine immobilis & firma, tametsi ab sagittis aliquod detrimentum acceperat,

perat, attamē dispulsis omnibus sclopetis, stratisq; ea pilarum procella primis hostium ordinibus, ad contos alabardasq; deuenit, atque equitatum impulsu ac uirtute repulit. Equites quum sua impediti multitudine explicare se persultareq̄ue non possent, cum magna cæde in angustijs prælium sustinebāt. Ibi ardēte certamine, uidere erat uiros equosq; singulis ictibus transfodi, proturbari, ingentes cadauerū tumulos passim accumulari, cruore & morientium gemitu cuncta compleri. At in altera parte Constantinus perruptis hostiū ordinibus, & Michaëlis equitatu propè deleto, iam ad mediū agmē peruenerat: cōtracto q̄ue acri certamine primos impetu ac cæde turbauerat, quum Basilius tertiæ aciei ac uiribus suis diffidens retrocesit: nec tamen terga uertit, summæ rei euentum expectans. Namque equitatum, quem in terga hostium præmiserat ab ea parte improuidis subitam ex insperato, atque eo maiorem trepidationem iniecturum putabat. Sed pedites qui eos pepulerant, conuersis ordinibus in subsidiariam aciem, pleno gradu illati, omnem eius reliquam spem atque animum fregerunt. Ita Basilius cum globo nobilium equitū prælio excedens, citatis equis effugit. Fugientem secuta est ea acies, quam in subsidijs ad colles fuisse collocatā demonstrauimus, quum nec aspectum quidem cruenti atque uictoris peditis sustinere potuisset. Inde fœda fuga toto campo facta, media tamen acies acriter irruentes summa constantia excepit. Nam Basilius armatum quemque & pugnacissimos totius exercitus circa signa, & in eius agminis fronte posuerat. Diu itaque pugnatum est incerto euentu ac summa omnium contentione, perierēq̄ue nonnulli clari equites Poloni, & duo reguli adolescentes, dum ardentius in confertam hostium aciem equos concitassent. Tandem quum Lithuani & pedites profligatis cum quibus pugnauerant ab diuerso loco infestis cuspidibus superuenirent, Moscouitæ antequam in tergo pugnare cogerentur, sibi celerrima fuga consuluerunt. Poloni uictores, potiti hostium castris, magnā prędam ex regio apparatu, & quinq; millia equorum ceperunt, supra septem hominum millia interfecerunt. Michaël quoque, & cum eo illustres aliquot duces capti, quos postea Sigismundus uinctos cum signis militaribus triumphās Vilnam inuexit. Confecto prælio, ad oppugnandum Smolenchum exercitus ductus. Sed nō eadem fortuna bellum à Constātino administratum est: nāq; Basilius ex fuga intromissis delectis equitibus, oppidum nouo præsidio firmauerat: existimās si primos oppugnationis impetus prędiarij sustineret, Polonos postea quòd anni tempore excluderētur, de obsidione minimè cogitaturos: enimuerò sexto idus Septembris pugnatum est. Quamobrem Constantinus quum sua spe difficiliorem oppugnationem inuenisset, neque natura gelidæ regionis sub pellibus atque tentorijs contineri milites paterentur, desperata obsidione citra Borysthenem in hyberna reduxit exercitū. Paucis antè diebus quàm ad Borysthenem pugnatum esset, Selymus Turcarum imperator cum Persis in Armenia ad Calderanos campos secundo prælio dimicauit: exarsitq̄ue subinde uniuersa Asia duobus maximis bellis, quorum motus, causaq;, euentusq̄ue breuiter recensere nō alienum ab instituto opere existimaui. Post bellum Peloponnesiacū quo (ut suprà memorauimus) Naupactus, Coron, Pylus, Crysseum, Methoneq̄ue Turcarum armis cesserunt, quū Veneti reddita Neritho, quam ad Leucadem ui ceperant, authore Andrea Gritto, cum hoste pacem pepigissent, Baiazetes in posterum Europa abstinuit, toto animo in Asiam uersus, ut illinc nouis bellorū motibus occurreret, quibus sub aduentū Techellis noui Prophetæ, uiri apud eas gentes admirabilis, iam tū Lycaoniæ & Cappadociæ urbes agitabantur, magno quidem cōmodo Venetorum & Hungarorum, quibus Baiazetes nisi Asiatico tumultu reuocatus, pacē nequaquam daturus esse credebatur. Erat autem Techellis origine Persa, regię gentis cognatione antea clarus, sed longè illi maiorem famam & claritudinem addiderant studia literarum, uitę integritas, & summa religio, ob quæ postea diuini uatis nomen promeruit. Fuerat Aidaris cognomento Harduellis discipulus, uiri doctrina & probitate insignis, quem Iacuppus Chiorzeynal (id est, Persica lingua, strabo) magni Vssumcassanis filius crudeliter interfecit. De quo Harduelle breuiter aliquid memorandum existimauimus, ut quibus procellis iactarū sit Persarum imperium, quanto q̄; periculo Turcæ Techellis fama ac uiribus, tumultuantem minorē Asiā retinuerint, prodita rerū origine cognoscatur. Fuit Harduelles inter Persas regulus haud ignobilis, cæterùm ingenio ac moribus propè diuinus. Qui quū honores, diuitias, uoluptates, & cultioris uitæ commoda (quæ uulgò munera humanæ felicitatis appellantur) ueras ærumnas, fortunæq; ludibria existimaret, eaq; palàm ageret mira animi fortitudine, quæ populus continentiæ & doloris impatiens mi raretur, magis quàm imitari posse confideret: tantā excellētis uirtutis opinionem adeptus est, ut eum, quanquā imparem regiæ stirpi Asimbeius Vssumcassanes in generum sibi asciuerit, tradita ei Marta, quam ex Despina Caloiannis Trapezontiorum & Ponti regis filia susceperat. Eius autem connubij lex fuit, ut Vssumcassanes Despinam paterno more Christum Deum colere pateretur, atq; ita facilè euenit, ut Marta Despinæ matris authoritatem secuta, legis nostrę ritus perdisceret, unde postea obortam in Europa opinionem uidemus, Hismaëlem Sophū tanquam auiæ matrisq; disciplina imbutum, Christianos homines nusquam improbatis eorum sacris, in honore semper habuisse. Cur autem Caloiannes rex Christianus, Vssumcassani, uiro Mahometano filiam nuptui dederit, & ille conditionem acceperit, præclarè intelligi potest, utrunq; rebus suis timentem, ex ea cognatione mutua præsidia comparare uoluisse aduersus imporentem uim Othomani Mahometis, qui deleto Græcorū imperio in orientē uires extenderat. Sed Mahometes nouo, ideoq; Persis terribili tormentorū fretus apparatu, quum Vssumcassanē ad Tabendā quæ Toccata hodie dicitur, in Anserinis cāpis profligasset, facilè postea Caloiannē oppressit, Trapezōtisq; & totius Ponti imperio usq; ad Colchos in prouinciā redacto, eū Constantinopolim perductū in carcere necauit. Cæterū ut ad Iacuppū Harduellemq; reuertamur, existimauere plerij; regē metu potius rerum nouarū, q̄ optimi eius uiri obseruantia eas filiæ nuptias quæsiuisse, quoniā Harduelles uulgata noua religione, immutatisq; prisce legis mysterijs apud Taurisiū, quū è tota Perside Armeniaq; uisendi homini studio innumeri mortales cōfluerent, tantū sibi nominis ac uirium cōparauerat, ut si sectatores suos cogere atque armare uelle, magnas eum copias breui collecturū appareret. Illud in primis ueluti diuino spiritu afflatus persuaserat, neminem ex his post mortē cœlestia regna peritura qui Mahometē colerēt, nisi eos legis ritus sequerentur, quos Haly Mahometis interpres & socius, scribendo ac docendo posteris tradidisset. Ea erāt magna ex parte diuersa atq; aliena penitus ab persuasionibus atq; mysterijs quibus Asia omnis & Africa ea tēpestate tenebantur. Nā Homarem alterū ex Mahometis discipulis, tanquā gravius & certius leges interpretantē, Halis doctrinæ præferebant. Nec multum postea temporis intercesit, quum Iacuppus, Vssumcassane uita functo, in paternum regnum assumptus, Harduellis potentiā atq; eius religionis cœtus hominum suspectos habere,

bere,ac uereri cœpit,ne Persæ qui antiquorum regum stirpi occultè fauiebant, sub specie religionis atq; sacrorum coirent, & excitatis factionibus nouas res nondũ firmato imperio molirentur. Namq; Afsimbeius Vssumcassanes quondã Armeniæ procurator & dux,ualidæ equitum manus, interfecto Molaonchre legitimo rege,ui fraudeq; regnum adeptus fuerat: putabatur enim Molaoncher ex stirpe Gempsæ,maximi Parthorum Sultani,qui in oriente latum imperium usq; ad Bactrianos & Aracosios tenuerat. Vnde postea ortæ duæ hominum factiones,nam alij nouis regibus, alij autem prisco & regio sanguini fauere uidebantur. Quibus de causis Iacuppus, ut erat suspicaci turbidoq; ingenio, quũ regnandi causa neque necessitudine neque optimi uiri innocentia permoueretur,Harduellem nihil tale timentem submissis percussoribus interfecit,sectatoribusque eius aut cęsis aut pulsis, in posterum uano metu,atque inani sollicitudine crudelem animum liberauit. Hismaël Harduellis filius, qui nunc cognomento Sophus maximo terrarum orbis imperio potitur,eo tempore puer adhuc, per tumultũ fato quodam seruatus, auunculi sæuitiam uitauit, confugitque in Hircaniam ad Pyrchalim amicum paternum,qui supra Caspium mare,paucis oppidis imperitabat. Ex Harduellis uerò discipulis unus ante alios Techellis,qui postea Cuselbas, hoc est, Rubrum caput,cognominatus est, uirtute doctrinæq; notitia magistro comparandus, eam quoque tempestatem aufugiens, superato Euphrate in minorẽ Armeniam peruenit: posuitq; sedem in Antitauro monte,ubi ad radices perfossæ rupes natura atque arte hominum,opacos specus habent,qui rubra saxa ab incolis nuncupantur. Ea est salubris & peramœna loci facies propter frequentiam uarietatẽq; pomiferarum arborum ac perennes aquarum fontes,quibus & plana rigantur, & colles toto anni tẽ- B pore uestiuntur. Ibi Techellis procul à commercio hominum in altitudinem contemplationis conditus,dum diuina cœlestiaq; rimatur, per aliquot annos durissimam uitam egit,cõtentus his quę sponte terræ atque ipsius naturæ benignitate nascebantur. Is primò à pastoribus uisus & agnitus, deinde ab agricolis qui uictus duritiem pietatemq; hominis admirabantur,necessarijs ad uitam rebus donatus est: ac demum quum responsa daret, & iam maior homine uideretur,glisceute in immensum diuinitatis opinione à curiosis in pagos tractus,ac mox *inuito similis* in proximas deductus urbes, omnẽ prouinciam sui fama admirationeque compleuit. Nec publicatis semel nouæ legis interpretationibus mortales defuerunt,qui (uti apud Persas Harduelli acciderat) hominem adorarent, arbitrarenturq; nisi ea iussa præceptaque capesserent, animas post interitum corporis,æternos ignis cruciatus subituras. Talia frequentissimis concionibus atque responsis quum omnibus facilè persuasisset,mobilem gentem ac superstitionibus deditam, breui ad sui studium pertraxit,iussitque ut sectatores turbinatum capitis tegumentũ lintea in spiras circundante fascia pro insigni nouæ religionis rubro colore distinguerent,ita ut nouæ huius hæreseos studiosi à rubro colore pileorum, Cuselbasæ toto oriente uocitentur. Simili quoque sed meliore fortuna Hismaël eosdem ritus quos pater in Perside tradidisset, ingenuo animo cõplexus est: nãq; ipse posceutibus fatis, ut primum adoleuit admirabili uirtutis indole patris uestigia secutus, quum iam eloquio,decore uultus,sapientia,atq; animi magnitudine diuis ipsis quàm mortalibus propior haberetur, & maximum nomẽ & ingentes uires apud eas gentes compararat. Nec ignobile tantum uulgus, sed plerique natalibus ac diuitijs clari, semel capti nouitate religionis, ut præclarius eorum studium A uideretur,postquam ab uetere disciplina discessissent,eum in summam uirtutis & dignitatis existimationem euexerant. Ipse quoque nondum pubescens supra ueras uirtutes, inani etiam morum specie in sui admirationem cõpositus, opes, gloriam, imperium, quæ cupere uideri nollet, ut simulator egregius abnuenti persimilis adsequebatur. Non defuere etiam qui iurarent Harduellem patrem (ut erat syderalis scientiæ peritissimus) inspecta filij genitura Hismaëlem,& prophetam summum, & ueræ legis conditorem futurum, subactaque maxima parte Oriẽtis,Mahometis gloriam pietate & rebus bellicis æquaturũ, quæ haud temerè iactata in uulgus altiore materiam sermonibus præbuerunt. Nec multo pòst Hismaëli cognomẽtum Sophus, quod ab admiratione assentationeque familiarium multum antea iam cœperat, omnium consensu inditũ est,ut credi par sit petitum ab uetere Magorum memoria,qui quondam apud Persas ipsis etiam regibus imperabant. Nam Sophus apud eas gentes deorum interpretem sapientemque significat. His auspicijs haud dubiè in magnam spem gerendarum rerum erectus, auunculo Iacuppo ueneficæ uxoris fraude sublato, paternos agros & modicũ illud imperium,quod dotale matris fuerat, repetere cogitauit,armatis que suæ sectæ promptioribus,& à Pyrchale regulo sumptis auxilijs,ingressus Armeniam, fama magis atque hominum beneuolentia quàm uiribus,breui paternam ditionem uendicauit. Mox eo successu firmior factus,quũ multi qui Harduellis dogmata alieno periculoso; tẽpore metu mortis deseruerant,tunc oblato duce fiducia pleni, eandem hæresim sequerentur, adauctis copijs ad urbẽ Sumachiam quæ est in finibus Mediæ duxit: atque eam ui captam hostiliter diripuit. Capta Sumachia maximam cõsecutus est nominis existimationem, quæ fortia & prealta facinora nauiter audentes,ex primis rerum motibus ad summam uictoriæ sẽpenumero perducere consueuit: & quod postea pluri mum contulisse iudicatum est inermem magna ex parte exercitum ditatum præda, militariter instruxit. Inde non iam urbes,sed Persarum imperium animo uoluens,quum iam Fortuna quæ cuncta detulerat,uiam quoque melioribus fatis aperiret, ad Taurisium nobilissimam maioris Armeniæ urbem contendit. Ea urbs Persarum regia est, numero hominum atque opibus totius Orientis celeberrima, quæ antiquitus Terua uocabatur, distans à proximo litore Caspij maris itinere expediti equitis quatuor dierum,non longè ab emporio Derbento: ubi portæ ferreæ inter montes & mare angustias arcendis eo aditu Scythis præcludunt. Inuasit autẽ Sophus Hismaël Persarum imperium,nouaq; Maomethanæ superstitionis opinio, quam à patre cœptam aliquandiu supplicij metus oppressérat,promulgata & latè disseminata est,anno Christianæ salutis supra millesimum & quadringentesimum nonagesimonono, quo Italia Gallorum aduentu maximas adijt clades,& Veneti cum Turcarum classe ad Protum insulã congressi,fœdissimè rem gesserunt. Sed ut ad rerũ seriem reuertamur, aduentante Hismaële,Taurisij erat Aluantes Iacuppi filius,qui paulo ante de regni possessione cum Moratchamo fratre armis contenderat,eumq; prælio uictũ Armenia Persideq; pepulerat. Is,ut ciuilibus discordijs plerunq; accidit,quum primores ciuium qui in Moratchami partibus fuerant, armis persecutus occidendo aut proscribendo, in ipsa uictoria totã urbem mœrore atq; funeribus compleuisset, magnã sibi inuidiam cõflauerat. Quam occasionẽ nactus Hismaël, quòd ciuium animos odio sæuissimi regis (si propius accessisset) res nouas in urbe molituros intelligebat, instructo exercitu protinus ad urbis portas perrexit. Nec Aluãti, qui repẽtino bello oppressus, aut milites

lites comparare,aut ullo satis opportuno præsidio A mœnia firmare nequiuerat, tantum animi ac uiriũ fuit,ut aduersus eam belli molem persistendũ, aut de uita cum imperio dimicandum esse censeret. Quamobrem diffisus rebus suis,dum tumultũ atq; arma iratorum ciuium ex merito pertimescit, trepidanti atque attonito similis,urbe excedit: portæq; Hismaëli statim aperiuntur. Namque ciues,qui luctuosis temporibus quibus inter se de imperio reges decertarunt,maxima ex mutuis cladibus damna pertulerant,tutam in eo periculo atq; utilem pacẽ habere malebãt ab uictore tanti nominis, quàm pro cruento rege ad internicionem iterum dissentire,maximè quòd una omnibus incolumitas proponebatur, patebatq; amplissimus gratiæ locus apud nouum regem,his qui eius religionis disciplinam profiterentur. Hismaël ingressus urbẽ aliquot prætorianis per tumultum interfectis, qui fugientem regem sequi nequierant,sepulchrum eximij operis,quo aunculus more Persarum conditus fuerat,euertit,ossibus que disiectis,& abrasis tota urbe eius titulis, quò dolorem paternæ cædis expiaret, ac iusta persolueret parentis manibus, omnem illius memoriam aboleuit. Interea dum Sophus Hismaël Aluante incolumi minimè debellatum esse existimans maiores etiam copias parat, easq; aperto ueteri armamentario militariter instruit, crebris rumoribus ac nuncijs afferebatur aduentare Aluantẽ, quem ex fuga petisse Scyras urbem, atq; in ultimas regni partes ad mare penitus concessisse fama cognouerat: trahereque illum præter innumerabiles pedites,sex millia cataphractorum equitum, & magnum numerum sagittariorum, qui partim equis, partim camelis insideant,& Moratchamum quoq; fratrem in Assyria, ad urbem Bagadad (Semiramidis Babylon hæc olim fuit) exercitum comparasse, positisque in communi periculo priuatis contentionibus,uniuersas mox uires cum fratre iuncturũ. Hæc tametsi omnium sermonibus celebrabantur, nihil tamen eo apparatu territus Hismaël, quo deorum auspicijs & maiore aliquãto fiducia quàm prorijs uiribus posset,bellum gerere uideretur,ad hostem ire constituit, prouisaq; re frumentaria, ac lustrato exercitu urbe egreditur, nulla magis oratione usus,qua militum animos alacri spe compleret, quàm ut maturarent, & se ducem quem dij dedissent,ad certam uictoriam sequerentur. Aberat Aluantes à Taurisio itinere decem dierum, quũ Hismaël sui famam incredibili celeritate prætergressus,ad Niphates montes peruenit, qui Armeniã ab Assyria disterminant. Eos Aluantes magnam molẽ exercitus & plurima impedimenta more Persarum trahẽs,præmissis exploratoribus, qui ubi transitus difficiles forent,munirent uias, & saltum non uno in loco cæsis arboribus aperirent,breui superare de creuerat: quod ubi cognouit Hismael iudicans secũ imparato hoste ex æquissimo loco dimicaturum si prior ipse transcenderet, hostemq; apud quem, ut in nullo metu neglecta solutaque omnia futura essent inuaderet, cõtinuò in aduersos montes primũ agmen erexit,ac deiectis è summo uertice hostium præsidijs,eo ipso die uix dum refectis ex labore militibus, Aluantis castra quæ ad ulteriores montiũ radices erant,adortus est. Tanta è conspectu appropinquantium hostium in castris perturbatio exorta,ut præ tumultu ac trepidatione militũ arma poscentium, quibus fœminarum greges, lixæ, calonesq; pauidum genus immiscebantur, uix Aluantes quid fieri uellet præfectos docere, aut milites cohortari,aut denique aciem explicare potuerit. Ita irruentibus recta fronte Armenis, magnum atque atrox prælium cœptum. Neque Hismaëli cui nunquam animus uirtusque defuerant,eo die etiã Fortuna defuit. Namque per cuneos tribus simul locis aggressus hostem, antequam cataphracti equites, quorũ magna pars non stratos, non frenatos equos habebant,arma induerent, in aciem que prodirent, prostrata prima acie,peditatum in fugam uertit. Aluantes qui nihil earum rerũ antè prouiderat, quòd ad famam tanti comparati exercitus, nec Taurisij quidem,nec in Armenia omnino se inuenturũ hostem putasset,concursare,appellare milites, retẽtare conuersam aciem, ac multum ipse pugnare. Sed quum subita eius consilia quæ in ipso periculo capere cogebatur, nec duces nec milites exequerentur, pudore ac desperatione uictus, dum in primo agmine acrius pugnat,obtruncatur. Interfecto Aluante cæsisque Persarum promptissimis, cataphracti,qua parte uirium Aluantes superior erat, quum iam non esset pro quo depugnarent, effugere non dubitarunt. Idem fecere sagittarij,& cæteri postremi agminis milites, qui audito statim tumultu,fugæ magis quàm prælio arma atque animos præparant. Hismaël cum minore aliquanto hostium cæde quàm pro tantã uictoria quis crederet,castris potitus,quòd antequam fugatum hostem sectaretur, exanimatos milites defatigatione itineris ac labore prælij reficiendos esse existimabat,eo in loco per aliquot dies statiua habuit. Inde quum ab finitimis populis legati ad dedendas urbes superuenirent, & quò uictoria,eò etiam gentium fauor inclinaret, ad urbem Scyras exercitum duxit. Nec ciues multum antè ad famam ingentis uictoriæ parati ea facere quæ diuinus uictor que Hismaël imperasset,eũ urbe recipere,commeatu pecuniaq; iuuare in ea rerum commutatione recusarunt. Sophus ab supplici ciuitate omnibus diuinis atque humanis honoribus affectus,sæpe ad populum de præstantia noue religionis concionatus est, edixitque se pro hostibus habiturum,qui intra trigesimũ diem antiquos B ritus minimè reliquissent. Quamobrem quando illinc ex successu uictoriæ certissima præmia,hinc uerò si pertinacius abnuerẽt,exilia aut cruciatus proponebantur,breui omnem propè multitudinem in partes deduxit. Mox ex opulentissimæ urbis diuitijs persoluto militi stipendio, ueteres nouosque milites quibus arma,equi,tela,uestisue deerant, omnibus rebus instructos exornauit. Namque in urbe quæ inter cæteras Orientis summam obtinet claritatem,frequentes erant officinæ omnis generis armorum plenissimæ,ea mirabili ingenio artifices ex ferro chalybeq; recoctis,& ex herbarum succis addita insigni temperatura, longè elegantius, quàm apud nos id fiat fabricare consueuerunt: nec galeas tantum,thoraces, & ocreas, sed equorum etiam perpetua ex tenuissimis laminis tegumenta. Post receptam urbem Scyras,Sapham quoque,que Susa antiquitus fuisse existimatur, & Sulthaniam, quam propter admirabiles ingentium ędificiorum reliquias,Tigranocertã fuisse arbitramur,in fidẽ accepit. His rebus celeriter confectis, cõstitutisq; per singulas urbes suæ sectæ magistratibus,Hismaël superato Tygri in Mesopotamiã profectus est, ut Moratchamũ Babyloniæ possessione depelleret, arma adhuc exercituq; tenentẽ,quo (ut suprà memoratum est) iunctis cũ Aluante uiribus in Armeniã transire statuerat. Sed is fraternæ calamitatis exẽplo territus, quando Aluantes & Persarũ exercitus cũ amplissimis regni facultatibus, è tanto fastigio uniusdiei negocio corruissent, iudicauit minimè sibi armis Fortunã periclitandã: sed in ulteriora regni ad meliores casus expectandos,continuò fugiendum, quòd uictori hosti ac tum ingentes trahẽti copias, qui numerosum exercitũ parua manu cęcidisset,minimè se parẽ futurũ intelligebat. Igitur Sophus Hismaël tantæ uirtutis fama,magnitudine copiarum, & ipso deniq; deorũ immortalium fauore terribilis,Mesopotamiã ingressus cedẽte Moratchamo, & certan-

certantibus inter se populis,quinam primi uictoris gratiam deditionis celeritate mererentur, omnem prouinciam in deditionẽ accepit.Porrò Moratchamus nec copijs suis,terrore perculsus, satis fidens, nec ullis se urbium mœnibus credere tutum existimans,collecta supellectile cum uxoribus ac liberis in Arabiam profugit. At Hysmaël maximam Orientis partem uictricibus armis peruagatus, ab Assyria in Mediam transcendit. Vrbes,castellaq; aliquot in Zagro monte,quæ Aluantis præsidijs tenebantur, expugnauit,regressusq; in Armeniam Albanis,Hiberis & Scythis,qui ulteriorem Caspij maris oram tenent,bellum intulit: quòd eæ gentes tributariæ quondam Persarum regum ex occasione ciuilis belli, quo Persis totusque Oriens cum excidio regiæ domos proximè conflagrarant,neque tributa quartum iam annum persoluissent,neque solitas omnino legationes in tanta præsertim uictoria mississent. Dum hæc ab Hysmaële geruntur, Techellis Cuselbas, quem ex heremo in urbes ductum Armeniã, minorisque Asiæ magnam partem noua religione compleſſe paulo antè memorauimus,cõflato exercitu ex fœderatis eius disciplinæ hominibus, Turcarum fines inuasit.Enimuero quũ Techellis in cœtu mortalium futura sæpius mira felicitate prædixisset, Sophusque Hysmaël dudum exul & profugus non sorte,non humano subsidio, sed pietate ac certissimæ religionis auspicijs,in eam rerum amplitudinem creuisse uideretur, tanta suscipiendæ eius superstitionis omnium animos cupido incesserat, ut circumiectæ urbes atq; oppida iam plena essent his hominibus,qui pro tessera nouę professionis rubris pileis uterentur. Conuenere primo apud Tasciam urbem, quæ ad Antitauri radices sita est, supra sex milia hominum, ubi à Techelli persuasi ut arma capesserent, quibus si quid durius ab impijs Turcis accideret,sese & ueram religionem tuerentur,omnes iureiurando affirmauerunt se neque ducem in ulla fortunæ acerbitate deserturos,neq; pro sanctissimę hæreseos dignitate, cui iampridem corpora atq; animos deuouissent, laborem ullum aut ulla uitæ pericula recusaturos. Techellis postquam uidet suorum animos singulari omnium consensu summaque uirtutis fiducia confirmatos, quum pecuniæ quæ liberaliter à prouincialibus pietatis studio erogabantur, ad alendam tantam multitudinẽ non sufficerent,edixit,ut frumentatum quaq; uersum irent,& eorum maximè facultatibus atq; diuitijs uterentur,qui nouis sacris initiari nollent.Itaq; in plures manus diducti,è proximis agris magnam uim commeatus & pecoris in castra conuexerunt, ac mox crescente *multitudine*, è *finibus* Cappadociæ in Lycaonię ubertate agri & accolarum frequẽtia per nobilem regionem profecti sunt,ubi multis diebus eo terrore belli per agros impunè circumducto,seipsos aluerunt,tantumque formidinis omnibus intulerunt, ut qui oppida & uicos incolebant instante metu,omnes fortunas suas cum uxoribus ac liberis in urbem Iconium comportare cogerentur. Namque edictum Techellis nomine pluribus locis propositum erat,quo diuina humanaque præmia his omnibus ostendebantur, qui continuò in partes transirent,& uulgatam multum antea Persarum religionem sequerentur. Quòd si qui pertinacius in errore persisterẽt, eos quum gladium semel eduxerit, facesq; succenderit, nullum postea ueniæ aut saluti locum inuenturos. Omnibus tam atroci denunciatione perterritis,alij mortis metu,alij mobilitate animi,alij res suas agrosque omni religione potiora existimantes,alij uerò obærati,infames, capitalia ausi: prærerea serui complures, fuga facta quotidie ad Techellim transibant. Nec multo pòst Turcis contra arma parantibus, auxilia quoque equitum ab Hysmaële missa opportunissimo tempore superuenerunt.Nam quæ Hysmael ex fœdere communis. disciplinæ iam tum antea per legatos Techellim fuerat adhortatus, ut sacrosanctis cœptis insisteret,introductæque religioni uim armaq; adderet, ac magno animo progrederetur. Se enim negocio minimè defuturum, & peritos rei militaris qui ordines ducerent,& pecuniam qua castrensis apparatus comparari posset,continuè subministraturum. Hæc haud occultè Sophus Hysmaël cõtra Baiazetem moliebatur,ut paruis initijs,maioris belli causas fereret.Namque &ueteribus odijs quę propter bella continua cum Turcis intercedebant, & ex priuata quoque religionis dissensione Baiazeti infensus,nihil magis in maxima uirium amplitudine,& in secundissimo rerum cursu, iuuentæ etiã calore præferuidus, quam Othomanicum bellum animo uolutabat. Quin & legatos ad Senatum Venetias misit, qui fœdus atque amicitiam peterent, in eam maximè formulam, qua Catarinus Zenus, Iosaphates Barbarus, & Ambrosius Contarenus legati in Armenia cum Vssumcassane materno auo quondam pepigissent.Ii enim diuersa uia totũ Orientem peruagati,officiorum suorum ac itinerũ cõmentarios posteris reliquerunt. Id in primis Hysmaël postulabat, ut artifices qui ænea tormenta cõflarent ab Italia sibi per Syriam mitterentur, & decreta in Græciam atque Asiam ualida classe, Baiazetem maritimo bello distinerẽt, se uerò terrestribus copijs minorem Asiam completurum præbiturũq; pulcherrimam occasionem Venetæ classi ad ea recipienda,quæ in ora Græciæ superiore & recenti bello amisissent. Senatus legatis perhumanè ac liberaliter habitis respondit,neque ueteris amicitiæ,neq; fœderis quæ sibi cum Persarum regibus fuissent oblitum esse,gratamque semper futuram apud Senatum eius rei memoriam,sed eo summopere lætari, quòd nouus rex Sophus Turcarum hostis esset: quòd curę haberet communicare belli causam,atque ea policeri,quæ si Vssumcassanes Iacuppusque filius præstitissent,nequaquam sibi bellum cum Othomanis gerendum foret.Cæterùm eas esse rerum uices, ut sicuti Persarum reges domi ea tempestate ociosi occupato in Europa Baiazete, nihil sibi mouendum existimauerint,ita Senatum in deteriore & perinqua temporum conditione, quod uelit ac maximè optet præstare non posse,quòd pacem quinquennio ante cum Baiazete factam sibi minimè uiolandam existimet: occupari enim se quoq; grauissimo bello. Proinde suo regi referrent Senatum, quũ per occasionem posset,daturum operam, ut Sophus intelligeret nihil sibi Persarum amicitia antiquius esse,aut speciosius quicquam futurum, quàm Turcas Christiani nominis hostes,quibus ipse infensus esset, mutuis consilijs ac paribus armis oppugnare. Legati paulo pòst cum spe magis ineundi fœderis, quàm quod reipsa quicquam impetrassent, donati muneribus in Cyprum triremibus reuecti,in Syriã traiecerunt, habuereque occulta colloquia cum Petro Zeno (is Catarini legatione Persica clari filius fuit) qui tunc Damasci negociatoribus Venetis præerat.Qua de causa Baiazetes cognita legatorũ profectione, per oratores & literas questus est apud Campsonem Gaurum Ægypti regem, eum minus amicè facere, quòd Persarum legatos per mediam Syriam ad communes hostes ad concitanda externa arma transire permitteret.Vnde mox irato Ægyptio omnes Veneti mercatores,& ante alios ipse Zenus,qui Tripoli,Alepi,Beryti atque Alexandriæ agebant perducti Memphim coram Campsone sæpius causam ex cathenis dicere coacti sunt, uixque post annum quo omnes contumelias ab immanibus Mamaluchis pertulerant, uitam & libertatem impetrarunt. At Techellis Persarum auxilij firmato exercitu, ad Iconium celeberrimam Lycaoniæ urbem

urbem iam peruenerat, populatusq; uniuersum agrum, magnam hominum multitudinem ad cultũ nouæ religionis perduxerat.Quibus de rebus Orcanes & Mahometes Baiazetis nepotes, qui Alemsaco & Sciaësciao patribus morbo extinctis,his regionibus imperabãt,coactis copijs ne tantam ignominiam in conspectu nobilissimæ urbis à latronibus paterentur,in aciem descenderunt. Sed illi adolescentiæ ardore præproperi, quum iniquo in loco prælium commisissent, ab hoste fusi fugatiq; sunt. Neq; in ea uictoria Techellis ab oppugnatione Iconij temperasset,nisi tormẽta apparatusq; expugnãdarum urbium tumultuario exercitui defuissent.In deconuerso agmine per mediam latitudinem minoris Asiæ ad Ancyram, quam hodie Angorim dicunt, profectus est. Nec Corcuthus Baiazetis filius qui Thyatiræ,Sypili,Magnesiæ,Phoceæq; exercitũ comparauerat, quũ latè effusus hostis in proximo esset, aut procedendum, aut de prælio sibi omnino cogitãdum existimauit.Techellis per Galatiam infesto exercitu in Bithyniam contendens, nõ longè à Sangario flumine Caragius Bassam,qui Bellerbechus tunc erat(hoc est totius Asiatici equitatus magister) cum instructis copijs obuiũ habuit.Parauerat is paulò antè haud mediocrem exercitum ad famam imminẽtis belli, iusseratq; Achomatem natu maximum Baiazetis filium, Cappadocię Pontique præfectum conscribere nouos milites, & in tergo moliri bellum,ut Techellis si semel pelleretur, neq; se in tutum recipere, neq; in prouincia,obstante in tergo exercitu conquiescere, aut morari omnino posset.Sed hæc consilia Techellis sua celeritate præuertit, namq; maioribus itineribus ad hostem progressus,cum delectibus habendis intentum, aliasq; tanquam ad iustum bellum copias expectãtem, ad Horminium montẽ adeptus est. Nec Bellerbechus pugnam detrectauit, tametsi non prius quàm maioribus copijs exercitum suppleſſet, prælio decertare decreuerat.Erat enim in eius exercitu incondita peditum multitudo, homines ex Paphlagonia, Galatia, Bithynia & Ponto ignari militiæ, & magna ex parte inermes, ut fermè sunt qui imperati urbibus atq; oppidis inuiti militant, atq; uno nomine Asappi à Turcis nuncupantur. Virtuti autem uetera norum equitum summopere confidebat,quarum opera si aduersi quicquam accideret,cessurum se prelio & signa seruaturum arbitrabatur. Ex aduerso Techellis cui robur totum in pedite erat, nihil spei in fuga habere: sed in suorum uirtute uictoriam collocare,adhortari suos,ut reminiscerentur quam in regionẽ uenissent: Quæ, inquit,sociæ urbes,qui noui exercitus, qui alij dij tutelares, si pro his hodie malè pugnaueritis,uos excipient, aut iuuabunt? Agite uiri fortissimi atq; acriter irrumpite, ut uincẽdo & religionis dignitatẽ pro qua corpora atq; animos deuouistis, & salutem uestram tueamini. Hæc quũ diceret,tota acie horrendus clamor sublatus est, statimque concursum.Bellerbechus peditatum in medio, equites in cornibus collocauit, quibus hostilẽ aciem circumueniret. Techellis autem uno corpore atq; uno impetu quadratam suorum aciem induxit, equites quos Hysmaël paucis antè diebus miserat, in subsidijs reliquit. Non tulere Asappi impetũ neq; aspectum quidẽ Techellini exercitus,namque in fronte quiq; optimè armati constiterant,& pilata acies uno colore rubro cõspicua,quòd tota cruore conspersa uidebatur, tyronibus & imperitis hominibus formidinem intenderat. Ita quum uix horæ dimidio prelium Asappi sustinere potuissent, tota media acies cæsa fugataq; est. Equites Turcę qui in latera hostiũ utrinq; magno impetu incurrerant, tametsi multos sagittis lanceisq; confixerant, atq; ordines aliquantum turbarant, quòd pedites loco excedere & procurrere cogebantur, nihilominus quum de uictis Asappis,Techellini in cohortes atque manipulos sese diduxissent,& cominus prelõgis hastis equos petere cœpissent, & ipsi cõtinuò in fugam conuersi sunt.Persæ equites qui spectatores pugnæ fuerant, è subsidijs in fugientes turbatosq; inuecti, multos protriuerunt, longiusq; progressi; Bellerbechum sistẽtem fugam, nec ueri quicquam in densissimo puluere discernentem, circumuenerunt, cepissentq; eum, ni à fortissimis stipatoribus periculo exemptus fuisset. Equites paucis amissis fuga sibi consuluere. Asappi supra septem milia interfecti,præterea omnia peditum signa & uis ingẽs commeatus capta, Techellis quiete unius diei militibus data, ad urbem Cutheiam quæ ad Horminiũ est, exercitũ admouit.Ea urbs totius minoris Asiæ umbilicum tenet, Anatolięq; magistri equitũ sedes est,sicuti in Europa quę Romania dicitur apud Sophiam Mœsiæ urbem,alterum Bellerbechũ consido reuidemus. Fama enim erat magnas opes propter munitionis opinionẽ eò à finitimis urbibus in ipso terrore belli fuisse comportatas, & cognouerãt Bellerbechum se ex fuga in eam urbem cum nobilissimis equitum cõtulisse. Igitur Techellis dignã eam urbem ratus,quæ aliquo periculo peteretur, tormẽta minora quæ bello ceperat, & sagittarios idoneis locis imponit, ut propugnatores è muro destinatis ictibus deijcerentur.Demum comportari scalas, & tota acie pronunciari iubet, omnem prædam militum fore,his uerò qui primi conscenderent,maiora præmia tributurum. Ea spe murum subeunt, nulla ui hostium,nulla telorum multitudine,nullo mortis metu deterrentur, quin certatim scalas aut conscendant,aut per cõfragosa muri alij aliorum innixi humeris connitantur. Supernè uerò ingentia saxa, ardentes faces,& toto palsim muro feruẽtis aquæ, calcis, ac harenæ uis ingens in subiectos continuè peruoluebãtur. Nec in tanta certaminis iniquitate, quum multi ipso molarium pondere comminutis scalis,laceri,exanimes, atq; omnibus deniq; incommodis conflictati è muro præcipitarentur,quisquã tamen in eo periculo tot ingruentibus telis pedem referebat. Ignauiæ enim uirtutisq; militum testes spectatoresq; aderant Bellerbechus atq; Techellis, hic ne irrito incepto abscederet, ira & pudore accẽsus:ille ut dignitatẽ, salutem, ac omnes deniq; fortunas suas in eo discrimine tueretur,pari animo ducis atq; optimi militis officia implebat. Tandẽ fessis & magna ex parte saucijs propugnatoribus, quũ Techellis integros milites qui prelium exciperent, ac uulneratos reuocarent,continuè summitteret,facto impetu duobus simul locis per aceruos cæsorũ in urbem peruaserunt,obtruncatisq; propugnatoribus, ac refracta porta omnem exercitum introduxerunt.Inde per omnes domos miserabilis Turcarum cædes edita, expugnatumque eodem impetu prætorium, quo se cum familia Bellerbechus receperat. Dux ipse cum uxoribus captus,& prętorium secto marmore & nobili structura insigne concrematum. Cutheia capta & Turcarum spolijs ornato exercitu, Techellis in animum induxit expugnari posse Prusiam Bithyniæ caput, si priusquam hostiũ uires coalescerent, aut ciues perterritis omnibus, aliquid consilij pro tuenda patria capere possent, ipse confestim eò contenderet,& in ea fortuna, studio atq; ardore militum uteretur.Quamobrem indicta profectionis die, militibus imperauit, ut corpora curarent,scalas, arma, telaq; pararent, quibus opulentissimam urbem, nec mœnibus tutam, nec ullo firmatam præsidio, hostium opinione celeritus aggrederentur. Hæc parantem nouus Turcarũ exercitus, qui nuper ab Gallipoli per Hellespontum in Asiam traiecerat,à proposito oppugnandæ urbis auertit.Namq; Baiazetes multum antea,ad Techellis nomen,& ad Persicæ religionis famam excita-

tus, filijs, nepotibus ac Bellerbecho Asiæ præfecto scripserat, ut pararent arma, nouę superstitionis initia opprimerent: darentq; operam, ne quid detrimẽti in ea prouincia caperetur. Postquam uerò Techellim ex heremita imperatorem factũ, innitiq; eum haud obscurè Persarum uiribus, & ardere bello Asiã uidit, Halybassam cum Europæis copijs eò emisit. Erat Halybassa genere Macedo, tametsi eunuchus, uirtute tamen fortissimis hominibus comparandus, qui sub Mahomete multis fortibus factis militare gloriam, atq; optimi ducis nomẽ adeptus fuerat. Is deducto flore equitum ex Epiro, Macedonia, Mœsia, Illyrico, Thraciaq;, ac adiũctis sibi prætorianorũ septem milibus (Ianizari ij Turcica lingua uocantur) in queis ob confirmatam bellicæ laudis opinionem in omni Turcarũ expeditione, & summa uirium, & uincẽdi certissima ratio semper fuit, ex Chersoneso in Phrygiam profectus est, scripsitq; ex itinere Corchuto, & Acomati Baiazetis filijs, omnibusq; equitum præfectis (quos Sanzacos uocãt) ut quàm maxima possent celeritate copias compararent, & in Galatiam progrederẽtur. At Techellis de aduentu hostium certior factus, excedendũ Ponto, ac sibi omnino multis de causis in pacatã regionem redeũdum existimauit, ne coëuntibus undiq; Turcarum copijs, circumueniretur, néue cogeretur iniquissima belli conditione dimicare. Namq;, nec tutum iter nec pacatum quicquã si uel paruam aliquam moram traheret, se habituturum arbitrabatur, quum tãtum terrarum in tergo relinqueret, tot hostiles urbes, tot flumina, tot infensos populos, quæ omnia paulo antè primus hominum fauor, uictoriæque celeritas aperuissent. Igitur re ad consilium delata, quòd præfecti omnes tantulis copijs sine iusto equitatu, cum eo hoste qui & locorum notitia, & genere ac numero militum longè superior erat, prælio decertare summæ dementiæ, aut extremæ necessitatis consilium esse censebant, collecta preciosiore præda, ab Horminio per Galatiam citatiore itinere regredi cœpit. At Halybassa, cui, ut statim in Asiam uentum singulis propè horis à prouincialibus de abscessu itinereq; hostium literę, pernicibus tabellarijs afferebãtur, cognita eorum profectione, Sangarium flumẽ superat: ac transuersis itineribus rectà iter Cutheiam & Ancyrã, qua transituros hostes coniectura iudicabat, pergit. Inde quum minimum tempus, aut naturæ desiderio, aut lassitudini militũ tribueret, quintis castris ad Caraassar in plana Galatię peruenit, & nouissimos agminis hostiũ fessos, uulneribus debilitatos adeptus, interficit. Ibi Techellis, ut hostes atroci spectaculo edito, aut demoraretur, aut à persequendo deterreret, Bellerbechum quem uinctum trahebat, media in uia sequẽtibus spectandum palo infixit. Nec Halybassa horrendo clarissimi uiri interitu permotus, quicquam tamen de celeritate sibi remittendum existimauit. Quin milites consolatus ut æquo animo itineris laborem ferrent, ac paululum adniterentur, ut suppliciũ sumerent de immanissimis latronibus, qui, euastata prouincia, nec impuberibus quidem, aut deorum templis pepercissent, sequente die in Ancyreorum agrum descendit. Achomates quoq; cum decem milibus armatorũ, ut uires iungeret, eo ipso die superuenit. Quamobrem Halybassa qui nec cõtinuò quidem cursu, magnis itineribus antecedentem toto exercitu consequi poterat, iniquo animo ferens sæuissimũ hostem impunè elabi è manibus, insistere ijsdem fugiẽtium uestigijs, cum expedito equitatu cõstituit. Itaq; relictis pedestribus copijs & Achomati cõmissa exercitus cura, cum octo milibus equitum abeũtes citatissimo cursu persecutus, extremum eorum agmẽ ad Olygam montem, qui ab Ancyra parum distat lacessere, & inito acri prælio perturbare cœpit. Techellis, qui in edito idoneũ locum castris paulo antè ceperat, tametsi fassitudine atq; æstu torrẽtis solis exanimatos esse milites intelligebat, nihilominus, quũ æquissimo in loco, cum solis equitibus sibi rem futuram sciret, conuerso agmine, ac constitutis pro natura loci & temporis exigũitate suorum ordinibus, Turcarum impetum egregiè excepit: inuectosq; equites prælongis hastis sagittisq; summouit, apparebatq; hastatum peditẽ phalange facta, insultante equitatu, nec cessurum loco, neq; indignum quicquam superiore uictoria commissurum, nisi Halybassa mille amplius sclopetarios equites induxisset, qui per uices alij alijs turmatim miro ordine succedentes, plumbeas glandes in confertissimam hostium aciem spargerent. Qua procella, quum magnus eorum numerus sterneretur, necesse fuit phalangem solui. Inde hastati equites, qua dissipatis cæsisq; militibus densa & stabilis ea acies laxabatur, uehemẽtiore illati impetu cędendo sternẽdoq; totum propè primum agmen deleuerũt. Techellis in media suorum strage ubiq; conspicuus, quod unum in tantis malis remedium relinquebatur, ex prõptissimis atq; optimè armatis nouã aciem facit, eamq; à nouissimo agmine in frontem ductam, equitatui opponit, iubetq; pronunciari, ut milites pleno gradu pugnando in colles sese recipiant, eo consilio, ut milites timore adducti, non metu ipso, sed iussu imperatoris id facere uiderentur. Ita existimare naturæ loci diffisos hostes, urgendi insequendiq; finem esse facturos. Halybassa primo prælij successu ferox, haud dubiè iã inclinata uictoria equites cohortatus, ne spaciũ etiadendi in montem fugientibus relinqueret, premendo urgendoq; instarent: ac breuissimi laboris operam, qua bellum uel uno eo prælio finiretur, sibi ac Baiazeti imperatori præstarent. Hæc proclamans cum globo equitum per mediam hostium aciem perequitauit, ut cæteros accenderet, ac sibi nõ deesse uirilem animũ, in signi uirtutis facinore edito testaretur. Quod quum speciosius quàm pro disciplina iterum eodem ardore fieri posse cõideret, intercluſus & in medio circumuentus interficitur. Cæso Halybassa, puncto temporis, prælij fortuna commutata est: namq; Turcæ, qui dudũ pulsis stratisq; hostibus acerrimè præliabantur, ducis morte perterriti remittere pugnandi ardorem, sensim cedere, ac demum conuersis equis pugnæ loco excedere cœperunt. Ex aduerso Techellini qui plus spei in loci munitione, ac montibus, quàm in armis atq; uirtute posuerant, auctis noua spe animis, & in segni iam pugna collectis uiribus procurrere, truci ululatu uictoriam conclamare, atq; hostem in fugã uertere. Ita fortissimi equites pugnæ atq; itineris labore confecti, quum fessis ac fluentibus sudore equis persistere non possent, insignem certamq; uictoriam quam dux ipse uirtute partam, morte postea temeritateq; corruperat, reliquerũt. Techellis, tametsi nec refici equos, nec in patentibus campis turò consistere hostem posse, si uestigijs insisteret, sperabat, orbatus tamen suorũ promptissimis, atq; uniuerso exercitu, inedia, uigilijs, & uulneribus affecto, in Olyga monte conquiescere statuit. Inde paucos post dies trans Halym flumen ductis copijs ad Tasciam, & in Rubra demum saxa se recepit, nõ procul ab urbe Celenis, quam Marsya amnis Poëtarum carminibus inclytus mediã interluit, hodieq; Maras Aladoli principis regia uocatur. Turcæ ulti magis iniurias, quàm plenam adepti uictoriam, ad Achomatem, ubi signa & prætoriani milites erant, redierunt. Nec multo pòst Iunusbassa summæ uirtutis Epirota, qui magnum in militia usum habere dicebatur, à Baiazete delectus, cum imperio ad exercitum uenit. Is statim quum sibi copias omnes Achomates tradidisset, in Cappadociã profectus, dextrorsum ad Antitaurum iter flectens, paucis diebus ad

bus ad Tasciã peruenit, urendoq; ac uastando passim uniuersum agrum, sub radicibus montis posuit castra. Habebat Iunusbassa supra quadraginta milia equitum ac peditum: præterea magnum numerum curruliũ tormentorũ, ingentemq; uim omnis generis commeatus. Quo apparatu territus Techellis, quòd nulla auxilia ab Hysmaële mittebantur, quòd nullam tormẽtorum copiam habebat, quòd clade ad Olygã accepta faucios consternatosq; metu milites, tantæ multitudini hostium obijcere miserrimum putabat, mõtibus ac syluis se tenere constituit, sperans si munito in loco cunctaretur, aut uẽtura interim Persarũ auxilia, aut temeritate hostiũ non omnino iniquam pugnandi occasionẽ aliquando haud sibi defuturã. Interea singulis diebus haud satis digna memoratu prælia uarijs in locis conserebantur. Namq; Turcæ explorando queritando que faciles aditus circumuecti montes, sæpius accliuis collibus ad hostes perueniebant. Techillini contrà syluis euolabant, & è præruptis locis, quæ ipsi in castellorum speciem communiuerant, acerrimè depugnabant. Tandem, quum diu quotidiana consuetudine ueluti per lusum leuibus prælijs utrinq; uires tentarentur, animaduerrere nonnulli milites itinera duo nõ omnino difficilia, per quæ haud anguſtis callibus exercitus sub signis duci posset. Iunusbassa loci naturã contemplatus eodẽ tempore, hinc Asappos, illinc prætorianos milites cohortatus, erigere aciem in colles nõ dubitauit, qui per ardua leni gradu prætentis scutis aduersus hostiũ missilia subeuntes magno animo ingentem telorũ multitudinẽ sustinuerunt. Namq; hostes occupatis editioribus locis, ueluti è propugnaculis, & tela omnis generis cõijciebant, & maiores lapides prouoluebant. Sed directis in eum locũ minoribus tormentis, ab ea munitione deturbati, celerrimè locum reliquerũt, quũ signa scutatosq; ualida sclopetariorum manus sequeretur, & ueluti grandine effusa tota acies obrueretur: moxq; Techelle receptui canente, in interiores ac munitiores syluas se condiderunt. Sequenti nocte Techellis haud ignarus quantum sibi authoritatis ac uirium ex aduerso certamine decessisset, extinctis ignibus cũ maximo silẽtio saltu excesit, & per aduersos montes in minorem Armeniam descendit. Nec prius illorum fugam Turcę senserunt, quàm albescẽte iam cœlo, exploratores qui saltum ingressi, impedimenta, & paucos semianimes inuenerant, renunciauere euasisse hostes, eosq; præcipiti fuga petere minorem Armeniam. Quod quum Iunusbassa ex captiuis etiam cognouisset, impotenti ira gemens, frendensq; quòd nõ statim ab uictoria saltum omnem indagine clausisset, equitatum qui abeuntes sectaretur plurimis itineribus emisit: nequicquam tamen persecuti hostes, quòd Techellis notis tramitibus rectà in Armeniam properabat, paucis in itinere captis ad ducem redierunt: Pulso Techelle, Iunusbassa per omnes minoris Asiæ urbes intentissima cõquisitione habita, quos Persicę religionis cultores inuenit, omnibus tormentis ex cruciatos interficit: his uerò qui bello minime interfuissent, neq; arma tractassent, inusit frõtem, ut stigmate defectionis titulum præferrent, quos protinus cum affinibus, atq; propinquis eorum, qui secuti Techellim fuerãt in Europam traduxit: sparsitq; per Macedoniam, Epirum, & Peloponnesi oram, ne si Techellis, qui ad Hysmaëlem in finibus Scytharũ bellum gerentẽ cõfugerat, copias comparare alias, & bellum renouare uellet, coirent rursus, & nouas res, noua defectione molirentur. Vix dum pulso Techelli bellum aliud statim ortum atrox cruẽtumq; intestinis cædibus, quo clarissima terrarum orbis Othomanorum domus, unius ambitione atq; sæuitia ab stirpe propè interijt. Præcesserе imminentes calamitates prodigij loco habitę, ingens atq; terribilis, si unquã antea terremotus, ac subinde repentina & maximè grauis pestilentia, quæ Byzantiũ imperij caput ruinis atq; funeribus cõpleuerunt. Quibus periculis territus Baiazetes, ab pestilenti maris ora, in saluberrima Thraciæ loca secesit, egitq; cõplures menses sub Rhodope monte apud Hadrianopolim: ubi quũ minimè prospera ualetudine uteretur, nec dolore pedũ, & senecta inualidus munia imperij obiret, de successore deligendo cum purpuratis & familiaribus agitare cœpit, diffisus maximè filiorum ingenijs, quos præpotentes ferocesq; de imperio dimicaturos arbitrabatur: nisi sese superstite in principatum unus asciscereturr, qui conciliato fauore militum, opportunas regni arces, pecuniam publicã, classes atq; exercitus obtineret. Supererãt Baiazeti filij tres, Sciansciao, Mahumeto, & Alemsciaco iam pridem morbo absumptis, Achomates Corchutus atq; Selymus, florenti ætate omnes, sed diuersis inter se uitijs, atq; uirtutib. insignes, Achomates consilio, æquitate, belli & pacis artibus pollens, clarusq; quòd duobus iam regiæ indolis adolescentibus filijs stiparetur, secunda nominis fama ipsos præsertim Asiæ populos & principes aulæ, paternumq; animum occuparat. At Corchutus ob mite ingenium, tranquillioremq; naturã sapientiæ studijs deditus, tametsi cognitione humanarũ rerũ, ac ætatis prærogatiua ab Achomate superabatur, nihilominus quum apud patrẽ uetęris pietatis, & summi beneficij memoriam non omnino obliteratam esse conspiceret, imperium triginta antè annis apud eum depositum, repoſcebat. Namq; Mahomete uita functo & Baiazete eius filio in Cappadocia proculagente, prætoriani milites, & nonnulli equestris militiæ principes, qui tunc Byzantij aderant, Ilacho & Mesithe purpuratis attollentibus Corchutum adolescentulum imperatorem delegerunt, & traditis arcibus, atq; thesauris auito in solio constituerunt: ut ipsi tutelæ nomine, ex arbitrio cuncta imperij munia administrarent. Nec Baiazetes ab Amasia Cappadociæ rediens, quanquam se fraudatum iure imperij planeq; proditũ ab omnibus quereretur, quicquam tamẽ precibus & lachrymis impetraſſet, nisi in ipso egregiè pio, modestissimoque adolescente primis statim imperij diebus ingenuus pudor, & parentis reuerentia, omnem regnandi libidinem superassent. Siquidem Corchutus nolenti bus etiam his qui detulerant, sceptrũ patri restituit, unde illi mox liberalitate patris Lycia, Caria atque Ionia, cũ nobilissima Asiæ ora ab Attalico sinu Phoceam usq; cesserunt. Porrò Selymus maiores spiritus gerens quum priuatam fortunam minimè pateretur, uti rei bellicę magnopere deditus, una maximè liberalitate, astu, comitate, bonis malisq; artib. ad imperium contendebat. Nec maximum bellum & paternum regnum affectanti, studia prætorianorum deerãt, qui miscere cuncta bellico tumultu malebant, unde honores, atq; diuitię certa laboris atq; audaciæ præmia peterentur, quàm sub æquo sedatoq; principe, qui esset damnosæ pacis cultor inglorius otiosam inutilemq; militiã perferre. Is habitus animorum erat in prętoriano equite, & Ianizarorũ peditum consensus, quum Baiazetes qui haud dubiè Achomatem successorem sibi destinabat, sparsis in aula super ea re non omnino uanis rumoribus, filios pari ambitione ad imperium properantes suis sedibus exciuit. Primus omnium Selymus classe in Ponto comparata ab Trapezunte urbe Theodosiã adnauigauit: adijtq; in eadem Chersoneso Mahometem Pręcopitarum & Tartarorum regem, cuius filiam iam antea inuito Baiazete uxorem duxerat. Eum detectis consilijs suis obsecrat, obtestaturq; per fœdera sanctissimæ cognationis, ne sibi genero in summa rerũ occasione deesse uelit, docetq; quanta sibi spes adipiscendi imperij ab amicis prætoria-

nisq; militibus proponatur, si propius accedat,pa- A
tremq; de transferendo imperio cogitantẽ,aut arte
conciliet, aut ab instituto cõsilio eligendi constituẽ
diq; successoris,ducto in Græciã exercitu armis de-
terreat.Tartarus collaudatis eius consilijs, ut soce-
rũ decuit, alias confestim naues ex Ponto atq; Mæo
tide, uicinisq; præsertim Coppa Tanaq; emporijs,
quæ sunt ad Tanaim amnẽ, cogi iubet. Quindecim
milia equitum armat,atq; hæc omnia Selymo attri
buit,ac maiores copias si bello contendat,se conti-
nuò missurum pollicetur.His properè confectis Se
lymus Borysthene superato per Valachiam profe-
ctus, Danubium apud Cheliam urbem equitatum
omnem traducit. Classem uerò ad Varnæ portum,
quæ Dionysiopolis olim fuit,in finibus Bulgariæ &
Thraciæ cõuenire iubet. Ipse alias ex itinere copias
conscribens simulando aliud, quo suum consilium
tegeretur, expeditionem in Pannoniam edicit. At
Baiazetes,qui Selymum ab Trapezunte in Europã
multo antè trãsisse cognouerat,admiratus quòd nõ
planè sedato Techellis & Persarum bello, ex Asia
discessisset,quòd priuato consilio contractis exter-
nis auxilijs aduersus pugnacissimam Hũgarorum
gẽtem difficile bellum pararet, quòd loca Thraciæ
proxima terrestri exercitu, Euxinum uerò ualidis
classibus obtineret, timere cœpit ne hæc omnia cõ
tra se pararentur. Enimuerò inquieti turbidiq; ho-
minis ingeniũ callidus pater perspectum habebat,
uel ex eo maximè, quòd se inscio superbè admodũ
ac insolenter,ducendam sibi uxorem è Tartaris iu-
dicasset, ac summa demum arrogantia exercitus ter
ra mariq; parasset : intelligebatq; modico eum im-
perio non contentum fore, qui amplissimum auda
cia ac scelere parare posse confideret. Attamen eius
uim atq; ferociam dissimulatione leniendã magis,
quàm eo tempore contumelijs exagitandam existi
mans, oratores ad eum mittit: qui doceant quanto B
cum periculo Turcæ superioribus tẽporibus ea bel
la tractauerint, exemplo debere esse auum Maho-
metem,qui infeliciter Pannoniorũ arma sæpè exer
cuerit,proinde commodiorem rerum occasionẽ op
periretur,ut maturiore ideoq; tutiore cõsilio,& ma
ioribus uiribus id bellũ suscipere,& cum certa pro-
pè spe uictoriæ gerere posset. Ad hæc Selymus re-
spõdit, se Achomatis iniurijs extimulatum, Asiam
reliquisse,transisseq; propterea in Europam,ut am-
plioris ditionis præfecturam pro angusta scilicet ste
rilíq;, & tum ex inducijs pacata, quàm spectantem
ad Hiberos & Colchos, inter saxa montium degen
tes pater attribuisset, sibi armis ex hostili prouincia
uindicaret. Quòd uerò Hungaros tanquam insupe
rabiles bello minimè lacessendos dicerent, se non
esse eius animi,ut ullis periculis, ullísue difficultati
bus terreretur, quando antiqua illa iam mutata es-
sent, mutatis scilicet regibus, & nõ labante modò,
sed ferè euersa gentis uetere disciplina, Vladislaus
dispar ingenio uirtuteq; Matthiæ fortissimo suc-
cessisset : nec ipse morte aut belli communes casus
ab ineunte ætate timere didicerit. forti enim animo
& honesta quidẽ petenti audentiq; neq; deos neq;
homines defuturos. Decreuisse se pro sua dignita-
te, quam pater nimia fratrum potẽtia confregisset,
aut in acie non indecoram mortem, aut propagare
imperij fines, ne omnino postremo loco natus, in
Othomanica domo postremus quoque uirtute, &
gloria uideretur. Legati tametsi Selymus omnibus
sermonibus nihil pacatum ostenderat, munera ta-
men patris nomine,quibus ferox atq; immitis ani-
mus molliretur,addiderunt. Nam Samandriã,quã
Scenderouium Belgrado oppositum Hungari uo-
cant,ualidã Mysorum urbem in Pannoniæ finibus,
& complura oppida regionis ueteri eius imperio
adijciunt,itemq; sexaginta aureorũ nummûm mi-
lia dinumerant. Præterea lanceas addunt, & sericas
uestes mille numero, magnamq; uim commeatus,
quibus rebus cõtractos milites donaret atq; aleret,
ne spe prædæ domo exciti grauiter ferrent, si absq;
munere dimitterẽtur. Selymus oblatis opportunè
muneribus acceptis,ambiguo magis responso atq;
incerta spe suspẽsos legatos ad patrẽ remisit, quàm
quòd ex antiquis cõsilijs suis quicquam remiserit.
Exacuebant animum imperij cupiditate accensum
occulti ab amicis nuncij, ac literæ monentes uti ap
properaret, atq; omnẽ spem in celeritate poneret,
quòd sub eius profectione Achomatem à patre ac-
cersitũ ex Cappadocia mouisse arma cognouerant.
Interea Baiazetes his etiam de causis permotus, ad
id quod animo multum antè proposuerat descen-
dit, ac regem successoremq; dicturũ profitetur, qui
se annis ualetudineq; confecto,parem tanto impe-
rio regẽdo uigorem integræ ætatis afferret. Ea quũ
per quatuor Bassas,qui bello paceq; proximum re-
gi locum obtinent,prætorianis militibus deferren
tur, extemplò ab omnibus ordinibus reclamatum
est,se nullum alium quàm Baiazetem, cuius auspi-
cijs amplius triginta annos meruissent, imperatorẽ
uelle : nõ passuros priuatum eum in obscuro uitam
agere, qui tot uictorijs,tot urbibus bello captis, O-
thomanicum imperium in summam amplitudinẽ
perduxisset. Eum enim ex literis ad imperij sedem
suo tempore peruenturũ,qui patri legitimè succes-
surus esset,uiueret modò ipse incolumis,ac multos
regnaret annos.Intolerandum quoq; cunctis uide-
ri,quòd præmijs per interregnũ dari solitis, ex ipsa
externæ religionis hominũ prẽda, odioso eius inso
liti facti præiudicio,milites fraudẽtur. Namq; mos
est,ut defuncto statim principe,Iudæi & Christiani
expositi Turcarum iniurijs,qui Byzantij, Peræ, Ha
drianopoli,Thessalonicę,Prusięue mercaturę causa
degunt, à prætorianis per tumultum mercimonijs
omniq; substantia spolientur,prædæq; habeantur.
Neq; prius milites sacramento rogati in uerba noui
principis iurant,quàm is omnem prędam donatiui
nomine concesserit,& per caput suum quod maxi-
mum apud Turcas iusiurandum existimatur, affir-
marit se nullam ex sontibus petiturũ pœnam, atq;
omnem eius maleficij memoriam aboliturum. Baia
zetes postquã omnibus consilijs suis aduersari mili
tes uidit, ut corruptæ eorum mentes ampliore pe-
cunia caperentur, quingenta aureorum milia præ-
torianis se diuisurum pollicitus est,si Achomati fa-
uerent, neq; ius, aut potestatem dicendi noui regis
intercessionibus impedirent. Nec publicani redem
ptoresq; deerãt,qui magna ex parte ab ijsdem pere
grinis mercatoribus, eam summam se exacturos &
in gratiã Baiazetis repræsentaturos profiterentur.
Vicit tamen Fortunam Achomatis improbitas &
peruicacia prætoriani militis,quanquam magna e-
rant quæ proponebantur : siquidem uberiora præ-
mia destinauerãt animis, si pro temperato proboq;
principe,prodigijs ferox,& pacis impatiens,studio
atq; opera militum ad imperium eueheretur. Per
hunc modum sua spe depulsus Baiazetes,dissimu-
landum sibi in præsens,& compresso animi dolorẽ
ignominiam, quam occultè ferendam existimauit,
dum sese occasio cõficiendę rei aptior & tutior ape
riret. Interea Selymus ab amicis certior factus quã
to studio, quantaq; partium contentione prætoria
ni patris conatibus obstitissent, ne diutius hominũ
uoluntates mora & tarditate frustraretur, neu pro
pensissimis in se militum animis diffidere uidere-
tur,relictis Pannoniæ finibus exercituq; in Thraciã
ducto,non longè ab Hadrianopoli loco edito con-
sedit, unde castrorum fremitus exaudiri, & tẽtoria
è summis urbis tectis conspici poterãt. Mittitur in-
de ab Selymo in urbem nuncius, qui mãdata patri
ferret. Eorum summa fuit desiderare se plurimum,
qui per multos annos absens patrem nõ uidisset in
eius

eius complexus deuenire, antequam Trapezõtem A
petiturus mare traijceret, quando eũ exacta & prę-
cipiti ætate nunquam fortè esset interuisurus. Per-
tinere quoq; ad quietem Asiæ,liberorumq; concor
diam, si apud patrem, communem arbitrum & di-
sceptatorem controuersiæ proponerentur,quę sibi
cum Achomate intercederent,nec tutò seruorum si
dei committi possent:statueret colloquio diem,lo-
cumq; deligeret, nec grauaretur exosculãdę manus
facere potestatẽ,quod obscuris & tenuibus amicis,
nedum liberis,maiores tribuere cõsueuissent.Baia-
zetes qui paucis antè diebus cognito Selymi aduẽ
tu,planeq; perspectis eius consilijs,aliquot Sanzac-
cos cum delecto equitatu è proxima Græcia præsi-
dio acciuerat, & custodias in urbe disposuerat, ti-
mẽs ne specie colloquij milites à filio amicisq; eius
deprauati, qui iam tum onerati promissis atq; mu-
neribus occultè desciuerant,ab se penitus alienarẽ-
tur, atq; ipse demum uel aperta ui, uel insidijs circũ
uentus opprimeretur,spem omnem colloquij tol-
lendam iudicauit : grauiter incusato Selymo,quòd
alienam prouinciam introductis copijs occupasset,
quòd armatus colloquium postularet,quòd deniq;
sua humanitate ac patiẽtia, tam insolenter abutere
tur: non esse ab eo quicquam expectandũ,quod ad
concordiam pacemq; pertineat,qui externo equita
tu circundatus,iniussu patris bellum pararet,& fide
lissimas Othomanico nomini gentes,per quas iter
faceret, effusè popularetur. Proinde eũ rectè factu-
rum si Thracia,Europaq; excederet,& dimisso exer
citu in Põtum prouinciam suam reuerteretur. Hoc
si faceret, maiorem sibi quàm unquam antea apud
patrem gratiã beneuolentiamq; pariturũ: sin in in-
cœpto persisteret,se eum nõ pro filio, sed pro hoste
habiturum,nec defuturos qui tantã audaciam,sum
mæ proximã perfidiæ,statim ulciscerentur. Dimis-
sis legatis,Baiazetes ea quę secuta est nocte per spe B
culatores cognoscit Selymũ motis castris rectà By-
zantium petiturũ:quòd ab amicis accerseretur,qui
existimarẽt si ipse cum exercitu propius accederet,
in urbe intestinos motus orituros. His cognitis By
zantio timens,ne Hadrianopoli sedẽdo, imperij se
des amitteretur,prima luce proficisci constituit. Di
scedente autẽ Baiazete, Selymus trepidantibus Ha
drianopolitanis, ne si resisterent intempestiua fides
exitio foret, urbẽ ingreditur:recreatoq; ex pręsenti
urbis copia uniuerso exercitu, quod antea sibi ani-
mo agendum proposuerat, ut patrem antecederet,
maioribus itineribus Byzantium uersus cõtendit.
Vix dum Baiazetes ad uicum cui nomen est Chiur-
lus peruenerat (is medio fermè itinere à Byzantio
uiam militarem amplectitur) quũ ab coactoribus
agminis cõclamatur adesse hostium antecursores,
eos carpere nouissimos ordines, & iam lacessendo
instandoq; uniuersum postremum agmen demora
ri.Baiazetes noua re perturbatus magis,quàm terri
tus, ne quid fugæ simile profectio habere uidere-
tur, statui signa omnemq; exercitũ consistere iubet,
eo proposito,ut si acrius instaret hostis,acie decerta
ret.Duces & purpurati qui aderãt,Selymo obliquè
callideq; fauentes, non probare consiliũ imperato-
ris,quòd leuitate atq; audacia filij usq; adeò permo
ueretur,ut prælio rem committendam existimaret:
funestissimam fore uictoriã si inconsultè superbien
tem,ac nihil nociturum filium superaret. Cõtrà, pa
trem si fortè succumberet miserrimam conditionẽ,
cum uniuerso exercitu subiturũ, cuius euentus tan
to periculosius instare discrimen, quanto ipse & re
rum bellicarum apparatu, & numero copiarũ esset
inferior. Cõprimeret iram, nec tot eximias laudes
bello paceque partas,in extrema ætate, fœdo exitu
maculare properaret. Huius sentẽtiæ princeps erat
Mustaphas antiquior è tribus purpuratis,qui sum-
mæ rerum consilio præpositi Bassæuisir appellãtur.
Erat Mustaphas ex oppido Seres, apud Amphipo-
lim Græco sacerdote genitus,ingenio uafro,subdo
lo,semperque uenali, quos animi morbos maligno
obtutu distortisq; oculis pręferebat. Secundũ Mu-
stapham erat Bostanges hortorũ præfectus,ex Du-
cagina familia apud Ætholos clara & illustri, pro-
pterea Ducaginoglis appellatus, homo auaritia,
ambitione, perfidia infamis, ut & postea turpissi-
mus uitæ finis ostendit.Huic Selymus filiam ætate
iam nubilem in præmiũ corruptæ fidei,occulta pa-
ctione desponderat.Quibus etiam artibus Aiacem
Ianizarorum prætorijq; pręfectũ perpulerat,ut sibi
ad imperiũ,quo se fatis uocari prædicabat, conten
denti,studium suum operamq; præstaret : centurio
nesq; singulos opimi donatiui promissione in par-
tes traduceret.Eodem cęteri minores duces,aut ea
dem pręmiorum spe corrupti, aut potentioribus re
fragari non ausi,inclinabant. Vnus omnium Cher-
seoglis Bassa uir egregiè probus, sine ullis fallacijs,
constanti atq; integra fide erga imperatorem eun-
demq; socerum , Selymi impotentiam, supra fas &
æquum insolescentis,retundendam ui,armisq; cen
sebat.Admonet me locus postquam in mentionem
Cherseoglis incidimus , ut propter uiri claritatem,
cum summa erga Christianos pietate coniunctam
eius ad Turcas transfugij causam paucis enarrem.
Nõ enim,ut cęteri ferè omnes à prima pueritia per-
delectus Christianis parentibus erepti, sed iam plã
nè uir,ita à morum religione discesit, ut nunquam
ex arcano uerę pietatis obliuisceretur.Is Chersechij
reguli in Illyrico,ad montem Nigrum filius, quum
adamata ei sponsa quæ erat è stirpe Seruiæ Despo-
ti,ad paratas nuptias duceretur,concupiuit eam illi
co,quòd esset egregiæ uenustatis,procaci oculo im
probus pater, omnemq; pudorem superante libidi
ne, sibi statim impotenter excluso filio nuptias cele
brauit,frustra reclamantibus propinquis,qui id fa-
cinus filio cõtumeliosum patriq; & domui infame
detestabantur. Itaq; iuuenis tantæ iniurię indigni-
tate commotus, præcipitiq; actus desperatione,ad
proxima Turcarum præsidia, atq; inde Byzantium
se cõtulit. Hinc mirari licet quantum in eo fortuna
potuerit.Productum siquidem Baiazetes,quum lę
to ore,quòd erat nobili claroq; patre genitus,exce-
pisset,&trãsfugij causam probasset,subridens,Esto
inquit, pacato animo generose, ab ista indole tua
maiore multo quàm paterna domus ferat,sorte di-
gnissime. Iam tibi pro erepta sponsa obscuri & exu
lis reguli propinqua maximi imperatoris filia, eaq;
præcellẽtis formę,matrimonio tradetur.Nec mul-
to pòst abiurata Christi religione,Stephaniq; nomi
ne deposito, Achomates & Cherseoglis uocatus,
Baiazetis gener effectus est, indeq; locum summæ
dignitatis inter Bassa purpuratos promeruit:tanto
tamen nostræ religionis studio,redeundiq; deside-
rio,ut quum in arcano animi nostra religio cõdere-
tur,crucifixi seruatoris imaginẽ,in secretissima cu-
biculi parte armario inclusam, noctu exclusis arbi-
tris,adoraret.Hoc nos à Ioanne Lascare,cui ipse tã-
quam amicissimo eam imaginem ostendit, accepi-
mus.Hic Methone capta,patritios Venetos,quum
reliqua captiuorum multitudo,crudelem in modũ
Baiazetis iussu in eius conspectu trucidaretur,exo-
rato principe conseruauit, Andreamq; postea Grit-
tum,quem aliquot post annos inclytæ uirtutis no-
mine Veneti principem crearũt, captum Byzantij,
teterrimoq; supplicio destinatum, non modò suis
precibus eripuit,sed impetrandæ pacis magno rei-
publicæ Venetæ commodo authorem fecit. In-
numerabiles Christianos barbaris seruientes, cùm
authoritate,tum ære suo piè redemit.Nec illud qui
dem erga literarum studia eximiæ benignitatis offi
cium prætermittendum uidetur,quòd Lascari,quẽ
supra memorauimus Græcorũ nobilissimo,pariter

atq; doctiſsimo antiquos codices iuſſu Leonis decimi conquirenti, cunctas Græciæ bibliothecas impetrato ad id regio diplomate, liberè excutiendas aperuit. Huius igitur uiri Baiazetes, ea quam ſuprà diximus adhortatione confirmatus, quum è prætorio inuadentium iam hoſtium, ſuorumq; trepidantium ſtrepitum, clamoremq; audiret, & frequentes nunciarent Selymum direptis aliquot ſarcinis, Tartaricum equitatū extremo agmini circumfudiſſe, fremens & prę imporenti ira lachrymas fundens, è tabernaculo prodit uehiculo impoſitus, quòd pedibus æger equo uti non poterat, conuerſuſq; ad prætorianos de more circumfuſos, orationem habuit plenam animi priſtineq; uirtutis. Qua ratione permoti ex Ianizarorū ordine gregarij milites, quibus propter eorum leuitatem & multitudinem, duces atq; cēturiones ab Selymo pecunijs expugnati, cōſilia trāsferendi imperij minimè communicauerāt, conclamare cœperunt, ne dubitaret prælium committere, & ſuam fidem priſtinamq; uirtutem experiri, tanta quidem alacritate ac ſtudio omnium, ut uoce, manibus, & telorum crepitu ſe fortiſsimam operam præſtaturos ſignificarent: & magno cum dolore infidelitatis ſuſpicionē ſuſtinere uiderentur. Hos cęteri eodem clamore ſecuti ſunt, qui iam animo in Selymum inclinauerant, & illi in primis exercitus, atq; aulæ principes commutata uoluntate, ſiue pudore ſceleris, ſiue eo metu, ne ſi intempeſtiuè cōtra multitudinis opinionem atq; iudicium aliquid tentaretur, exitiabili incœpto, & Selymi ſpem omnem abrumperent, & ſeſe præcipites darēt. Igitur, ut eſt eorum hominū cōſuetudo, qui mobilitate atq; malitia animi, dum conuinci aut deprehendi maximè timent, præſenti perfidiæ ſecundū ſcelus nouamq; perfidiam addunt, Muſtaphas atq; Boſtanges ad cohortandos milites inſtruendamq; aciem, ut palàm ſummū ergā imperatorem ſtudiū ſimularent, è prætorio diſcedunt. Baiazetes curru uectus, monente atq; inſtruēte Cherſeogle acies hoc modo cōſtituit. Vniuerſum Sanzacorū equitatum (erant enim circiter ſex milia) præcedere, prætorianas uerò nobiliū alas, quas Spachioglanorū & Siliphtarorū uocant, ex inſtituta regij agminis ratione à dextra læuaq; prætorię phalagis ubi ipſe erat, latera ſtipare iubet, pręſidio autem impedimentis ad quatuor milia ſeruorum equitum relinquit. (Hi cultu apparatuq; armorum auratis criſtatisq; capitum tegumētis, etiā ipſos Sanzacos & purpuratos, dominos ſuos uirtute æquantes cùm pręſidio, tum ſpendori & pompæ habētur) ac demum ſigna canere, rubrumq; uexillū explicari imperat. Ex aduerſo Selymus Tartaris in utroq; cornu, Turcis autē in medio collocatis, luna ta acie, quòd multū equitatu ualebat, paternas copias ferè undiq; circumplexus, impetum fecit. Tartari, quum ad hoſtem intra ſemiſtadij ſpaciū peruenirent, agminatim more ſuo ſeſe in gyros magnosque orbes introrſus uacuos, coronæ modo decurrentes, ut aduerſi auerſiq; pariter ſagittarēt, magnā uim ſagittarum uniuerſę propè aciei ſuperfuderūt, cum inſigni utiq; Turcarum equitū equōrumq; maximè detrimento, quum Tartari, qui introrſus à prima ipſorum acie ſunt non rectā in hoſtem, ſed in cœlū ſagittent, ut ſagittæ grauiore impetu pondereq; decidentes, inermia capita & nudos equorum clunes armosq; ex alto feriāt. Sed ueterani equites Sāzacorum uſu edocti, elatis ſupra capita ſcutis, uelut in cohærentem teſtudinem conſtipati, eum ſagittarum imbrem conſtantiſsimè pertulerunt, concitatisq; equis, & intentis haſtis, ad congreſſum manumque uenire properarunt. Neque prætorianus eques occaſioni defuit, quin in mediam Selymi aciē ubi Turcæ equites erant inueheretur, atque ita repentè factum eſt, ut tria prælia tribus in locis uno tempore ſimul arderent. Nam Aiax ſeptingentos circiter ſclopetarios è Ianizarorum phalange detractos, Tartaris in extremo eorū cornu oppoſuerat, & ſeruorum ala, quam diximus impedimentorum præſidio relicta, uti erat nauandæ operæ cupida, altero cornu Tartaros ſarcinis hærentes cum multa cæde repulerat. Pugnatū eſt à meridie ad occaſum ſolis Selymo multis in locis prælium reſtituente, longeque omnium acerrimè fortiſsimeq; pugnante. Sed quum fugæ initium iam ortum eſſet ab his Tartaris, qui ſclopetariorum procellam & crepitū, pauentibus pręſertim eorum equis, & retro uel inuitos ſeſſores aſportantibus, ſuſtinere nequiuerāt, reliquę acies quin fugæ ſe darēt, neq; imperio, neq; minis, inflictis etiam uulneribus contineri potuerunt, atq; ita pedites ferè omnes, quos Selymus Ianizarorū cultu armauerat, ab equitatu uictore undiq; circumuenti trucidatique ſunt. Selymus ubi ſuas proſtratasq; copias uidet, quòd uulnere accepto tardabatur, in recentem equum illatus, ereptusque periculo à turmis Turcarum ſuorum quæ ſuper fuerant, Tartarorum antè abeuntium ueſtigijs inſtitit. Nec multo pòſt uictores ſcilicet ſubſequi & iā adeſſe ratus, cum paucis incitato pernicisſimi equi curſu, ſeſe utiq; faris ſuis reſeruans, Varnam perfugit. Erat is equus unicolor abſoluta nigricie, cui Carabulo, id eſt, atræ nubi nomen fuit: huic poſtea Selymus tanquam emerito uacationem dedit, ſic, ut in honore habitus ſine ſeſſore, ſola ex textili auro ſtragula protectus, ad Perſas uſq; & mox in Ægyptum deueheretur, eiq; demum mortuo ad Memphim, Alexandri Magni exemplum ſecutus, ſepulchrum condidit, regio quidem animo, niſi necati ab eo fratres, ſepulturæ honore caruiſſent. Baiazetes ea die ex his, qui cum Selymo fuerant paulo minus dimidia parte cæſa aut capta, ſexcentos tantum equites peditesq; deſiderauit, Scythicis autem ſagittis amplius tria milia hominum uulnerata reperit: quod detrimentum ſumma crudelitate mox expiatū eſt: producti enim captiui ferè omnes in conſpectum, iubente eo, trucidantur. Ab hac memorabili pugna Chiurleus pagus, antea obſcurus & ignobilis, claritatē accepit. Sed multo quidē maiorem à fatali Selymi ſorte, quum paucos poſt annos eodem in loco Selymus, peſtifero atroci q; ictus morbo, immaturum acerbiſsimumq; uitæ finem inuenerit, magno Deo (quod credi par eſt) primæ temeritatis ſcelus uindicante, & patrati parricidij iuſtas exigente pœnas. Neque enim ſuperi eos in terris diu felices eſſe uolunt, qui ab immani crudelitate omnem humanitatem exuerint.

SVPPLEMENTI
LIBER IIII.

BAiazetes ſecūdum eam uictoriam Byzantium reuerſus, primum omnium donatiuum militi exoluit, coactisque ad opus circiter quindecim ſeruorum milibus, mœnia terræ motu multis in locis hiantia aut collapſa reſtituit, deditque operam miteſcente iam peſtilentia, ut reuocatis incolis, diu intermiſſus aulæ ſplendor, & priſtina deſertæ urbi frequentia redderetur. Interea Achomates, quem uix dum pacata Cappadocia propter fratris profectionem, & famam comparati exercitus ab Amaſia mouiſſe demōſtrauimus, cum uiginti milibus armatorum per Galatiam atque Bithyniam, Scutarium uenit, id oppidum Chalcedon olim fuit, pertineręque ad Thracij freti anguſtias contra Byzantium, poſitisque iuxta litus tabernaculis, quid pater ab tanta uictoria cōſilij caperet, opperiebatur. Etenim eius animum ſumma

ſumma obtinendi imperij ſpe impleuerant, præterA iuris prærogatiuam, patriſque iudicium & popularis fauor, & propria uirtus. Igitur frequentes nūcios Byzantium lembis diu noctuque tranſmittere, Baiazetem per literas ſummis precibus obteſtari & orare, ut maturè quod animo deſtinarat, in ea rerum occaſione perficeret. Amicos uerò ac familia res ſuos ſollicitare, ut propenſiorem ſibi redderent patrem, conſilia creandi regis magis & magis laudarent: darentque operam, ut poſtquam Selymi te meritatem atque impetum Dij & Fortuna ex merito confregiſſent, ipſe amicorum beneficio ſubleuatus, & ſuo iure, & rerum imperio potiretur. Baiazetes qui uetere ſuo propoſito totus in Achomatem ferebatur, his quoque ſermonibus ad id, quod ſibi conſtituendum eſſe decreuerat, facilè perductus eſt. At protinus patefacto conſilio triremes exornari iubet, quibus Achomates ab Chalcedone Byzantium adueheretur. Sed milites præfectiq; quos Selymo fauere ſuprà docuimus, iterum refragari, eaq; illa memorare, quæ apud Hadrianopolim ad duxerant. Hac militum conſternatione Baiazetes ſpe ſua deiectus, ſiue (ut aliqui crediderunt) regnandi conſuetudine allectus, quòd ab recenti uictoria, neque ſenem ſe, neque inualidum ad regendā eam imperij molem, ueluti rediuiuo quodam animi uigore iudicabat, Achomatem monuit, ut ab Chalcedone abſcederet, atque in prouinciam ſuam reuerteretur, ſe tunc eum Cappadocia accerſiturum, quū liberalitate mollitis prætorianorum animis, & collecta ſenſim principum gratia, melior conficiendæ rei occaſio præberetur. Achomates ſpe atque opinione fraudatus, ſeque & à patre deludi, & à prætorianis militibus deſpici queſtus, nouis precibus minas addit, in patrem acerbè inuehitur, quòd ſe totB terrarum ſpacia emēſum, ipſiusque præſertim literis euocatum, deſpectui omnibus atque ludibrio exponeret. Quòd ſi Baiazetes deſipere perſeueret, & tanti gratiam faciat prætorianorum, ut præ illa, nec æquitatis, nec promiſſorum ſuorum rationem habendam puret, ſe dignitatem ſuam, quam apud parum æquum patrem obtinere non poſſit, armis uindicaturum. Ad ea Baiazetes per Cadileſcherum ſacræ legis interpretem ſummæ apud eos authoritatis uirum, reſpondit, nec cautè ſatis, nec prudenter eum facere, qui inſolentius iraſcatur, quum beneficium, quod ſola beneuolentia comparari poſſit, ui & contumelijs extorquere contendat: omnia ei integra reſeruari: ceſſurumq; ei proculdubio imperium, niſi præpropera feſtinatione ſpes ſuas corrumperet, quas tolerantia atque expectatione alere deberet. Diſceret ex recenti exemplo, fortunaque Selymi fratris, quod ipſi quoque uſui ſalutique eſſe poſſet, longè periculoſius eſſe uiolentiæ audaciæque confidere, quàm peruerſos animi impetus recta ratione moderantem opportuna temporum & rerum momenta expectare. Achomates quum mandata patris exponerentur, ira atque dolore inflammatus, patris legatum obliquis uerborum cōtumelijs dehoneſtatum, propè uiolauit, crebrò dictitans, & patrem commutatæ uoluntatis, & proditores perfidiæ propediem pœnas daturos: moriſque properè caſtris Bithyniam, per quā iter faciebat, hoſtiliter deprædatus Amaſiam redijt. Ibi magis ac magis repulſæ dolore atque ignominia extimulatus, conſilium cepit inuadendæ minoris Aſiæ, ut ſi de Byzantij imperio armis certandum foret, ampliſsimis eius prouinciæ opibus uteretur: uel ſi id minus conſequi poſſet, dimidium ſaltem regnum, tranſmarinis regionibus in poteſtatem redactis, in omnes belli euentus occuparet. Itaque uocatis ad ſe Amurathe atque Aladino adoleſcentibus filijs multum de inimicorum acerbitate alienatioque Baiazetis conqueſtus, docuit nihil ſibi ſperandum de ſucceſſione imperij, niſi protinus arma capeſſerent, ac dignitatem ſuam aduerſus inimicorum iniurias tuerentur. Poſſe facilè minorem Aſiam occupari, ſi celeriter audendum ſibi exiſtimarent, quando Piſidia, Lycaonia, atque omnis Pamphiliæ & Ionię ora, nullis exercitibus aut claſsibus tenerentur. Corchutum quoque uel ſua animi tranquillitate atque ocio contentum fore, uel æquitatis atque iuſtitiæ ſtudio in partes tranſiturum: ſin ſecuras res ſuas dubijs permiſcendas putaret, & pararet arma, eum protinus ad primum belli impetū poſſeſsione ditionis exceſſurum: cæteros autem prouinciæ regulos illius authoritatem uel fortunā ſecuturos. Proinde uirilem animum induerent, & in proximas regiones ad delectus habendos, & ad omnis generis præſidia comparanda proficiſcerentur. Adoleſcentes, & propria indole & paternis adhortationibus excitati, imperata faciunt, ſtatimq; ex amicis militibus, ſeruiſque præſertim egregiam armatorum manum cogunt. Ipſe uerò præter ueterem exercitum quem aduerſus Perſas habuerat, nouos milites conſcribit, ex finitimis urbibus ſtrenuiſsimum quemque euocat, percurritque prouinciam, & ſe ipſum Aſiæ regem declarat. Eos porrò qui non ſtatim ſe dedere uelint, ipſe & Amurathes & Aladinus diuerſis in locis bello perſequūtur. Eo terrore circumducto multæ urbes aut debili, aut nullo penitus muro cinctæ, pars uoluntate, pars metu atque armis expugnatæ, in poteſtatem Achomatis deuenerunt. Inde progreſſus in Lycaoniæ, interioriſque Ciliciæ fines, Mahometem fratris filium, qui regionibus Caramanno proximis imperabat, per legatos & literas hortatur, ut ſibi auxilio eſſe uelit ad recuperandam dignitatem atque ulciſcendas iniurias aduerſus eos, qui Baiazetem dolis malignisque perſuaſionibus ab ſe diductum deprauatumq; eò perduxerint, ut alium quàm primogenitum filium imperij hæredem conſtituendum exiſtimarit. Dijs tamen bene iuuantibus ſe præoccupaturum eorum malitiam, ac uindicaturum armis, quod ſibi iure deberetur, ſi Mahometes arma, milites, frumentumq; in caſtra tranſmitteret, faueretq; honeſtiſsimæ cauſæ, reperturum eum longè melioremB patruum, quàm ipſe patrem inuenerit, qui ſi ſecum amicè ac liberaliter ageret, cumulatiſsimas gratias in poſterū eſſet relaturus. Mahometes aliquid earū rerū quas peteret ſe facturū negat, niſi aui Baiazetis literis id facere iubeatur, ad quē ſumma imperij reſpiciat: nō eſſe ſui iudicij diſcernere, an iure rectèq; fecerit Baiazetes quòd ſe ſoſpite regnū filio tradere noluerit. Cæterū non ignorare nulli alteri parendū eſſe uiuente imperatore, in cuius uerba & Scianſcious pater, & ipſe iurauerit, propterea debere eum iracundię modū imponere, ne quū inimicis nocere ſe ſperet, cum magna omnium inuidia patri noceat: & ſpem & dignitatē ſuam, quę ex merito ſi patientia utatur paululumq; cunctetur, maxima futura ſit, præpropera animi perturbatione corrumpat. Achomates qui præſtò ſibi affuturū Mahometem crediderat, quū poſtulatis ſuis grauius conſideratiusq; ab iuuene reſponderetur, exercitum in fines eius ducit, & regionem igne ferroq; deuaſtat. Nec multo pòſt Mahometem ipſum cum exiguo exercitu ſubſidio ſuis uenientem, ſupra Larandam in itinere profligauit, cōpulſumq; in oppidum per aliquot dies obſedit, ac demum accepto in deditio nem oppido, eum cum impubere fratre uiuum cepit: conſiliarios uerò atq; nutricium, quorum conſilio perſuaſum Mahometem, atq; in id diſcrimē adductum fuiſſe putabat, interficit. Quibus de cauſis Baiazetes ira ac dolore perturbatus, quòd in ea æra te oppugnari ab duobus filijs calamitoſum & planè miſerum eſſe prouidebat, legatos ad Achomatē mittit, qui furentem grauibus uerbis caſtigarēt, &

Mahometem fratrem q; eius, è custodia educi iubebant. Si id impetrari, aut ea uis insaniæ leniri non posset, bellum indicerent. Sed ille, qui quanto ambitiosius post repulsam ad imperium anhelabat, tãto acerbius atq; crudelius sibi agendum arbitrabatur, principem legationis bellũ atq; extrema queq; audacius comminantem in conspectu iugulari, & cæteros ante uesperá castris excedere iussit. Ea res tunc maximè Baiazetis exulcerauit animum, & ab Achomate complures mortales alienauit, quòd legatos ad componendam cõtrouersiam missos, contra ius gentium inhumanè admodum ac nulla patris reuerentia uiolasset. Conclamãt prætoriani qui in statione erant, ita ut Baiazetes exaudiret, non ferendam esse temerarij hominis audaciam, sed protinus sceleri armis obuiam eundum. Impunitate ac mora ualescere malorum uires, si cunctetur imperator ac mitius agat, eum mox auxilium atq; operam frustra à militibus imploraturũ. Mustaphas quoq; & Bostanges ac cæteri qui Selymi rebus occultè fauebant, atq; hæc per idoneos homines singulari calliditate in uulgus militum spargi curauerant: mussare primò, atrocitatem sceleris admirari, ueluti damnarent quidem crudele factum, authorem uerò minimè criminarẽtur. Mox ubi Baiazetem proprio ardore & uocibus militum satis incitatum, & ex fiducia superioris uictoriæ ad ulciscendum iniuriam paratum uident, quàm acerbissimè & crudelissimè in Achomatem inuehuntur, eum, ut parricidam, ut imperij hostem, bello persequendum censent: tollunt q; subinde ad cœlum laudibus militum fidem atq; uirtutem, qui pro salute ac dignitate imperatoris nouos ultrò labores sibi expererẽt. Ira Achomates astu atq; solertia ducum, patris iracundia atque omnium deniq; militũ iudicio hostis declaratur, decernuntur prætorianæ cohortes, & magna pars Europei equitatus, quibus primo quoq; tẽpore aduersus eum in Asia bellũ geratur. At quũ belli dux uirtute armorum q; peritia insignis deligendus esset, atq; ea maximè cura ad Bassas pertinere uideretur, cœpere omnes aspernari honorem illum, & pro se quisq; id munus abnuere, atq; indignum esse testari, ut serui auspicijs, imperatoris filius oppugnaret. milites quoq; nihil se aduersus regiam prolem ausuros prædicabant, nisi unus ex ipla Othomannorũ domo copijs & summæ rerũ præficeretur. Sic quondam Gemem eius fratrem in Cilicia res nouas molientem, & proximè Selymum non alijs quàm Othomannis ducibus debellatos. Hæc illò perspicuè pertinebant, ut Selymum, quẽ occulta beneuolentia prosequebantur (tamersi illum nisi probri causa nominare non licebat) obliquis artibus patri reconciliarent, uiamq; ei reditus Byzantium hac ratione præstruerẽt, quoniam nec Baiazetem senecta & ualetudine conflictatũ, nec Corchutum hominẽ philosophum, eius belli prouinciam petituros arbitrabantur, unum autem Selymum ex Othomannis superesse, ad quem nepotibus per ætatem minus idoneis exercitus imperium deferretur. Ad eas uoces Baiazetes perplexo atq; æstuanti similis in prætorium se contulit, morbũ & inutiles annos incusans: quærens q; quòd Corchutus dum inane sapientiæ nomen & umbratile uitæ genus sequeretur, dignio res regia fortuna artes, & honoratiora uitę subsidia reliquisset. Hæc dicentẽ uolutantem q; animo, Mustaphas lenire omnes eius curas assuetus, in uarios sermones de summa belli consultatione pertractũ, parata oratione eum ad Selymum reuocandũ, eiq; negocium demandandum, impulit. Mustapham loquentem adhuc cæteri purpurati, ut inter se consti tuerant, exceperunt, compositisq; in eam sententiã orationibus, Baiazeti persuadere cœperunt, ut Selymum belli ducem deligeret, illum satis pœnarũ suę temeritatis dedisse. Proindeq; ueluti castigata arro

A gantia in officio fidelissimè permansurũ, Achomatem uerò nõ facturum quicquá pro sano, qui patris oratores uiolarit, nisi & ipse armis, ut Selymus nuper uictus fugatusq; fuerat, tota Asia pelleretur. Baiazetes quòd in ea re admodũ graui explicãda Cherseoglis solus ferè omniũ fidelis sub tristi uultu musaret, diu in incerto habuit quidnam consilij potissimum caperet. Obuersabantur animo grauissimæ offensiones, secum q; ipse reputabat Selymũ ex Asia inuasisse Europã, occupatã ab eo Hadrianopolim, in acie se circumuentũ, petitũ se Scythicis sagittis, ac solo propè deorum beneficio discessisse uictore. Illinc contempta imperia, nepotes bello capti, iura legatorum uiolata, subactæ urbes atq; Asia omnis perturbata, ardens q; miserabili belli incendio, iracundiam & uindictæ desiderium acuebant. His anxium curis insignes Græco astu immaniq; perfidia consultores, uel reclamãte Cherseogle, perpulerũt, ut literas ad Selymum sua manu conscriberet, quibus priorem ei gratiam obliterata præteritorũ memoria polliceretur, deferret q; copiarum imperium si Byzantiũ quamprimũ ueniret, & aduersus Achomatem in Asiam proficisceretur. Dum hæc Byzantij parantur, Corchutus ab amicis & familiaribus suis per literas edoctus quanta imbecillitate pater senex, quibús ue consilijs post declaratum hostẽ Achomatem uocare ad se Selymum, atq; eum ducem exercitus declarare contenderet, è Magnesia Phoceam descendit, conscensis q; triremibus Byzantiũ adnauigauit. Igitur magno comitatu amicorũ progressus in intimum prætorium, postquã patrẽ dextra osculo perita salutauit, & ut sui rationem haberet, submisse orauit. Baiazetes Corchutũ uix tenentem lachrymas, & ipse tenero confusus affectu miti oratione consolatus bono animo esse iussit, aperuitq; cõsiliorum suorũ causas, paratum se reddere
B imperium: sed quo minus id statim faceret, impedimento esse prætorianos, qui nuper cõsilijs suis obstiterint. Illos enim si uel minimã eius rei suspicionem inijceret, etiam atq; etiam aduersaturos. Vno eo cõsilio sub specie honoris detrahi tandem ex Europa Selymum, & ablegari in Asiam prætorianos: quorum absentia sibi merum ac liberum imperium relinqueretur, traditurum se protinus sceptrũ quum illi mare traiecissent. Nec credere præfectos & milites qui se nuper acie circumuentum fortiter egregieque defenderint, aut insidias molituros, aut recentis facti gloriam turpi facinore maculaturos. Quin & sperare, superis ita uolentibus qui immanium scelerum uindices semper extitissent, Selymum & Achomatem si semel acie conflixerint, mutua crudelitate perituros. Corchutus, siue probata ratione paterni consilij, siue cognita eius uoluntate, uerbis minimè disceptandum existimans, non sine spe potiundi imperij ad amicos redijt, egitque Byzantij plures dies, nec tamen, aut militum, aut ducum sibi quenquam uel largitione, uel præmiorum pollicitatione, conciliauit, quòd ambitione aut precio petendum minimè iudicabat, id quod sibi iure optimo ex paterna gratia deberetur. Interea Selymi familiares, eum de Corchuti aduentu certiorem faciunt, admonentque ut iter maturè capiat, & Byzantium approperet: imminere enim periculum ne Baiazetes, & senex & inconstans, maioris filij precibus delinitus, expeditam perficiendi negocij rationem interpellet atque discutiat. Selymus qui in unam eam curam excubabat, ut si unquá sibi occasio adeundi exercitus præberetur, ipse statim spe ingentiũ præmiorum corruptis omnibus ordinibus imperium arriperet, nullã profectioni moram fecit, & modico equitum comitatu, cæteris subsequi iussis, Byzantium peruenit. Corchutus cum purpuratis primoribus que aulę, & magna parte prætorianorum ad portam usque obuiam

uiam progressus, introëuntem osculo excepit, deduxitq; per mediam urbem, effuso passim omni populo ad spectaculum hominis immani audaciæ scelere conspicui, crebris q; subinde disploſis tormentis in lætitiæ signum, inter faustas acclamationes pulrorum atq; militum: ut facilè appareret omnem recentis noxæ inuidiam decessisse, eum q; mox omnium iudicio rerum imperio potiturũ. Postero die Selymus in prætoriũ uenit, supplexq; & pedes patris exosculatus, temeritatis suæ ueniã postulauit. Ad quem Baiazetes summa lenitate subridens, Errata, inquit, tua Selyme fili eo minora sunt, quòd ceA lerem pœnitentiam inuenerũt, proinde lubentius ueniam do: sed in posterum age & enitere, ut qui tibi industriam fortitudinem q; tribuit Deus, & bonam quoq; mẽtem dedisse uideatur. Dignam quidem ausibus tuis belli materiam parata habes, quò uirtus tua enitescere possit. Nec multo pòst indicitur militare concilium de imperatore aduersus Achomatem deligendo. Selymus statim multis imperatorium nomen sibi deferentibus summo astu reluctari cœpit, negare se Corchuto fratri, qui ætatis honore prudentiaq; præstaret anteponendum, illi deberi iure honorem, illum summa authoritate sapientiaq; bellum administraturum: se postquá paterná gratiam recuperarit, minimo quoq; loco contentum fore. Corchuti uerò familiares, qui omnẽ spem suam atq; omnia cõsilia in discessu Selymi & prętorianorum collocauerant, eum rursus, quasi utrinque modestia certaretur, hortari, orare q;, ut eas partes susciperet, quę sibi strenuo ac rei militaris peritissimo abs q; ulla fratris contumelia deferrentur. Extemplò nonnulli milites magnis acclamationibus nõ ducem eum modò, sed regem principem q; consalutant, & properè arma corripiunt, quibus flagitium suum atq; perfidiam tuerentur, si meliores obsistere uel dissentire uellent: Selymus ipse deprecanti similis, quasi delatum imperium abnueret, &B patris reuerentia permoueretur, modò se commendare militibus, donatiuũ q; polliceri, modò duces orare, ut ad patrem pergeret, curarent q;, ut postquá ea mens exercitus foret, imperium sibi sine turba et tumultu libenti animo traderetur. Mustaphas siue propria perfidia, siue mortis metu, quòd ei Selymus nisi hæc patri renunciaret, mortis supplicium comminatus fuerat, ingressus ad Baiazetẽ, qui clamoribus militum excitatus è cũbiculo in apertiorẽ ædium partem processerat, Imperator, inquit, milites tui Selymum & ducem & principem in cõcilio salutarunt, postulant q; ut id ratum habeas, facturi mox impetum in regiam, ut te meq; trucident, nisi imperio cesseris. Petunt abs te illi summo consensu, quod iam in alterius manum transtulerunt. Proinde longè periculosius est retinere quod amiseris, quàm iam ereptum ultro concedere, quum id nulla ui, nulla ingenij solertia recuperari possit. Arma tenent, fremunt, & qui semel defecere, maiora etiã scelera meditantur. Baiazete metu atq; ira perturbatus, Siccine, inquit, perfidissimi tandem me proditis? summaq; mea in uos beneficia, tanta perfidia compensatis? Quin & hanc quoq; animam eripitis, qui hoc corpusculum & instantem uitæ meę finem expectare non potuistis, ut iusto legitimo q; principe eiecto, scelestissimum uobis imperatorem præficeretis? Sed habetote principem parricidam, datu ri mox eo uindice perfidiæ pœnas, atq; ipse ab irato Deo maximo non dubio ultore scelerum, à scelere auspicetur imperium. Mustaphas cum Rostagne & Aiace statim reuersus ad prætorianos, nulla de dolore uel iracundia Baiazetis facta mentione, Cedit, inquit, Baiazetes imperio, & Selymum cui superi atq; homines imperium detulerunt, sibi successorem decernit. Ea uox excepta omnium auribus, his primùm quos Selymus corruperat spiritus auxit, dehinc dubios desperato remedio in partes traduxit. Ergo quum libidine atq; imperu militum cuncta raptim agerentur, sublatus in equum Selymus, per celeberrimas urbis regiones deducitur, & rex & imperator diuerso animorum habitu acclamantibus omnibus salutatur. Eo die milites sacramento adacti in uerba Selymi præeuntibus ducibus iurauerunt. Corchutus uerò, uel dolore irritæ spei, uel mortis metu, quanquam ei Selymus Mitylenas ipsam q; insulam Lesbum dono dare se dixisset, solutis occultè triremibus Phoceam rediit. At Baiazetes modò terrarum orbis principum amplissimus, in tanta hominum perfidia, rerum omnium iniquitate, secedendi consilium capit, Byzantio q; excedit cum familiaribus suis collecta preciosiore supellectile, peritur us Dimetocam Thraciæ urbem amœnitate hortorum, cœli q; temperie & exilio & præsenti fortunę opportunam. Sed quum acerbissimis curis agitatus animus eum deficeret, & affectæ corporis uires collaberẽtur, medio itinere statui taberB naculum iussit, ut ualetudinem quiete curaret. Ibi septuagesimo sexto ætatis suæ anno ab Hammone Iudæo medico, qui iussu Selymi salutiferæ potioni uenenum miscuerat, necatur. Aliqui tamẽ senio & longa ualetudine, & ad extremum prægrauantibus curis attenuatum interisse contendunt. Ferunt Selymum proximum paternæ uitæ exitum, urgente etiam senio, expectare noluisse, quoniam si eo sospite in Asiam aduersus Achomatem traiecisset, nihil tutum pacatum q; Byzantij se relicturum existimabat, ratus Baiazetem, se absente ad repetendum imperium nullam moram esse facturum. Perstrinxit quoq; crudelem animum auaritia supra imperij solicitudinem: nam q; uasa auro argento q; cælata, & præter signatam pecuniam plenos preciosissimarũ gemmarum & unionum loculos, quæ tot progenitores reges ex immensa illa opum amplitudine reliquerant, unus Baiazetes uniuersa asportabat, ingentia sanè atq; opportuna subsidia in proximũ donatiuum, præsertim cuncta debenti militibus, quę precio & spe futuræ liberalitatis unius horæ momento cuncta detulissent. Paterno autẽ funeri delato in urbem Byzantium summa in speciem pietate iusta persoluit, statuens illi æternos ignes, & sepulchrum cælati operis, ne cui imperium & uitam inuiderat, supremos quoq; honores inuidisse uideretur. Inde pecuniam, quæ in ærario erat, recognouit, diuisit q; militibus pro donatiuo uicies centena milia aureorum, & quo magnitudinem animi perpetua liberalitate testaretur, ad ueterem stipendij summam in singulos dies equiti quatuor, pediti uerò duos argenteos addidit. Nec multo pòst cũ exercitu in Asiam traiecit: progressus q; ad Ancyram urbem, ut Achomatem persequeretur, ea æstate nihil memorabile gessit. Namq; Achomates haud ignarus non adesse sibi iustas uires quibus fraterni exercitus impetum sustineret, in Armenię minoris fines & montana Cappadociæ penitus concesserat, passim fidem populorum implorans, milites conscribens, arma, pecuniã, auxilia etiam ab infimis externis q; postulans, ut ea omnia in tẽpore parata atque expedita haberet, quæ ad gerendũ bellũ, atq; obtinendã Asiam necessaria uidebant. At Selymus exacta æstate, quũ in locis Tauro proximis propter niues atq; acerbissima frigora hyemare nõ posset, neque si progrederetur Achomate nusquã consistente posse conficere bellũ speraret, in Bithyniã redijt, dimisso q; ad loca maritima Europę equitatu, & prętorianis Byzantiũ reuerti iussis, ipse cũ cæteris Prusię hyemare constituit, Quo tẽpore, quũ totus in Achomatẽ imperij æmulũ atroci animo deferretur, ne sibi in Asia bellũ gerenti, quicquã hostile ab Europa timendum foret, pacem cum Venetis ijsdem legibus, quibus eam Baiazetes pater sanciuerat, confirma-

firmauit: & cum Vladislao Pannoniæ, Sigismundo; Sarmatię regibus, uetereș inducias ad aliquot annos extendit. Nec multo pòst Selymus, quũ nullam pro firmando imperio suspicionẽ, etiam de pueris superfluam existimaret, quin; egregiæ indolis adolescentes fratrum filios necari iussit, inter quos erat Mahometes, quẽ paulo antè ad Larandam captum, Achomates audita morte Baiazetis dimiserat. Erat is primi filij Baiazetis liberorum natu maximus, alterum & uigesimum natus annum, specie corporis & uigore animi Othomannorũ præstantissimus. Quæ omnia sicut ei militum ac populi fauorem cõciliabant, ita uno inuidente Selymo exitũ pepererũt. Ferunt Mahometẽ ingressos ad se duos carnifices, qui nihil tale timenti moriendum esse denunciarent, ac mandata statim exequerentur, alterum calamario cultello confecisse, alterum iam uulneratum interfecturum fuisse, nisi alij satellites irrupissent, qui frustra reluctantem strangularũt. De Osarne Alensciaci & Zilibo Mahumeti, duobus; alijs tenellis adhuc pariter supplicium sumptum, adeò consternatis eo scelere omnium animis, ut cõplures milites tacita inuidia, per aliquot dies regis conspectum exhorruerint. Nec tot propinquis uno furore absumptis immitis animus ab crudeli rabie conquieuit. Namq; ut clarissima Othomanorum sobole extincta, uacuam sæuitiæ suę domum faceret, reliquos ex omnibus Baiazetis nepotib. Amurathem & Aladinum per insidias interficere cogitauit. Receperant illi nuper Amasiam, qua urbe ab Selymo, superiore æstate pulsi fuerant, quum Achomates pater in montana Cappadociæ perfugisset. Ad eos opprimendos ualidam equitũ manum delegit, qui magnis itineribus Amasiam contenderent, adolescentes; imperatos, ac nihil de præsenti periculo cogitantes comprehenderent. Neq; id erat factu difficilè, quum expeditus equitatus omnem seB rè aduentus sui famam celeritate præuenturus esset, nec urbs ipsa aut munita mœnibus, aut tuta præsidio militum foret, quòd eo tempore Achomates in loca Caramaniæ proxima ad conducendos milites profectus erat. Sed Mustaphas cõsilij particeps, cuius singulari studio atq; opera Selymum ad imperium euectum docuimus, quum indigna morte Baiazetis & tot insontium puerorum cede permotus, totum se animo ab amicitia crudelissimi hominis auertisset, imminentem miseris iuuenibus calamitatem miseratus, per celeres tabellarios de aduẽtu equitũ eos certiores fecit. Quibus acceptis literis, illi statim patre reuocato, occulta præsidia compararunt, quibus hostes exciperentur. Ita quum paucos post dies Selymiani Amasiam peruenissent, & fortè eodem tempore reuertisset Achomates, præcipitati in insidias facilè trucidati captiq; sunt. Accidit autem ut serui Achomatis, quum Selymianis captiuis illuderent, omnem insidiarum & rei gestę ordinem aperuerint, usq; adeo malè in aula principũ consilia etiam de maximis rebus occultantur, iactãtes non deesse sibi amicos etiam ex intimis Selymi familiaribus, qui meliori causæ fauerent, & grassari sæuireq; belluam illam non paterentur. Illi autem postquam redempti, Prusiam rediere, quæ ab hostibus cognouerant, regi detulerunt. Nec mora Selymus neminem præter unum Mustapham authorẽ detegendi arcani consilij existimans, siue quòd iam ei tędio esse cœperat hominis gloria, siue, ut insigne beneficium cui par gratia reddi non poterat, exitio compensaret, eum inauditum interfici, & cadauer nudum in tantæ modò felicitatis ludibrium in publicum abijci iussit. Interfecto Mustapha, & imminente iam uere, ne quid de instituta immanitate remitteret, ad tollendum Corchutum fratrem crudelem animum adiecit. Agebat ille Magnesiæ, nec aduersus Selymum abrupta spe imperij quid quá hoA stile moliebatur, regressus ad philosophiæ studia à quibus ambitione corruptus intempestiuè discesserat. Igitur præfectis edicit ut sex milia fortissimorũ equitum deligant, qui in tertiam diem corpora, arma, equos profectioni parent, se in Cappadociam celerem excursionẽ esse facturum. Statuto die Selymus Prusia mouit cõuerso in dexteram suorũ agmine, ita ut equites qui rectà Amasiã petere credebãt, tum demũ in Lydiam se abduci perspicerent. Vnus ex equitibus egregij animi, quicunq; ille fuerit cõiectura iudicans, ad opprimendũ Corchutũ iri, uelocissimo equo usus, per compendia uiarum regem antecessit, Magnesiamq; peruenit. Cuius monitu Corchutus de periculo certior factus, relicta familia cum duobus seruis ad mare cõtendit, ut aliquod in litore nauigium nactus, in Cretam aduehereturr: aut certè uel piscatoria nauicula Rhodũ perfugeret. Cæterùm Selymus improuiso aduentu suo per terrefactis Magnesijs prætoriũ fratris corona equitum septum, ut exitus præcluderentur, nullo resistẽte cepit. Quum uerò unum omnes Corchutum per singulas domus latebras frustra perquirerent, quęstione de suis habita, cognoscit eũ monitu ignoti equitis intempesta nocte discessisse. Quamobrẽ sua spe frustratus, equitibus mille præsidio Magnesię relictis, qui summa celeritate atq; diligentia circumiectam regionẽ percurrerent, cum thesauris atque omni fratris familia Prusiam eadem celeritate reuersus est. At Corchutus spe fugę erepta, quòd Bostanges Selymi gener educta classe omnia litora custodiret, neq; ulla iam spes fallendi hostis relinqueretur, non longè à Smyrna in speluncam mari proximam se condidit, sperans si interpositis aliquot diebus statione classis abscederet, elabendi occasionem, uel fortunæ beneficio, uel deorum benignitate sibi minimè defuturã. Sed quum diu agrestibus pomis inediã toleraſſet, uictumq; à pastorali tugurio per seruum quærere cogeretur, indicante agricola ab inquisitoribus comprehenditur, Prusiamq; perducitur, ubi eum Selymus necari iussit. Constat Corchutum, quum fidibus gutturi admotis à carnifice strãgularetur, impetrasse horam cuius spacio amarulenta in Selymum carmina intrepido constãtiq; animo cõscripsit, quibus exprobrata sæuitia, eius capiti omnes diras imprecabatur. Selymus uerò quem uiuum uidere noluerat, necatũ spectare stinuit, perlegitq; carmina de se conscripta, nec temperauit à lachrymis, ususq; est lugubri uestę, ut immanis animi crudelitatem in tãta omnium inuidia falso dolore contegeret. Iam uer appetebat, quum Achomates comparato exercitu ab Amasia mouit, literis amicorum euocatus qui Selymum solis suorum cædibus intentum, posse in hybernis opprimi confirmabant, si Prusiam cum expedito exercitu cõuolaret. Solere deos ipsos, & præstare occasionẽ, & præbere consilia gerendis rebus: cæterùm neq; ea exequi, neq; humanas mentes erepta libertate præuertere consueuisse. Achomates qui cuncta eo bello secundiora sibi pollicebatur, quòd magnas habebat copias, quòd ab Ismaële Persarum equitũ auxilia impetrauerat, quòd deniq; Selymum ob recẽtia scelera, omnibus inuisum esse, atq; ob eam causam cœpto statim bello militibus desertum iri putabat, amicis pũlchra dictu, factu uerò aspera suadentibus obtemperauit. Igitur, quum in Galatiam peditatu minoribus itineribus subsequi iusso, cũ amplius quindecim milibus equitum peruenisset, Selymus de eius aduentu certior factus, per celeres tabellarios equitatũ omnẽ Prusię conuenire iubet. Interim dũ Asappos cogit, atq; uniuersas expectat copias, fortuna quæ semper omnib. in rebus Selymo fauit, tũc quoq; periculũ quod suorũ fraude parabatur, discussit, & expeditã uictoriæ rationẽ ostendit. namq; amici Achomatis, qui in castris Selymi erãt, à supe-

à superiore in eum studio suo nõ recedẽtes, euocatũ A illum cum exercitu, & iam progressum in Paphlagoniam, etiam atque etiam literis admonebant, festinaret antequam Selymi copiæ conuenirent. accidere enim prætorianos, contrahi equitatum, atque omnia ab Selymo impigrè parari, ei tamen sera omnia fore, si ipse inexpectata celeritate improuisus accessisset. Quibus fortè literis interceptis, Selymus de fratris consilio eius que aduentu, & de suorũ perfidia certius cognouit. Itaque necatis qui literas cõscripserant, gemma eorum ad obsignandas epistolas utitur, scribitque interfectorũ nomine ad Achomatem, ut maturaret proficisci, peditatumq; relinqueret: uel modica enim equitum manu opprimi posse Selymum, si se celeriter conspiciendum amicis & cõiuratis daret. Fore enim, ut ad datum signũ excitato in castris tumultu seditionem militarẽ inducerent, atque illum turbatis rebus, incautè ordines circumeuntem aggrederentur. Achomates fide literis adhibita, ut qui plurimum uiribus suis fidebat, pedestres copias quæ cum Amurathe tardius subsequebantur, relinquere non dubitauit, profectusq; ad Horminium, in ripa Parthemij amnis castra fecit. Selymus quoque Prusia egreditur, & receptis in castra prætorianis cohortibus, quæ nuper mari transuectæ fuerant, Sinambassam prefectũ Asiatici equitatus, cum ualida equitum manu ad cognoscendas tentandas que hostium uires præmittit. Selymiani quum adhuc qua in parte constitisset Achomates, & quales quantæque eius copię forẽt, exploratum non haberent, matutina caligine decepti, in iniquum locum delati sunt, ubi Achomates prosperè cum eis conflixit, occiditq; ad mille equites, cæteros precipites in fugam dedit. Neque tamẽ eo accepto detrimento Selymus, aut omnino perturbatur, aut summæ rei uictoriæ diffidit, sed protinus ad Elatam flumen promouet castra. Labitur E- B lata ex Horminio monte, & rectà decurrit in Pontum, irrigans à dextra latissimos campos, quæ terræ nouæ plana ab incolis hodie nuncupantur. Idẽ quoque facit Achomates, qui tametsi fratrem equitatu peditatuque præstare, atque omni ex parte superiorem esse intelligebat: recenti tamen uictoriæ prouentu alacrior factus, quòd amicos suos qui apud Selymum erãt, aliquod insigne facinus in ipso negocio patraturos arbitrabatur, quòd pro se tanq; legitimo rege staturos superos iudicabat: neque cedendum, neque reliquum exercitum expectandũ existimauit. Intererat flumen inter bina castra, & à speculatoribus utrinque certus hostium numerus referebatur, neque tamen Achomates, cui tutum ad suos receptum patentes campi præstare poterant, conspecta magnitudine periculi, ut saluti suæ ac militum maturè cõsuleret, fatali insania correptus adduci poterat, ita ut eum obijcere periculis, & destinato exitio Fortuna uideretur. Selymus inclinante iam sole exercitum Elatam traducit, milites curare corpora, & in sequentem diem parare arma atque animos ad pugnam iubet: cęterùm in proximã syluam mille equites mittit, quibus præerat Canoglis uxoris frater, eximiæ uirtutis iuuenis, quem pater ab Taurica cum lectissima ala Tartarorũ equitum paulo antè ad generum miserat. His iniungit ut quum intenti omnes ad pugnam forent, à tergo se ostendant, & auersos hostes adoriantur. Ita illi silenti agmine ad radices montis profecti, loco opportuno proceris arboribus tecto confidunt. Nam Horminius qua parte Pontum & Septẽtriones spectat, nemorosus est, & cõplures habet colles interiectis uallibus, quibus magnus exercitus facilè cõderetur. Prima luce Selymus aperto in loco aciem instruit, in cornibus equitatum omnem, ita ut in dextro hastati omnes, in læuo sagittarij & sclopetarij essent: in media uerò acie prætorianos pedites atq; A Asappos collocat. Ex aduerso Achomates duo tantum agmina constituit, & primos in dextrum hostium cornu procurrere iubet. Eorum primum impetum Selymiani magna constantia exceperũt, sed quũ ad gladios uentum esset, quòd cum Persis ferro tectis, qui in ipsa fronte locum sibi depoposcerant, collatis equorum pectoribus res ageretur, diutius sustinere non potuerunt, ac mox pulsi turbatique, cedere & in suos ruere cœperunt. Id Selymus statim conspicatus increpando adhortandoq; confirmatis suis, læuum cornu inducit, & sclopetarios in locum hastatorum succedere iubet, producitque prætorias cohortes, quarum aspectu totum hostiũ agmẽ sagittarum ac sclopetorum multitudine iam territũ, dare terga coactum est. Achomates & ipse periculo intentus, aliquanto maiore uirtute quàm fortuna, subsidio suis reliquos equites adducit, quorum ui atque impetu præliũ exæquatur. Sed dum irrumpendo sternendoque uictoriæ imminet, Canoglis aduersos adoritur: clamore edito hostes tũ maximè pugnantes in se conuertit, ab fronte pedites conglobati gradum inferunt: equites uerò hastati, quos ab initio à Persis pulsos diximus, pudore adducti in prælium reuertuntur. Ita Achomatis acies circumuenta undique cæditur, & uexillis stratis omnia cæde fugaque complentur. Achomates desperatis rebus aufugiens, dum saluti ferò consulit, in fossam quam pridiani imbres aquis cœnoque compleuerant, labente equo præcipitatur. Ibi agnitus à militibus atque comprehensus, ut se statim interficerent impetrare non potuit. Quem Selymus iam antea neci destinatum, sequenti nocte ijsdẽ carnificibus, qui Corchutum cæterosque necauerant traditũ, chorda arcus elisis ceruicibus interfici iussit. Amurathes in itinere à Persis, qui cum magna parte equitum densata acie perruptis iterum Turcarum ordinibus euaserãt, de fortuna patris, & prælij euentu edoctus Amasiam redijt, atque inito de fuga consilio cum Aladino fratre, ipse cum equitibus Persis traiecto Euphrate ad Hismaëlem confugit. Aladinus uerò in Cilicia Amano monte superato, ut ad Campsonem Gaurum Ægypti regem se conferret, in Syriam profectus est. At Selymus secundũ eam pugnam præmissis in prouincias, quæ ab Achomate tenebantur singulis equitum præfectis, breui omnem minorem Asiam in potestatẽ redegit. Mox reuersus Byzantiũ paucis pòst diebus, quòd ibi recrudescente pestilentia in singulos dies quingenti ferè homines absumebantur, Hadrianopolim concessit, ubi reliquum æstatis, atque hyemẽ uenationibus intentus, transegit. Interea Sophus Hismaël à Persico Oceano ad Seruanorũ fines, atq; ipsum Caucasum montẽ, & per Hyrcani maris Meridionalem oram ad Coraxenos omni regione perdomita, Zagataisque Tartaris, qui olim fuere Bactriani & Sogdiani ad Oxum Iaxartemque flumina pertinentes, sæpe per tres annos acie superatis, in Armeniam reuersus est, Amurathemq; apud Tauriſium obuium habuit. Venerat eò miserrimus adolescens post aduersam pugnam, patremque interfectum, unius horæ momento regia fortuna expolitus, ut à potentissimo rege in tantis calamitatibus auxilia aduersus patruum imploraret. Hismaël dignum fama sua ratus, si summæ spei adolescentem ad se profugum exciperet, atque omnibus iuuaret auxilijs, bono eum animo esse iussit, & ut ampliore spe confirmaret, filiam ei in matrimonium collocauit. Siquidem Othomannorum domus cõcursu calamitatum labefacta atque conuulsa, si Selymus fato fungeretur, neminem imperio Amurathe potiorem esset habitura. Quinetiam ad primos bellorũ motus, si ipse à Persîde arma inferret, defecturam à Selymo minorem Asiam apparebat, quòd propter insitam animo eius immanitatem ac sæua facinora, dijs

ra,dijs pariter atque hominibus esset inuisus.Igitur Sophus Hismaël primo statim uere Amurathe cum decem milibus equitum ad Harsengã superare Euphratem, & peruadere in Cappadociã iubet:ut cognitis prouincialium animis, atque exploratis hostium uiribus,de tota mole belli certiora consilia sumerentur: Vstaoglum uerò apud Persas clarissimũ ducem,cum ualida parte exercitus Amurathem unius diei itineris interuallo subsequi imperat. Ipse in Armenia cum maioribus copijs substitit,ne rei frumentariæ angustia laboraret,quum per loca sterilia incultaque amplissimus exercitus ducendus foret. Amurathes ex improuiso per minorem Armeniam Cappadociæ fines ingressus, quum tentatis amicorum uoluntatibus quædam oppida recepisset,quædam igne ferroque uastasset, magnum toti prouinciæ terrorem intulit,quo metu iniecto deficientibus passim populis Amasiam usque peruasurus esse uidebatur, nisi Chendemus uir bello egregius,quem Asiæ præsidio Selymus reliquerat,Persiis cuncta bellico tumultu miscentibus ad Sebastã, quæ hodie Suias dicitur, cum magnis copijs occurrisset. Scripserat quoque Chendemus multùm antea ad Selymum de apparatu aduentuque hostium, quum eos superasse Euphratem per exploratores cognouisset. Quibus uulgatis rumoribus,Selymus ab Hadrianopoli in Asiam profectus, omnes copias Prusiæ conuenire iusserat,habitisque summa celeritate delectibus supra quadraginta milia Asappo rum peditum armauerat. Quod ubi per captiuos & ueteres clientes suos Amurathes cognouit, tametsi cum Chendemo confligere magnopere cupiebat, ne tamen si fortè Selymus sua celeritate ad se opprimendum contenderet,in Antitauri angustijs deprehenderetur,ad Vstaoglum regressus est. At Selymus qui toto eo anno egregium ac maximum bellum,dignamque ausibus suis expeditionem ingenti animo secum ipse uolutarat,diu incertus Pannoniam Rhodúmue, an ipsam Italiam discordia nostra labantem afflictamq; tot bellorum incommodis,terra,marique inuaderet,oblata occasione Persici belli,ad Orientem se conuertit,atque Arsengam, quam aliqui Comanam Ponticam fuisse iudicant, trigesimis castris peruenit:ubi iunctis cum Chendemo uiribus,quum retrocessisse hostes, uastatamq; continenti incendio eam regionem comperisset, dolore iniuriæ & uictoriæ fiducia incitatus, uestigijs fugientium insistere,ac ultrò in maiorem Armeniam penetrare constituit. Erant maximæ omniũ rerum difficultates, quæ huic bello à peritis regionum in consilio proponebantur, quæ postea trepidantibus cæteris,ipse propria quadam felicitate & sola animi magnitudine superauit.Namque militibus qui ab Illyrico,Mysia,Epiro, Macedoniaq; terrestri semper itinere in Cappadociam uenerant, nouos labores subire,ut ad Taurum sæuissima frigora,& mox in patentibus campis uehementissimos calores,sitim,inediam,atque imam propè omnium rerum desperationem subire necesse erat,præsertim quòd Persæ in regressu euastatis agris, ut hosti soli tudinẽ facerẽt,quicquid usui esse poterat,corruperant. Magnam quoque peritis atque prudentibus ducibus sollicitudinem intendebant, Minoris Armeniæ & Aladulorum reges, quos haud satis clarè perspectis eorum uoluntatibus, in tergo relicturi erant:neque putabant eos quicquã pro amicis esse facturos,si quid Selymo aut in pugna, aut in subuehendis commeatibus,aut in locorum angustijs parum feliciter accidisset. Armenius magnam submi-

A nistrandi commeatus facultatem habebat. Aladulo uerò copiæ aderant,& numero & exercitatione non contemnendæ:præterea angustiæ, clausura omnia,& singuli aditus,qui è Cappadocia in Armeniã & Persidem ducunt,aut opportunis arcibus,aut firmis eius præsidijs tenebãtur.Montana enim ei parent: protenditurque eius imperium à Scordiscis, qui Ponto imminent, perpetuo Tauri dorso ad Amanum montem,quo Cilicia Syriæ committitur. Inter cæteros Chendemus qui plurimum apud Selymum gratia authoritateque pollebat, suadere cœpit,ut in Cappadocia subsisteret,exercitum ab labore uiæ reficeret, atque illinc hostium aduentum operiretur. Selymus qui ut erat asperi atque immitis ingenij,cuncta consilio atque auspicijs suis administrari uolebat, quanquam uehementer ea oratione permouebatur,atque aliquos duces in ipsa periculi cogitatione suspensos uidebat, paucis tamen per iracundiam confutatis,prætorium dimisit,testatus se iturum per pacata infestaque,& uictoriam omnino relaturum, postquã senex tantopere de uita sollicitus,honestissimam mortem timeret. Hæc dicẽtem regem excepere statim alij duces assentari soliti, qui propter æmulationem Chendemi gloriæ atque opibus inuidebant. Atque ut Chendemũ opprimerent,indices subornarunt, qui dicerent eum ab Amurathe pecuniam accepisse, nec in tempore Persis prædatoribus, qui eo duce fines irruperant, occurrere uoluisse:unde tantum detrimenti prouinciæ illatum. Quibus de causis Selymus præpropera crudelitate præceps, Chendemum inauditum,ac uera monentem interfici iussit, ut cæteros ab simili dicendi libertate deterreret, docereturque ea esse optima consilia,quæ imperator diuina ueluti ratione reperisset. Interfecto Chendemo, occulto statim metu perculsæ omnium mentes, quòd clarissimus uir tantæ modò apud regem existimationis & gratiæ,indicta causa concidisset,quem paterno ac mox fraterno bello Selymi in partibus uirtute atq; consilio floruisse meminerant:quasi eadem sæuitia Selymus,uel in minimis rerum suspicionibus, obscuros esset oppressurus, qui ne amicis quidem antiquissimis pepercisset. Inde promotis castris, in fines Armeniorum & Aladulorum peruenit: ubi per legatos earum gentium reges qui tum in armis erant hortatus est,ut communi secum consilio & uiribus,bellum aduersus Persas susciperent,ac secum in Maiorem Armeniam proficiscerentur. Se enim perfecto bello ipsis omnem agrum, & proximã regionem,quam de hoste cepissent, in præmium uirtutis atque nauatæ operæ concessurum. Reges qui Hismaëli pariter ac Selymo infensi erant propter finium iniurias,inter quos medij & inualidi (ut tenuiores à potentioribus solent) quotidie premebãtur,quum animos in utrunque belli euentum astutè intentos nudare nollent, responderunt quas ipsi copias contraxissent,ad sui regionisque præsidium comparasse,non ut temerè in ambigua belli fortuna, alterum ex amicis finitimisque regibus oppugnarent:se uerò tanti non esse,ut sui iudicij putarẽt discernere,quisnam iustiorem belli causam sequeretur. Cæterùm si absq; maleficio duceretur exercitus,& munita itinera & commeatus pro copia regionis, ingresso Maiorem Armeniam, præbituros. Selymus hac prima spe deiectus, quòd eos sibi uoluntare aut metu omnibus officijs affuturos putauerat, dissimulandum in præsens existimauit, ne qui totus corpore atque animo ad Hismaëlem ferebatur,ambiguæ fidei reges si facto eos uerbóue læsisset,in tergo pro certis hostibus esset habiturus. Igitur Selymus à Scordiscis profectus, octauo die ad Moschios montes peruenit:quos ingentẽ aquarum molem trahens Euphrates, ab Antitauro magnis effectis crepidinibus abrumpit. Percurrunt ij perpetuis iugis in Iberum & Colchidem:& ab ortu maiorem Armeniam aperiũt. Ductus est sub signis exercitus per aduersi fluminis ripam, neque unquã à profluente discessum, quòd sitis in ignota regione timebatur. Ita in Orientem directo itinere,ut à

læua Minor Armenia,Aladuli uerò regis fines,& iuxtà decurrẽs Euphrates à dextra relinqueretur,quo usq; ad Periardem montem peruentum fuit. Periardes duorum clarissimorum fluminum origine inclytus, propter miram omnium rerum fœcunditatem,leprus, id est, frugifer à barbaris hodie nũcupatur. Nãq; Euphrates & Araxes singulis atq; aduersis emissi paludibus,campestrem aridamq; regionẽ emissariorum copia, & summa frugũ felicitate nobilitant.Selymus tantis confectis itineribus,quum nec fama quidem ubi Hysmaëlis exercitus consedisset,quem ualidum numerosumque paulo antè è Cappadocia discessisse cognouerat,scire posset,cunctabundus ac timenti similis, supra fluminis fontẽ castra fecit, atq; exploratum uelocissimos equites qui aliquos ex obuijs exciperẽt, undiq; emisit. Sed quum incolæ Armenij uel metu appropinquantis hostis,uel iussu Hysmaëlis omni ea regione,quę ad iter patebat,decessissent,desertisque ædificijs,& asportatis,aut crematis omnibus uictui necessarijs,pabulum quoq; & quicquid herbidum in proximis agris fuerat euastassent,Turcæ equites nemine hostiũ intercepto biduo pòst redierunt,nuncian tes eam uastitatem omnium frugũ, latissimos tantum campos,& immensam occurrere solitudinem: nec ulla hominum aut equorum uestigia reperiri. Proinde existimare se, aut locorũ errore deceptos, aut perfidia Armeniorum qui duces itineris erant, in deserta peruenisse: ubi amissa spe alendi equitatus,ac mox cessantibus humanis alimẽtis fame exercitus absumeretur.Auxerant quoque præsentem metum duo reges relicti in tergo, & in primis Aladulus, qui, uel pudore, uel metu adductus primis diebus commeatu adiuuerat,procedenti uerò in interimam Armeniam nihil ex fide officioq; præstiterat, iam tum inde gratiam Hysmaëlis captas, cuius uirtuti ac uiribus haud dubiè cessuros Turcas sicuti totus propè Oriens paulo antè cessisset,arbitrabatur. At Selymus ingẽti cura anxius, suspectare insidias, inediam timere,horrere solitudinem,& cuncta quę Chendemus senex edixerat memoria uolutare:uultum tamen alacrem impauidumq; militibus ostentare: quæ constantia prosperos rerum successus,& maturam de hoste uictoriam deiectis etiam militũ animis pollicebatur. Ergo coactis uiæ ducibus, & per regionis peritissimos explicata itinerũ ratione, quum à dextris ultra Periardẽ subesse fertilissimã Armeniæ partem didicisset,castra mouit:circumuectusq; mõtis initia quà Boream spectat,ad Araxem deflexit, & supra Choim oppidum equites uadó, pedites uerò modicis effectis pontibus transmisit. Namque Araxes antequam receptis amnibus,qui à Periardis paludib.oriũtur,ampliores undas trahat, humilem alueum, & faciles ascensu passim ripas trãseuntibus ostendit. Vix dum Selymus traducto exercitu castra posuerat, quum Vstaoglus,qui cum Amurathe iũctis copijs idoneo in loco subsisteret, Choi oppido atq; inermibus oppidanis timens, ne repentino hostis aduentu opprimerentur, celeriter inde mouit,& ad hostẽ profectus est.Namq; id oppidum fontium atq; amnium perẽnitate totius regionis amœnissimũ, quòd propter omnis generis fructuum copiam,cœliq; temperiem,Persarũ reges relicto Taurisio magnam ęstatis partem his in locis agere consueuerũt,ditissimos oppidanos habet, & pulcherrima ædificia: quibus in eo prælio succurrendum Vstaoglus arbitrabatur, ne simul cõtra suã existimationem in conspectu celebre oppidũ amitteretur,atq; hostis eo potitus,confectum fame exercitum omnium rerum copia recrearet. Choim antiquitus fuisse Artaxata clarissimam quondam urbẽ à Domitio Corbulone deletam, Calsinus natione Armenius,qui huic bello interfuit,plurib.cõfectu-

A ris nobis indicauit. Nec Sophus Ismaël quanquam maiorẽ copiarũ partem aduersus Coraxenos, Hyrcani maris accolas tumultuantes paulo antè premi ferat, ut qui Turcas desperaret, nec eos in Armeniã uenturos arbitraretur, audito statim Selymi nomine in castra uenire cunctatus est. Fortè tum Vstaoglus, qui in eam usq; diem & prælio & cõspectu hostium contra suorum opinionẽ abstinuerat, ut magis ac magis & labore itineris & desperatione commeatus attritis hostium uiribus,sine pugna, & sine suorum uulnere bellum cõficeret, contra oppidum castra locauerat, quum sub aduentum Hysmaëlis Turcæ exploratores conspecta puluerisnube, audi tisq; equorum hinnitibus, adesse hostem senserũt. Quod ubi in castra nunciatum est,tum uerò omnes gestire lętitia, tum primum spem concipere certissimam de salute atq; uictoria: dijs grates agere,quòd pro labore, inedia, cæterisq; incommodis,tandem oblato hoste egregiè mortis facultatẽ tribuissent. Enimuerò Europei præsertim equites,equis macie confectis, Asappiq; pedites longo itinere fatigati, quibus uulgato morbo uentres fluebant, quòd in magnis solis ardoribus polenta ex farina aceroque confecta, & pomorum agrestium succis uitam diu tolerarant, angente simul dolore animi cõsternati, quòd ne uiso quidem hoste cadẽdum foret, passim moriebantur. Hysmaël ut in conspectum hostium uenit,cùm suorum uirtuti, tum fortunæ suæ plurimum confisus,quò plus terroris incuteret, prælium minimè differendum existimauit, missiq; ad Selymum caduceatorẽ, & cum eo aliquot militares uiros,qui diligenter,quales quantęq; hostium copię, quot tormenta,quæ formæ castrorum essent,specularentur. Cæterùm Selymo nunciarent ambigui iuris non esse Armeniam: neq; unquam cum Turcis de eius possessione fuisse dilceptatum. Proinde se mirari cur infesto exercitu in prouinciam uenisset. Quòd si fortè antiquæ uirtutis æmulus imitatus Alexandrum Macedonem, tantum soli terrarumq; iure suum futurum existimet,quantum sibi promotis armis uictoria Fortuna; pepererint, pararet arma,& in crastinum diem suas atq; alienas uires periclitaretur. Selymus ad ea respondit, extare recentem iniuriarum memoriam, qua iustè ab Othomãnis aduersus Persas arma sumi potuerunt, quum & auus Mahometes & Cassemus patruus quondam, nuper uerò Baiazetes pater,& ipse dũ fratris Achomatis armis oppugnaretur,à Persis,& summa detrimenta,& insignes cõtumelias acceperint. Ea tamẽ etsi magna & grauissima sint, dignas belli causas non putare,sed unum se repetere Amurathem fratris filium hostem suum, & Cappadociæ prædatorem. Quem si ex æquo amiceq; sibi traderet, ut mutua inter reges pro tuendis firmandisq; imperijs iura postularent, fore, ut copias inde abduceret, & in proprios fines reuerteretur. Si uerò id facere negligeret,ferro igneq; Armeniam, & Persidem uastaturum. Dimisso caduceatore uterq; suis castris se continuit. Sequẽti uerò die Selymus suorum omnium hortatu copias in patentẽ locũ eduxit:instructaque acie ad hostem, qui duobus milibus passuum inde aberat, profectus est, existimans Hysmaëlem tanti nominis imperatorem,quin prælio decerraret, nullam moram esse facturum. Qui uerò Persarum numerus, quod equitum genus, quæ arma, quæ tela gestarent, facilè reperire nõ poterat.Nam supra gentis ingenia calliditatis atq; cõsilij plena,tantus erat militum amor,ac tanta ueneratio erga Hysmaëlem regem suum, ut nemo repertus sit, qui ad Turcarũ castra trãsfugerit, quũ multi (ut postea ex captiuis Persis cognitum est) quotidie à Selymo ad Hysmaëlem perfugerent.Selymus qui octuaginta equitum milia eo die habuisse dicit,in dextro cornu Cassembassam Europei equitatus præfectũ,in læuo Sinambassam eunuchum cum Asiatico equitatu cõstituit,

antecedentibus Acanzis, qui sunt uoluntariæ mi-
litiæ equites ex uario gentium genere, spe prædæ
ad bellum exciti. Media acies Asappis peditibus da
ta, quorum uilis semiermisq; turba, tanquam nul-
lius propè iacturæ habeta ndis hostium gladijs pri-
mo semper congressui obijcitur. Post Asappos tor-
menta recta fronte disposita sunt, additis præsidio
quatuor equitum milibus. Ipse in subsidijs cum le-
ctissimo equite prætoriano, omnibusq; Ianizaris,
paulò editiore in loco constitit, duplici corona tor
mentorum atq; impedimētorum circumuallatus:
nam camelos clitellatos longa cathenæ serie inter
se nexos, ita in orbem sibi de more circundederat,
ut speciem ualidæ munitionis æquarent, quo uelu
ti uallo septus, & laborantibus suis opem ferre, &
si quid durius accideret, ueluti ab arce cū flore mili
tum, omnem hostium impetum sustinere posset.
Monuitq; Asappos ut quum primum hostium equi
tatus appropinquare inciperet, diducta acie celeri-
ter in utranq; partem secederent, ut spacium emit-
tendis tormētis relinqueret. Ex aduerso Hysmaël,
qui per transfugas cuncta hostium consilia explora
ta habebat, uocatis ad se ducib⁹, docuit nullius pro
pè negotij esse uictoriam, modò procellam tormen
torum effugerent. Quod se facilè consecuturū polli
cebatur, si equites quum scindi Asapporum aciem
uidissent, & ipsi intenti paratiq; soluto statim ordi-
ne in duas alas abscederent. Itaq; duo maiora uexil
la proposuit, alterum prætorium, quod certo in lo-
co cum robore equitum statuerat, alterum quod cū
reliquo exercitu Vstaoglo attribuit. Habebat Hys-
maël ad triginta milia equitum absq; ullo pedestri
subsidio, in queis fuere supra decem milia cataphra
cti, uiri fortes, bello exercitati, ac nobilitate illu-
stres. Iis insignes equi erāt operoso chalybe tecti, &
cassides ad ornatum terroremq; cristatæ. Præterea
acinaces, & more nostro clauæ ferreæ, atq; hastæ so
lidiores. Cęteri apertis atque oblongis galeis, & fer
reis thoracibus muniti, uel maiore arcu, uel lanceis
fraxineis more Hispanico ad mediam hastam com
prehensis, utebantur. Cęterùm apud eos nullus tor
mentorum apparatus, quo certè uno Turcis impa-
res erant. Sed tantū spiritus, tantumq; uirtutis Per-
sarum animis inerat, ut despecta hostium multitu-
dine, & contempto tormentorum periculo, præliū
committere non dubitarent. Hysmaël dato signo
uniuersum agmē promouit, milites cohortatus, ut
diu ante partam rei militaris laudem memoria reti
nere uellent: ac se imperatorem suum, quem pluri-
bus secundissimis prælijs maximum Orientis regē
constituissent, uadentem in hostes imitarentur, oc-
cursuros in acie inermes Turcas leui tantum hasta
& scutis utentes, quorum equi statura humiles, stri
gosi, enecti fame, ne primum quidem impetum ca-
taphractorum essent toleraturi. Ab altera parte Se-
lymus puluerem aduentantis hostilis exercitus cō
spicatus, per duces præfectosq; tota acie pręnuncia
ri iussit instare prælium, quo si egregiè dimicarent,
uictis gentium uictoribus Othomannicum impe-
rium à Persico Oceano ad Caucasum mōtem essent
prolaturi. Quòd si quid ex pristina uirtute remisis-
sent, putarent nullam effugij spem superesse in ea
uastitate camporum immēsisq; desertis. Aut enim
fœdè moriendum, aut perpetuò Persarum fœminis
cum ignominia seruiendum: quando post tot terra
rum spacia, & rapidus Euphrates, & Tauri iuga, &
infidus Aladulus occupatis angustijs, omnē spem
redeundi in Cappadociam uictis abstulissent. Hys-
maël quum appropinquasset, & ad propositum si-
gnum Asappi ordines aperirēt, subindeq; falcones
medio interuallo disploderentur, diducto statim e-
quitatu, in dextrum cornu impetum fecit tāto suo-
rum ardore, ut quum asperrimum inter semiermes
Turcas & armatos egregiè Persas contractum esset

A certamē, obtruncato ante alios Cassembassa, primis
cæsis, ac mox alijs atq; alijs fusis profligatisq;, totū
id cornu usq; ad subsidia ubi substiterat Selymus
propulerint. Parte alia Vstaoglus non paruo à tor-
mentis accepto incommodo, quòd tardius ab eo
periculo sese atq; alas suas explicarat, Asiaticos in-
uasit: ibi acri commissa pugna magnam cędem ho-
stium edidit, sed non eadē fœlicitate, qua Hysmaël.
Nam dum inter primos acerrimè depugnaret, sclo-
peto ictus occubuit, quo casu Turcarū animis red-
ditus uigor, ita ut qui iam pulsi loco supra tertiam
partem suorum amiserant, redintegrato certamine,
cataphractos egregiè sustinuerint, & oppositis sclo
petarijs, quibus maximè Persarū equi terrebantur,
eos uno agmine in Asappos præcipites egerint. Per
sę siue necessitate compulsi, quòd detrimento acce
pto ducem amiserant, atq; equos tormentorum fra
gore & tonitru territos, regere non poterant, siue
quòd apertum latus Asapporum meliorem rei ge-
rendæ facultatem ostendebat, confertis turmis per
transuersos pedites perruperūt, quibus magna stra
ge cæsis protritisq;, ad tormenta peruentum. Ibi eo
rum magistros libratoresq;, qui, ut in magna rerum
perturbatione displosis temerè tormentis fœdissi-
mam cladem suis æquè hostibusq; intulerant, cir-
cūuentos trucidarunt, continentiq; cursu in dextrū
cornu hostiū, ubi Hysmaël cum Europeis dèpugna
bat, tanquam uictores peruasere. Quibus de rebus
Europei, qui iam antea & ipsi amisso duce repulsi
confectiq; uulneribus, se ad subsidia receperāt, quū
nouo ab latere oblato prælio impressionem ægrè
sustinerēt, opem uti extremo discrimine à subsidia-
rijs implorare cœperunt. In ea prælij iniquitate Se-
lymus soluto curruum nexu, uallū duobus in locis
patefecit, partemq; prætoriani equitatus illicò emi
sit. mox ad Ianizaros cōuersus, Vestrę in quit, uirtu
B ti atq; operę hodierna uictoria reseruatur macti uir
tute milites mei: agite dum eruptione facta, fessos
hostes integris uiribus aggredimini. Fluūt sudore
equorum corpora, ipsiq; equites sub tanto armorū
pondere iam fatiscunt. Hæc dicenti Selymo Ianiza
ri haud sanè promptè obtemperabant, quippe qui
in tanta rerum desperatione libenter suis se muni-
tionibus continerent. Itaq; dum cunctantius signa
efferunt, Persæ in medio ardore uictoriæ Europeis
circumfusi eos spectante Selymo, ac frustra auxiliū
ferre properante, occidione deleuerunt. Scripsit ad
Leonem pontificem Fabritius Carrectus Rhodiæ
militiæ magister, ad quem omnia hæc diligentissi-
mè perferebantur, Ianizaros Selymo dicto audien-
tes non fuisse, neq; eius adhortatione, aut precibus
adduci potuisse, ut laborātibus Europeis auxilium
ferrent, ut qui summæ rei diffidētes, expectare euē-
tum quàm se in manifesto periculo equestri hostiū
procellæ, quæ cęteros pedites obtriuerat, obiecta-
re malebant. Iam Persæ ab omni parte Selymum in
tra subsidia morantem inuaserant, quū Sinambassa
tametsi cornu lacerum ac uehementer attenuatum
trahebat, per medios Asapporum aceruos hostes in
secutus in tempore superuenit: accitisq; subinde &
inductis aliquot recentibus turmis, quæ ab Vstao-
gli impetu integræ euaserant, pugna est restituta,
duorum maximè fratrum Malcociorum præcellen
ti uirtute, Turabei & Mahometis, qui Turcica ex gē
te nobilitate generis ipsi Othomannæ familiæ pa-
res, Malcocij patris luctuosa illa in Venetos & Car
nos excursione clari ducis, magnitudinem animi
uigoremq; referebant. Selymus quoq; minimè anī
mum despondens, sed in spem erectus atq; alacer,
id quod supremo discriminis reseruarat, omnia tor
menta dirigi in hostem iubet, quæ tātam equorum
atq; hominum stragem suis pariter atq; hostibus in
ter se cōmixtis ediderunt, ut quum uiri puluere, fu
mo tormentorū & crepitu, usum oculorum atq; au

rium amisissent, ac subinde equi ad insolitū frago-
rem metu consternati, cōtemptis frenis sessores in
diuersum adueherēt, incerta adhuc uictoria præliū
sit diremptum. Hysmaël sclopeti ictu sub lęuum hu
merum uulnere accepto, pręteruectus eam procel-
lam, ut uulnus inspiceret, hortantibus amicis præ-
lio excessit. Quæ res haud dubiè Selymo suisq; om
nibus salutem attulit. Namq; Hysmaëlē eiusq; ue-
xillum Persæ continuò subsecuti, non dubiam par-
tamq; magna ex parte omnium opinione uictoriā,
reliquerunt. Verùm leui nec profundo uulnere in-
uento, quòd plumbea glans eam armorum partem
ob singularem temperaturam altius penetrare ne-
quiuerat, in pręliū redire constituit. Sed audita mor
te Vstaogli, cui propter eximiam rei bellicæ peritiā
magnopere fidebat, suadentibus etiam amicis ne
plagam adhuc calentem despiceret, salutiq; cōsule-
ret, quadrato agmine ac lento gradu, ut nihil fugæ
simile discessus habere uideretur, recipere se cœpit,
præteruectusq; Taurisium, monitis urbis primori-
bus, ut portas Turcis aperirent, pręsidiumq; accipe
rent, ne quid detrimenti ex uana constantia paterē-
tur, in Medorum fines concessit. At Turcæ tot incō
modis conflictati quum neq; præ timore animos,
neq; præ lassitudine uires ad insequendū haberēt,
ad Persarum castra delati, ea nullo defendente cepe
runt. Inuentæ sunt, præter tabernacula picta acu, &
serico atq; auro intexta aliamq; preciosam supelle-
ctilem, complures nobilissimæ mulieres, quę uiros
secutę fuerāt, quas Selymus intactas sine precio re-
misit. Retulere qui huic prælio interfuerunt nōnul
las fœminas inter cæsorum aceruos repertas, quæ
thoraces galeasq; indutæ, & secutæ uiros unà cum
eis strenuè pugnando ciderant. Hoc maximè euē
tu Calderanis in campis ad Choin pugnatum est se
ptimo Calend. Septembris eius anni, qui fuit à par-
tu Virginis millesimus quingentesimus decimus-
quartus: quo prælio Selymus supra triginta milia
hominū amisit, in queis præter Cassembassam Græ
ciæ Bellerbechum, septem Sanzacos, & in his ipsos
quos diximus Malcocios fratres, dū alter alteri cir-
cumuento opem ferre conatur, cadētibus equis in-
terfectos: sed præter Asapporum inconditam mul-
titudinem obiectam cædi, equites Illyrici, Macedo
nes, Triballi, Epirotæ, Thessali, Thracesq; haud du-
biè flos & robur exercitus, qui in dextro cornu fue-
rant, magna ex parte aut cæsi aut uulneribus debi-
litati sunt. Selymus cōfessione hostium uictor, quū
ab Choi cæterisq; uicinis urbibus, & ab Taurisio le
gationes in castra uenissent, quæ se commeatū affa-
tim dare & imperata facere paratas dicerēt, ad Tau
risium profectus est, studio uisendæ atq; obtinēdæ
Persarum regiæ. Ea urbs ab Choi ubi pugnatū est,
itinere bidui distat: fuitque antiquitus Ptolemæo
Terua, quæ abest à proximo Hircano mari ad Bacu
cum portum cētum quinquaginta milibus passuū.
Ciues, aduentantibus Turcis præstò fuerunt, & ma
gnam uim commeatus extra portam conuexerūt,
ubi occupatis suburbanis ædificijs Turcæ castra po
suerant, quum in maxima & frequētissima ciuitate
pernoctare parum tutum existimarēt, portas tamē
tradentibus Persis, imposito præsidio tenuerunt.
Ferunt Selymum, qui salutem suam Persis temerè
minimè committebat, nūquam ingressum urbem,
nisi gregarij equitis habitu. Aliqui uerò celebri pō-
pa in regijs ædibus publicè conuiuatum fuisse, uer-
baq; ad Taurisianos de uictoria consilijsq; suis fe-
cisse confirmant. Sed uix decem dies Taurisij mora
tus, quum in Armenia contra uoluntatem prætoria
norum hyemare statueret, ad frequentes de hoste
nuncios consilium mutauit, quòd Hysmaël accita
ualida manu Iberorum & Albanorum equitū, cum
Parthis atq; his equitibus, qui pugnę interfuerant,
aduētare ferebatur. Quibus de causis Selymus, qui

A supra cētum & quinquaginta armatorum milibus
in acie constitutis, ægrè se triginta Persarum milia
sustinuisse, & casu magis artificioq; tormentorum,
quàm uera uirtute, eos superasse meminerat, ęstima
tisq; Taurisianorum uiribus, quorum fidem & mul
titudinem suspectam habebat, in Cappadociam re
dire constituit. Itaque abductis pluribus fabrorum
excellentiumq; opificum familijs, eorum maximè
qui arma telaq; elaborati operis fabricabant, & ma
gna ui serici & commeatus inde exportata, per Ho
bordenam & Balisenam regiones, longiore aliquan
to itinere ad Euphratem cōtendit. Ne enim appro-
pinquantibus Iberis obuius fieret, redire ad Araxē,
& Periardis montes circuire nolebat. Hysmaël co-
gnita eius profectione, quanta & ipse maxima po-
tuit celeritate eum subsecutus, magis ac magis cur-
sum intendere, & præ festinatione impedimenta
passim ac milites uulneribus & ualetudine debilita
tos, relinqui coëgit. Neque prius (quòd ille magno
interuallo antecedebat) extremum Turcarum a-
gmen consecutus est, quàm ad Euphratem perue-
nit. Ibi Selymus biduum moratus aliquot effectis
ratibus peditatum transmittebat. Quæ quum tan-
tæ multitudini non sufficerent, plures inflatis utri-
bus innixi flumē tranabant: alij effractis dedita ope
ra curribus, eorum materia ad natandum uteban-
tur. Ipse imperator lintre uectus, quum uniuersus
equitatus ad perfringendam uim fluminis uno a-
gmine ingressus profluēti se opposuisset, in ulteri-
orē ripam euasit. Quæ res peditibus periculum mi
nuit, & molliorem trāsitum currulibus tormentis,
camelisq; & cæteris sarcinarijs iumentis dedit. Pe-
riere tamen, quum iam in conspectu Iberorum an-
tecursores essent, atque ob eum timorem excitato
tumultu tota ripa trepidaretur, circiter duo milia
hominum, hæserantq; limoso in uado aliquot fal-
B cones, & impedimentorum quoque partem uorti-
cosus amnis abripuit. Iberi qui recentioribus equis
Persas antecesserant, contenti ijs quæ relicta erant
insequendi finem fecerunt. Nam tormentorū cur-
rus inter se ui undarum implicati, bonam partem
sarcinarum retinuerant: multaq; alia, ripis & uadis
hæserant, quę haud magno labore funibus extrahe
bantur, læto plurimum Hysmaële quòd tormenta
quibus maximè tantam cladem acceperat, eiecto ac
fugato hoste cepisset. Porrò Selymus è manib. Per-
sarum fuga elapsus, longè infestiora itinera ad An-
titaurum inuenit. Namque Aladulus despectā eius
fortuna ad prædandi occasionem sibi oblatam, an-
gustias dispositis passim montanis hominibus in-
sederat, qui more latronum noctu maximè in Tur-
cas impetum faciebant, & quum uię admodum syl
uestres & confragosæ fessum agmen exciperent, à
tergo & à lateribus incursabant: direptisq; impedi-
mentis in nemora & notas rupes reuertebantur.
Aladulus cuius hæc fraude fiebant, interdiu excusa
re se, nihil sua uoluntate fieri: homines agrestes la-
trocinijs assuetos proprio consilio atq; audacia ea
damna inferre: eos tamen pœnas daturos, se enim
breui eius maleficij authores reperturum. Interim
in speciem amicitiæ datis aliquot dierum cibarijs,
noctu infestas latronum manus, quę opportunis in
locis transeuntibus occurrerent, immittebat. Qui-
bus malis neq; consilio Selymus, neq; uirtute mili-
tes prouidere poterant. Tandem quòd dissimulata
iniuria, hominis perfidiam alio tempore uindican-
dam arbitrabatur, Trapezuntem atq; inde Amasiā
Cappadocię peruenit, ubi reparandis copijs inten-
tus, hyemem egit, primo statim uere aduersus Ala-
dulum, & montanos barbaros, qui tantum detrimē
ti pauorisq; intulerant, bellum gesturus. Lubet hoc
loco tantisper euagari, dum aliqua de natura Otho
mannici principatus institutisq; militiæ referūtur.
Primum omnium Selymus præclaro felicis atque

inuictæ uirtutis maiorum suorum exemplo, impotentis tyranni more, ita liberis hominibus domina
tur, ut non alijs ferè quàm fortium seruorum consi
lio & uiribus, tanti imperij fortuna constet, quòd
alienas occupáti terras nihil magis expediat, quàm
ignobilium seruientiumq; uolũtates & studia, pro-
positis præmijs promereri: quoniam id unum ferè
genus hominũ, à spectata uirtute ad opes amplissi
mas summosq; honores ex tuto prouehi, extraq;ue
tumultum & inuidiam pro libidine plecti possit.
Qua de causa homines Turcas, antiquę stirpis nobi
litatem referentes ex arcano Selymus odit, quum
eos tanquam imperij æmulos planè metuat. In his
sunt quatuor insignes familiæ, uetustate originis
Othomannorũ domui pares, quæ ab occulto quo-
dam liuore in una Othomanni sobole, ipsis æquali
fatalis imperij nomen iam per ducentos confirma-
tum annos propagari uehementer indignantur. Hi
sunt Michalogli, Ebrenes, Turacani, atq; Malcoccij,
è quibus, uel summæ uirtutis homines, neq; purpu
rati, neq; magistri equitum unquam euadunt, ne im
modica uirium freti potentia, ad imperium aspirét.
Sed magnos redditus ex antiqua agrorum diuisio-
ne, superioribusq; uictorijs consecuti, quòd multo
pecore & frumentarijs possessionibus abundent,
perpetuaq; stipendia percipiant, cæteris opulentio
res existimãtur, secus ac liceat Christiano sanguine
progenitis, siue militię ascripti serui sint, siue incolę
liberi. nam non alios habent fundos, quàm quos à
principe agrorum domino ad annuum uectigal im
petrarint. Magnus tamen his familijs habetur ho-
nos: nam Michalogli peculiari prærogatiua uolun-
tarijs equitibus præficiuntur, hos Acanzes, hoc est,
antecursores uocant: & plerumq; centum miliũ e-
quitum numerum implent, quòd eis ad spem præ-
dæ Tartari è Taurica, & Getę ex Valachia gregatim
misceãtur. Reliqui ex his familijs nobilioribus prę
fecturis ornantur, quę nunc quadraginta octo sunt
æqua ferè portione in Europa, atq; Asia constitutæ.
Verùm ex Asiaticis digniores imperatoris filijs obu-
eniunt, sicuti Amasiæ in Cappadocia, Iconij in Ly
caonia, Magnesiæ in Ionia: in Europa autem ad pa-
randum militiæ decus potiores conceduntur. Pelo
ponnesiaca quæ Morea dicitur Turacanis, Bosnen-
sis in Illyrico Malcoccijs, Ebrenibus Samandrica in
Triballis. Nec ulla est tam exigua aut tenuis præfe-
ctura quæ bina saltem milia equitum non alat, quũ
ampliores sena & septena contineant. Quibus om
nibus ex descriptis regionum uectigalibus, stipen-
dia argento & certis lignorũ & pabuli supplemen-
tis, singulis quoq; mensibus persoluũtur. Huius ge
neris equites scripti in alas Sãzachorum Timarrio
tæ uocantur à Timarro, quę uox stipendium ab in-
colis contributum sonat. In hoc equitatu præcipuũ
Othomannorum robor cõsistit: nam ad repentinũ
edictum paucissimis diebus septuaginta amplius
equitum milia in unum locum à præfectis adducũ-
tur. Nec quisquam eorum est, qui ad propositũ ge-
rendi belli edictum, non magnopere lætetur, & cer
tum ex nauata opera præmium non expectet: igna-
uiæq; pariter & delicti pœnam subterfugiat. Tanta
enim seueritate iudices, qui circumeundo præfectu
ras sigillatim turmas recensent, arma, equos, & mo
res inspiciũt, ut si qui notati exauctoratiq; sint, ma-
gnus equitum numerus in eorum supplementum
ĩese offerat, insigniq; se affici beneficio existiment,
qui alijs eadem loca & stipendia diu expectantibus
præferantur. Vniuersis duo magistri equitum præ-
sunt, qui Bellerbechi, hoc est, domini dominorũ su
perba appellatione uocitãtur. Asiaticus ad Cutheiã
Galatiæ urbem, Europeus ad Sophiam Mysię infe
rioris sedes habent, cõstitutisq; tribunalibus inter
milites ius dicunt, quemadmodum Cadi, qui sunt
statutorum & legum periti, prętoria authoritate in
colarum controuersias finire solẽt. Bellerbecho pa-
rent Sanzachi, Latinè alarum signiferi: Sanzachis
Subasi obediunt, qui centenarias turmas ductant.
Sed nemo est Turcarum omnium, aut Christianæ
professionis ueterum incolarũ, qui uel oppida, uel
arces, uel deniq; pagos more Persarum possideat,
aut paulò munitiores domos ędificet. Vetere enim
edicto cauetur, ne quis uillã pinnato muro circun-
det, nec ædificium supra primam contignationem,
colũbaria turricula altius condat. Propterea Thra-
ces, Græci, Macedones, Mysij, Epirotæ, Illyrij, cętę-
riq; populi barbarico subiecti iugo, neq; firmis opi-
bus ualent, neq; si Christiana arma alicunde perstre
pant, ad oblatam excutiẽdæ seruituris occasionem
sese commouere possunt. Singulæ namq; præfectu
rę suos equitatus eo ordine in æstiuis atq; hybernis
pagatim dispositos continent, ut ubiq; contra uim
subitumq; tumultum parati, instructiq; armis, præ-
sto adsint aduersus exarmatos & inopes, qui op-
pressi celeriter teterrimi supplicij pœnam subeant.
Reliquus equitatus constat ex prætorianis alis, quę
nobilitate ac eximio cultu omnium lectissimę atq;
ornatissimæ sunt. Eę distinguuntur ordinibus, atq;
stipendijs. Sed Spachi, Oglanij dignitate cęteros an
tecellunt, quòd ab imperatore filij appellẽtur. Nam
à pueritia ex delectibus prouinciarũ adducti in re-
giam, & postquã à Christiana religione defecerint,
per Eunuchos literis & armis liberaliter instituti,
quum puberes euadũt, ad summos honores proue
huntur. Oglanis pari propè authoritate succedunt
Vluphagi, Siliphtari, Caripigi, & Mutpharachę, qui
à dextra læuaq; distinctis agminibus equitantis im
peratoris latera prącingunt. Sed Mutpharachæ ad
mirabili uirtute pręstantes, toto orbe conquisiti, ea
cõditione militant, ut quos uelint deos impunè co
lant, præsentiq; tantum imperatori operam nauẽt:
qua liberalitate, atq; indulgentia inuitati, non mo-
do Indi, Æthiopes, & Tartari extremi gentium ido
la priscæ & antiquatæ religionis, aut cœli maxima
sydera pro dijs uenerãtes, sed ex nostro etiam orbe
Christiani nobilitate illustres in eum ordinem reci-
piantur. Hos equites magna delectorum subseruo
rum multitudo subsequitur, adeò splendidè armis
& equis instructa, ut quum dominos numero mul-
tum exuperet, ornatu etiam propè par, iusti & ful-
gentis exercitus speciem ostendat. Verùm insignia
utrosq; distinguunt. Subserui enim non linteis &
globolis capitum integumentis, ut heri & Turcæ
reliqui, sed puniceis pileis utuntur, quos pro galea
frontalibus puro ex auro contextis, & argenteis co
nis ad inferendas cristas eleganter exornant, quum
in uniuersum etiam uestę ferica argenteis fibulis re
dimita, squamosoq; baltheo, & inauratis phaleris
conspicui, herilis opulentiæ splendorem repręsen-
tent. Nam aulæ procerum splendidissimus quisq;
nihil precio sius in censu habet, nec sibi honestius
quicquam ducit, quàm plura seruitia, decore milita
ris formæ præstantia, pompæ modo ad decus ostẽ
tare. In hunc siquidem unum præcipuè sumptum
omnes fortunas conferunt, propterea quòd exqui
sitis epulis minimè studeant, nec sumptuosę ædifi-
cent, neq; ullis omnino damnosæ aleæ ludis indul-
geant, quum latrunculis per ocium lusisse, uicisseq;
ad ingenij laudem, quàm ad pecuniæ quęstum no-
bilius existimẽt. Sed nihil apud Selymum duarum
legionum ex Ianizaris delectarum inuicto robore
præstantius atq; ualidius censetur. Instar enim Ma-
cedonicæ phalangis omnem uim hostium facilè su
stinent atq; perfringunt. Has ex nouæ gentis dele-
ctu, uti nomen sonat, primus Othomannorũ Amu
rathes Selymi proauus instituit, quibus regiæ prę-
torijq; custodia mãdaretur. Earum siquidem noua
fœlicię uirtute memorabilem uictoriam, cæso ad
Varnam Ladislao Polonorum & Hungarorum re-
ge fue-

ge fuerat consecutus. Nec alia demum ui quàm Ia-
nizarorum Mahometes Byzantium, Baiazetes Me
thonem expugnarũt, quum hic pronepos nuper in
uictos antea Persas, & equitatu planè uictores hos-
rum peditum uirtute profligarit. Ianizari peculiari
prærogatiua, Exarcolam, hoc est, pileum album au
rea anteriore fascia, & cristis insignem acinaci impe
netrabilem, demissaq; per tergum lata cauda cerui-
ces munientem pro galea gestant. Lunatosq; item
calceos cæteris uetitos induunt. Arma eorum prę-
ter sclopetos & arcus, quibus iam multò maxima
eorum pars utitur, sunt hastæ Germanicis breuio-
res, ferro lato, aut triangulari, aut fuscinato, aut in
romphæam adunco præfixæ. Præter hæc gladio in
curuo paruaq; secure, quũ expedit rem gerunt. Bre-
uiores togulas colore cyaneo, aut rubro, aut prasi-
no ab anteriore fimbria in tergũ reductas baltheis
subcingũt, & terra mariq; omnium audacissimè &
constantissimè pugnant. Ex hoc mirifico inueterа-
tæ disciplinæ genere, tanquam ducum & præfecto
rum seminario, pleriq; in alas prætorianas ad equũ
rescribuntur, alij ad superiores ordines traducti ad
præfecturas scandunt, alij nulla ferè alia quàm testa
tæ uirtutis commendatione Sanzachi, & quod su-
premæ eorum fortunæ munus est, Bellerbechi &
purpurati Bassæ creantur. Hi numero quatuor gra-
uissimarum rerum consilijs pręsunt, & per singulas
hebdomadas quatuor continuis diebus in regia co
ĕunt, supplicibus libellis respondent, lites dirimũt
ipso imperatore ex protecta uelo feneſtella cũctas
controuersias querelasq; populi, & Bassarũ respon
sa intentis auribus excipiente, ut tantarum rerum
iudices censorę pœna & prędio cuncta expenden-
tem adesse intelligãt. Huius ordinis antiquior prin
cipis scrinio gemmaq; potitur, appellaturq; Vesir,
& scribis atq; notarijs decreta dictat. His rebus cõ-
fectis purpurati prandẽt, uniuersoq; populo, qui in-
curiam coierit, publicè epulum datur, sed frugi sanè
ex oriza, & ueruecina carne, paneq;, & aqua limpida
paratum. Interea imperator præfecto sacrarum le-
gum, qui est Cadilescher, & quæstorum magistro,
qui ærarij rationes expendit, & Dephterder uoca-
tur, sedulo operam dat. Hoc perpetuo rerum ciui-
lium officiorumq; omniũ tenore, & hac incompa-
rabili militię disciplina, Selymus imperium patri &
fratribus ereptum, ita stabiliuit & auxit, ut maiori-
bus suis magnitudine animi superior esse uideatur,
& quòd uictor in intima Persarum uiscera penetra
rit, iam Campsonem Syriæ Ægyptiq; Sulthanum,
Baiazeti patri ex Tarsensi uictoria formidatum, pro
motis ad Amanum montem copijs magnopere ter
ritet, nobisq; inde minetur cladẽ, illaturus procul-
dubio longè teterrimam, nisi Christiani reges matu
rè experrecti, tam pia quàm necessaria arma ad pu-
blicæ salutis præsidium expediant. Ea quæ secuta
est hyeme Lodouicus Gallorum rex, ut post bellũ
terra mariq; infeliciter gestum tãdem quieti Gallię
non indecora pace parta consuleret, Mariam Britan
nam Henrici infensissimi hostis sororẽ in matrimo
nium petere constituit. Enimuerò quum æstuante
animo secum ipse reputaret, quot incõmodis acce-
ptis, quanto; periculo bellum superiore ętate sus-
tinuisset, omni ratione parandam pacem existima
bat, non ignarus si Britannum æquis oblatis condi
tionibus, ad amicitiam pertraxisset, futurũ procul-
dubio, ut cæteris aduersum se coniuratis hostibus,
animi uires; conciderent. Neq; Henricus, qui fuso
fugatoq; Gallorum equitatu, duabus in continenti
ualidissimis urbibus captis, occiso Scotorum rege,
& ad internitionem eius nobilitatis cõfecto bello,
satis sibi gloriæ ac laudis comparatũ arbitrabatur,
multum ab honestę pacis studijs abhorrebat, ob id
præsertim, quòd Ferdinandum socerum non alie-
no animo in Gallum esse perspectum habebat, quũ
ab initio occupata Cantabria, Britannis ad fontem
Rabidum, qui auxilia & cõmeatus ex propinquo
postulabant, contra fœderis iusiurandum in maxi-
ma gerendarũ rerum opportunitate defuisset. Sub-
indeq; Maximilianum Sfortiam, & Heluetios in a-
speris Nouariensis belli casibus, ostentata spe auxi-
liorum per Cardoniũ deseruisse, ac penè prodidisse
diceretur. Sed ingentis spiritus regem id maximè
angebat, quòd nouissimè dum ab Ie à Germanis &
Heluetijs uno cõsilio, atq; uno tempore bellum in
Gallia gereretur, Ferdinandus in tanta proferendi
imperij occasione, nec ullam ostentatis saltẽ armis
de se inuadendæ Aquitaniæ suspicionem timenti-
bus Gallis præbuisset. Heluetij quoq; quòd pacem
ad Diuionum pepigissent, omnes belli cogitatio-
nes perturbarant. Hæc animo uoluentem Henricũ,
& iam segnius de bello cogitantẽ, Marchio Rotel-
linus, quem Morinensi acie captum ac in Britanniã
transuectum fuisse docuimus, prætentatis eius con
silijs ad ponędas simultates, & pacem eo necessitu-
dinis uinculo confirmandam pertraxit, Lodouico
Canosio Leonis legato, in eam rẽ peracuti ingenij
sui studium & uim omnem explicãte. Is in honore
habitus per uarias sermonum occasiones, docebat
ad felicitatem Galliæ atq; Britannię plurimum per
tinere, si matura ætate puella propinqui & maximi
regis cõnubio iungeretur, ex qua ille integro adhuc
uigore animi, nec effœtis corporis uiribus sibi suc-
cessorem in Gallia procrearet. Precium autem dota
le apud ditissimũ regem nihil maius futurũ, quàm
insignem lectissimæ uirginis formam, utriusq; gen
tis concordiam, & in duobus regnis incomparabili
commodo rerum tranquillitatem afferentę. Igitur
quum Henricus uel honestius arma deponere, uel
sororem splendidius collocare non posset, per lega-
tos de sponsalibus actum. Ludouicus quoq; Sena-
tum consuluit, & totius regni proceres, an rectè &
sapienter factum iri existimarent, si uxor è Britãnia
peteretẽ. Quod postquam summo omnium consen
su, uel aliena cum iniuria approbatũ est, Hauardus
Suffolchius regis amicitia clarus cum ornatissimo
Britannorum procerum comitatu, puellam in pro-
ximam continentẽ transuexit. Nec multo pòst Frã-
cisco Delphino genero deducente, eamq; iniuriam
generosę dissimulante, Ludouicum ad Beuillam
obuium habuit, iuuenili atq; eleganti potius quàm
graui uel regio cultu inter florentis ætatis equites
exornatum. Inde uerò Lutetiam Parisiorũ est con-
cessum, ubi solennes nuptiæ, editis spectaculis, ma-
gno apparatu celebratæ sunt. Sed rex ętate proue-
cta & multùm antea neruorũ doloribus lacessitus,
quum intemperantius puellaribus cõplexibus in-
dulsisset, in febres incidit. Nec multo pòst inualescẽ
te etiam profluuio uẽtris extinctus est. Vir certè rei
bellicæ peritissimus, nec ignarus artium pacis, ut-
pote qui ab ineunte ætate grauissimarũ rerum ex-
periens, & miles egregius, & insignis imperator,
& rex idem apprimè bellicosus, per aduersos simul
& prosperos totius uitæ successus, singulari uirtute
arma tractarit. Eum tamen peruicacis obstinatæq;
naturæ, & proinde sæuum & inexorabilem pleriq;
existimarunt, uel ob id prącipuè, quod Ludouicum
Sfortiam erepto omni scribendi, & quæ cuperet le
gẽdi solatio ferrata in cauea omnium miserrimum
mori coẽgisset. Alij quanquam uel præcipuè militi
bus, statis semper certis q; stipendiorum tempori-
bus, summa fide satisfecerit, pecuniq; ualde parcum,
& magnopere tenacem usq; ad illiberalitatis calũ-
niam putauere. Ignari prorsus quãta sibi & prouin
cialibus damna intulerint principes, qui profuse te
mereq; donando per ocia pacis uanis sum-
ptib. paratos ad bellicas necessitates
thesauros exhauserint.

SVPPLEMENTI

LIBER V.

IVdouico uita functo, Frãciſcus eius gener è regia Valeſiorũ familia maximo procerum atq; omnium mili tum ſtudio, Britanniæ Citerioris, & totius Galliæ imperiũ adeptus eſt. Siquidem primis ſtatim militię rudimẽtis Cantabrico atq; Britannico bello alterum & uigeſimum natus annum, quum ſingulari decore excelſi corporis militari comitate, atq; ingenuo quodam uigore animi promptũ, ſe ad arma; ac ſubinde liberalem accepto, atque omnibus militiæ præfectis & magiſtratibus ſacramento adactis, & regis nomen, & adminiſtrandi imperij curam ſumpſit, ad repetendum Mediolanenſe imperiũ cõſilia uiresq; conuertit. Enimuerò rex iuuenis plurimum ad recentis principatus ac totius Gallię dignitatem pertinere arbitrabatur, neque magnitudine animi, neq; induſtria ſocero inferiorem exiſtimari, & tantas uideri Gallorum copias, & ampliſſimi regni facultates, ut uel conſpirantibus cæteris regibus, non modò ſuſtinere, ſed inferre ultrò bellum, atque id alere in aliena prouincia cõmode poſſe cenſeretur, uel ob id maximè q̃ paulo antè Ludouicus (quum iniuriæ atque ignominiæ animus impatiens, plurimum Italici belli cupidine deflagraret) omnibus propè rebus ad id comparatis, maximum eius expeditionis deſideriũ reliquiſſe uidebatur. His de cauſis accenſum regem, paratumq; auſu & armis recentis imperij fortunam periclitari, Veneti ac Ligures maximè opportuni huic bello, ac longè omniũ terra mariq́ue potentiſſimi in Italiam euocabant, non dubiam expeditamq; uictoriam oſtendẽtes, quòd uno tempore dum regij exercitus fama Heluetij ad alpes diſtinerentur, ipſi ab diuerſis hoſtilis agri partibus ſocia arma moturi eſſent. Id quoq; fiduciam addebat Gallis, quòd uetere hominũ opinione uulgatum erat, externos exercitus, neque inuadere Italiam, neque alpes alio quin imperuias poſſe facilè ſuperare, niſi diſſidentis Italiæ conſilio ac uiribus duceretur. Venetos una ea cura angebat, ut tot amiſſas urbes uel periculoſo etiã remedio, à Germanis & Hiſpanis recuperarent: ac ſubinde quod plurimùm ad dignitatem atque exiſtimationem Reipublicæ pertinebat, ueteres contumelias ulciſcerẽtur, quas pulſis ab Italia Gallis, fraudati uictoriæ partę, eluſiq; ab Hiſpanis atq; Heluetijs, cæteris q; fœderatis principibus accepiſſent. At Ligures paulo antè Octauianus Fregoſius neceſſario magis quã honeſto cõſilio, uel innitos in partes Gallorum traduxerat, tametſi uetere odio & recentibus factis Gallico nomini infenſi erant, quum libertatem euerſa arce recuperaſſe uiderentur. Cauſas commutatę uoluntatis atq; defectionis, plures Octauianus afferebat, quum uir alioqui integro conſtantiq́ue animo parum antiquis uirtutibus ſuis reſpondiſſet. Victis enim ad Nouariam Gallis (ut ſuprà docuimus) empta à Cardonio Piſcario q; copiarum parte, qui tunc ad Placentiam ſedebant, Liguriæ principatu potitus fuerat. id factum, uictores Heluetij & Maximilianus Sfortia æquo animo ferre non poterãt, quòd ille per inuidiam ab alio potius quàm ab ſe rerum omnium arbitris imperium ac leges accipiendas eſſe iudicaſſet: & Hiſpani (quod indignius erat) parum integra fide belli & prælij ſpectatores Heluetio ſanguine & ſuo ſumptu partæ uictoriæ commoda ſuſtuliſſent. Quamobrẽ Maximilianus & Sedu-

A nẽſis, ei ex occulto per Adurnios & Fliſcos bellum intulerunt, quòd Adurnij ad quos altera principatus fortuna pertinebat, ſe his fœderis ſtaturos legibus quibus olim Auguſtinus pater, Ludouici Sfortiæ auſpicijs Genuam tenuiſſet, ſi Fregoſij pelleren
tur, promitterent: ipſeq; Octauianus iam deſpicere Heluetiorum partes uideretur, ut qui Hiſpanorũ amicitia, & pontificis ſtudio ſubnixus, nullã in bellicos ſumptus pecuniam ſuppeditaret, & Fliſci quoque propter Hieronymi fratris cędem, Fregoſijs infenſi, cum Adurnijs opes atq; animos cõſociaſſent. Sed aliter ac ipſi conſtituerant uſu euenit. nam, quũ Adurnij & Fliſci armatis clientibus ſuis, cum duabus Heluetiorum cohortibus media hyeme ad Genuæ mœnia duxiſſent, excitaſſentq; ad ſpem rerum nouarum omnem inferioris Liguriæ oram: Octauiano firmis præſidijs tenente urbem, ſpe decepti, & uicti aſperitate hyemis cum detrimento diſceſſerunt. Inſequenti quoq; anno, adulta etiam tum hyeme, quum aperta ui, aut ampliore comparato exercitu, propter eandem hoſtium diligentiam & maximam oppugnationis difficultatem capiendę urbis, Fortunam minimè ſibi tentandam exiſtimarent, ad dolos inſidiasq; cõuerſi, uocantibus amicis per exoletam portam, quæ ab exteriore pomœrio in priuatos hortos ducebat, cum armatis amplius trecentis hominibus urbem intrarunt, & ad expugnandum prætorium conuolarunt, exiſtimantes in perpetuũ debellatum fore, ſi eo impetu Octauianus atq; alij capita factionis opprimerentur. Sed tardius confecto itinere, & inalbeſcente iam cœlo, dum cancellatos areæ poſtes effringere conarentur, Octauianus ad tumultũ excitatus, arrepto ſcuto cum globo prætorianorum deſcendit: & pateфactis foribus magna uirtute irrumpere conantes, ſuſtinuit. Ibi dum acriter pugnaret, ſclopeto ictus eſt, conſauciatus & Scipio Fliſcus, cęteri conſurgentibus undiq; hoſtibus,
B claraiam in luce deprehenſi quòd longi & ſpurciſſimi itineris labore exanimati erant, quòd ab amicis extra noctis occaſionem auxilia deſperabant, & quòd primis ſuis conatibus Fortuna defuiſſet, in fugam præcipites ſe dederunt. Hieronymus Adurnius & Scipio capti ſunt. Sinibaldus Scipionis frater totam diem apud ędituum latuit, & ſequẽti nocte amicorum opera urbe effugit. E militibus aliquot interfecti, alij ferè omnes in poteſtatem hoſtium deuenere: & in his Camillus Montanus, qui apud Maximilianũ prætorij præfectus fuerat. Eum quòd ab Maximiliano ſubmiſſum fuiſſe ſuſpicabãtur, in arctiſſimam cuſtodiam cum Hieronymo & Scipione coniecerunt. Tanto euitato periculo, Octauianus nihil ſibi amplius cunctandum exiſtimauit, quo minus cum Gallo fœdus & amicitiam occultè percuteret, tametſi Cæſari in primis, ad quem tradendi principatus iura atque auſpicia pertinebant, & Ferdinando cuius uiribus ac copijs imperium obtinuerat, ac Leoni pontifici maximo, qui Fregoſiæ domus, ac eius præſertim omni tempore fautor atque amicus fuiſſet, inſignem ſe iniuriam facturum intelligebat. His autẽ cõditionibus fœdus ictum eſt, ut Octauianus arcem traderet, ducis titulo in poſterum abſtineret, nomine regio Liguriæ præeſſet, & equitum alæ ſtipendium à rege quotãnis acciperent. Fœdericus uerò frater qui tum Salernitanus Archiepiſcopus erat, ampliſſimis in Gallia ſacerdotijs ornaretur. His itaq; ſecretò per Carolũ Borbonium cum rege tranſactis ignara earum rerum ciuitate, plures menſes cum Leone & cæteris principibus, eos cunctis fictæ amicitiæ artibus, per literas ac legatũ ſuũ Benedictũ Vivaldũ egregiè ludificatus, diſſimulãter egit. Sub aduentũ uerò Gallorũ aduocato ſenatu, docuit nihil ad quietẽ atq; opulentiã ciuitatis magis pertinere, q̃ ſi ab Heluetiorũ amicitia diſcederẽt, eos enim & Sfortiã nõ prius

finem

finẽ impoſituros, q̃ omnẽ Liguriam ueluti bello uictam publicis priuatisq; opibus ſpoliaſſent: præſtare Gallorum ſocietatem ſequi, atq; in tutela & fide potẽtiſſimi atq; optimi regis, qui nouas & ueteres iniurias obliuione deleuiſſet, pacatè agere, quàm inconſtantiſſimorum hominum ſtipendiarios uideri. Eum regem compoſitis Hiſpanię Britannięq; rebus, breui tranſcenſurum Alpes cum innumerabilibus copijs, atq; omnem Italiam uictricibus armis peruagaturum. Nec Leonem pontificem qui legatos in Gallia, & regis amitam Iuliani fratris uxorẽ domi haberet, inter diuerſos metus copias ſuas pro aliena ſalute Gallis oppoſiturum exiſtimarent, proinde ea conſilia quæ tuta & neceſſaria eſſent, cõuerſis animis ſequerentur. Regem enim non impotentem dominum, ſed ſocium atq; amicum habituros, ſe uerò libertati ciuium ſemper, proprię autem dignitati atq; amplitudini ſtuduiſſe nunquam. Ac tunc maximè paratum eſſe eiurare ducis ac principis nomẽ, decorum fortaſſe alijs, ſibi uerò inuiſum & graue, quãdo ſi pertinacius retineretur, maximũ reipub. detrimentum eſſet allaturum. Primates, ut in mobili & factioſa ciuitate facilè accidit, tametſi propter incertos belli euẽtus ſe ac fortunas ſuas in maximũ diſcrimen adduci manifeſtè intelligebãt, Octauiano tamen aſſenſerunt, quum perſpectis eius conſilijs reluctari non poſſent, quanquam Octauianus, qui cum magna laude paulo antè libertatis author fuiſſet, ob priuatas res ſuas ueluti repoſito iugo, duriorem patriæ ſeruitutem inducere uidetur. Nec multo pòſt decretum eſt, ut præſidium acciperetur, modò Franciſcus, neq; pecunias imperaret, neq; Phari arcem ab ciuibus funditus euerſam inſtauraret. Interea Maximilianus Sfortia, quũ crebris rumoribus afferretur maximum in Gallia exercitum comparari, & regem ipſum belli ducem ſuperatis Alpibus in Italiam primo quoque tempore
B deſcenſurum, commeatus, arma, equos, tormenta, atq; omnis generis præſidia ſummo ſtudio parare, pecunias ſingulis urbibus imperare, munire arces, & Heluetios cæteros q; ſocios principes per legatos obnixè precari, ne ſe in tanto rerum diſcrimine deſerere uellent, neq; exiſtimarent ſi ipſe ſemel Inſubrum imperio pelleretur, uictores Gallos ac Venetos antiquis imperij finibus contentos fore, ut qui pontifici maximo præſcribere uellent, & cæteris externis gentibus Italia pulſis, omnium rerũ imperiũ ſibi animo deſtinaſſent. Nec multo pòſt, Mathæus Sedunenſis Cardinalis, qui aduerſus Gallos implacabili ſemper odio exarſit, ac tũc maximè bel li quàm pacis auidior, ad ſui atq; Heluetiæ gentis exiſtimationem decerni armis atq; uirtute controuerſiam uolebat, cum triginta amplius Heluetiorũ uexillis in Nouarienſem agrum deſcendit: ea quidem mente, ut ad pellendos Fregoſios in Liguriam duceret: quo conſilio haud dubiè imminentibus periculis occurſum foret, niſi Leo pontifex, qui nunquã, ut de Octauiani ac Federici fide dubitaret adduci potuerat, nihil eos hoſtile molituros recepiſſet. Circumierat Sedunenſis ſuperiore anno ſingulos Heluetiorum Pagos, & in Gallos acerbiſſimè concionatus, authoritate atq; facundia, qua plurimum pollebat, uniuerſam gentem ad arma excierat. Qua de cauſa omnibus concilijs conuentibusq; peractis, Gallos decreto publico Heluetij nominis hoſtes declararant: & uexilla ad cogendos milites, quibus Italiam tuerentur, omnibus locis propoſuerant. At Romæ Leonem pontificem perplexo animo uaria conſilia agitantem, Cæſaris, Ferdinandi, Sfortiæ, Heluetiorumq; legati circumſiſtebant, orabantq;, ut communis ſalutis cauſa expeditis conſilijs ſibi ac fœderatis principibus opem ferre maturaret, quãdo iam è Pyrenæis inferioreq; Germania pedeſtres copiæ Lugdunum perueniſſent, conue-

A ctisq; eò tormentis Gallico equitatu cõuenire iuſſo, Franciſcus nullã profectioni morã facturus eſſe diceretur. Leo tametſi ut erat natura miti ſedatoq; ingenio, à bellis plurimum abhorrebat, & à Gallis, ſi medium ſe gerere, atq; ab omni contentione abeſſe uellet, æquiſſimæ conditiones proponebantẽ, ſimulq; ab omnibus ſuis, qui ad Gallos animos inclinarant, ut antiquum fœdus deſereret, uehementer oppugnabatur: nihilominus in fide ſibi permanendum, uereresq; ſocios opportunis auxilijs iuuandos eſſe exiſtimauit, quòd Placentiã Parmãq;, quas urbes Gallus haud obſcurè repetebat, ui uel pactione dimittere, neq; ſuæ neq; pontificiæ dignitatis eſſe arbitrabatur: ac magni intereſſe dijudicabat ad Florẽtinarum rerum quietẽ ac Romani pontificis libertatem atq; amplitudinem, ualidiſsimã Gallorum gentem Italia prohiberi, quæ paulo antè magnitudine ſua ſacroſancti imperij ſtatum illatis tot cladibus perturbaſſet: & præſertim ſuis ac Petri fratris conatibus, quo minus Florentiam patriam repeterent, Vitelloccij bello, atq; omnibus tẽporibus ſemper obſtitiſſet. Neq; enim ſummæ potentiæ regem quieturum putabat, donec ex uſu uictoriæ rebus omnibus ad arbitriũ conſtitutis, quas uellet Italiæ leges impoſuiſſet. Igitur præmiſſa pecunia, quæ Heluetijs ſtipendij nomine perſolueretur, Iulianũ fratrem cum equeſtribus copijs in Galliam Ciſalpinam ab urbe proficiſci imperat. Sedunenſem totius exercitus legatum pontificia authoritate decernit, & M. Antonium Columnã, in quo uiro multa induſtriæ ac uirtutis ornamenta erant, Veronam cum ualida equitum ala maturare, & Cardonio Hiſpanisq; in bello Veneto ſuccedere iubet. Conſtitutum enim erat, ut Cæſar ſex milia Germanorũ peditum Veronã tranſmitteret, & Cardonius inde mouens cum omnibus copijs ſuis ad Alpes
B proficiſceretur: ita ut M. Antonius Liuiano obſiſteret, & Brixiam Veronamq; defenderet: Sedunenſis autẽ, Proſperq; Columna, Iulianus atq; Cardonius iunctis uiribus Gallicum bellum adminiſtrarent. Sed Iuliano Florentię ſuprema ualetudine tentato, Laurẽtius Medices Petro genitus, quem ad Lyrim naufragio perijſſe demonſtrauimus, copiarum imperium ſumpſit. Is quoq; militari indole copias Florentinorũ ducendas acceperat, quum extincto Padulio, alium ducem Senatus minimè ſuffeciſſet, & tunc maximè Florentina reſpub. Mediceorũ auſpicijs regereẽ. Marcus quoq; Antonius ad Padũ progreſſus, quũ Liuianum de ſuo aduentu certiore factũ propter publicas ac priuatas ſimultates tranſmiſſiſſe cum expeditis equitibus Malateſtã Baleonũ, & inſidias idoneo ſibi loco diſpoſitas cognouiſſet, quadrato agmine, ac diuerſo itinere quã conſtituerat, ut hoſtẽ falleret, ad amnẽ contendit: atq; eo celeriter traiecto per Mantuanorum fines ad Cardonium profectus eſt. At Franciſcus maiore q̃ unquã antea bellico apparatu ſuperiores Galliæ reges Italiam inuaſerint, ineundum bellũ exiſtimans, ingentem equitum multitudinẽ tota Gallia conſcripſit. Nemo enim paulo notior eques, uel ſuperiorũ temporum beneficiarius fuit, qui ullum aut ætatis, aut priuatæ rei impedimentũ, quo minus nomen daret ſatis dignã uacationis cauſam exiſtimarit, quod facilè fiebat, quoniã Galli non modò regibus ſuis enixiſimè parent, ſed eos ut mortalibus auguſtiores uenerãtur, putantq; indecorũ & turpe domi remanſiſſe: quũ illos & bella iuſtè ſuſcipere, & certis ſemper auſpicijs ad uictoriam proficiſci perſuaſum habeant. Galli quoq; omnes ueteri gentis inſtituto equeſtri militiæ plurimũ ſtudent: qua parte uirium cùm propter incredibilem multitudinis cõſenſum, tum propter numerum atque uirtutem cæteras nationes antecellunt: ſicuti peditatu perferendis militiæ laboribus impare, nec ſatis exercitato, altera

militię parte inglorij hoc maximè tempore iudicatur. Censa sunt circiter quatuor milia cataphractorum equitum: quorum singuli de more ternos uel quaternos equos trahebant. Leuis autem armaturę ad octo milia: quibus omnibus Carolum Borbonium Boiorum & Aruernorum principē præfecit, quum eum paulo antè propter generis claritatem usumq; militiæ magistrum equitum creasset: quem honorem, ut suspectū & formidabilem regibus damnato necatoq; Sancti Pauli comite, actum rebellantibus Gallię regulis, Ludouicus undecimus abo leuerat. Pedestres uerò copias ex eo genere hominum qui pari uirtutis gloria cum Heluetijs contendere posse uiderentur, tantas ubiq; terrarum, quantas nemo tempestate nostra, aut rex, aut imperator unis in castris habuerit, ingenti mercede conduxit. Siquidem Robertus Sedanius, qui maximam in Eburonibus authoritatē obtinebat, & Carolus Geldrius Menapiorum & Sicambrorum principes delectibus habitis, ex ea Germaniæ parte quę flumen Rhenum, & Belgarum fines attingit, supra quadraginta cohortes armauerant. Quorum alter Florantium filium misit, quē aduerso pectore decora uulnera ad Nouariam accepisse memorauimus: alter quòd diuturno & difficili bello quod cum Cæsare superioribusq; Germanis gestum est, Gallorum auxilijs atq; opibus subleuatus, & parem referre gratiam, & dignam uirtutis suæ fama operam præstare cupiebat, ad Franciscū in castra peruenit, duxitq; secum summę opinionis ueteranam legionem, quà à colore uexillorum nigram appellabant. Precipua etenim eius uirtute, quum ex fortissimis cōstaret, plures annos & fines defenderat, & in re bellica maximum sibi nomen compararat. Petrus quoq; Nauarrus singulari studio ex Aquitanis, Vasconibus & Cantabris, atq; his gentibus quæ Pyrenæos saltus incolunt ad uiginti cohortes conscripsit. Erant B ij maxima ex parte balistarij & sclopetarij, ceterùm patientissimum laboris, audax, expeditum atq; agile militum genus, qui defendendis expugnandisq; urbibus, atq; omni extraordinario belli munere cū Germanis stabili acie ac firmis ordinibus campestri pugnæ assuetis, diuerso uirtutis genere, parem militiæ gloriam quærebant. Nauarrus etenim ad Rhauennam captus quū in Gallia custo diretur, nec propter simultates ex infelicitate prælij cōceptas, quæ sibi cum Cardonio intercedebant, eum Ferdinandus per tot pacis occasiones unquā redemisset, dolore iniurię magis quàm carceris tędio se totum ab amicitia Hispani regis alienarat. Vnde mox militari sacramēto se ab soluit, cessitq; ultrò per publicas tabulas his Campaniæ oppidis, quibus ob nauatā egregiè operā Neapolitano bello, donatus fuerat, ut liberius apud Franciscū, qui libertatem dabat, militaret, & renunciatis antiquis muneribus recentē contumeliam ulciscereturꝰ Quibus de causis, Franciscus quum solertissimi hominis uirtutem atque consilium probaret, eum sua redemptum pecunia apud se in honore habuit, ualidæq; parti exercitus præfecit. Tormentorum subinde maiorum minorumq; tantam copiam, quantā duobus iustis exercitibus satis esse constaret, ad Gratianopolim, atque infimas alpes præmisit. Fuit bigarum carrorumq; incredibilis numerus, quibus ferreæ pileæ, sulphūrei puluerisuis ingens, præterea uectes, dolabræ, omnisq; generis ferramenta, atq; alia domandis itinerum asperitatibus opportuna præsidia conuehebantur: totusq; is apparatus quinque milium equorum perpetuo labore trahebatur, & maiore aliquāto sumptu quàm quisquam crederet. Nam Galli cōsuetudine sua, non inualidos, aut quoscūq; fors obtulerit, sed insuefactos & robustissimos equos curribus subdunt, eosq; immenso precio parāt & alūt, ut summis eorū uiribus locorum omniū difficultates mirabili etiam celeritate superentur. Quin etiā tormentorum magistros ac libratores propter eximiam eius artis peritiam longo usu, & maximis periculis comparatam, in summo honore habent, ubeq; stipendio prosequuntur, magnamq; iuuentū multitudinē, qui huic rei senioribus artem tradenti bus, accuratè studeant, & per gradus ordines ac maiorum commoda mereantur, tota Gallia instituūt, neq; uirtuti unquam locus, neq; peritis opima salaria liberalitate regum, aut pacis, aut belli tempore defuerunt. Quibus institutis, pecuniæ nunquā parcendo, quum ea parte uirium magno terrori omnibus essent, facilè sibi uel de fortissimis hostibus memorabiles sæpe uictorias pepererunt. Nam Hispani atq; Itali, cæteraeq; gentes, tametsi tormenta summa arte atq; elegātia cōflare & fundere didicerint, & magnam eorum supellectilem instructam habeant, his tamen in negocio minus feliciter utuntur, tarditate præsertim & inertia boum, quos magnitudine impensæ deterriti pro equis substituunt, & inscitia atq; penuria rectorū: quando pauci, qui manifesta uitæ pericula subire uelint, nisi propositis ingentibus præmijs, haud facilè reperiātur. Sequuta quoq; est proficiscentem regem certis sub signis ac ducibus, ualida uoluntariorum peditum manus prædę auida: & cum his ad tria agrestium milia purgandis & sternendis itineribus mercede conducta. Mercatorum uerò & lixarum, calonumq; ingēs numerus, qui magnam pecoris, commeatus, rerumq; uenalium copiam publico & priuato consilio conuehebant, castra sequebatur. His omnibus ad profectionem cōparatis, Franciscus ad Alpes duxit, sparsitq; exercitum ad primos aditus trium semitarum, qua tantū peruię sunt Alpes, ne hostes certiore conIectura per diligentissimos etiam speculatores asse qui possent, quænam Alpes, quæue potissimùm iuga transitu destinarētur. Enimuero Heluetij in Taurinis Salassis q; aduersas Alpium radices occupauerant, æquitati loci plurimum & uirtutis fiducia elati, ut quod magnopere cupiebant, antequam totis agminibus in patentes campos descensum foret, cum primis Gallorum copijs in faucibus Italiæ prelio decertarent. Igitur quum mollioribus usitatisq; itineribus minimè transeundum existimaret, ad fallendos hostes, nouæ Alpes, noua asperioraq; montium culmina, quæ nunquam ullis antea exercitibus patuissent, tentanda erant. Alpes siquidem quę Italiam à Gallis Germanisq; disterminant, ab Arsia flumine (id è Carnicis iugis per Histriæ fines Hadriaticum petit) ad uada Sabbatia Ligustici litoris protendūtur, pluribusq; in locis, uel molliore montium natura, uel hominū ingenio patefactis itineribus superantur, tametsi rerum naturæ opifex altiore consilio densissimos saltos, præaltos exesosque uertices, & abruptas uallium crepidines, in niuosa illa atq; horribili rupium mole posuerit, queis mortales ab accessu terrerentur. Primæ Alpes post Carnicas ab Ortu in Occasum tendentibus Iuliæ occurrunt, quæ ab Taruisio iuxta Anaxū flumen per Bellunū ac Feltrium in Noricū Austriamq; perducunt. Secundum eas sunt Rheticæ, quibus ab Tridento per montis Cremeris clementia iuga, in Vindelicią, & loca ad Oenū amnē Hispurcho oppido proxima, penetrāt. His aliæ Rheticæ succedunt, quę ab Lario lacu per Volturenā uallem supra Abduæ fontes, & Burmias aquas, celsissimum Aduæ montis culmen habent, quod hodie Mongraium uocant. Subijciuntur aduerso statim dorso ab Germaniæ parte Sancti Petri uicus, & à dextris Maranū atq; Bolzanum, oppida nundinarū cōuentu nobilia. Sūt & alij quoque aditus secundum Aduā montē, qui ad Lepontios Rhetosq; pertinent. Eæ gentes hodie Grisoni uocabulo barbaro nuncupātur, societate Helueticorum clari, & possessione sex uallių, ut alio loco memora-

morauimus, quū multo pecore, & lactis copia abūdent, Alpinarum gentium altissimi. Id uerò inter cętera frequentissimum est iter, quod ab eodem Lario per Clauennam munitissimum oppidum, & Solium Bregaliorum ad Curiam Rhetiarū perducit, duobus tramitibus, Septa scilicet, & Spluga, ubi columna Iulij Cæsaris hodie uidetur. Has Alpes Lepōtias esse credim⁹, Rheni amnis origine illustres. Nam Rhenus in proxima ualle caput tollit, quam etiam nunc ueteri nomine Lepontinam appellant. At minores Lepontiæ, quibus à Bellizona, quæ oppidum Villitionis, ut quibusdam uidetur, antiquitus fuit, per Ticini amnis uallem Torfanum primū Heluetiorū oppidum aditur, non magno ab his interuallo distant, æquitate uiarum ac montium cæteris Alpibus leniores, nisi editissimū diui Gothardi iugum, & profundissima uallis, quā cum tremulo ponte Infernam uocant, uno tantum uel altero in loco maximam cum summo timore transeuntibus difficultatem præberent. Patent quoq; eędem Alpes supra Verbanum lacum ad Domosulam oppidum, quod ipsis in faucibus & profluentis Ogoniæ ripis ædificatum, Ludouicus Sfortia patrū nostrorum memoria, & cędē Sedunorum & maximis operibus nobilitauit. Adeunturq; eo itinere Valesij atq; Seduni, qui sedes inter Heluetios & Allobroges tenent. Ad has statim sequuntur Sancti Bernardi Alpes, quas Cæsar Summas appellat, quondā ab transitu Græcorum atque Herculis Graię nuncupatæ, quæ ab Eporedia per Augustam prætoriam, atque Octodurum Varagrorum, id hodie Sancti Mauritij oppidum dicitur, in Centrones Gallos, & loca Allobrogum Lemano lacu proxima, perducunt: superanturq; duobus iugis, quorum alterum dextris sub Ocello uetere oppido, montem Iouis, alterum à læua Iouettum recenti uocabulo appellant. Has rupes ignibus aceto q; Annibalem perfregisse multi opinantur: ut apud Barrum eius itineris pagum perpetuo tanti ducis gloriæ monumento, literæ ipsis cotibus inscriptæ significāt: quanquam Liuius grauissimus historiarum scriptor de transitu Annibalis ambigens, non Graijs, sed Pœninis eum traiecisse memoriæ prodat. Ab Iouis iugo Sesithes amnis fluit, & contraria parte Rhodani fontes existūt, qui mox effecto Lemano lacu, per Narbonensem Galliam præceps in mare multis amnibus receptis euoluitur. Has Pœninæ Alpes excipiunt, propter lenitatem mitioris itineris, crebraq; incolarum ædificia maximè celebres & frequentes, quarum altissimum cacumen hodie montem Cenisium nuncupamus. His ab Taurino, Susaq; per Noualesiam atq; Ferreriam, & mox superatis culminibus per uallem Moriennam, Vienna atq; Lugdunum adeūtur, quo itinere ad delendum Longobardorum imperium, in Italiam irrupit Carolus Gallorū rex, qui postea ab amplitudine rerum gestarum Magni cognomē adeptus est. Ab Susa, quæ olim Sebusium fuit, iter aliud patet, quod ad Cottias Alpes pertinet, quibus mons Genebra excelso cacumine, & duorum amnium Duriæ atq; Isaræ fontibus clarus, hodie nomen præbet. Siquidem, quum pluribus diuersisq; itineribus per tot conualles ac uarios anfractus occurrentium montium superentur, in unum tamen Genebræ dorsum omnibus pari labore euadendū: & his maximè qui è Gallia in Italiam transcendūt. Via militaris & conuehendis tormentorum curribus usitata, Brigantium rectà Eburodunum q; perducit, qua Carolum octauum, qui primus in Italiā currulia tormenta transuexit, profectum memorauimus. Sed per easdem Cottias alia horrenda uisu, transitu q; aspera itinera pluribus in locis patent. Illud in primis admirationis habet plurimū, quo iuxta Vesulū perpetuo specu perfosi montis, in Salassos hodie penetrāt. Vesalus Eridani pater nomē adhuc retinet, & ab ipso aquarū diuortio, montiū editissimus existimatur. Cottijs Argentariæ alpes iungūtur, apud antiquos parū celebratæ, quòd propter angustias & frequentes uiarū asperitates, farcinarijs iumentis, ne dum curribus uix pateāt. Argentarijs uulgò in prouinciā transmittunt, qui per Auenionem atq; Narbonā in Hispanias proficiscuntur. Secundum eas aliæ Alpes occurrūt, quæ Maritimæ nuncupantur: & eæ ab Varro flumine duplici uia initium sumunt. Alteris per montana & colles Tendæ, angustis præcisisq; tramitibus in Ingaunos & Epantheros Ligures supra Sceuam oppidū descendimus, alteris secundum oram maritimam ab Nicæa, Monæco, Albintimilia, Albingauno, Vadis, Sauonaq;, Genuā Liguriæ caput peruenitur. Sed quū unæ omnium Cottiæ, & secundum eas Pœninę traducendis exercitibus faciliores uiderentur, & propterea Heluetios earum quasq; fauces ab Italia firmissimis præsidijs obtinere indicarent, Triuultius exploratam ab se diu antea noui inusitatię; transitus rationē, quò ignaris & inopinantibus hostibus copiæ ducerentur, explicauit. Egerat industrius senex Eburoduni multos mēses, post acceptā ad Nouariam cladem: & adhibitis locorū peritissimis, ualles montesq; Alpium magno labore & incredibili studio collustrarat, etiam tunc animo agitans, quibus maximè itineribus ducendus exercitus foret, si ab Ludouico iterum armis Italia petereturꝰ Quando Galli, Heluetio bello, Subalpinis oppidis omni bus, quæ ad angustias clausträque Alpium ab Italia pertinebant, atq; ipsius etiam Astæ Coloniæ, quæ omni tempore descendentes exercitus recepisset, rebusq; omnibus recreasset, possessione decessissent. Id iter ab Cottijs initiū capiebat, mox relicto ad læuam Genebræ monte, uasto horribiliq; deflexu per abruptas ualles montesq; asperos ad Argentarias extendebatur: quæ uia quū ardua in primis, & insuperabilis pluribus uideretur, appareretq; Triuultium nimio studio repetendæ patriæ euectum, ardentius atq; audacius quàm rerum usus, aut militaris disciplina postularent, cunctas belli atq; itineris asperitates esse tentaturū, Franciscus exercitum ullis angustijs minimè cōmittendum existimans, Lotrechiū atq; Nauarrū authoritate ingenioq; prestantes præmisit, qui singulas difficultates inspicerent, explorarentq; an uiribus humanis cessura essent, quæ à Triuultio proponebantur: tametsi propter egregiam fidem multis cognitam periculis, & singularem rerum experientiam, summa dictis eius atq; cōsilijs fides inerat, & ab eo uiro qui ætatis honore, & rei bellicæ gloria longè alios duces anteibat, de re tanta nihil frustra confirmari omnes iudicarent. Lotrechius & Nauarrus aliquot diebus in Alpibus consumptis, & perspectis notatisq; locorū iniquitatibus, regi renunciarunt egregiè ac diligenter omnia à Triuultio fuisse animaduersa, & ab se quoq; certis in locis nonnulla ad euincendas naturæ asperitates remedia excogitata: esse tamen ubique pedestria concisaq; itinera, quæ nisi magno cū labore atq; periculo patefieri non possent. Triuultius primùm se munitore itineris atq; agminis ducem professus: Per hæc, inquit, aspera tibi rex fortiter enitendum, ut quū ænea tormenta transuexeris, Annibale maior appareas: transmisit ille mitioribus iugis sine torměris, sine curribus, aliquanto maiore cū laude quàm postea cū Romanis acie decertarit. Nam qui Alpes transcendere ausi nō fuissent, eum postea uictorem commisis æquo loco prelijs superare didicerunt. Ita summo regis studio, quum nihil laboris atq; periculi milites recusarent, à Gratianopoli Vigiliam, atque inde iunctis omnibus copijs Muram, & recto itinere Eburodunum exercitus ductus. Eburoduno profecti Borbonius atque Triuultius qui primo agmini præerant, quinq; die

rum

rum commeatu prouiſo, ad ſancti Clementis, atq; A Criſpini alpinos uicos contenderunt. Inde ſub læuam relicto Genebra monte, Druetiam flumé exercitus uado traiecit: poſtisq; ad Gileſtram caſtris, & mox Aualtio monte ſuperato, ad Sancti Pauli rupem magno labore peruétum. Eam, quòd abrupta inacceſsibilisq; erat, incredibili celeritate ferro pandunt, tormentaq; traducunt. Sequenti die in Barcelloniam uallem deſcenſum. Ea ingentibus ſaxis & iniquiſsimis collibus interpoſitis impedimenta, magnam rerum deſperationem afferebat. Nam ligonibus dolabriſq; proſcindere ſaxeos colles, exæquare crepidines, & quum nullus per derupta equorum uſus foret, ſubiectis militum humeris tormenta tranſuehere neceſſe erat. Interdũ ea magnis funibus ad ſcopulos & ſtipites arborum circumductis, ſuſpendebantur, & uerſatilibus machinis ergatarum, & troclearum artificio, de rupe ad rupé, intercedẽtibus profundiſsimis uallibus, cum ſumma admiratione totius exercitus trahebantur. Nonnulis etiam in locis nudarum rupium latera, ubi uia deerat, ſuppoſitis tibicinibus, interiectisq; longurijs muniebant, & inſuper iniectis ſtratisq; uirgultorum faſcibus, ceſpitibus, ac glebis penſiles uias tranſeuntibus curribus parabant. Ita mira fabrorũ induſtria, & ſingulari militum labore, in Argentariam uallem cuncta exercitus impedimenta traduxerunt. Sequenti die à Larchia Ebergiaq; oppidis, in Aſturiæ uallem uniuerſum agmen ſe demiſit, ubi Pedeporcium montem, qui mediam uallem interſecabat, & iter reddebat iniquiſsimum, pari munitorum artificio, fractis atque reuulſis immanibus petris, domuerunt & exæquarunt. Ab Pedeportio Auennam, atque inde Sambucum, & mox ad Italiç fauces, tribus tantum diebus eo itinere cõſumptis, incolumis exercitus peruenit, tanta quidem felicitate, ut Sedunenſis & Proſper perſpicaciſsimi alio- B qui homines, qui fruſtra Pœninas Coctiasq; obſeruabant, in quarum culminibus Gallos equites ab rege, ut ſpeciem tranſituri exercitus facerent, de induſtria tranſmiſſos uiderant, de tranſitu Gallorum nihil toto eo triduo cognouerint. Id uerò eos fefellit, quod tormenta, in quibus maximam uictoriæ partem Gallos collocare intelligebant, nullis inuſitatis alpibus traduci poſſe crediderant, ut qui uterentur quotidie infideli opera Alpinarum gentiũ, quę uno conſenſu cogente natura Gallicis rebus fauebant, & permotæ peditum atque equitum iniurijs, propenſiſsima uoluntate Gallorum aduentum operiebantur, poſtquam Carolus Sabaudius eorũ princeps Franciſci regis auunculus, ab Heluetiorũ & Sfortianorũ amicitia diſceſsiſſet. Proſper ad primum tranſgreſsi hoſtis rumorem Carmagnola profectus, ubi plures dies egerat, præmiſsis Villafrancam equitibus, ad Sedunenſem pergit, qui tum Penaroli cum ualida parte exercitus conſtiterat. Decernitur in conſilio cogendos eſſe in unum omnes Heluetios, & ad hoſtes priuſquam ex labore ſe reficiant, properè contendendum. Proſper eo conſilio, ut ſequenti die equitatum in caſtra perduceret, ex colloquio diſcedit, poſtulatq; ue cohortem unã præſidij ſui cauſa, quam quum ab aſperis hominibus impetrare non poſſet, nihilominus de prima uigilia Villafrancam proficiſcitur. Interim Gallis, quorum unum expeditum agmen per Agnelli collem, imprudente uel conniuente Ioachimo anguſtiarũ cuſtode, ſupra Cunium oppidum proceſſerat, per ipſos hoſtium hoſpites ſumma perfidia defertur: Proſperum Carmagnola digreſſum, Villafrancam equites præmiſiſſe, diuiſas eſſe Heluetiorũ copias, & Sedunenſem Penaroli cum parte exercitus conſidere: proinde rei bene gerendæ occaſionem præberi, ſi ad eos opprimendos, qui nihil tale ſuſpicentur, cum ualida manu equitum Villafrancam peruo larent. Galli, quum à pluribus ſimul ſpeculatoribus de eadem re uno tempore docerentur, conſiliũ ſtatim probant, & Paliciæ, Obegnino, Imbercurtio, Sanſerrio, Baiardoq; promptiſsimis ducibus negocium committunt. Ii aſſumptis amplius mille delectis equitibus, uſi ijſdem itineris ducibus, qui rem indicarant, citato curſu quindecim millia paſſuum conficiunt: captisq; in itinere hoſtium exploratoribus, Padum, qua incolæ facilem fluminis alueum monſtrarunt, uado ſuperant, & patentibus portis nullo prohibente, Villafrancam ingrediuntur. Proſper enim paulo antè per pręconem pronũciari iuſſerat, ut inſtratis equis, cibum cuncti caperent, atque omnia ad profectionem præpararent. Se etenim quum pranſus foret, ad Heluetios eſſe progreſſurum. Quo caſu milites ſolutis ſtationibus ad colligenda uaſa in contubernia ſe contulerãt, eo etiam maiore fiducia, quòd Gallos repentina incurſione nihil auſuros, & ſi auderent, ſe interim Padi munimento, dum arma expedirentur, tutiſsimos fore exiſtimabant. Interim momento temporis, ſors ipſa inſignem calamitatem Proſpero intulit, quæ Gallis parata erat, ſi ipſe antè uel minimo temporis ſpacio aduentum eorum præſenſiſſet. Nam Padus præruptas atque difficiles, ubi tranſierant, ripas habebat: neque Gallos, qui feſsi plurimum agitatis atque anhelantibus equis aduenerant, recenti atque fortiſsimę alæ equitum pares futuros, in tanta præſertim propinquitate caſtrorum, credendum erat. Galli uno impetu completis omnibus oppidi regionibus, Proſperum cæteroſq; equites domi obſident. Ille quum fruſtra omnia pręteniaſſet, deſperatis effugijs, hoſtes de nomine ducum ab editiore loco percontatus, Obegnino ſe dedidit, quòd cum eo ex deditione Brixiæ, & Eberardi patrui memoria aliquę beneuolentiæ neceſsitudines interce debant. Interim Hieronymus Penna equitũ præfectus, qui expeditius ſe ac ſuos profectioni accinxerat, per auerſam ab hoſte portã erumpendo, in proxima Heluetiorum caſtra cum parte equitũ ſe propripuit. Nonnulli alij, & in his Ioãnes Barchalonius ſagittariorum præfectus, unus è tredecim, quos ex prouocatione cum tredecim Gallis pugnaſſe tradimus, ſerò idem tentantes, fruſtra illatis acceptisq; uulneribus, neceſſariam deditionem fecerunt, & præter quingẽtos utriuſq; armaturæ equites, Cęſar Feramuſca, Petrus Marganus, & P. Antonius Carrafa Polycaſtri comitis filius, uiri illuſtres. Audiui ego poſtea Proſperum Cæſaris Feramuſcę culpa, ſe tantã cladem accepiſſe ſeuerè conquerentẽ, quòd ille portas præſidio tueri iuſſus, dum nihil tale timeret, imprudentiſsimè adapertas ualuas ingreſſuris hoſtibus reliquiſſet: Galli collecta raptim pręda, abductisq; captiuis, maiore aliquanto celeritate q̃ uenerãt, propter hoſtiũ propinquitatẽ traiecto rurſus Padoin pacatũ conceſſerũt. Hinc uidere licuit, quãtum Fortuna nimiũ potens humanis rebus illudat, quũ puncto temporis lethali uulnere inflicto, Maximiliani partes euerterit, ac ſimul optimi ducis, qui prudentia, imperatorijs q̃ artibus nemini inferior putabatur, obſcurata rerũ ante geſtarum laude, authoritatem omnem & dignitatem fœdiſsimo caſu macularit. Quo etiam nuncio Leo pontifex, quòd ſummã ſpem in eius uiri uirtute collocaſſet, & mox Heluetios diſſentire inter ſe, & de pace agere cognouiſſet, eò cõſternationis adductus eſt, ut deſperatis propè rebus, ac impellentib. maximè familiaribus, qui Gallicæ factionis erãt, Cynthium Tiburtinũ ad tractandam pacẽ cum mandatis ad Franciſcũ tranſmiſerit, Bononiamq; ue, quòd eo rerum motu ſeditioſis ciuium ingenijs diffideret, exulibus Bentiuolis reddere cogitarit. Ceſsiſſerq; ea urbs ultrò impotẽtibus dominis, niſi Iulius Medices, qui tum legatus aderat, cõfirmato pontifice, ſingulari conſtantia

tia dubijs rebus occurriſſet. Vix dum oppido Galli A cum captiuis exceſſerant, quum expeditæ Heluetiorum cohortes ſuperuenerunt, qui dolore ſimul atq; iracundia concitati oppidum, inuentis adhuc nonnullis equitibus qui latitabant, hoſtiliter diripuerunt. Sedunenſis uno tempore ſine duce, ſine equitatu, ſine pecunijs, unde Heluetijs ſtipendia ſoluerentur, quum de Franciſci aduẽtu certius cognoſceret, cogere exercitũ, & infidæ gentis finibus excedere conſtituit: præſertim quod per Allobroges ab Carolo eorum duce ſubmiſſos, ſollicitari multitudinem aduerſum ſe, ac deprauari non obſcurè intelligebat. Resq; eò deducta erat, ut iam nonnulli procacius ſtipendium flagitantes, in Cardinalem arma conuerterent, quòd pecuniæ quæ ab Hiſpano rege promiſſæ, deferri in caſtra debuerant, cunctante apud Mediolanum Didaco Aquila legato, ad conſtitutam diem non repræſentarentur. Sed Galeacius Vicecomes, antiquæ apud Heluetios authoritatis, & Iacobus Gambarus à pontifice cum pecunia miſſus, interuentu meliorum hæc initia ſeditionis oppreſſerunt. Eo modo Heluetios Borbonius atque Triuultius, quum uiribus diſiunctos per partes opprimi poſſe iudicarent, una uel altera acie facilè deleuiſſent, niſi eos Franciſcus, qui ſe abſente tentari certaminis fortunã nolebat, ne id facerent, aut rem in aliquod pugnæ diſcrimen adducerent, multum antea monuiſſet. Ipſe interea ſuperatis Alpibus cum tota mole copiarum in primos Italiæ campos deſcendit, Iuſtrauitq; ue exercitum incredibili omnium alacritate, quòd omnia ſibi opinione hoſtiũ expeditiora contigiſſent. Ea die Proſperum per inſtructas acies ad ſe perductum, ut præſentem fortunam æquo animo toleraret, ac optimè de ſe ſperaret, humaniſsimis uerbis hortatus eſt, equites q̃; eius gratis miſſos fecit pręter paucos clarioris nominis. Poſtero autem die propius hoſtes mouit caſtra, B tentauitq; ue per idoneos homines, quos Carolus Sabaudius ex Allobrogibus ueteris amicitiæ iure ad Heluetios mittebat, an ullis cõditionibus flecti poſſent, qui pacis nomen oderant. Sed quum omnium propè animis & certa ſpe pontificiæ pecunię, & Cardinalis cõcionibus confirmatis, ea mens exercitus foret, ut exitiabile bellum, quàm æquiſsimam pacem malle uiderentur, Allobroges rebus infectis diſceſſerunt. Heluetij tamen duces, qui ſpem pacis eo tempore minimè tollendam exiſtimabant, ut fallendo, moræ ſpacium interponerent, quo ſe ab iniquiſsimis locis explicarent, paucorum dierũ inducias poſtularunt, affirmantes ſe interea Vercellas eſſe conceſſuros, atque ibi libentiſsimis animis audita iterum legatione, ad frequentius concilium de pacis cõditionibus relaturos. Franciſcus tametſi bellicæ occaſionis rationem certis atque breuiſsimis rerum & temporum momentis conſtare intelligebat, nihilominus, quod tum nihil prælij fortunæ committendum iudicaret, & bellum ſperaret ſine ſuorum uulnere ſe confecturum, inducias conceſsit: Lotrechium tamen cum ualida equitum manu, qui neminem ab toto agmine diſcedere, uel impunè uagari oſtẽtata nonnunquam acie pateretur, abeuntes inſequi iuſsit. Illi ſuo more cõſeruatis ordinibus quum proficiſcerentur, ſecundo die Cliuaſum nobile oppidum ex itinere petierũt, quod oppidanos ſibi amicos fore exiſtimantes, ſeſe eorũ copijs & commeatu recreare cogitabant. Verùm Cliuaſienſes, ſiue metu ne oppidum diriperetur, ſi tantam multitudinem recepiſſent, ſiue adducti Gallorũ amicitia, ut qui magno pere uiribus ſuis ac mœnibus confidebant, portas clauſerunt, nonnullis qui paulo antè cõmeatus petẽdi gratia ingreſsi fuerãt, crudeliter interfectis, tanta quidem arrogantia, ut quoſdam ad colloquiũ incautè portis ſuccedentes, ſagittis è muro configerent. Quibus iniurijs permoti Heluetij, prolatis continuò tormentis, & delecta muri parte, celeriter per ruinas irrumpunt, & ſupra ſexcentos qui in armis erant, uno impetu trucidãt, domosq; diripiunt. Nec ira perciti tectis pepercíſſent, niſi Sedunenſis, Galeacio & Gambaro deprecantibus, ſimulato aduentu Gallorum, quod fortè eorum antecurſores in conſpectum ſe dederãt, pulſari repentè tympana, & ad arma cõclamari iuſsiſſet. Quo caſu quũ ſeſe omnes ad propoſitũ ſignum ut in aciem prodirẽt, portis eieciſſent, paulo poſt & cæde oppidanorum, & multitudine prædæ atque ipſo etiam tẽporis ſpacio ſedatis animis, ędificia cõſeruarunt. Itaq; rerũ omnium abundantia recreato exercitu, è Cliuaſio Eporediam, mox Vercellas, quo in loco ne legatos audirent, exiguo tempore cõmorati, rectà Nouariam contenderunt. At poſtquã Nouariam uentum, Heluetij ſeceſsione facta, miſcere cuncta ſtrepitu armorum, partium principibus maledicere, & cardinali, ni continuò pecuniæ proferrẽtur, exitium comminari cœperunt. Quamobrẽ cardinalis, ut diſſidentis multitudinis tempeſtatẽ effugeret, in arcem ſe recepit. Cęteri, Ronnam & Anglardum, homines è Tigurino pago ſpectatæ uirtutis, duces ſibi delegerunt, apud quos decedẽte iam metu cardinalis uerba fecit: Ne diſceſſu eorum multum animo permouerent, aut de uictoria magnopere dubitarẽt: adeſſe enim milites fide uirtuteq; præſtantes, uenturoſq; alios iubentibus oppidorũ magiſtratibus, quorum uiribus ſuſtinere Gallorũ uim facilè poſsint, modò conſentiant, & ſecũ optima ratione gerere bellum uelint. Eſſe ad utramq; Padi ripam cum duobus exercitibus Laurẽtium Medicẽ, Raymundumq; Cardonium, paratos iungere ſocia arma, & bellum communi conſilio adminiſtrare, ſi propius accedere Heluetias legiões audierint: proinde uideri ſibi facilè atq; optimũ factu fore, ſi motis caſtris continuò Ticinũ amicam urbem, & rerũ omnium copia abundantẽ, paruo itineris flexu contenderent, atq; inde Laudem Pompeiam ad ſociales exercitus progrederentur, uel eos ſi ita oporteret mutua ſecuritate uenientes exciperent. Vnam eam ſupereſſe ſpem & certiſsimam uincendi rationem, quando eo breui expeditoq; itinere, facilè iunCturi in unum uires, ac ſimul Venetos qui iam peruenirent in Cremenſem agrum, à Gallis intercluſuri eſſent. Sed quũ Ronna & Anglardus impetu mitium regerentur magis quàm alijs imperarent, & plures Mediolanum rerũ caput petendum, eamq; urbem incredibili copia cõmeatus natura ac munitione loci, armorũ apparatu, & egregijs ciuium ſtudijs maximè opportunam belli ſedem deligendam dicerent. At cardinalis, qui multitudini reſiſtere ſe non poſſe, ſine maximo uitæ diſcrimine prouidebat, cum fida magis quàm ualida Heluetiorum manu, Ticinũ atq; inde Placentiam, ut cunctantes exercitus ad capeſſendum bellum hortaretur, profectus eſt. Galeacius uerò Vicecomes, & Gambarus qui & præſenti pontificis pecunia, quæ iam adducta erat, & ſpe maioris ſummę, & frequentiſsimis concionibus, ut optimos in officio continerent, & cæterorũ mentes ſanarent, plurimũ contendebant, in caſtris remanſerũt. Cardinale Nouaria profecto Galli, quibus omnia tanquam uictoribus ceſſerant, Nouariã aduolarunt. Octauianus enim Fregoſius paulo antè quum ad ſe per maritimas alpes Emarus Prieus cum equitibus Gallis perueniſſet, ipſeque ſupra quatuor milia Ligurum armaſſet, Alexandria, Derthona, multisque oppidis Sfortianos adiuuantibus Guelphis, expulerat. Cæterùm Franciſcus dedentibus ſeſe Nouarienſibus, arcem primo aduentu obtinere non potuit, quanquam nec à forti cuſtode, nec ſatis firmo præſidio teneretur. Enimuero latiſsimis circumfoſsis, & præalto undiq; muro cinctam, omnem oppugnationis impetum toleraturam

raturam apparebat. Verùm Franciſcus, qui hoſtile quicquam aut inuictum in tergo relinquere, neque ualidiſsimi exercitus, neque ſuæ dignitatis eſſe ſtatuebat, Nauarro, qui oppugnaret, negocium dedit. Ille noui decoris cupidus, ſubuectis continuò tormentis, conſtitutiſque operibus, tanta ui oppugnare adortus eſt, ut paucis horis, & ſumma murorum, & celſiora propugnacula, labefactatis etiam turribus cum ingenti ruinæ fragore deiecerit. Quo terrore adductus imbellis præfectus, ſeſe atque arcem cũ præſidio dedidit. Interea Roſtius ſummæ apud Heluetios authoritatis atque amplitudinis, cum uiginti cohortibus è Belinzona ſuperuenit. Cuius uiri aduentu commutatis multorum uoluntatibus, ac pluribus metu conſternatis qui Gallos oderant, ſpem omnem initæ iam pacis corruperunt. Roſtiũ enim paulo antè duodecim pagorum principes ad famam diſſidentis exercitus, quòd ſummum Tigurino in pago magiſtratum gerebat, & cæteris dicibus ſicuti ætate, ita bellicarum rerum peritia præſtare dicebatur, omnibus ſuffragijs totius gentis imperatorem declararant. Is ut ſeditioſorum conatus effringeret, & præſentibus malis mederetur, caſtigando, adhortando, terrendoque omnibus conſilij modis, & præſenti quoque ſeueritate non deerat. Ergo pudore ac metu conuerſis omnium animis, quum pro pace bellum armaque deposcerent, Roſtius milites ſacramentum apud ſe dicere iubet, & quum opportunè etiam Aquila Hiſpanus cũ pecunia ſuperueniſſet, perſoluto omnibus ſtipendio, motiſque eo die caſtris ut Mediolanum rectà ducerent, per Comenſem agrum Modoëtiam contendit. Interea Sedunenſis apud Placentiam quum de Roſtij aduentu cognouiſſet, ut qui propè euerſis ac deſperatis rebus noua ſpe auctus nihil amplius de belli euẽtu timere uidebatur, adhortari pontificios duces cœpit ut Padum tranſirent, & ſecum ad uictoriam proficiſcerentur. Simili quoque ratione Cardonium, qui ad confluentes Padi atque Abduæ caſtra poſuerat, obſecrare atque obteſtari, maturaret Laudem proficiſci, ac uires ſuas cum pontificijs Heluetijs que coniungere properaret. Præberi à diis immortalibus pulcherrimam incomparabilis uictorię occaſionem, quaſi Rhauennatis cladis memoriam retineret, & quales rerum exitus in Italia, uincente Gallo, futuri eſſent, animo metiretur, proprio decori ac laudi, deſiderio ſui regis, totiuſque exercitus exiſtimationi, ac gloriæ ſatisfacere poſſet. Ille quũ ſe neque uoluntate, neque conſilio, neque uiribus fœderatis principibus defuturum, & ad præſtitutã diem uniuerſas copias adducturum in Laudenſiũ fines profiteretur, Sedunenſis nihil cunctandum ratus, à Goro Piſtorienſe procuratore pontificis ſeptẽ utriuſque armaturæ equitum turmas præſidij ſui cauſa accipit: & traiecto Pado, Laudem contendit. Duces erant Murius Columna, Ludouicus Pitilianj filius, Guido Rangonus, Nicolaus Balneus, Raynerius Saxetanus, Ludouicus Firmanus, & Ramaldus Ticinenſis, qui magnum in re militari uſum habebant. Sed quum Laudem peruenisſent, & Cardonius, ut conſtitutum erat, ad iungendas uires minimè proceſsiſſet, quòd Heluetios de pace agere, & Gallos, qui iam in Mediolanenſem agrum peruenerant, paucarum horarum itinere à Laude abeſſe cognouerat, Sedunenſis ira ſimul ac timore perculſus, ut ad Heluetios celerrimè ſe conferret, Laude exceſsit. Quo caſu, nonnulli equites, quorum duces erant Rangonus, Raynerius, atque Firmanus, ſiue metu, ſiue alio honeſtiore conſilio, ut poſtea perfecto bello cognitum eſt, ſe ulterius progreſſuros negauerunt, neque quum cardinalis, ne tantum flagitij admitterent, ne ſe in tanta propinquitate caſtrorum infenſiſsimis hoſtibus proderẽt, obnixè deprecaretur, & poſtremo iure legationis atque imperij A iuberet, minasque adderet, quin Placentiam redirent, flecti potuerunt. Murius & cæteri, qui periculoſum conſilium, quod laudem & gloriam, quàm tutum, quod ignominiam afferre poſſet, ſequi malebãt, Sedunenſem ſecuti, Modoëtiam ad Heluetios peruenerunt. At Franciſcus, tametſi ſpem pacis, nullo induſtriæ uel liberalitatis officio intermiſſo, minimè ſibi abijciendam exiſtimabat, tamen ne aliquod interea per incuriam incommodum accipere tur, quòd dimiſſa ſpe belli plerunque langueſcere ducum animi & milites mentione pacis negligentiores fieri conſueuerint, è Ticinenſi in Laudenſem agrum deflexit, medioque itinere ſecundum publicam uiam Mediolanum inter ac Melegnanum oppidum, quod Lambro amne alluitur, caſtra conſtituit, ipſo rerum ordine, atque amplitudine copiarũ admirabiliora, maioraque quàm quiſquam ætate noſtra conſpexerit. Id pluribus de cauſis fecit, ut ab inani ac peruaſtato agro in fertiliſsimas atque intactas Mediolanenſium poſſeſsiones tranſiret, ac ſimul Hiſpanos ac pontificios ab Heluetijs intercluſos, ſummo diſcrimine propoſito, tranſitu prohiberet, Liuianumque cum copijs aduentantem ipſa caſtrorum propinquitate firmiorem redderet, & ab imminente Cardonio tueretur. Quo uno conſilio Franciſcus maximum omnibus rebus ſuis, & ſummæ demum uictoriæ momentũ attulit. His de cauſis Cardonius magnopere timens, ne ſubito Liuiani Gallorumque aduentu in patentibus campis opprimeretur, ad Padum retrocеſsit, & ponte, quẽ antea nauibus conſtituerat, cuique Ioannem Dorbinum ad tutelam cum cohorte & tormentis præfecerat, amnem contra Placentiam traiecit. Erat Placentiæ Laurentius Medices cum cohortibus quatuordecim Italici generis, & tribus milibus equitum: Cardonio autem aderant octingenti cataphracti, & leuis armaturæ equites mille, cum legione una ueterana, cuius ſinguli milites fortibus factis clarj, & præda diuites, tum ſpectata uirtute, tum ſplendido armorum cultu, centurionibus ſuis, ac ducibus æquabantur. Iunctis eo modo duobus exercitibus, quum & tutò tranſmitti Padus, & ad Heluetios facilè peruenirj poſſe omnium opinione cõfirmaretur, appareretque Laurentio atque Cardonio, ſi progrederentur, uel ingentis uictoriæ, uel eximię laudis occaſionem eſſe propoſitam, in cõſilium adhibitis militum præfectis deſcendunt. Adducuntur utrinque aliqua in excuſationem, quòd non adhibita maiore diligentia & celeritate ſeſe cum Heluetijs ab initio coniunxiſſent, cuius rei culpa, & cunctatione ducum potius quàm anguſtia tẽporis aut itinerum difficultate, nonnullæ occaſiones prętermiſſæ uidebantur: paratos tamẽ ſeſe Hiſpani æquè ac pontificij profitẽtur tranſire amnem: & ſi res poſcat, nullam uel iniquam certaminis conditionem detrectare, modò ex fide egregiaque omnium uoluntate bellum geratur. Sed quum inter ſe uerbis tantum agerent, re uera autem alter alterius uoluntati magnopere diffideret, qui nam primum caſtra flumen traducere uellet, reperiri non poterat. Laurentius tametſi quæ partes officij ſui ac dignitatis eſſent, & quæ mens, quætue conſilia patrui pontificis forent, memoria retinebat, in difficili tamen negocio aliter ſibi conſulendum arbitrabatur: utpote qui Ferdinandum regem exemplo ſuperiorum tẽporum cum Gallo clandeſtinis conſilijs conſenſiſſe credebat, & proinde Cardonium, qui paulo antè ad Heluetios deflectere noluiſſet, nihil egregium pro alieno cõmodo facturum putaret. Cardonius quoque eadem de Laurentio ſuſpicari, & maximè ab omnibus perfidiam timere, quòd audiret ab eo nuncios clàm ad regem in caſtra tranſmiſſos, & legatũ pontificis Ludouicum Canoſium Tricaricenſem epiſcopum, qui regijs in caſtris remanſiſſet, de compoſitione

poſitione agere, conſtantiſsimeq; polliceri pontificias copias nihil interea Gallis eſſe nocituras. Et forte (quod eius rei ſuſpicionem adauxit) paulo antè Hiſpani equites Cinthium Tiburtẽ è regijs caſtris redeuntem interceperant, quem ad componendas res à pontifice tranſmiſſum docuimus. Quibus de cauſis facile fiebat, ut uterque cautius atq; ſuſpenſius ſibi agendum iudicaret. Cardonius, ne uel minimo accepto incommodo, Neapolitanum regnũ, ac ſalutem ſuam, quæ incolumi exercitu nullum diſcrimen ſubire poterat, prælij & fortunæ caſibus obiectaret, Laurentius, ne potentiſsimum hoſtem, quem nunquam oppugnandum cenſuiſſet, in ipſo uictoriæ curſu, uana atque intempeſtiua offenſione laceſſere atq; irritare uideretur, à quo, ſi in citeriore Padi ripa ſubſiſteret, æquiores conditiones expectandas eſſe putabat, quàm ab Heluetijs, ſi pari etiã periculo iũctis uiribus uictoria potiretur: quòd intelligeret eos, ſi uictores euaderent, Parmam atque Placentiã, ſicuti inſoleter paulo antè poſtulaſſent, continuò armis eſſe repetituros: Ita quum malis artibus omnes bellum adminiſtrarent, cuncta facilia atq; expedita ad uictoriam Gallo præbuerunt. Paulo pòſt tamen ſiue aliqua ſimulatione, ſiue commutatis ratione uoluntatibus, ad ſpem imminentis uictoriæ conuerſi, quòd precibus Maximiliani, & Sedunẽſis obteſtationibus, Heluetiorumq; omnium hortatu, quotidie per nuncios ac literas euocarentur, Padum tranſire cœperũt. Cardonius ut qui amni proximior erat, primus in aduerſam ripam tetendit. Laurentius quòd parum lucis ſupereſſet, edixit, ut de quarta uigilia omnes copiæ ad ripam conuenirent, atq; inalbeſcente cœlo traijcerent. Sed fortè accidit, ut eo tempore Hiſpani equites, quos ſpeculatum miſſos Cardonius excurrere iuſſerat, in Borbonij turmam per eandem cauſam prędandi exlorandiq; per agros uagantem incideret: commiſſoq; certamine Gallorum prefectum cum pluribus equitibus captum in caſtra perducerent: à quibus cognitum eſt regem Laudenſi uia munitis caſtris conſedisſe, Liuianum cum exercitu ad Abduam progreſſum, Heluetios accepta pecunia, ultro citroq; miſſis de pace oratoribus, ſequenti die conditionibus ſubſcripturos, & ualidam Gallorum ac Germanorum manum Palicia duce caſtris digreſſam, Circũpadanis campis appropinquare. Quibus uulgatis ſermonibus, Hiſpani qui ſumma alacritate paulo antè tranſierant, inordinati ac tumultuantes, non expectato imperio, repentè collectis uaſis pontem conſcenderunt: neq; prius feſtinandi traijciendiq; finis factus eſt, tametſi Piſcarius inctepando cõponere ordines conaretur, quàm in aduerſam ripam priuſquam pontificij Placentia egrederẽtur uniuerſi conſtiterunt. Ita uana ſuſpicio à falſo timore nata, quum dij ac fortuna manifeſtè à Gallis ſtarent, ſupremos hæſitantiũ conatus, & ſera conſilia diſcuſſit, atq; perfregit. At Cardinalis & Roſtius ad Modoëtiã, dimiſsis ab ſe regijs Araldis, qui ad tractandas pacis cõditiones aduenerãt, Mediolanum cum omnibus copijs conceſſerunt. Heluetij pedites priuatis ciuium hoſpitijs ſuſcepti ſunt: equitibus uerò ſuburbana ædificia, quæ ad Romanam portam uergunt, data. Ibi agebantur ſtationes, & crebrò equeſtria prælia committebãtur, quòd Galli è caſtris ad portam uſq;, & pontificij è ſtationibus in proximos campos & circumiectas uillas quotidiana conſuetudine prouehebãtur. Venerat etiam paulò antè ad Ticinenſem portam Triuultius cum modica militũ manu, ut colloquium poſtularet, ciues q; ad deditionem hortaretur. Sed illorum animis nequicquam tentatis, ſubita armatæ plebis procella, quæ ex improuiſo fecerat eruptionem, non ſine ſalutis periculo repulſus, in tutum ſe receperat. Coactis Mediolani omnibus copijs, Maximilianus & Sedunẽſis duces legatos q; in arcem uocant, & conſilio adhibẽt. Quum de toto belli genere deliberaretur, pluribus ad uictoriam conducere uiſum, ſi non prius acie decertarent, quàm aut ſe cum pontificijs Hiſpanisque iunxiſſent, aut Gallum cõſiſum munitionibus ſuis, in æquiores campos, aliqua neceſsitate impoſita, perduxiſſent. Siquidem Heluetios alterutrum facilè conſecuturos apparebat, ſi caſtra Binaſcum uſq; Ticinenſi uia promouerentur. Cuius rei conſilium duabus rationibus explicabatur. Nam ſi Franciſcus ad motum hoſtium pertinacius munitiſsimo in loco ſibi perſiſtendum eſſe cenſeret, facilè à Binaſco per ſancti Angeli oppidum, atq; agrum omni commeatu abundantem, ſe ad Padum peruenturos iudicabant, ubi pontibus antea conſtitutis, ſociorum exercitus cum ſumma ſpe uictoriæ iungerẽtur: Sin Gallus premetuens ne Papia urbe ſimul ac lapideo ponte Ticini amnis, quo in loco præſidium mediocre reliquerat, intercluderetur, Ticinum contenderet: eo caſu, aut in itinere æquiore conditione pugnaturos, aut à læua continuò deflexuros Laudem Pompeiam: indeq; accitis ac receptis in caſtra Laurentio atq; Cardonio, futurum eſſe, ut Liuianum à propoſito itinere ſtatim auerterent, & ſpem Gallis comminuerent, quam illi de uictoria maximam ex rerum ſucceſſu concepiſſent. Hæc quum prolatis in medium membranis, quibus menſuræ itinerum, & regionis ſitus pictura deſcribebantur, ut agreſti ingenio homines certius deliberata cognoſcerẽt, nõnulli duces, qui uetere iudicio ſuo, uel recenti pecunia adducti, apud Galaratum pacis conditiones acceperant, diſſentiendo, & uanas difficultates immiſcendo, conſideratius maturiusq; ea exploranda dicerent, totam ſaluberrimi conſilij rationem corruperunt. Quibus de cauſis Sedunenſis, ne militũ animi interpoſita mora langueſcerent, eò omnes cunctis artibus ut quàm primum cum hoſte confligerent, deducendos eſſe exiſtimauit: ratus ſe aut egregiam relaturum uictoriam, aut ſi Heluetij aliquam ex infelicitate prælij calamitatem accepiſſent, Gallorum genti cum uniuerſis Heluetijs inexpiabiles inimicitias, atq; immortale odium cõflaturum. Ergo cum ſigniferis & fideliſsimis pagorum principibus communicato conſilio, Mutium Columnam ſecretò admonet, ut ex compoſito quum ſignum acceperit, ad arma conclamari iubeat: ac ueluti hoſtes iuſto exercitu ſuburbanis ædificijs appropinquarent, cũ equitatu procurrat, & quanta maximè poſſit timoris atque periculi ſimulatione, ab Heluetijs auxilium imploret. Idem ut faciant primis cohortibus imperat, quæ uirtute militari atq; odio in Gallos inſignes, in ipſis ſemper principijs proxima hoſtibus loca ſibi depoſcerent. Ita quum pranſi milites meridiatum irẽt, & ab ducibus in arce de belli ratione diſputaretur, ſubitò ab Romana porta tubæ & tympana concrepuerunt, ac mox de aduentu hoſtium increbreſcente rumore, aliæ poſt alias cohortes, quum primæ ſequẽtibus cauſam tumultus permanus traderent, atq; omnes arma caperent, incredibili pugnandi ardore portis ſe effuderũt. Nec mora etiã ambiguæ fidei legiones ſublatis uexillis ſubſecutæ, ne primos in eo tumultu, quod publicam ſalutem atq; æſtimationem reſpiciebat, deſerere, aut aliter de belli cauſa ſentire uiderentur, confertiſsimis agminibus ad portam contenderunt. Cardinalis galero & purpura inſignis, prælata cruce, incedẽtium ordines militari equo præternectus, ut ad ſigniferos centuriones q; uel ad notos claris facinoribus milites peruenerat, adhortando accendendo q; ut properaret, reſtabatur ſibi à Deo Maximo, diuisque immortalibus promitti eius diei uictoriã, qua non ſolum uniuerſam totius Galliæ nobilitatẽ adoleſcẽtis regis auſpicijs inter duos hoſtiles exercitus deductã, egregiè pugnando deleturi eſſent, ſed con

tusis Venetorum & Ligurũ uiribus propria uirtute felicitareq;,toti Italiæ leges essent imposituri:ne que Germanos mercenarios milites, quod roboris apud regẽ esset,quos tamen sępius acie deuicissent, tam auersos à Cæsare, uel tam prodigæ uirtutis fore,ut eos cõtra totius Germaniæ decus pro Gallis, qui ueri hostes essent,pugnaturos existimarent.Ne que Vascones fugacissimum genus, uel equites illos serico torquibusq; fulgentes, qui aliquantum plus præsidij in equis atq; calcaribus, quàm in gladijs atq; uirtute reponere cõsueuissent, aut fortius, aut constantius quàm antea fecerint, in acie dimicaturos arbitrarentur. Quod uerò laboris atq; periculi relinqueretur,id totum occupandis hostium tormentis ingenti animo subeundum. Vbi si qui fortè cecidissent, eorum animas à se pontificia authoritate ab omni labe criminis expiatas, relicta in terris egregiæ uirtutis memoria, in cœlum protinus euo laturas constantissimè existimarent. Talia passim cõmemorãtem, progressumq; ad primas legiones, quæ iam in patentem uiam uenerant, Galeacius Vicecomes,Ioannes Gonzaga,Gambarus atq; Aquila legati,secuti sunt,adiunxereq; se exeuntibus Heluetijs nonnulli equites ex his familijs, quæ uetere beneuolentia Sfortianum nomen colebant.Ex plebeis quoq; sicarijsq; hominibus aliquot armatorũ manipuli prætereunti turbæ sese ultro admiscuerũt.Vixdum Mediolano tria milia passuũ progressi erant, nec minus triginta inde stadijs Gallorum castra aberãt, quum falcones quos numero decem secum adduxerant, displodere cœperunt. Quæ res equitibus Italis magnam sollicitudinem atq; admiratiõẽ attulit: Mutius enim ad duces primi agminis mutata facie prouectus, interrogare cœpit:Quanam insania uiri in re bellica principes,disciplineq; magistri,intempestiuis tormentorum boatibus hostes excitare contenderẽt, quos imparatos ac nihil de prælio cogitantes, inuadendos esse censuissent. Cui ab primis ordinibus alacriter respõdebatur, satis ex disciplina cum armato etiam instructoq; eo hoste se pugnaturos, si suspectæ fidei cõmilitones, atq; omnium pagorum uexilla uno consilio secum in aciem descendissent: quod fieri posse confiderẽt, si ea simulatione certiora cõtracti certaminis signa ad sequentium sociorum aures peruenissent. Quorum uirtutem,si iam nulla omnino periclitantis publicæ dignitatis uerecundia foret, cadentium saltẽ præ oculis affinium gemitus, militaris sacramenti religio, & futuri mox in patria aduersus desertores iudicij metus,excitare,atq; accendere posse uiderẽtur.Tanta enim arrogantibus animis uirtutis fiducia inerat, ut maximas ac ualidissimas hostium copias summa contemptione despicerent,neq; ullam tormentorũ copiam aut ullas loci munitiones, quo minus in castra uincendo perrumperent, impetum suorum moraturas arbitrarentur. Erant ante alios uiri fortes,Pelegrinus Landebergius,Cẽtius Amerer,& Rodulphus Longus, qui tres uoluntarias cohortes pugnacissimorum hominum in fronte constitutas habebant: ij quum in conspectum hostium deuenissent, tanto dimicandi ardore protinus exarserunt,ut ab cæteris ducibus,qui saniore consilio signa,locum castris capiendũ, & reficiendos ab labore uię milites iubebant, quin pleno passu ad hostem contenderent, retineri nequiuerint. Borbonius atq; Triuultius ad diui Iuliani templũ, quod modico in pago est, castrorum principia habebant, uiamq; publicam præruptis undiq; fossis,& de more regionis aggeribus communitam, nõ temerè ad sinistram insederãt. Secundum eos rex ipse, & post eum Helãconius regulus, ad quem iure sanguinis, si Franciscus uita excessisset, regnum Galliæ pertinebat, mediã postremamq; aciem modico interuallo inter se abiunctas collocarant. Ita tripartito cãstrametati, ut tres iusti exercitus sibi inuicem quũ casus poscerẽt,commodius atq; expeditius auxilio forẽt,laro ac munitissimo loco continebãtur. Nam in circuitu frequentes erant fossæ, studio agricolarum ad irrigandos agros perductę,nouasq;,ut usus ferebat, opportunis in locis Nauarrus munitiones addiderat,oppositasq; hosti ingentia scuta defixa solo,& crassis funibus cõuestita, ut his protecti Vascones tutius & certius in hostes sagittarent. Hanc statim castrorum formã loci; naturam, Mutius & nonnulli duces Heluetij speculandi gratia in editio rem aggeris partem equis prouecti animaduerterant, subindeq; notauerant ad dextram,locum castris opportunum relinqui, ubi satis ad humilitatẽ depressa planicies perpetuo riuo, qui ad frumentarias molas defluebat,ab duobus fermè laterib.cingebatur.Eo in loco ut castra facerẽt,& refectis quiete ciboq; corporibus, nihil temerè de prælio cogitarent,suadere conabantur,monebant,sicuti uictoriã à consilio,ita pœnitendos atq; irritos conatus ab in consulta uirtute proficisci, eosq;ue sæpius aduersos præliorũ exitus sentire cõsueuisse, qui audacia atq; impetu potius,quàm utili mora & ratione, hostem superare confiderent. Sed quum furor & fatalis insania, quod nunquam antea Heluetijs in castris acciderat,& militi obsequium, & ducibus authoritatem abstulissent,pugnacissimi quiq; procurrerunt, & cum Vasconibus atq; Germanis atrocissimum certamen contraxerũt. Triuultius atq; Borbonius, qui multum antea de aduentu hostiũ certiores facti aciem instruxerant, & tormenta idoneo in loco collocarant,quum haud dubiè premerẽtur, ut obiectis flammis hostium impetum tardarent, simulq; eos usu ac munitione domorum priuarẽt, uniuersa Pagi ædificia succenderunt, & suos in patentiorem locum reduxerunt. Erat ante tormenta Gallorum fossa ingens, summo audaciæ periculo superanda, quam Nauarrus cohortibus oppositis, & Germani eximiæ uirtutis densis ordinibus tuebantur. Illuc audacissimorũ iuuenum globus, aliquanto certiore exitio quàm uictoria, peruadere non dubitauit. Erant ij ex omnibus pagis florenti ætate, & singulari promptitudine lectissimi, qui peruetusto gętis more,ut raros ante prouectam ætatem militiæ honores aliquo insigni uirtutis opere edito consequãtur, aspera quęq; & difficilia belli munera ultro sibi deposcere,& sæpius cum exitiabili laude propositã mortem subire consueuerunt.Hos ab immoderata fortitudine,Perditos uocant, & in summo honore atq; admiratione habent: licetque illis una uirtutis prærogatiua uexillũ ferre,& ducere ordines, & duplicata per omnem ętatem stipendia accipere.Neq; alio felicis audaciæ insigni à cæteris Perditi dignoscuntur,quàm candidissimis pennarum manipulis quos more ducum è pileis speciosa luxurie defluentes in tergum uertunt.Ii uno agmine aduersus tormentarias pilas ingenti animo progressi,quum magna clade accepta ex iniquissimo loco diu multũq; pugnassent,tandẽ pertinaci impetu pulsis loco Germanis,& reiectis Nauarrinis cohortibus, per aceruos morientium ad tormenta peruasẽrũt. Quibus numero septem occupatis,dum spe pleni consertis iterum ordinibus cedentibus incũbunt,uniuersam primi agminis aciem perturbarũt. In eo discrimine Triuultius atq; Borbonius diuersis in locis immisso equitatu,quantum uiribus adniti & consilio prouidere poterant, ad reparandam perculsam aciem huc atq; illuc ferebãtur. Nec suis deerat Nauarrus, increpando alios,alios interrogando,num ut tantũ terga uerterent, turpissimeq; uixdum hoste conspecto,acie diffugerẽt, ab extremis Oceani finibus,Pyrenæisq; uenissent? colligerent animos, & celeriter sclopetos atque balistas expedirent, tantisperq; cõsisterent, dum latera nouis equitum subsidijs firmarentur,

rentur,& quã ignauiæ,aut iniquæ sortis apud Rhauennam malè pugnando notã subijssent, ea die fortiter pugnando delendam esse existimarẽt. Ita uno tempore irruẽte amplissimo equitatu, Vasconibus adhortatione & uerecundia confirmatis,Germanis ira ac pudore locum tenentibus, prælium atrox ac uarium redintegratum. Impellitur horrendo tormentorum ac armorum strepitu utraq; acies, uexil la rapiuntur, mox Centius ac Pelegrinus pugnãtes cadunt:priusq; prætorianæ cohortis præfectus, & quatuor cum eo signiferi maioris colubrinę ictu ab latere cõsternuntur. Nec defuere laborantibus suis Heluetij qui maiore circuitu ad hostes peruenerãt: nam coactis in unum ad triginta cohortibus,dupli ci agmine animis ac uiribus recentissimis gradum intulerunt,& ab læua cum peditatu congressi,Scia talardum clari nominis Vasconum ducem, ac Ludouicum & Georgiũ Hellempurgenses ex Germanis nobilissimos interfecerunt. Ab altera uerò parte irruentes equites laxatis aliquantulũ ordinibus, in sinum excepere, ubi uaria ancipitiq; fortuna diu certatum.Nam cataphracti, quanquam ui atq; inclitatione equorũ dispersis ac morientibus s fœdè proculcatis,raros tenuesq; manipulos cum multa strage perrumperent, tamen quũ densis ordinibus occurrebant, aut prælongis contis induebantur, aut suffossis equis armorũ pondere graues interibant. Periere eo in loco acerrimè depugnantes alarũ præfecti, Sanserrius è sacro Cæsaris oppido regulus:Imbercurtius eximia uirtute & longa militia clarus: Busius Ambosius, & Franciscus Borbonij frater, ipse quoq; Borbonius simile salutis discrimẽ adijt, ut ipse dicebat,dũ cruenta ea in acie uersaretur.Sed ego postea aliter ab ipso rege accepi nominatis testibus affirmante Borbonium circumuento fratri, opem ferre minimè ausum,intactumq; retrò se à cõspectu hostium ad secũdam aciem recepisse. Triuultius quoq; dum circumuento ac morienti signifero suo frustra auxilium ferret, inter lanceas alabardasq; hostium confligtatus, uulnerato equo, cristis galea detersis, aliorum interuentu periculo se eripuit.Iamq; ægrè pluribus in locis prælium sustentabatur,& Heluetij quòd iniquissimam fossam trãsissent,quòd tormẽta magna uirtute cepissent, quòd pulso peditatu,perturbatis equitibus in locum quẽ hostes tenuerãt processissent,meliore fortuna pręliabantur, quum Franciscus promota secunda acie, Alanconio pari passu cum postremo agmine subsequi iusso, dispositis per præfectos certo in spacio pluribus tormentis, quibus à latere hostium phalanges peterẽtur,cum nigra legione, ingentiq; equitatu opportunissimo tempore superuenit. Ipse regali paludamento, quod cœlesti colore aureis lilijs distinguebatur, generose apud hostes ac suos se regem professus, in prima acie uersari, impigrè hostẽ ferire, huc atq; illhuc incitato equo periculose acerrimis hostium insultare, ac demũ non oratione tantum uel adhortationibus,sed egregio ueræ uirtutis exemplo suos accendere.Tantus enim erat incumbentiũ impetus, tanta consistendi pertinacia, tantusq; inerat etiam saucijs ac morientibus uigor, ut regem in ea prælij iniquitate, & maiestatis obliuisci, & uitam contemnere, & rem inclinatam manu ac uiribus potius quàm arte uel consilio reparare oportuerit.Equites quoq; qui ad Nouariam,Taroanamq; fugiendo pristinam uirtutis opinionem amiserant,ne si iterum cederent, sempiterna in posterum ignominia notarẽtur,aut decora morte,aut egregia uictoria,pugnanti in omniũ oculis regi suo satisfacere contendebant. Cecidere eo cõgressu Talamontius Tramulij filius,& Roya in Morinis nobili genere natus,& Vantellius,qui extraordinarium regiæ turmæ uexillum deferebat,pluresq; prõptissimi equites cum Moio nobilioris alę signifero,qui fossis uinearumq; traducibus impediti explicare se se minimè potuerunt. Ex Heluetijs autem, Rodulphus Longus ille multitudinis concitator, irẽ Flechius uirtute magis quàm genere clarus, & Valterius Offius. Hic ob singularem prudentiam & summam uirium promptitudinẽ,quę non facilè in eius gentis hominibus commiscentur, omnibus bellis, & Nouariensi maximè in pugna, magnam uirtutis opinionem adeptus fuerat.Pugnatum est continẽter horis septem, nam in medio ardore certaminis, quum sol occidisset, luna eo tempore pernox claro splendore inuecto utramq; aciem in armis continuit. Fuitq; horribile cruentissimumq; certamen, quamdiu uel tantillũ luminis superfuit. Mox condita nubibus luna, quanquam lassitudine ac uulneribus fessi hebetatis armis quieti locum quæreret, interim tamen per mutuũ errorem cæcis insanisq;; ictibus socij pariter atq; hostes crudelissimè sternebantur.Heluetijs etenim Germani armis,lingua habituq; non omnino dissimiles, dum uarijs in locis inter se miscerentur, prodente demum tessera,fœdissimã stragem per tenebras edebant. Neq; ab tormentis tota nocte temperatum: quæ sicuti incertis ictibus emittebantur, ita aliquantum plus terroris, quàm cladis inferebant.Sedunẽsis,qui spe,cura,laboreq; suis non deerat, quum errore loci in Germanos incidisset, eorum linguam asperiore uoce mentitus,periculo se explicuit,& superata fossa ad conflagrantes domos reuersus est: ubi Rostius & Anglardus splẽdore flammarum inuitati, coëuntibus tanquam ad prætorium plurimis ducibus, signum ingenti classico proposuerant, quo sparsi erabundiq; milites ad uexilla uocarentur.Id erat amplissimum cornu syluestris Vri operoso argẽto in labris exornatum, quod à maioribus per manus traditũ, apud Vranienses Heluetię libertatis authores cum magna cura ac religione custoditur. Eius itaq; beneficio, quòd à perito buccinatore ad humanæ uocis speciem scientissimè,more gentis inflabatur, pluri mi conseruati sunt, qui inter hostium cohortes uario errore delati, confundente aures tympanorum similitudine certum ad suos receptum habere non poterant. Egere utrinq; mutuo timore suspensæ acies insomnem noctẽ,animis tamen, quàm uiribus ad dimicãdum paratiores: nam strenui pariter atq; ignaui, quanquam longo certaminis labore defatigati erant,diuerso tamen animorum habitu, uel naturę operæ desiderio,uel metu mortis excitabantur. Sedunensis, ac cæteri duces,tametsi eos prima opinio plurimum fefelliſſe uidebatur,quòd hostes, ut destinauerant animis,ad primum impetum tanta etiam clade perturbatos minimè superassent, ac irrito propè conatu fortissimos suorum amisissent, tamen sese non deserunt,in concilium quàm plurimos uocant,& quum expectare lucem, & prælio iterum decernere cũctis placeret, quòd omnibus rebus imparati aduenerant,Mediolanum ad petenda omnis generis subsidia mittendum decernunt.Mittitur Ioannes Gonzaga,qui Maximilianum ciuesq; ad ancipitis prælij euentum sollicitos noua spe impleat: cocta in primis cibaria, & plurimos uini cados deficientibus lassitudine ac siti militibus continuò subministret,ac demum tormenta,pilas, & sulphureum puluerem, omni adhibita celeritate in castra transmittat. Duces uerò atq; signiferi digressi consilio, ut quisq; de cardinale & de prælij euentu sentiebant,uariè apud milites loquebantur. Alij decoris & uictoriæ cupidi, quum cladem,quã ipsi magnam acceperãt,uerbis eleuarent, suorum fortia facta & Gallorum stragem in maius falsis narrationibus extolleb ãt.Contrà alij aduersæ factionis,ut saluti maturè prospicerent, & cardinali in summis rerum difficultatibus cõstituto, dignitatis & uitæ periculum augerent,Mediolanum solutis cohortibus

reuertebãtur. Equites quoq; pontificij, qui propter exiguum numerum haud magno usui fuerant, magna ex parte metu, uel desperatione adducti, relictis ducibus in urbem redierunt. Cæterùm Franciscus, quanquam summo timore atq; ingenti periculo liberatus, tantę uirtutis homines egregiè sustinuisse uidebatur, reliquo tamen metu & suprema ueluti cura anxius, turbidæ noctis finem & incertæ fortunæ exitum expectabat. Neq; corpori armorũ pondere fesso, ac siti & cõtinuo labore æstuanti maiorem quietem dedit, quàm ut sub ducta ad spirandum galeæ buccula, dum equum mutaret, tormento paululum inniteretur. Inde statim ad ducis munia transgressus, Liuianũ ut cum exercitu accederet per nuncios monuit. Mox ea re ab præfectis, quos in coronam aduocauerat, equestri consilio compro bata, castra aliquantũ contraxit: & quòd locus, qui primi agminis fuerat ab hostibus tenebatur, munitiore spacio supra sex milia Germanorum in margine fossæ constituit: iusitq; eos pluribus tormentis ibidem opportunè collocatis præsidio esse. Ab alia parte magnum equitũ numerum sibi adiunxit: monuitq; Borbonium atq; Alanconium, ut utring; pari ordine primam & tertiã aciem lateribus suis admouerent: ita ut ipse recta fronte hosti oppositus, sicuti loci ratio postulabat, primi agminis uicẽ impleret, & duobus agminibus læua ac dextra constitutis tanquam cornibus uteretur. Nec longè ab eo loco, Nauarrus & magna multitudo Germanorũ, quum per tenebras prælio direpto, neq; castrorũ formam, neq; regis consilia cognoscere potuissent, defixis solo uexillis consederant. Franciscus, ut qui nam fossarum situs, campiq; interiacentis & publicæ uiæ spacia forent, oculis ipse collustraret, in conspectum hostium cum paucis equitibus progressus est, mox sensim in auroram abeũtibus tenebris, ad cohortandos Germanos contendit, quos magnis pollicitationibus erectos ad conficiẽdum modico certamine bellum, & ad partæ iam uictoriæ prẽmia capienda, certę spei & alacritatis plenus accẽdebat, commemorans superiorum temporum iniurias, & clades quas Heluetij beneficio fortunæ potius atq; iniquissimis temporum & locorum cõditionibus, quàm uera uirtute Germanis intulissent. Proinde in animum inducerent, eam esse propriam atq; expeditam rei gerendæ occasionem, qua consanguineorum & commilitonum suorum cædes ulciscerentur: ac simul fortibus factis declararent Germanos, sicuti nobilitate fideq; præstarẽt, ita uirtute, beneficio atq; peritia militarem gloriam, nemini esse concessuros. Simili quoq; usus oratione, Gallos equites hortabatur, ne à maioribus suis degenerare uellent, qui superioribus sæculis equestri gloria omnibus gentibus præstitissent. Nec minore spe atq; animo apud Heluetios acies instruebãtur, quanquam maxima ex parte milites, sicuti diuersis in locis atq; in ipsis etiam hostium munitionibus uario casu cõquieuerãt, nullo cibariorum subsidio recreati, ægrè labantes artus ferocibus animis sustinerent. Neq; enim, quæ ab Mediolano, procurante Gonzaga, conuehebantur breui & nocturno maximè tempore, quòd omnes semper administrationes tardare cõsueuit, adduci expediriue poterant. Pleriq; etiã sub auroram oblatis ientaculis, quum tympanorũ crepitu & fragore tormentorum ad pugnam uocarentur, optatos & necessarios fouendis uiribus cibos relinquebãt. Coiuere in principijs nonnulli duces, inter quos erant Haslerius Foctius, ętatis honore, ac magistratus insignib. clarus, & Chezzius Amman inter Heluetios natu maximus, qui amplius quadraginta annos centurio, aut signifer, aut tribunus in exercitu fuerat, & prælio illo memorabili, quo Carolum Belgarum ducem, eius que copias ad Nanseium occidione deleuerunt, singularem in pri A ma acie laudem meruerat. Ii, siue acceptæ cladis cõscientia adducti, siue cognito desertorum discessu, & iam lucis beneficio perspecta locorum iniquitate, quòd satis ibi existimationis, ad frangendos Gallorum spiritus hesterna dimicatione partum existimarent, prælio abstinendum esse iudicabant. Sed quum frustra deprecando contestandoq; promota iam signa sistere, & procedentes ordines oppositis corporibus retentare conarentur, & Fato, & libidini militũ manus dederũt. Ita Rodulphus Segnius, Visembachius Vnderualdius, Vldericus Foctius, atque Zambronius audaces acertimæq; uirtutis duces, ratione committendi certaminis inter se constituta, bipartito signa intulerunt. Primum ac maximum agmẽ, in quo Tigurini pagi signum supremæ apud Heluetios dignitatis collocatum erat, rectà aduersus regiam aciem, quam medium locum tenere docuimus, contendit. Aliud quod à dextris paulò infra conflagrantis pagi tecta substiterat, maiore capto circuitu ad Alanconiũ postremo agmini prępositum, deflectere cœpit, eo consilio, ut quum primi regem, & robora Gallici exercitus in se conuertissent, illi Alanconium infirmioribus uallatum prę fidijs, magno impetu ab latere adorirentur, & perrupta eius acie, in sinistrũ latus & terga regij agminis penetrarẽt. Aliam uerò suorum multitudinem, quę citra uiam publicam à læua proximum campũ tenebat, nullo ei certo munere capessendæ pugnæ demãdato, dextro cornu, ubi Triuultius atq; Borbonius curabant, interuallo trecentorum passuum oppositurũ. Sed dum ad teli iactum processissent, Galli statim displosis in aduersos uno tẽporis puncto omnibus regijs tormentis, tantam summa celeritate cladem intulere, ut prius temeritatis pœnas dederint, qui ab audacia cõsilium sumpserãt, quàm manus cõferre, uel ad hostes peruenire potuerint. Eo casu quòd per medium facta horribili uastitate stragęq; hominum, unum non erat amplius phalangis corpus, laceratis ordinibus, pars, quæ secundos ictus timebat, terga uertere, & recipere sese cœpit, pars despectis iterum tormẽtis in hostes impetum fecit. Ii constantiore quàm unquã antea uirtute atque audacia, pluribus & acceptis & illatis uulneribus, fossam superarunt: & cum Germanis equitatuq; regio congressi multa facinora efferæ uirtutis ediderũt. Nam quum eodẽ quoq; tempore Triuultius atq; Borbonius extenso cornu, & circumflexis equitibus, in sinistrum eorum latus incurrissent, duplici fronte pugnare cogebantur. Sed Germani, qui acerrimo eo certamine Iacobum Condeum, Henricum Ricurtium, & Saxeum fortissimos duces amiserant, ira ac dolore similes, illato gradu eorum impetum repressẽrũt: & Pontinerium proceritate corporis animiq; uirtute inter Heluetios duces clarissimum adequitãtem ordinibus, ac suos clara uoce, adiectis in Germanos contumelijs, cohortantem, sclopetorum ictibus equo deiecere: & uasti obesiq; corporis adipe atq; aruina patentibus plagis defluente, cruentas lanceas spectantibus Heluetijs inunxerunt. Quę apud Barbaros in acerbioribus odijs exactæ uindictæ grauissima ceremonia perhibetur. Ibi quoq; Zambronius, & Antius Encher, uasti animi & terribilis staturæ homines, quum ingentes gladios singulari peritia ambabus manibus regerent, & in media Germanorum acie uersarentur, detruncatis pluribus lanceis, multisq; hostium trucidatis, ad extremũ tota acie in eos conuersa, oppressi sunt. Interijt & Chezzius Amman cadente equo, qui tribus etiam sagittis cõfixus, in ea ætate plures horas adhortando pugnando q;, nec optimi ducis, nec fortissimi militis munus omiserat: quum cæteri quos suprà memorauimus, antequam congrederentur, tormẽtorum procella discerpti cecidissent. Ioannes & ipse Berrus Basilienſium uexillifer, quum multis confectus

cõfectus uulneribus, diutius signum sustentare nõ A posset, ne hostes eo potirentur, sericum hasta detractum minutissimè concerpsit, & occubuit. Interea quoq; secũda acies quam ad Alanconium deflexisse docuimus, tantum postremo agmini terrorem intulit, ut equites magna ex parte, cadente Beomontio alæ signifero, pluribusq; eorum ad primum impetum interfectis, terga uerterint, & effusis habenis Laudensi uia cursum intenderint. Quo rerũ tumultu factum est, ut agrestes, & pleriq; speculatores, qui in agris erant, equites Gallos inter impedimenta fugientes conspicati, quum Franciscum prẽlio uictum putarẽt, de uictoria Heluetiorum per omnem Italiã perscripserint. Et res profectò ab ea parte in maximum discrimen perducta fuisset, nisi Emarus Prieus, & Obigninus singularis experiẽtiæ duces, qui cum Alanconio erant, fuga increpita, collectis in unum uexillis conglobatisq; militibus, summo labore pugnam sustinuissent. Magno quoq; pertur batis subsidio fuit Liuianus, qui Venetorum exercitu adducto procurrens, cũ nobilium cataphractorũ ala subsequentibus reliquis superuenit. Is ut erat & pugnæ & nauandæ operę auidus, nulla interposita dubitatione, equites cohortatus, ut se uadentem se querentur, in transfuersos hostes incurrit, quem Heluetiæ cohortes duæ conuersis signis alacriter exceperunt: & uulneratis pluribus, interfectoq; Cepino Pitiliani filio summę indolis adolescente, acriter incumbentem equitatum longius sommouere. Eius tamẽ aduẽtu magis quàm uiribus territa ea Heluetiorum manus, quòd uniuersas Venetorum copias, quę in proximo erant, adesse iudicabat, saluti consulere cœpit. Alij enim lassitudine, uulneribus, siti, sudoreq; confecti in proximos hortos concessere, ubi superuenientibus etiam ab regia acie subsidiarijs equitibus, magna eorum pars concisa est. Alij in proximam delati uillam, quũ diu porta ac muris duce B Trulerio Cesusio strenuissimo centurione se defendissent, tandem Liuiano authore succensa uilla, tormẽtis flammisq; expugnati crudelissimè perierũt: alios palantes, refugientesq; ac maximum suorum agmen, equitatus apertissimis campis consectatus, ad unum deleuisset, nisi consilio atq; uirtute ueterũ militũ, qui in ea fortunæ acerbitate disciplinæ memores, sibi ac suis nunquam defuere, densata acie citra fossas uiamq; publicã ad suos se recepissent. Eodem fermè tempore, tertia Heluetiorum acies, quã contra Triuultium atq; Borboniũ constitisse ostendimus, prælij iniquitate perspecta, cędis atq; alienę uirtutis spectatrix, uexilla Mediolanũ ferre cœpit. Quibus de rebus cæteri quos apud regiam aciẽ pugnantes reliquimus, dum cæco furore atq; ira perciti obstinatione animorũ magis quàm uiribus locum tenerent, & alias recentes Germanorum legiones, ad quas pugna nondũ peruenerat, ad dimicandum paratas in conspectu haberẽt, desperata uictoria receptui cecinerunt. Magnũ enim ad fossam paulo antè detrimentum acceperant, quòd è superiore loco à balistarijs Vasconibus incredibili sagittarũ multitudine configebantur, qui iuxta sclopetarios collocati, ut sclopetis implendis & tendendis scorpionibus spaciũ darent, ita mutuo recursu per centurias sibi inuicem succedebant, ut continenti telorum grãdine effusa, inulta acies frustra petitis à uirtute subsidijs sterneretur. Direpto prælio, cum Rostius, Ronna, & Anglardus, atq; alij tãtæ ac tam perturbatę multitudini monendo atq; imperando succurrere, uel ducũ officia facilè implere non possent, ipsi milites etiam omnibus incommodis conflictati, ne fugere uiderentur, in ea rerum iniquitate, sibi quod agendum erat, mira constantia singulariq; peritia præscribebant. Nam sauciorum cura habita, ut quisq; uulneribus debilitatus erat, bini milites summa pietate lacertis atq; humeris tulerũt: reductisq; ad unũ omnibus tormentis quæ Mediolano aduecta fuerant, nouissimum agmen recentiorum militum præsidio firmarunt. Adeò autem contento passu uia publica iter est factum, ut discessus nihil fugę simile habere uideretur. Neq; enim inuadi facilè poterant, quòd ab utroq; uiæ latere prærupti atq; perpetuis fossis muniebantur. Galli qui uiginti horis continenter, dubia plerunq; uictoria, armati in acie cõstiterant, quum fluentibus sudore artubus, ac labantibus lassitudine equis, & densa eleuati puluęris caligine, & irrequieto atq; horribili tormẽtorum reboatu oculorum atq; aurium sensum penè amisissent, finem sequendi fecerunt: ita tamen uictoria potiti, ut egregiè pugnando Heluetios magis uicerint, quàm eos in posterum ullis uiribus omniũ opinione uinci posse docuerint. Heluetij suis hospicijs perhumanè ac liberaliter susceptis, depositis apud publicas hospitales domos grauiter uulneratis, reliquum diei ac sequentem noctem recreandis corporibus dederunt. Postero die plateam, quę ante arcem latissimè patet, tanta frequentia cõpleuerunt, ut nullam propè cladem accepisse omnium ęstimatione uiderentur. Ibi habito inter se consilio quum trimestre stipendium postularent, & nisi id continuò sibi persolueretur, se abituros domum dicerent, minimè id præstante Maximiliano, quòd tãtam pecuniæ uim expeditam non haberet, Comẽsi porta uexilla protinus extulerũt. Nec Cardinalis, ut qui aduerso rerum successu apud eos aliquãtum priſtinæ authoritatis amiserat, allocutionibus suis quicquam profecit, quo minus uniuersi Comũ contenderunt. Quamobrem relictis tribus cohortibus Heluetijs, quæ arci præsidio forent, ipse cum pontificio equitatu ac ualida manu Sedunorum Leucum contendit, superatoq; Abdua per Saxinam uallem concisis abruptisq; montium tramitibus in Voltu renam uallem penetrauit, unde mox transfuersis alpibus Tridentum, atq; inde in Germaniam ad Maximilianum Cæsarem profectus est. Heluetij uerò, & cum his Galeatius Vicecomes, à Comensibus, quòd uicinitate regionis, & mercaturę commercio magnæ cum his amicitiæ necessitudines intercedebant, omnibus officijs ac facultatibus subleuati, superato Lario per curiam Rhetiarum domũ reuersi sunt. Quum cæsorum ratio iniretur, Galli ex uiginti quinq; milibus Heluetijs, qui in pugnam prodierant, uix dimidiam eorum partem integram superfuisse, & ex suis ad tria tantùm milia cecidisse contẽdebant. Heluetij autem & occisorum ab se Gallorũ numerum plurimum augebant, & censu domi habito, ad quinq; milia fortissimorum hominum ea expeditione se amisisse fatebantur. Cæterùm ea uictoria tot insignium Gallorum funeribus, tantoq; periculo parta, Francisco regi incomparabile decus attulit, existimationemq; regij nominis ita confirmauit & auxit, ut non immeritò, quum eius noctis dieiq; euentum luculenter enarraret, effusissimè lętaretur. Victoriam quoque nouo gaudio perfudit Claudius Guisa Antonij Lotharingiæ principis frater, quum interijsse crederetur, spirans inter cadauera hostium repertus. Is enim summę spei adolescẽs Germanis præpositus, in prima acie usq; adeò egregiè, multis quidem acceptis uulneribus, dimicarat, ut super incumbente Heluetia phalange, inter suorum ac hostium cadentium aceruos sterneretur. Eo autem duplici prælio hesternoq; præsertim, quum rex ipse eximij bellatoris laudem adeptus, cõsensu gratulantium procerum equestri honore dignissimus censeretur, eius dignitatis ornamenta de manu Baiardi uiri fortissimi lubens accepit, quãquam adessent summi duces, qui ex militari ceremonia conceptis uerbis, districto q; gladio, quo leuiter sinister humerus petebatur, eum ornare percuperent. Baiardum enim ideo cæteris prętulit, quòd acerri-

mè inter hostes pugnantem conspexerat, nec maio A
res duces inuidioso delectu ad id munus, tanquam
inter se dignitate pares offendere uellet, simulq; Ba
iardum præclaro iudicij sui testimonio celebré per
petuò sibi deuinciret. Equestris siquidé ordinis di-
gnitas, nõ in ocio imbellibus ambitioſe quęsita, sed
fortibus testatæ uirtutis merito in acie parta, uiros
uel infimæ fortunæ, longè nobilissimos efficere cõ
sueuit. At Mediolanenses ubi discessisse Heluetios
uident, ne pernicioſa cunctatione ciuitatẽ in disti
men adducant, ad dedendam urbem oratores in ca
stra continuò mittũt. Erat legationis princeps Hie
ronymus Castilionus iuris peritia insignis, qui de-
missima oratione uictoris irã leniuit, deprecatus
ne durius in miseros ciues animaduerteret, qui flu-
ctuosissimis tẽporibus seruiuissent potius, quã ab
eo uoluntaria defectione desciuissent. Eos supplices, & quę imperasset paratos facere, si cõseruasset,
longè maiorem eum laudem, quàm hesterna uicto
ria fusis hostibus meruisset, clemẽtia atq; animi ma
gnitudine sibi comparaturũ: quãdo præstantius fo-
ret amplissimũ regem humaniter ac temperatè uti
uictoria, quàm prælio, in quo & milites & fortuna
plurimũ potuissent, felicissimè superare. Franciscus
ad ea respondit, se magis pro natura sua quàm pro
Mediolanensium meritis, qui toties rebellassent, &
defectioni interfecto præsidio summã crudelitatẽ
addidissent, ciuitatẽ conseruaturum, modò trecẽta
milia aureorum nummũm, quam summam mulctę
nomine imponeret, intra certos dies tribus pẽsioni
bus persoluissent. Dimissis legatis, partẽ exercitus
duce Nauarro ad oppugnandã arcem misit: ipse au-
dita Comensium legatione, qui ad dedendã urbem
aduenerant, & Heluetios finibus decessisse nuncia
bant, Ticinũ profectus est. At Laurentius, qui cun-
ctãdo, neq; amicè neq; hostiliter feciſſe uidebatur,
quum audiret ad confluentes Padum & Ticinũ pa B
rari pontes, quibus ad se opprimendũ Gallorũ co-
piæ transmitterentur, ad eaſdem fœderis conditio
nes recurrit, quib. paulo antè Ludouicus Canosius
Tricaricensis, & Cynthius Tiburs pacẽ ab rege pe-
tiuissent. Neque animus regis ab nomine pacis ab-
horrebat: quanquã Liuianus uictoria ferox, qui ex
priuato quoq; odio ad opprimendum Cardonium
summa cupiditate ferebatur, interpellari ac distine
ri regem in eo uictoriæ cursu intẽpestiua pacis men
tione prædicaret: ac se protinus Hispanorũ copias,
si id sibi permissum foret, unis exercitus sui uiribus
deleturum polliceretur. Tũc demum enim, quum
eos hostium reliquos deleuisset, faciliq; uictoria im
posuisset Hetruriæ leges, ac Neapolitanum regnũ
felici cursu repetisset, regem maturã uictis daturũ
pacem, & ueram quietẽ affectis Italiæ rebus allatu-
rum. Sed Franciscus, qui occultiore consilio ex fœ-
dere soceri, Ferdinãdi q; regum, Hispanis parcendũ
esse meminerat, & Parmã atq; Placentiã, si per cõdi
tiones recipere posset, tẽtari armis nolebat, æquissi
mo fœderi assensit, ne maiorem sibi inde inuidiam
conflaret, & Ludouici soceri exemplo principũ ani
mos nimia ac formidabili magnitudine offendere
uideretur. Res itaq; eo modo cõpositę, ut pontifex
Parmam atq; Placẽtiam, quas urbes armis tueri nõ
poterat, Gallo occupari fineret: rex uerò Florẽtinis
eam pecuniæ summam remitteret, quam Gallo ex
fœdere quòd in societatẽ recepti essent, quotannis
Ludouico regi persoluere cõsueuissent, ac nihil Car
donio Hispanisq; militibus noceret, eosq; in pacatum regredi pateretur. Appositũ quoq; diserte est,
ut pontifici bellum gerendi certa Gallorũ equitum
auxilia Franciscus mittere teneretur, Mediceamq;
familiam in fidem clientelamque reciperet: eadem
quoq; regi põtifex præstaret, si in Italia bello lacesse
retur. Nec multo pòst Liuianus, ut eas urbes, quas
Veneti superioribus annis amisissent, armis repete
ret, superato Abdua in Brixianũ agrum profectus
est. At Hicardus interea, qui cum præsidio Brixiæ
præerat, quum haud dubiè uictores hostes totam
eam belli molem in se unum breui conuersuros exi
stimaret, singulari celeritate atq; industria, murum
prioribus oppugnationibus quassatũ refecit, fossas
purgauit, aggeribus nouisque munitionibus muro
additis, portisq; ac propugnaculis magno tormen-
torum numero instructis, urbem natura loci per se
tutam breui inexpugnabilem fecit: mox frumenti,
uini, pecoris, magna copia è proximis castellis in ur
bem comportata, Guelfis & suspectæ fidei ciuibus
urbe eiectis, & commeatu omnis generis certis fa-
milijs imperato, ualidam Hispanorum manum ex
his, qui Veronæ essent, à M. Antonio Columna, Spi
nelloq; Cęsaris legato postulauit, cõtestatus, nisi ex
ea copia maturè sibi subueniretur, eos postea, si a-
cerbior casus accideret, frustra suam fidẽ imploratu
ros. M. Antonius, tametsi ueteranos milites, quos
ipse paulo antè à Cardonio ægrè se impetrasse me-
minerat, suspiciosissimo belli tempore sibi detrahi
iniquo animo patiebatur, eius tamẽ precibus obtẽ-
perandum esse iudicauit, ne alieno periculo minus
quàm suo prospicere uideretur. Itaq; delecti Morel
lio, Orthisius & Gusmanes, eximiæ uirtutis centu-
riones, cum septingẽtis peditibus, & Gothistardus
uir fortis cum cohorte una Germanorum, quæ sum
ma hominum magna ex parte ex sclopetarijs con-
stabat. Ii Verona profecti, conductis agrestibus, qui
occultiores calles ostenderent, interdiu noctuq; iti
nere cõfecto per iuga montium, qui ad Benaci orã
uergũt, saxosis nemorosisq; tramitibus incolumes
Brixiam peruenerunt: & adeò celeri improuisoque
itinere, ut Liuiani diligentiam, qui eos cognita pro
fectione, si rectis itinerib. accessissent, oppressurus
erat, satis magno & temporis & locorũ spacio prę-
uerterint. Cæterùm Liuianus ob eas res oppugnan
dæ Brixiæ consilio depulsus, quum multis cõtrà ra
tionibus summa spe capiendæ Veronæ teneretur,
quòd eam urbem arte naturaq; minus ualidam, &
detractis præsidiariorum promptissimis, infirmio-
rem esse existimabat, in supremam ualetudinem in
cidit. Vir enim alterum & sexagesimum natus an-
num, quum laboriosissimo prælij die, tenue corpu-
sculum sub iusto armorum põdere plurimum exer-
cuisset, equestriq; agitatione uiscera penitus in her-
niam abijssent, incredibiles dolorũ cruciatus sustì-
nere nõ potuit: paucisq; diebus apud Ghedas extin
ctus est. Fuit Liuianus parũ liberali facie, & pusillo
atq; incuruo corpore, planè deformis: cæterũ ei ine
rat sublime ingenium ac uehemens, quod plerunq;
nimio quodã uigore animi q̃ imperatorẽ deceret,
ardentius & concitatius uidebatur, ita ut eum mul
ti aliquanto meliorem bellatorẽ, quàm ducem exi-
stimarent. Nemo tamen eo melius disciplinæ leges
percalluit, nemoq; fortius uel uigilãtius singula mi
litiæ munera obiuit: ad extremũ, qui nulla maiorũ
gloria insignis, ex priuato equite ad summos hono
res euaserat, omni bellica laude dignus uideretur, si
in ipso rerum cursu atq; negotio, consilijs eius atq;
uirtutibus Fortuna respondisset. Cadauer eius exen
teratum, conditumq; aromatibus, milites mœstissi
mi plures menses apud se in castris habuerũt, & so-
litum ei prętorium tetenderunt, perpetuisq; funa-
lium flammis, & continua armatorũ statione adie-
cta, defuncto honores addiderunt, quales uiuo tri-
buere consueuissent. Eo mortuo, quum ad neminẽ
imperij summa redijsset, & Georgij Hemi legati au
spicijs exercitus regeretur, Senatus continuò ab re
ge postulauit, ut copijs in tanta spe cõficiendi belli
strenuo ac fideli duce orbatis, clarum aliquẽ rebus
feliciter gestis imperatorem submitteret, cui Italus
miles facilè pareret, & bellum summa omnium con
cordia administrari posset. Nec multo pòst Triuul-
tius,

tius, qui unus omnium, quòd uirtute atq; existima A
tione cęteros anteiret, ad id bellum, Venetorum ac
regis iudicio destinabatur, ad exercitum cum impe
rio profectus est. Interea Nauarrus dignũ fama sua
ratus, si nobilissimam terrarum orbis, ac munitissi
mam arcem intẽtatam antea superioribus ducibus
expugnaret, circumposita militum statione ad co-
hibendas eruptiones, magnoq; agrestium numero,
qui opus facerent mercede conducto, fossam iustæ
profunditatis ab ea parte arcis, qua Septentriones
spectat, breui perduxit. Vimineas turres septenos
altas pedes, quas nota ratione ac sępius à nobis de-
monstrata, harena implebant, inter seq; iungebant,
ante opus collocauit, erexitq; aggerem opportunis
in locis in altitudinem pedum duodecim, ita ut tu
tò milites institutis cuniculis subterraneum opus
inchoare, atq; ultro citroq; quum res poscęret, com
meare, tormentaq; statui ac circumduci facilè pos-
sent. Quibus omnibus, nocturno maximè tempo-
re, propter hostilium tormentorum iniuriam, mu-
nitionibus constitutis atq; perfectis, certam oppu-
gnandi rationem instituit, quæ pro tempore ac re
rum opportunitate optima uidebat: scilicet, ut tur-
rium pinnas, & summa murorũ propugnacula ma-
ioribus tormentis discuteret, ne cuiquam hostium
ab ea parte consistendi in muro potestas foret, ac si
mul prospectandi facultate priuarẽtur, atq; usu mi-
norum tormentorum, quorum omnis generis ma-
gnam copiam in murum contulerant, his q; cuncta
pinnarum interualla, & singulas de more feneſtel-
las instruxerant. Igitur ea omnia prolato ingenti
cannonum & colubrinarum amplissimo apparа-
tu, continenti atq; perpetua uerberatione demoli-
tus, tantam earum rerum uastitatem fecit, ut à Pal-
lancina turre ad Carmelitarum propugnaculum (ea
sunt ædificiorum cognomina) totum pulcherrimi
lateris tractum, qui ad uigilum cõmoditatem atq; B
operis elegantiam, tegulis & perpetua contignatio
ne tegebat, defensoribus interfectis, superiore mu-
rorum corona defracta, bellicisq; omnibus instru-
mentis eadem ruina disiectis, patefecerit. Mox ad
suas artes conuersus, actis cuniculis succisisq; pro-
pugnaculi radicibus quod arci coniungebatur, exi-
tumq; militari portula in fossas quam occultum ha
bebat, magnam eius partem funditus euertit. Quo
casu Nauarrini per ruinas connixi, tanta celeritate
in propugnaculum euaserũt, ut custodes metu ino-
pinatoq; periculo consternati, quum in munitiorẽ
interiorem q; locum se reciperent, uix spacium clau
dendæ portæ contra irruentes habuerint. Neq; Ma
ximilianus ad rumorem irruentis hostis excitatus,
ut erat longo metu & curarum pondere obrutus,
in tanto discrimine digna duce consilia capiebat, a-
missam q; proculdubio ea nocte arcẽ sensisset, quũ
multi metu uel perfidia obstruendam tantum eam
portam esse censerent, nisi Gambarus magnitudi-
ne periculi permotus, increpita ignauia atq; perfi-
dia, cum delectis militibus subterraneo aditu ad
portam descendisset, eaq; protinus patefacta, dum
hostes effringendæ ianuæ consilia inirent, occisis
pulsisq; omnibus, propugnaculum recepisset. Nec
multo pòst Nauarrus, dum incautius in opere uer-
saretur, marmoris fragmento caput ictus, quod ho
stili colubrina ab latere eam maximè petente partẽ
summa ui defractum resilierat, oppugnationem du
cibus suis reliquit. Periere his omnibus oppugna-
tionis diebus ducenti fermè ex Nauarrinis, & ma-
gnus agrestium numerus ui tormentorum hostiliũ
in fossis oppressus est. Philippinus quoq; Fliscus,
qui quondam abeunte in Germaniam Ludouico,
cum parte præfidij Pallancinę præfuerat, & Bernar
dino Curtio prodente arcẽ, non obscurã proditio-
nis atq; auaritiæ notã subierat, dum Gallos quæ-
nã muri crassitudo, & quæ-
nã antiquitus internæ mu-
nitionis uitia foręt, intentiore cura perdoceret, for-
tuito tormenti ictu discerptus interijt, ita ut meri-
tis eum pœnis & destinato exitio fortuna obijcere
uideretur. Plures quoq; ex fortissimis propugnato
rib. Maximiliani desiderauit, & in his notum equi
tem Aloisium Ferrarium, quũ nulla diurni noctur-
niue temporis momenta, quin utrinq; maioribus
tormentis contenderent, intermitterentur. Porrò
Maximilianus, cui Fortuna primis imperij diebus
læta omnia ac tuta spoponderat, quũ sensim natu-
ræ uel ætatis uitio imperitorũ secutus consilia, pa-
rum honestis artibus se deprauandum dedisset, ne
facilè postea imminente bello tantos curarum flu-
ctus imbecillitate ætatis atq; ingenij sustinere pos-
set, labefactatis aliqua ex parte sensibus, mente ex-
cedere ita uisus est, ut neglecto priore cultu, non
prius interioré tunicam exueret, capillúmue pecte-
ret, q̃ subortis undiq; pediculis, pedore & fœda illu
uie deformis conspiceretur. Horrendæ etiam immi
nentium rerum species tristi animo per quietẽ ob-
uersabãtur: unde illi grauior morbus, quum relictis
stratis, insomnes noctes perducere cogeretur. Mul-
ta eum quoq; tot curis implicitum prodigia, quę sa
nas etiam mentes perturbare consueuerunt, paucis
antè diebus nunciata terruerant. Nam apud Gam-
balottam uicum, meridiano tempore duo equites
in aëre humana maiores effigie inter se concurrere
uisi, uictoremq; eum qui ab Galliæ regione ueniſſe
uidebatur, alterum continuò profligasse frequẽtes
agricolæ confirmabant. Brennio quoq; amnis Ti-
cini socius, quem ob terræmotũ corruente ingenti
montium mole, lacum supra Bellizonam nũquam
antea uisum effecisse memoria prodidimus, quum
excrescente in immensum aquarum multitudine
supra quadraginta stadia intercluse uallis occupas-
set, neciam ullis obicibus teneretur, effracta rupe,
patefactoq; exitu effusus, subiectam planicię inun-
dauit, eodemq; impetu & lapideum Ticini pontẽ,
& nobilissimi operis munitionem, quã duplici cõ-
tecto muro, & turribus admirabilem, Ludouicus
Sfortia interuallo decem stadiorũ ab oppido in ad-
uersos montes perduxerat, puncto temporis deie-
cit & abripuit. Inde per patentes campos horribili
fragore delapsus, quum præceps Verbanum lacum
peteret, cohorté Heluetiam in castra contendentẽ
cursus celeritate deprehendit: neq; miseris repenti
na calamitate oppressis in proximos montes eua-
dendi Fortuna spacium dedit. Nam quum in supe-
riora uillę ædificia conscendissent, paulo pòst aucta
profluentis uiolentia, cõuulsis fundamẽtis integra
natante uilla *deuecti miserabiliter perierunt.* Qua
clade pulcherrimus centũ stadiorũ tractus, uillis, sa
tis, arboribus, armentis, multisq; mortalibus mo-
mento absumptis, interijt. His corporis atq; animi
morbis circumuentũ Maximilianũ, acerbioreq; in-
dies ab infesta fortuna ictus metuentẽ, nõnulli ua-
nis sparsis terroribus, quũ amittendæ arcis pericu-
la in maius augerẽt, ad summã rerum desperationẽ
perduxerunt, Ioachimus ille, qui ab Agnelli colle
descendẽtibus Gallis, eas angustias suspectiore ne-
gligẽtia omni præsidio nudatas reliquerat, dissemi
natis sermonibus apud præsidiarios, tristia omni-
bus, & certũ arci excidiũ ominabat: moliri subterra
neos specus Nauarrũ, quibus omnis aquæ copia pe
nitus auerteretur, uel corrumperẽ, eumq; perfectis
cuniculis breui, sicuti ad Neapolim feciſſet, munitio
ora arcis loca & turres ipsas sulphureis ignibus in
sublime iactas euersurũ. Quæ tametsi multorũ ani-
mos cogitatione periculi suspendebant, à peritis tã
mẽ ut inania confutabanẽ, quòd depressissima tur-
rium fundamẽta, quæ etiã ut humido accedenti in
solo sublicis imposita essent, uel insano etiã labore
subterfodi nõ poterãt: unde sibi neq; cuniculo neq;
ignibus noceri posse arbitrarenẽ. Ea enim est horũ

operum natura,ut tum ignes,quũ ſolidis ac ſicciori
bus muris & cautibus incluſi fuerint, uehementiſ-
ſimè ad ſpirandũ inanes auras quæritent, cunctaq;
uelociter impotenti uiolentia perfringant: ſi uerò
ut in profundis neceſſariò accidit, molli terreno,
uel modica aquarũ ſcaturigine humẽtibus locis cu
niculi inciderent,hebetato ſtatim puluere humoris
iniuria,lenteſcunt ignes,caſſoq; labore in irritũ, ut
rerum magiſter uſus edocuit,reſoluunt. Igitur Sfor
tia,quum per eas animi perturbationes rerum tæ-
dio affectus omnibus ſuis diffideret,& memoria pa
terni carceris,maiore animi mollitie,q̃ uirũ uel prin
cipẽ deceret,uitæ libertatiſq; pericula metiret, nul
la dedecoris cura habita,quin ſe dederet,non cun-
ctandum ſibi amplius exiſtimauit. Neq; Gambarus
atq; Aquila legati,in quibus ſumma authoritas eſ-
ſe debebat,quo minus in turpi ſententia perſeuera
ret,quicquã proficiebant, quanquã grauibus cum
ſermonibus caſtigatũ in ſpem erigere, increpitaque
degeneris animi ſubita conſternatione, à tam fœdo
dementiq; conſilio deterrere cõtenderent: ac ſimul
teſtarentur fœderatos principes,ipſoſq; præſertim
Heluetios,qui pro eius ſalute ac dignitate conſer-
uanda,fratres ac conſanguineos ſuos amiſiſſent, in
iuriam animo nunquã eſſe depoſituros: ſi tam pro-
pinqua ſpe renouandi belli,rebus eorum atq; conſi
lijs intempeſtiua deditione,infami præiudicio ob-
uiam iret. At ille præſenti animo quaſi ſenſibus re-
ceptis: Egregiè (inquit) ac fortiter & mihi & pater
næ auitæq; gloriæ uel conſtantiſſimo uitæ exitu ſa
tisfacerem,ut planè ſuadetis,niſi honeſtiora ſpecio
ſioraq; conſilia eos, qui cadentibus rebus ſuis perti
nacius cum irata Fortuna colluctantur,plerunq; du
riſſimis caſibus reſeruarent. Agnouimus enim iam
pridẽ malè auſpicati imperij fortunã, quum ſeruire
impotentibus fœderatis cogeremur, qui tota pro-
uincia publicis ac priuatis facultatibus ſpoliata, ni- B
hil mihi præter inane principis nomen reliquerũt.
Vitámne ego ac libertatẽ,naturæ munera, dedeco-
ris metu,uel pernicioſa uirtute deſpiciam, & ruen-
tium rerum ſorte iterum periclitabor, ut pro ſpecio
ſis inanis & incertæ dignitatis titulis inſolentiſſi-
mis hominibus,qui præſcribũt,leges dant,& ſump-
tus & uectigalium exquiſitã rationẽ repoſcũt, ite
rum ſeruiam? aut proditus, ac perductus in Galliã
paterno in carcere, & in iiſdem cathenis expirem?
Imprudentérne ego,uel ingratè,ſi in maiore mea ia
ctura propriæ ſaluti ac libertati conſuluero, Ferdi-
nandi,uel Cæſaris rebus præiudicaſſe uidebor, qui
apertis cõſilijs,ut hoc imperium, maiorũ meorum
uirtute partum,nepoti Carolo adiudicarẽt, aliquan
do me extrudere cogitarunt? quorum alter, ut qui
ſemper cũ hoſte clandeſtinè ſenſiſſet, extremis duo
bus caſibus meis ſubuenire noluit. Alter, tametſi
menſtruis penſionibus ingentes ei pecuniæ ſolue-
rentur,quum tamen bellum immineret,in interio-
rem Germaniã regreſſus,neq; ſuæ dignitati ſatisfe-
cit unquã,neq; in meis uel miſerrimi patris difficul
tatibus digna Cæſare,uel cognato principe auxilia
tranſmiſit: neq; Leoni,quo minus dignis pontifice
conditionibus cum Gallo fœdus percutiat, hac ne-
ceſſaria deditione impedimento futurus exiſtima-
ri uelim. Qui ſi fallaci atq; infido Fregoſio minimè
credidiſſet,expeditioreq; cõſilio celerius & cõſtan-
tius priſtini animi deliberata peregiſſet, neque ipſe
cum maxima dignitatis imperijq; iactura ſuperbis
hominibus ſeruire inciperet,neq; ego fractis ac de-
ſperatis rebus,quod miſerrimũ eſt,apud hoſtẽ me-
liorem uitæ conditionẽ quærendam eſſe cenſerem.
Tantum uerò abeſt, ut publicã Heluetiorũ cauſam
reſpicere uelim,ut illos, qui magno ſuo incõmodo
huius imperij tutelares uideri uolunt,ultrò ea mo-
leſtia ſim liberaturus. Ita Maximilianus, ut perpe-
tuis tandem curis atq; moleſtijs animum liberaret, A
& principalẽ uitam nullis unquã ærumnis uacuã
cum priuata ac beatiore cõmutaret, trigeſimo op-
pugnationis die arcẽ dedidit,his conditionibus, ut
ſibi ac præſidiarijs militibus res ſuas atq; omnẽ ſu
pellectilem,præter militarẽ apparatum,efferre libe
rum foret, atq; ipſi ab rege trigintaquinq; aureorũ
milia ſingulo quoq; anno perſoluerẽtur, modò per
publicas tabulas paterno iuri cederet, & ſe iniuſſu
regis,fide data,Galliæ trãſalpinæ fines minimè ex-
ceſſurum ullo tẽpore polliceretur. Fuere ea tẽpeſta-
te multi mortales,qui Ioannem Gonzagam & Hie
ronymum Moronum,quorum conſilijs Maximilia
nus innitebatur,ad extremum, ut rebus ſuis conſu
lerent,fidem cum fortuna commutaſſe exiſtimarẽt,
quòd iuuenẽ imperitum rerum, ægroq; animo flu-
ctuantẽ,quem conſilio atq; induſtria ſanare atq; e-
rigere potuiſſent,ad dedendam arcem impuliſſe di
cerentur. Quod pro uero fortaſſe relinqueremus,
niſi tempora,quæ ab euentu rerum cauſas aperiũt,
aliquanto pòſt ambos ea calumnia,Maximiliani e-
tiã teſtimonio liberaſſent. Ipſe Maximilianus, quũ
regem apud Ticinum ſalutaſſet,comitantibus equi
tibus qui eum liberè cuſtodirent,in Galliam profe-
ctus eſt. Nec multo pòſt Franciſcus,quòd ante rece
ptam arcem ſuæ dignitatis eſſe minimè ſtatuebat,
Mediolanum tum primùm inuectus cum ornatio-
ribus turmis delectiſq; cohortibus, quarum duces
ſumptuoſo apparatu inſtructi,inſigne ſpectaculum
populo prębuerũt,de hoſtib. magnificè triũphauit.

SVPPLEMENTI
LIBER VI.

INTEREA Triuultius ad oppu-
gnandam Brixiam profectus, quũ
perſpecto urbis ſitu,notatiſq; ho
ſtium munitionibus, ad templum
Euphemiæ uirginis caſtra poſuiſ-
ſet, aduocatis in conſilium Venetis
ducibus,qui ſua & Liuiani cogitata in medium ad-
ducerent,duplicem expugnandæ urbis rationẽ re-
periebat. Vna erat, qua conſtitutis aggeribus, foſ-
ſisq; perductis ad ſecuritatem oppugnantiũ, tor-
menta ſubueherentur,murumq; opportuno ac de-
biliore in loco,maioribus tormentis ad regulã col-
locatis,ita diuerberarent,ut foſsis murorum ſtrage
ruinaq; completis, ad ſubeundum facilis aſcenſus,
& latior ad irrumpẽdum aditus armatis ordinibus
præberetur. Altera erat in celeritate poſita, qua ex
improuiſo pluribus ſimul in unum locum prolatis
directisq; tormẽtis, prius murum crebris ictibus
quaſſatum aperirent, tumultuarioq; prælio depul-
ſis defenſoribus, urbem ingrederentur, quam ho-
ſtes imparati ac feſtinantes extruere aggerem, op-
portunúmue conſilium in repentino negocio cape
re & propugnare poſſent. Huius ſententiæ erat au-
thor Petrus Longenas equitum præfectus,uir acer
& fiduciæ plenus,cuius conſilium plerique ſeque-
bãtur, qui longam ac laborioſam oppugnationem
æquis animis expectare non poterant. Hanc Tri-
uultius dux uetus ab longo rerum uſu grauiq; in-
genio cæteris prudentior, laudata priore nõ proba
bat,ut qui ullam uictoriæ partem,quam tuta uel re
cta belli gerẽdi ratio promittere poſſet, ab audacia
uel caſibus minimè ſperandã arbitraretur. Sed quũ
Longenas propter ſummã locorũ ac mœnium no-
titiam,quòd Brixianus ciuis erat, æquioribus mili
tum auribus audireẽ, omnes ferè in eius ſententiam
conceſſerunt. Iactabat enim ab ea parte,qua Garzet
ta fluuiolus urbẽ egreditur, nullius propè negocij
futuram oppugnationẽ, ſi à neglectæ cuſtodię loco
nihil tale uerẽtes hoſtes adorirenẽ. Itaq; milites fal

ſis adducti perſuaſionibus, quòd plerunq; ante peri
culum ſuas atq; alienas uires iniquè æſtimãt, & de-
ſtinata conſilijs ſecundo curſu ſibi ſucceſſura facilè
credunt, prolato apparatu, antequam dilucеſceret,
magna ui oppugnare cœperunt, uel ob id ardẽtius,
quòd loci felicitate impulſi, ab eodẽ exeuntis Gar-
zettæ oſtio, quũ Galli fruſtra obſiſterent, Gritto &
Auogario ducibus, in urbem irrupiſſe meminerint.
Tanta uerò murorum ſtrages edita eſt, ut parefacto
aditu per ruinas tranſcenſuri uiderentur. Sed cõtrà
ab Hiſpanis atq; Germanis, qui ſumma promptitu
dine quod agendũ foret ſibi opportunè, diuiſis in-
ter ſe muneribus, præſcribebant, cuncta ea quæ Ve
neti quàm celerrimè perfici poſſe crediderunt, dili-
gentiore induſtria tardabantur. Enimuero ne deeſ-
ſent, qui uno tempore & aggerem cõportarent, &
mœnium hiatus obſtruerent, ac ſimul in perpetua
ſtatione conſiſtendo è muris propugnarẽt, per mu
tuas cohortes ſibi inuicẽ alternis horis ſuccedebãt.
Vbi autẽ ſubitario munitionis genere, ſatis abundè
periculis prouiſum fuit, ab Nazariana porta, quę la
tus oppugnantiũ ab inferiore parte reſpiciebat, ad-
monitu Annibalis Lanę Brixiani colubrina directa
eſt, qua, tametſi quo minus certis ictibus in hoſtes
emitteretur, craſsior nebula ſuperfuſa terris, ut hy-
berno matutinoq; tempore accidit, proſpectũ impe
diebat, ad primum tamen ictum, uel æſtimatis con
iectura mœnium ſpacijs, uel ipſo caſu, qui bellicis in
rebus ratione efficacior exiſtimatur, tres ſimul tor-
mentorum libratores interfecit. Vnde mox diſplo
ſis uno tempore omnibus ſclopetis cæteriſq; tor-
mẽtis, in eas cohortes quæ ad foſſæ marginem ſub
ſignis temerè progreſſæ fuerant, occiſis amplius tre
centis militibus, tantum terroré cum inſigni clade
cæteris intulerunt, ut Malateſta Baleonus, & Ioan-
nes Conradus Vrſinus, qui ante alios Longenæ au
ſpicijs primas irrumpendi partes depoposcerant, B
deſerere trepida fuga omnem apparatum, celerri-
moq; regreſſu ſuos recipere cogerentur. Quo caſu
Hiſpani atq; Germani è muro ſtragem fugamq; ho
ſtium conſpicati, quin eruptione facta perturbatos
inuaderent, minimè dubitarunt. Neq; Hicardus in-
fidias ueritus, neq; Rudolphus Hala Germanorum
dux, qui maioribus portarum ſpacijs aggere obſtru
ctis, anguſtiſsima portula nequaquã erumpendum
eſſe iudicabant, reprimere ardorẽ militum potuere.
Ita duce Morellione ſcutis gladijsq; cõtenti quum
euolaſſent, aliquot interfectis & captis, occupatisq;
omnibus tormentis, uniuerſos in fugam cõiecerũt:
maioreq; incõmodo ac metu hoſtes affeciſſent, niſi
Triuultius, quem falſus rumor ab extrema caſtrorũ
parte ad propinquã ſpem capiendæ urbis euocaue
rat, oppoſitis equitibus eorum impetum retardaſ-
ſet. Hiſpani ſiquidem tormentorum ſuorũ, quæ in
muro conſtituta fuerant, præſidio confiſi: ob id ali-
quanto audacius perterritos inſequebantur: quòd
ſi hoſtis fortè urgeret, tutum receptum ſibi dari in-
telligebant. In eo tumultu Hiſpani, ne quæ ipſi du-
dum ceperant, acriore hoſtis impetu reciperentur,
omnem tormentarij puluеris copiam ſuccenderũt:
excuſſereq; curribus maiora tormenta, defractis eo
rum rotis atq; axibus, ne reduci poſſent: minora ue
rò humeris impulſa in foſſam præcipitarũt, & ſe ad
unum incolumes in urbẽ receperunt. Reliquo autẽ
diei tempore, quæ intacta remanſerant, è muro di-
rectis colubrinis ita oppugnata ſunt, ut aliqua per-
cuſſo metallo frangerenẽ, alia diſruptis curribus in-
utilia redderentur. Ea die Marcus Calaber equitum
præfectus, quum in ipſo oppugnationis ardore in-
cautius in muro uerſaretur, tormẽto ictus interijt.
Nocte uerò quæ ſecuta eſt, Veneti per denſiores te
nebras extinctis ignibus, ad tormenta ſilenti gradu
redierunt, tredecimq; ex minoribus nullo accepto
incommodo reduxerunt, quòd hoſtes ſulphureum A
puluerem, cuius penuria maximè premebantur, in-
certis ictibus minimè ſibi abſumendum eſſe iudica-
bant. Maiora autem tormẽta numero decem, & ex
his unum elegantis ac mirę magnitudinis, quod Li
uiani Cometes appellabatur, obſeſsi poſtera die du
ctarijs funibus per trocleas, ergatarũ artificio, è foſ-
ſis in ſumma mœnia ſuſtulerunt. Triuultius, poſt id
detrimentum paucorum temeritate acceptũ, è con
ſpectu hoſtium recedendum ratus, ut aliquo tem-
poris ſpacio inſtaurato apparatu recreatisq; militi-
bus, rurſus ad oppugnandum reuerteretur, ad ter-
tium ab urbe lapidem copias reduxit: ac ſimul Ve-
neti, ne irrito incepto abſcederent, ab rege auxilia
poſtularunt. Miſſuſq; extemplò Brixiam Baſtardus
Sabaudius, Caroli Allobrogum principis patruus,
qui tum cognatione & gratia regis pollẽs potẽsq;,
magnam apud Gallos authoritatem obtinebat. Ę-
rant cum eo ſupra tria milia equitũ, & ſex milia pe-
ditum Germanorum. Sed quum ſuperato Abdua
ad Balneolum oppidum peruenиſſent, Germani cõ-
ſpiratione facta, recuſare militiam, atque obſtinatè
ſubſiſtere cœperunt, quòd aduerſus Cæſarem & cõ
ſanguineos ſuos minimè ſe profecturos dicerent,
quibus neq; bellum neq; iniurias inferre ueteris ſa
cramenti religione tenerentur. Cæterùm quæ iam
captá eſſent ſe tuturos, & aduerſus quaſcunq; gen
tes, ſi bellum ultrò Gallis inferatur, promptiſsimà
in propulſanda iniuria operam præſtituros. Ea res
Venetorum animos uehementiſsimè permouit,
quòd Franciſcus parum ſyncero conſilio eius gene
ris auxilia tranſmiſiſſet, quæ ambiguę fidei uiderẽ
tur, quum nullis præmijs uel obteſtationibus flecti
poſſent, quin in propoſito detrectandæ militiæ per
ſeuerarent: ac ſimul omnibus maleficijs tanquã in
hoſtico forent, regionem diuturno bello exhauſtã
prædarentur. Quibus de cauſis Franciſcus, ut apud
Venetos omni fraudis uel commutatæ uoluntatis B
ſuſpicione uacaret, fidemq; ſuam erga ſocios inuio-
labilem eſſe teſtaretur, reuocatis Germanis, Nauar-
rum cum decẽ Vaſconum cohortibus Brixiã tranſ-
miſit. Is enim ſicuti curato uulnere conualuerat, ita
maximè ante alios, propter ueterem ac recentẽ glo
riam mirabili operum artificio, oppugnandiq; ſcię-
tia apud Mediolanum cõparatam, à Venetis peteba
tur. Erant enim qui inexpugnabilem arcem, eius ui
ri artibus omnino ceſſuram fuiſſe exiſtimarent. Na
uarrus adulta iá hyeme Mediolano profectus, quũ
Venetis caſtris iam appropinquaret, in hoſtium e-
quites incidit, qui per cauſam prædandi omnẽ eam
regionẽ repentinis excurſionibus infeſtabãt: uixq;
ut erat paucis familiaribus comitatus, in eo pericu-
lo amiſsis impedimentis atque omni caſtrenſi ſu-
pellectile, equi uelocitate eorum manus effugit. In-
terea Franciſcus quum Heluetios uindictæ auidos,
quos fremere, & bellum Italiæ minitari intellige-
bat, ullis uel ampliſsimis etiam conditionibus pa-
care non poſſet, ac ſubinde Ferdinandus & Cæſar
impulſis Heluetijs, & Henrico Britanniæ rege ſol-
licitato, coniurare inter ſe & renouare belli conſi-
lia nunciarentur, ut imminentibus malis occurre-
ret, colloquium ab Leone pontifice poſtulauit, ra-
tus ſe eo cõgreſſu arctioribus fœderis uinculis eum
ſibi obſtricturum, ſuſpicacesque regum animos,
iniecta abditi conſilij ſuſpicione turbaturum, quòd
Heluetij ac ſocij reges, qui Leonem iniuriæ memo
rem, uetere partium ſtudio minimè commutato,
ſeruire temporibus magis quàm cum Gallis ex a-
nimo conſentire putabant, magnam ſpem in eius
pecunia atque authoritate ad conficiendas res ma-
ximas collocare uiderentur. Et Franciſcus religio-
ne etiam permotus, ad gloriam quoque pertinere
arbitrabatur, ſi pontificem & ſacrum cardinalium
ſenatum inuiſeret, ſimul ſe ipſum, qui tantus in a-
cie fuiſſet, totáque regulos ac duces ad ſplendorem
Gallicæ

Gallicæ amplitudinis ulterioribus populis oſtenta
ret, Leo tametſi complures principum legati, & in
primis Cardonius, qui ad eum uenerat, ne cum Gal
lo colloqui uellet obnixè precarentur, multis tamẽ
de cauſis minimè ſibi reſpuendam conditionẽ eſſe
exiſtimauit. Ira maximo illuſtrium ſacerdotum co
mitatu Florentiam profectus eſt, ubi totius Hetru
riæ concurſu, magna atq; incredibili hilaritate, Flo
rentini, ut tantum ciuem pontificemq; debebant,
exquiſitiſsimis honoribus exceperunt. Inde tranſ
greſſus Apenninum, quòd Hetruriam Gallis aperi
re nolebat, gelidiſsimo anni tempore Bononiã per
uenit. Nec multo pòſt Robertus Vrſinus Rheginus,
& Pompeius Columna Reatinus nobiliſsimi anti
ſtites, qui Franciſco Parma digreſſo occurrerent,
eumq; deducerẽt, tranſmiſi: quo tempore Tramu
lius quoq; & Lotrechius procerũ clariſsimi ad pon
tificem iuſſu regis peruenerunt. Poſtero die Franci
ſcus cum ſex milibus equitum, comitante cardina
lium ſenatu urbem ingreſſus, pontificem in præto
rijs ædibus ſella ſedentem, exoſculatis de more pe
dibus, adorauit. Neq; pontifex eum regem, qui pri
ſco cognomine Chriſtianiſsimus diceretur, ad pe
des procumbere paſſus eſt: nam uenerabundũ de
xtra motuq; corporis alleuauit, deductumq; in ſe
cretiorum ædium partẽ humaniſsimè complexus
eſt. Erat Franciſcus procera corporis ſtatura, colore
lacteo, uiuacibus oculis, ſerena prorſus ac regia fa
cie, omniũ qui adeſſent eius ætatis formoſiſsimus.
Idq; illi in primis incomparabilem gratiam adde
bat, quòd nemo uel ſeuerus in eo ferè imberbi gra
uitatem regijs moribus neceſſariã deſideraret, quũ
uerſicolore ac interciſa ueſte, pileoq; diffluentibus
pennis redimito, ac licentiore ſermone apud ſuos
palàm uteretur: omnesq; tamen in caſtrenſi comi
tate regiam dignitatem agnoſcerent. Leo ſequenti
die Petroniano in templo, rege altaribus miniſtran
te, ſacra celebrauit, ac mox quum aliquot dies ſecre
tioribus colloquijs impendiſſet, conſtitutis inter ſe
belli & pacis conditionibus, quas memorię prode
re neceſſarium non putamus: Hadrianum Arcturi
Boyſsiuij fratrem purpureo galero decorauit. Erat
Boyſsiuius regis nutricius, atq; omnium conſilio
rũ moderator, cuius impulſu Franciſcus colloquiũ
appetiſſe dicebatur. Regi quoq; conceſſum eſt, ut
citeriore ac ulteriore in Gallia ſacerdotiorum reddi
tus binis exactionibus decumaret, & cõtrà permit
tente rege pragmatici iuris prærogatiua tolleretur:
qua (ut ſuo loco memorauimus) ſacerdotia, tota
Gallia, collegiorum arbitrio adiudicari conſueue
runt. Pontifex quoq; in gratiam obnixè petentis
regis, Georgium Sopraſaxum, magnæ apud Helue
tios authoritatis, carcere emiſit. Is domi Gallicæ fa
ctionis princeps extiterat: & propter acerbiſsimas
ſimultates, quas cum Sedunenſe cardinale exercue
rat, in mole Hadriani, teterrimo in carcere ſeruaba
tur. Precibus item pontificis, Franciſcus Proſpero
Columnæ libertatem ſe daturum pollicitus eſt: re
miſſurumq; ei, ut poſtea factum eſt, tertiam impoſi
tæ pecuniæ partem, quum Proſper acerbitate du
cum, in quorum poteſtatẽ deuenerat, triginta ſeptẽ
milibus aureis nummis ſe redimere cogeretur. His
rebus ſex dierum ſpacio conſtitutis, Franciſcus Bo
nonia profectus Mediolanũ peruenit, donauitq; põ
tifex abeuntẽ aurea cruce preciоſiſsimis gemmis
exornata, qua fruſtulum Chriſtianæ crucis include
batur. Ipſe non multo pòſt, quum per aliquot dies
Carneualibus ludis, perſonatus choreis & matro
narum amoribus indulſiſſet, & crebris ſubinde ru
moribus afferretur Heluetios ac Cæſarẽ Ferdinan
do & Henrico obnixè iuuantibus, conſentire in u
num, atq; arma parare, magnis itineribus in Galliã
cõtendit. Iiſdẽ fermè diebus Triuultius atq; Nauar
rus ad Brixiam ampliore adducto exercitu, atq; om
nibus rebus ad oppugnandũ cõparatis, ab ea parte
conſederũt, qua Paulum Baleonũ Obignino inclu
ſo, urbẽ oppugnaſſe memorauim⁹: perpetuisq; mu
nitionibus circunductis, trina templa, Apollinaris,
Floriani & Saluatoris, latiore ſpacio cõplexi, caſtra
muniuerũt. Neq; per plures dies diurni uel noctur
ni laboris quicq; intermiſſum eſt ad perducendas
foſſas, extruendoſq; aggeres, quibus tormenta ad
uerſus hoſtiũ iniurias tegerenẽ. Nec multo pòſt, nul
lo propè uulnere accepto, tota ea murorũ pars, quæ
ab imis mõtis radicibus ad arcẽ pertinebat, magna
ui tormentorũ pinnis propugnaculisq; nudata eſt:
actiq; ſubinde cuniculi uarijs in locis, quibus intro
miſſo puluere fundamenta murorũ euerterent, uel
ſubterfoſſis mœnibus per occultiſsimos ſpecus in
priuata urbis ædificia penetrarent: actaq; inde ſenſim
coacta militum manu, urbẽ inopinãtibus hoſtibus
occuparent. Sed Triuultius diuerſa ac nota omnib.
ratione mœnium partẽ ad longitudinẽ pedum du
centorum, ſuccifis radicibus, longa tibicinum ſerie
fulcire, ſuppoſitiſq; ignibus, excindere ſingulari ſtu
dio cõtendebat. Foſſores enim perpetua cõcamera
tione amplioris cuniculi, qui ad mœnium longitu
dinem ſecundum fundamenta proferebat, dum o
pus perficerent, occultabant. Ii murum paulò ſupra
radices malleis ſuctibus que perfringebant, ſubtra
ctiſque ſenſim lapidibus, tigna bipedalia, craſsitu
dine humani cruris modico pariq; interuallo in
ter ſe abiuncta ſupponebant: atque ita continua
to opere, totus murus perpetuis tignorum ordini
bus innixus ſuſpendebatur. Ea mox interualla, a
diis uirgultis ad concipiendam flammã pice atq; o
leo præparatis, tormentario q; puluere cõſperſis im
plebant, quibus poſtea ad ducis ſignum uno tem
poris momento ſuccenſis, quum eodem igne tibici
nes ac tigna ſuppoſita conſumerenẽ, neceſſariò eæ
mœnium partes repentina atq; ingenti ruina cor
ruerent. Hæc quũ ſingulari ducum ſolertia atq; in
credibili ſtudio ac labore militũ pararenẽ, per uigin
ti octo dies Gallica, Venetaq; tormẽta nunquã ceſ
ſarunt, magna introrſus murorũ uaſtitas facta, ma
gnus timor hoſtibus iniectus, multiq; milites utrin
que occiſi: & inter alios Annibal Lana, qui tutiſsi
ma in parte mœniũ reſilientis pilę ictu percuſſus oc
cubuit. Interim milites quotidiana conſuetudine
inter ſe colloquebanẽ, quòd primæ caſtrorũ muni
tiones adeò mœnibus ſubiectæ erant, ut telũ è muro
facilè in eas adigi poſſe uiderẽt. Galli enim ac Ve
neti obſeſsis famẽ omniumq; rerũ inopiam, atq; o
mnis auxilij deſperationẽ obiectabãt, ac mortẽ aut
uincula cõminabantur, quòd eos, ſi per cõditiones
deditionẽ facere uellent, minimè ſe recepturos eſ
ſe iureiurando cõfirmaſſent. E cõtrario Hiſpani Ve
netis ignauiam exprobrabant, quũ ſe iterum omnẽ
eorum apparatũ adempturos eruptione facta denũ
ciarent: magnopere uerò ſe Gallorum uicẽ dolere
dicebant, quòd eo anni tẽpore, qui in tepentibus &
bene cultis Inſubrũ domibus, pellicea ueſte & lar
gioribus epulis uti conſueuiſſent, niuis ac imbrium
atq; aquilonis iniurias pro aliena cauſa paterentur.
Quum per hunc modum milites facerè contume
lijs inter ſe cõtenderent, Nauarrinus miles, ut lin
guam iactantiamq; Hiſpanorũ, iniecta cuniculi ſuſ
picione reprimeret, Hiſpanicè loquutus: Commi
litones, inquit, qui extremis etiã rebus ueſtris tam
ſecurè iocamini, cauete ne à uobis contumeliarũ ra
tionẽ repoſcamus, quũ Gallina pede ſcalpere ac fo
dere humũ aliquando deſierit. Quæ uerba acuti &
perſpicaces Hiſpani, qui in muro erant, ſanis auri
bus acceperunt, eaq; altius interpretati, Nauarrum
pro Gallina ſpecus cuniculoſq; moliri, quod pecu
liare eius hominis artificium foret, ab ſuę gentis mi
lite per luſum cautè ſibi ſignificari iudicarunt. Nec
mora, ea res pluribus ſimul ſigneris ac centurioni
bus

bus communicatur, ad Hicardumq; concurritur. Il
le qui propter loci mœniumq; naturã atq; eius ho
ſtis ingenium, qui in his artibus maximè inniti con
ſueuiſſet, hæc eadem multũ antea accidere ſibi poſ
ſe cogitarat, per eam urbis partem quæ proxima ca
ſtris & ſubiecta periculo uideretur, diligentiſsimos
homines circummittit, qui cuncta explorent, priua
tas domos, templa, cœnobia ingrediantur, ſcientiſ
ſimeq; perquirant, an aliqua cuniculorum ueſtigia
reperiri poſsint. In id quum omnium militum ani
mi ſummo ſtudio intenti eſſent, alij paſsim omni
bus ſilentibus ſtrati, ut terræ motum notarent, au
rem ſolo applicabãt: alij rympana militaria ſolo de
poſita, ſi concuſsis leuiter membranis, uel tenuiſsi
mè perſonarent, cõtemplabantur: alij capaciſsimas
pelues, uaſaq; ænea omnis generis aqua repleta, ſi
tremulis motibus agitarẽtur, intentiſsima cura om
nibus locis obſeruabant: quibus argumentis ſub
terranei operis motiones neceſſariò deprehendere
tur. Nec multo pòſt certo in loco animaduerſum eſt
terræ ſuperficiem manifeſtè commoueri. Quamob
rem ſingulari omnium lætitia contrarium illi cuni
culum inſtituerunt. Erant multi in urbe milites ho
rum operum peritiſsimi, qui artẽ ſuperioribus tem
poribus præceptore Nauarro didicerant, pluresque
Germani, quibus omne genus cuniculorum notiſ
ſimum erat, propter argentarias ſecturas, quę apud
eos ad Hercyniæ regionem ſunt frequentes. Ex his
nonnulli etiam inter Gallorum præſidia Bononiæ
fuerant, & ſe Nauarri artibus contrarijs cuniculis fe
liciter occurriſſe meminerant. Quibus de cauſis cõ
tinuato labore, ac pluribus ſimul perductis cunicu
lis, facilè per obliquos meatus ad hoſtiũ opera per
uenerunt. Quo caſu læti milites ab opere deſiſtũt,
relictiſq; in extrema cuniculi parte paruis foramI
nibus quibus intro ſpicere poſſent, ſilẽtio ad duces
reuertũtur. Diſputatur in conſilio, an ſulphurei pul
ueris cados, qui in eum locum ab hoſte conferebantur, ex occaſione diſceſſus eorũ ſubtrahere ſurtim,
aſportareq; deberẽt, quòd magnam eius rei inopiã
diu antea ſentire cœpiſſent: an opperiri tempus pręſtaret, horasq; captare, quibus Triuultius atq; Nauarrus gratia inſpiciendi operis in eum cuniculum
ſe demittere conſueuiſſent, ut illos iniectis ex improuiſo igniuomis globis, miſerabili morte concremarent. Sed dij immortales, qui ut prędi tos inſigni
uirtute homines diutius ſeruent, plerunq; imminẽtis Fortunæ impetum benignitate præuertunt (ut
ſæpe antea fecerant) illos ea quoq; die protexerũt.
Nam miles, qui ſubeuntes expectare debebat, cuique perficiendi negocij cura fuerat demandata, quũ
aliquos & in his cuniculi magiſtrum cultiore ac ſerica ueſte indutũ uerſari in cuniculo per ambiguas
tenebras cõſpexiſſet, ut qui ſe deſtinatos duces ene
caturum exiſtimabat, moræ impatiens, iudicio que
deceptus, ambuſtis aliquot hominibus totam adin
uenti cuniculi rationem hoſtibus patefecit. Neq; tamen Triuultius atq; Nauarrus, tametſi multorũ die
rum labor puncto temporis interijſſet, quicquã ex
alijs operibus remittendũ ſibi eſſe iudicarũt, quòd
obſeſſos, neceſſarijs rebus magna ex parte conſumptis, ſublata ſpe ſtipendiorũ, auxilijs deſperatis, extremas rerum difficultates non eſſe toleraturos intelligebant. Iam enim Hiſpani atq; Germani quum
in celeritate, uel diligẽtia Cæſaris nullam ſpem collocarent, quòd eum incertis tardioribus q; conſilijs
momenta Italici belli reſpecturũ arbitrarentur, ſtipendium procacius atq; arrogantius, q̃ in obſidione deceret, efflagitare, miſeros ciues uiolatis hoſpitij iuribus prædę loco habere, ducibus atrocia cominari, Cæſaremq; maledictis & probris inceſſere
cœperant. Quinetiam quũ Gurcenſis Cardinalis ad
ſuſtentandam eorum ſpem, uentura ad certã diẽ auxilia pluribus literis ſignificaſſet, neq; ea poſtmodũ
comparuiſſent, morionẽ aſello impoſitũ imperatorijs inſignibus atq; aquilis exornatũ, lagenas collo
ſuſpenſas deferentẽ, per urbem deduxerunt, & pro
Cæſare, ueluti ipſis auxilio ſuperueniſſet, temulentius q̃ quiſquã crederet, fœdis acclamationibus ſalutarunt. Neq; abditi duces ac plurimùm de ſalute
ſolliciti, dereſtabilem ac nefandam eorum perfidiam authoritate caſtigare, uel ulciſci ſuprema imperij poteſtate, ne ſeditionem miſcerẽt, audebant. Iiſdem fermè temporibus, Cæſar in Vindelicia redierat: imperatisq; militibus, qui Brixianis auxilio mitterentur, ad quindecim cohortes armauerat: maiusq;
bellum, ad uictoriam Gallorum excitatus, ingenti
animo moliebatur. Superiore enim æſtate quũ Franciſcus tantis coactis exercitibus aduerſus Heluetios bellum pararet: ipſe, ueluti neglectis Italię rebus
Viennam in Pannoniæ fines abſceſſerat, ut cũ duobus Septentrionis regibus colloqueretur. Conuenere enim Vladiſlaus Hungariæ, & Sigiſmundus
Poloniæ reges, atq; ipſe Cæſar in patentibus campis, nemoq; fuit paulò notioris nominis Sarmata,
nemo illuſtris Pannonius, nemo è tota Germania,
qui toga uel armis clarus eſſet, quin regem ſuũ cum
ornatiore turma equitum minimè fuerit comitatus. Aderãt Thomas Strigonienſis, & Longus Gurcenſis Cardinales, aderant Danorũ & Gothorũ regis legati, Bohemorũ & Marcomannorũ Senatus,
& totius deniq; Europæ principũ oratores. Multa
eo concilio, quæ ad rerum quietẽ pertinere uidebãtur, pertractata, actumq; in primis de Moſcouitis,
qui infeſti Lithuanis, etiam tum Smolenchũ ui captum retinebant: quibus Cæſar propter affinitatis neceſsitudinẽ, quæ ſibi cum Baſilio eorum rege intercedebat, fauere uidebatur: magnoq; omniũ ſtudio deliberatũ eſt de auertendis Turcarum incurſionibus, quibus finitimæ Illyrici & Pannoniæ regiones enaſtabantur. Viſaq; eſt, ſed non capta ipſa rerũ
occaſio gerẽdis bellis efficaciſsima, quũ Selymum
aduerſus Aladolum regem cum omnibus copijs in
minorem Armeniam profectũ eſſe cognouiſſent.
Pacem ſubinde ac fœdera inter ſe percuſſa, arctiſsimis cognationibus additis, obſtrinxerant. Nam Cæſar Ludouico Vladiſlai filio, Mariam neptẽ ſuã Phi
lippo filio genitã, collocauit. Carolum uerò, aut certè Ferdinandum alterum ex nepotibus, Ludouici
ſororẽ, quũ nubilis foret in matrimoniũ ducturum
recepit. Bona quoq; Ioannis Galeacij Sforiæ filia,
cuius amitam ipſe Cæſar antea duxiſſet, Sigiſmundo regi deſponſata. Secretiora deniq; de maximis
rebus inita fuere conſilia, quæ ſicuti ipſo rerũ exitu
nihil memoria dignum pepererunt, ita ea nos literarum monumentis minimè tradenda eſſe cenſuiſſemus. Sed dum cohortes in Vindelicia, cõmeatus,
pecuniæq; parantur, qui Brixię præſidio erãt, quòd
minore iam cura abſentis occupatiq; Cęſaris, & difficultate alpinorum itinerum anguſtiora ſibi in dies
futura omnia exiſtimabant, de deditione cum hoſtibus agitare cœperunt. Erant ij nonnulli ante alios
ſigniferi ac centuriones, qui ſpe amplioris pecuniæ,
quæ à Venetis offerebat, & tædio diuturnę obſidionis adducti manipulares ſuos deprauarant, ac tunc
maximè ut ſe dederent, & laboris præmia, quæ certius ab hoſte, quàm à Cæſare promererentur, accipere maturarẽt, habitis per cõtubernia conciliabulis adhortabantur. Neq; gregarij mercenarijq; milites, qui parum decori ac gloriæ, quæſtui uerò pluri
mũ ſtudent, tametſi paulo antè iactarãt ſe nõ prius
de deditione cogitaturos, quàm omnes obſidionis
acerbitates pertuliſſent, uoluntati centurionũ ſuorum defuerunt: publico nanq; conſilio decretũ eſt,
ut legati ad Triuultium de deditione mitterentur.
Poſtulabant ut uiginti dierum induciæ forent, intra quod tempus, ſi auxilia à Cæſare minimè mitterentur, urbẽ dederent. Trimeſtre uerò ſtipendium
ſingu-

singulis præsidiarijs militibus ab hoste persolueretur, quibus liceret, quum urbe decederent, uexillà præferre: tuba ac tympanis more militari uti atque omnem bellici apparatus supellectilem asportare. Neque Triuultius eas conditiones, tametsi infalius quàm pro dignitate duorum exercituum foret, ab obsessis proponerentur, respuendas esse iudicauit, quòd parari auxilia in Germaniæ finibus per Venetos exploratores audiebat, & satis ad laudem profectum arbitrabatur, si eos hostes, & in primis Hispanos, qui pro laude ac gloria in perferendis belli difficultatibus patientissimi existimari uolebant, ad extremum intempestiua ac celeri rerum desperatione compulsos, ad deditionem perduxisse diceretur. Sed uix dum Bonaualles Gallorum equitum præfectus ad tractandas deditionis conditiones à Triuultio ad Hicardum missus, re perfecta tabulisque confectis ab urbe in castra redierat, quũ frequentibus nuncijs allatum est Cæsarianos Rheticis culminibus digressos aduentare, eosq; biduo pòst cum armentis, commeatu, ualidisque auxilijs affuturos. Quibus cognitis Triuultius, ne repentino Germanorum aduentu, ac simul uno tempore subita Brixianorum eruptione aliquod incommodum ancipiti contentione distractus acciperet, castra contraxit: admonitisque præfectis atque omni ordinum centurionibus, ut paratos ac intentos milites continerent, tormenta, quæ sub muro erant, reduci ad Euphemię uicum, atque id ociosè admodũ & quietè administrari iussit, ne cõcursatione & frequentia militum, callidus & arrectus hostis in aliquam uel noui consilij uel concepti timoris suspicionem adduceretur. Hispani tamen è muro, quòd tormenta reducerentur, admirati, quum nullum interea per pactionem telum utrinque mitteretur, eius consilij causam à Venetis Gallisque requirebãt, & crebrò num timerẽt, uel acceptæ fidei inducijs q; diffiderent, notos quosque appellando sciscitabantur. Contrà illi, quòd multorum dierum inducias concessissent, & clausis niue geluque alpibus, nulla eis ab Cæsare uentura auxilia manifestè perspicerent, ueluti perfecto negocio, instrumentum omne bellicum se colligere respondebant. Interea Guilielmus Rochandulphus multis militiæ experimentis apud Germanos clarus, cum Ludouico Lodronio, qui propter multas Alpinarum gentium clientelas, atq; opportuna castella quæ in Tridentinis obtinebat, montium locorumque omnium naturã, & inusitata quęque itinera apprimè nouerat, per niuosos atque abruptissimos tramites cum auxilijs Ansũm peruenit. Id erat castellum trigesimo ab urbe miliari petræ impositum, ubi coëuntes inter se montes, asperum conuallem, insuperabiles que angustias faciebant, quod Vrsattus Priulus Patricius Venetus cum mediocri præsidio tuebatur. Is tanta, ut belli insolens erat, Germanorum multitudine perterritus, quum illi horrendo ac truci ululatu, nisi portæ statim aperirentur, omnia mox uictis extrema supplicia denunciarent, repugnante Tonsio Bagnacaballo forti centurione, arcem continuò dedidit: unde illi non multo pòst exitium partũ. Nam qui infami metu territus uitæ pepercisse uidebatur, timoris ac ignauiæ reus, Veneto in foro capite mulctatus est. Rochãdulphus castello atq; angustijs celeriter potitus, inde mouit: nihilque intermisso itinere, prius signa ac copias è proximis collibus ostendit, quàm Brixiani quicquam de eius aduentu nuncijs uel fama compertum habere potuerint: quòd tanta diligentia Veneti itinera locaque omnia dispositis præsidijs obseruabant, ut qui mandata uel literas deferrent, sine manifesto uitæ periculo cõmeare non possent. Montani quoque homines qui pertinaci fide Venetum nomen omni tempore coluerunt, neminem impunè transire patiebantur, eoque bello supra quadraginta notos speculatores, qui è Brixia Veronam, uel è Germania in eas urbes mittebantur, deprehensos necatosque arboribus passim nulla interposita dubitatione suspenderant. Quæ res insperatum repentinumque Rochandulphi aduentum fecit, & manifestam hostium tormẽtis saluté attulit. Rochandulphus quòd plures boues, & aliquãtum pecuniæ in stipendiũ, magnamq; sulphurei puluris copiam, & septem milia peditũ adduxerat, summa omnium gratulatione exceptus est, quanquam multi tacitè aduentum eius molestè ferrẽt, quòd sublata deditionis occasione, certa spe præmiorum quæ ab hoste proponebantur, manifestè decidissent. Erãt plures, quum aduocato statim concilio, sententiæ de belli ratione dicerentur, qui cibo ac modico somno recreatis militibus, eadẽ nocte eruumpendum, atque ad oppugnanda castra hostium contendendum esse censerent. Id Hicardus ipse & Rodulphus, Halà ac Vbertus Gambara uetęresque milites probabant, qui celeri audacia, factoque uirtutis periculo deleri imparatos hostes, & bellum facilè confici posse iudicabant. Triuultius enim paulo antè cognito Germanorum aduentu, ut equitatum, quem magno usui minimè sibi futurum asperis precisisque in locis intelligebat, in patentiores campos educeret, ad Ghedas ita se recepe rat, ut eum ueluti loci distantiæ confisum, & à fesso ac fatigato hoste ea maximè nocte nihil tale uerentem oppressuri nocturno impetu uiderentur. Sed Rochandulphus, quum iniussu Cæsaris dubij atq; audacis consilij fortunam, quæ, ut bellici ferunt casus, uel mediocri etiam clade illata resurgentes partium uires, & maiora iam Cæsaris consilia perturbare & euertere possent, se tentaturum negaret, prolatisque Cæsaris mandatis quibus ille præscripserat, ut Brixia metu liberata contentus foret, omnes eius cõsilij cogitationes interrupit. Nec multo pòst quum duriores de se rumores audiret, quòd multitudine suorum militum aliquantum plus famis, q̃ pecuniæ uel commeatus intulisse diceretur, ad parandam pecuniam, qua militi stipendia soluerẽtur, duabus cohortibus in præsidij supplementum Brixiæ relictis, in Germaniam reuersus est. Iam enim Germani ęquè ac Hispani, impellente uel conniuẽte Hala, qui uetere odio atq; æmulatione Rochandulpho tacitè infensus, omnẽ eius authoritatẽ militari petulantia cõminui ac lacerari magnoperè cupiebat, fremere cœperãt. Mox glisc ẽte insania, quũ deterrimus quisque seditionis faces accenderet, quod summotis hostium castris erumpendi prædandique, ut quotidiana exercitatione consueuerant, facultatem amisissent, summa procacitate atq; licentia, debitas sibi pecunias ab ducibus efflagitare cœperunt, atque in Hicardum, qui ut tumultuantes authoritate pollicitationibusq; sedaret, cõcionẽ aduocarat, inclinatis intentatisque cuspidibus impetum fecerunt. Hicardus, quòd unicum sedandæ seditionis remedium relinquebatur, pecuniam miseris ciuibus imperauit: eamque per omnes modos acerbissimè extortã militibus diuisit, ut alienatos ab se animos aliquo donatiuo deliniret. Quę res Vberto Gambaræ in primis cæterisq; Cæsarianæ factionis principibus, qui cogendæ pecuniæ rationẽ inuenerant, magnam conflauit inuidiam: quòd illi, ut bellicis difficultatibus insana quadam ambitione subuenirent, utque in Cæsarem præclarius eorũ studium uideretur, neque priuatis opibus suis, neque calamitosæ ciuitati, euersæque propemodum patriæ pepercissent. Dati subinde militibus obsides, Alexander Balbianus uirtute bellica & natalibus clarus, & Iacobus Tropius, qui in finibus Noricorum, propter amplissimas facultates summam authoritatem obtinebat. Ii pro Cesare atque Hicardo receperunt, promiseruntque, si id minimè præstaretur,

staretur, de suo omnibus stipẽdia persoluturos: Hicardus etiá sacramento adactus iurauit se nõ prius urbe decessurum, quàm ab eo principe in cuius potestate futura esset, siue Cæsar, siue hostis foret, trimestris stipendij pecunia numeraretur. At Rochandulphus quum in Germaniam ad Cæsarẽ peruenisset, expositis Brixiani præsidij difficultatibus, pecunias ut promiserat, quanta maximè poterat celeritate coëgit, eũdemq; Lodronium, qui deferret, cum quinq; cohortibus misit: sed Lodronius nõ eadem itineris felicitate usus est: nam Veneti cognita eius profectione, Ioannem Conradũ Vrsinum cum ualida manu peditum, qui Germanis occurreret, ad angustias præmisẽrũt. Iam Germani ad Ansum peruenerant, quum Vrsinus qui eos longius abesse putauerat, eodem ut in pago consisteret, atq; eas angustias tueretur, multa nocte superuenit. Re inopinata uehementer animo perturbatus, quòd se in eum locum inexplorato demisisset, unde cohortes sine detrimento uel infamia se recipere nequirent, quũ se omnibus partibus inferiorem, si lucem opperiretur, futurum intelligeret, noctem, quam casus obtulerat, ad consilium uertit, adortusq; semisopitã multitudinem, priusquam arma capere, uel coire in ordines possent, cęsa statione uniuersos in fugã dedit. Ioannes Stennius militari uirtute atq; prudẽtia insignis, qui cohortibus præerat, dum pertinacius irruentibus resistit, obtruncatus est. Lodronius in potestatem hostium uiuus deuenit, cæteri fœda in tenebris fuga per salebrosam conuallem ardentibus cassis quas tenuerant, niuosos montes petiuerunt. Desiderati sunt ex Cæsarianis paulò minus trecẽti milites, in queis fuere supra quatuordecim honestiore loco nati, quorum cadauera à cõquisitoribus Tridentum delata sunt. Quæstorem uerò cum ipsa pecunia fugientem, quod unum ad summam Veneti militis felicitatem defuit, nox iusto obscurior, notaq; itinera, & proximę paludis nauigiũ è manibus insequentium eripuerunt. Eodem quoq; tempore Hispanorum cohortes duæ, minimè cognita Conradi atq; hostium profectione, ut tutior ueniẽtibus Germanis accessus redderetur, Ansum Hicardi iussu contendebant. Chinea enim antiqua è specula, quæ Culmea hodie dicitur, Lodronius fumo atque ignibus significatione facta, Brixianos de suo atq; auxiliorum aduentu, ut inter se constituerant, fecerat certiores. Sed Hispani quum iam appropinquarent, ac propè in manibus hostium essent, sorte quadam ab ignaro rudiq; agricola seruati sunt, qui illos similitudine armorum deceptus, ex Nauarrinis esse iudicans, è præcipiti conuallis ripa tarditatem eis per iocũ obiectando illudendoq; quòd prædæ minimè interfuissent, rem uti gesta fuerat explicauit. Quibus cognitis è uestigio, ut necesse erat pleniore passu Brixiam regressi & de periculo suo, & de Germanorum cæde nuncium pertulerunt. Sublata spe Cæsarianæ pecuniæ, quum milites se omnibus necessarijs rebus egere dictitarent, & prolixè pollicerentur, quum stipendium accepissent, se protinus hospitibus ac creditoribus suis præsenti pecunia satisfacturos, noua indies onera exhaustis affectisq; ciuibus imponebantur. Ipsi quoq; Germani ac Hispani equites peditesq; commesti, ut inopiam industria subleuarent, publico & priuato consilio interdiu noctuq; portis erumpebãt, & uicinam hostium castris regionem prædabantur. Contrà Triuultius & Veneti duces, quòd uera ui atque oppugnatione parum profecerãt, obsessos, à quinto ab urbe miliari, fame ac inopia rerum expugnare contendebant. Quibus de causis quotidie pluribus in locis equestri ac pedestri prælio certabatur, noueq; in dies ab utrisq; insidiarum rationes reperiebantur. Paucorũ enim dierum interuallo Mercurius cum Epirotis equitibus, Franciscum Hicardi fratrem, qui alæ præ rat incautè cum paucis in insidias prolapsum intercepit. Ex aduerso Hispani equites ad Balneolũ matutina excursione progressi, Villanouam Gallorum equitum præfectum cum ampliùs triginta equitibus, commisso certamine uictum comprehẽsumq; Brixiam perduxerunt. Nec multo pòst quum Malatesta & Camillus Martinengus, ut redeuntes à frumentatione hostes intercluderẽt, cum ualida equitum manu opportuno ac depresso in loco cõsedissent, ad emissarij pontem acerrimè dimicatum est. Qua pugna pauci Hispani equites leuis armaturæ, qui bucculatis galeis, solidisq; thoracibus & crassioribus hastis, cataphractorum more, uti dicebãt, magnam hostium multitudinem loco pepulerunt, & falsa specie aduentantium Germanorum peditũ perturbatis Venetis, capto Camillo, Malatesta fugato, pluribusq; equitibus interceptis, uictores in urbem redierunt. Paucos autem pòst dies Camillus & Fráciscus Hicardi frater permutatione facta, suis utrinq; restituti, Gallus autem pecunia se redemit. Per eos quoq; dies centum fermè Hispani atq; Germani pedites, qui sine uexillo prædatum exierant, maioris pecoris non paruum numerum, pluresque captiuos Brixiam adducebant, sexcentos amplius hostium equites magna contentione prædam recipere conantes, egregiè sustinuerant. Nam in Garze torrentis, qui tum fortè exaruerat, alueum demissi quum ripis ab lateribus munirentur, & circumpositis scloperarijs promptissimisq; hastatorũ in fronte ac in tergo collocatis prædaq; in mediũ recepta, quiete admodum regrederentur: nemo hostiũ tam fortis uel insanus fuit, ut despecta eorum paucitate accedendo irruendoq; cõserere manus auderet. Ita cũ magna laude Valaistichini ducis, qui author profectionis extiterat tribus horis continenter, circumfusis insequentibus q; hostibus eminus pugnando, ad unum incolumes Brixiam peruenerunt. Iisdem quoq; temporibus, M. Antonius, qui cum præsidio Veronæ præerat, diurnis nocturnisq; excursionibus Venetos fatigabat. Expedito enim equitatu, quum patentes campos percurreret, ac sæpius cum presidio curtulium tormentorum atq; ampliore cohortium turmarumq; numero in speciem iusti exercitus, ex occasione repẽtinas faceret expeditiones, omnem circumiectam regionem impunè populabatur, commeatus, sulphureum puluerem, impedimentaq; rerum castrensium, quę è Venetia supportabantur, intercipiebat. Alieniaci enim arcem per eos dies tormẽtis secundo amne ratibus deuectis, subita oppugnatione adortus, dedentibus sese ad primum uitæ periculũ præsidiarijs, occuparat, ibiq; propter magnam loci opportunitatem Suarem Hispanum cum præsidio reliquerat. Quibus de causis, neq; milites, neq; tabellarij, neq; ullius generis negociatores, nisi furtim, magnoq; cum periculo, commeare audebant. Ob ea Triuultius, ut regionem itineraq; omnia maioribus præsidijs tueretur, Paulũ Manfronum, & Mercurium Epirotam cum magna parte equitatus, cuius operam in oppugnanda Brixia minus necessariã iudicabat, ad Mincij ripas præmiserat. Quorũ aduentu, Veronensium eruptiones aliquantum repressæ, quòd exæquato utrinq; periculo, Antoniani latè excurrere, uel impunè uagari non poterant. Sed dum singulari studio utrinq; insidiæ struerentur, ac uterq; per idoneum locũ, & certam ad nocendum occasionem emissis speculatoribus circũspectaret, M. Antonius consilia conatusq; hostium nocturna expeditione præuenit. Enimuerò quum delectis cohortibus, tormentisq; & ueterano equitatu Verona eductis, confectoq; per noctem itinere, Vallegiũ contendisset, hostes qui tum fortè ad se opprimendum, Mincij pontem transibant, adeptus est. Quo casu Veneti aduentantium peditum uexilla è proximo conspicati, quibus ta-

metſi equitatu longè ſuperiores erant, ſe impares
futuros arbitrabantur,citra pontem ſe recipere cœ-
perunt. Antonius ne dum tardius ſubſequentes co
hortes ſuas expectat, hoſtis è manibus elaberetur,
leuis armaturæ equites qui diſtinerent, & contra-
cto certamine abeuntes demorarentur,celeriter im
miſit: mox ipſe quum Veneti egregiè impetum ſu-
ſtinerent, cum cataphractis inſequutus ſummotos
loco pepulit, & perturbatos ultra amnem refugere
coëgit.Erat in margine ripę pons ſublicius & angu
ſtus & lacer, qui in lateritium maioremq; pontem
tranſmittebat,cuius lateritij extremum caput Gal-
li ingruentibus Heluetijs(ut ſuo loco monſtratum
eſt) fuerant demoliti. Per eum Antoniani quatuor
primò equites inſignis audaciæ, mox alij atque alij
quin peruaderent non dubitarunt: & ad propugna
culum uſq; perterritos toto pontis ſpacio propule-
runt. Obſtitit irruentibus aliquandiu egregiè, Iu-
lius Mãfronus Pauli filius, impiger iuuenis cũ glo-
bo cataphractorum ab oppido in primã aciem trãſ-
greſſus, pugnatumq; eſt acriter medio in ponte cre
ſcentibus utrinq; ſubſidijs. Cæterùm ſuperueniẽte
Antonio, qui approperare pedites, & diſplodere
tormenta ad incutiendũ terrorem centuriones iuſ-
ſerat, Veneti fœda fuga diſiecti,fugatiq; ſunt:Iulius
ſuffoſſo equo captus eſt, & cum eo amplius ducẽti
equites,binaq; alarum ſigna intercepta.In eo certa-
mine Petri Franciſci Columnæ in primis,& Cæſa-
ris Philetini alæ præfecti,Succariq; Belgæ, & Traia
ni Staffę Peruſini, uirtus enituit, qui grauiter in fa-
cie uulnerati diſceſſerunt. Paulus qui per patentes
campos diuerſo itinere ſpeculatum proceſſerat, ſi-
mulque Mercurius,qui Hiſpanos pedites ab extre-
mo agmine dũ pugnaretur fruſtra adortus fuerat,
cognita ſuorũ fortuna ſaluti ſibi fuga cõſuluerunt.
Antonius quoq; non multo pòſt Iacobũ è uico Var
ronis,qui cum Liuiani alarijs,Grçcisq; aliquot equi
tibus Cabilloni ſupra Benacum incurioſius agebat,
improuiſo adortus, multis eum inſignibus equis
maioreq; alæ uexillo, ac omni militari ſupellectile
ſpoliauit.Poſt id factum,M. Antonius longè lateq;
pabulatoribus ſuis campos aperuit,finitimiſq; ho-
ſtium præſidijs terrore illato, liberius quàm antea
cenſuerat, circumiectam regionem peruagatus eſt.
Dũm hæc ad Brixiam gererentur,Cęſar & Heluetij
iunctis inter ſe uiribus,aduerſus Gallos expeditio-
nem parabant.Sedunenſis enim cardinalis, quo ne
mo in fouendis partium ſtudijs flagrantior, nemo
in gerendis rebus uehemẽtior fuit,pagos oppidaq;
percurrens,ad capeſſendum bellum uindicandosq;
fortiſsimos uiros, qui pro dignitate Heluetij nomi
nis cecidiſſent,magnam eius gentis multitudinem
ſuſcitarat: quanquam pagorum magiſtratus nihil
publicè de bello Gallico decreuiſſent,ut qui multis
de cauſis communi conſilio ſuſcipere bellum nol-
lent:& iuuentutem tamen ſtipendia facere,atq; ad
uerſus proprios hoſtes,Cæſaris auſpicia ſequi in ea
rerum occaſione paterentur. Henricus quoque Bri
tannus per Richardum Paceum legatum, eos, ut ar
ma caperent,obnixè fuerat adhortatus: ac tum ma
ximè ingentem pecuniam in bellicos ſumptus pol
licebatur. Defuncto enim Ludouico quum uetere
odio Gallis infenſus, proſperis eorum ſucceſsibus
inuideret, nec Franciſcum immiſcere ſe Scoticis re-
bus æquo animo pateretur, Maria ſorore in Britan
niam reuocata, ueluti fœderibus morte ipſa diſſolu
tis, ad antiquam regum amicitiam ſe receperat.Si-
quidem Franciſcus,qui Scotiæ regnum,ſicuti ſem-
per in clientela Gallorum fuerat, haud diſsimulan-
ter Gallicis auſpicijs regi atq; adminiſtrari magno-
pere cupiebat, ut Britannos,qui quotannis popula
ri fremitu arma Galliæ comminabantur,domeſtici
belli metu iniecto, ab inuadenda continente deter
reret,Ioannem Stuardum Albaniæ regulum in Sco
A tiam deſtinarat.Erat Albanius Iacobi regis, qui Ty
lenſi in pugna occubuit, patruelis, multosq; annos
cum laude Gallicis in caſtris militarat.Is poſtquam
cum Gallorum manu in Scotiam uenit, ut nouã per
ſuę factionis homines regni adminiſtrationẽ con-
ſtitueret,nonnullis qui magiſtratus obtinebant gra
du pulſis, Humeum ipſum pace belloq; clariſsimũ,
pueri regis nutricium, ac regni procuratorem capi-
tali ſupplicio affecit.Margaritam reginã quę Guliel
mo Angoſio uni ex proceribus nupſerat, adempto
ei filio rege, quòd eum in Angliam furtim aſporta-
re uelle diceretur,Ildeburgo regia aufugere coëgit:
uirumque eius & quos ſibi ſuſpectos arbitrabatur,
proſcripſit. Quę omnia Henrici animum haud me-
diocriter ab amicitia Gallorum alienarunt, tametſi
ille ſororem Margaritam oderat,quòd uixdum ab-
ſterſis ab regis funere lachrymis,priuato cõſilio ui-
rum imparem regię ſtirpi,ſuſpecta parum pudici a-
moris impatientia,quæſiuiſſet.Eum etiam Ferdinã
dus ſocer plurimum impellebat,& per legatos ac li
teras hortabatur,ut Taroannæ Tornacoq; proſpice
ret,quando eæ continentis urbes parua manu exi-
guaq; pecunia cõtineri poſſent, ſi Gallus aliarũ gen
tium bello diſtineretur. Ferdinandus enim Petro
Durrea ad Heluetios miſſo, Cæſarem ad id bellum
animo erectum,magna ſpe auxiliorum impleuerat,
claſſesq; Neapolitanam atq; Hiſpanienſem primo
quoq; tempore ad nouandas res in Liguriã ſe trãſ-
miſſurum promiſerat.Siquidem,ut erat rerum Eu-
ropę arbiter & moderator, quum exęquata omniũ
potentia regum uires cautè ac prudenter expende-
ret,ſicuti anguſtiſsimis ac perditis propè Gallorum
rebus urgente Britanno atq; ingruẽtibus ad Diuio
num Heluetijs, uires ſuas (etiã ex profeſſo hoſtis)
ad lacerandũ Ludouici imperium conferre nolue-
rat,ita attollere ſeſe rem Gallicã, & nimio plus cre-
B ſcere minimè patiebatur.Sed dũ intentus in id bel-
lum è Celtiberia in Beticã, ad delectus habendos,
& ad claſſem,quam nouæ Carthagini comparabat,
exornandam, proficiſceretur, Madrigaletij in agro
Toletano, non longè à Guadalupeo Marię uirginis
templo, quod ſummam religionis in illis partibus
obtinet claritatẽ, febre correptus interijt. Pluribus
antè mẽſibus,quàm moreretur,Carolum Ioanna fi-
lia ac Philippo rege genitũ, eundemq; Maximiliani
Cæſaris nepotem,qui poſtea tot ampliſsima auorũ
imperia in unũ contulit,& Cęſaris nomen adeptus
eſt,teſtamento reliquit hæredem. Iiſdem quoque
diebus paulo antè quàm rex uita excederet,Conſal
uus Ferdinandus,qui ſolus inter ætatis noſtræ im-
peratores magni cognomentũ egregia uirtute pro-
meruit, dum grauantibus annis apud Illyberim in
ocio degeret, quartanæ morbo extinctus eſt. At
Cæſar & Sedunenſis,tametſi importuna ſocij regis
morte nunciata, magna ſpe deſtituti, & ueteribus
depulſi conſilijs, alias gerendi belli rationes inituri
uiderentur, nihilominus cõſcriptis iam adductiſq;
ad proximas alpes legionibus,primo ſtatim uere in
Italiam tranſcenderunt.Erant ſupra quatuordecim
milia peditum Germanorum,omnes fermè uetera-
ni notæq; uirtutis,quos periti duces,delectibus ha
bitis luſtratisq; prouincijs,ut quemq; fortiſsimum
fama uultuq; cognouerant, & præſenti pecunia &
multò maxima ſpe prædæ, quòd in Italiam duce-
rentur,ſedibus ſuis exciuerant. Nec deerat multitu
do ingens uoluntariorum militum, qui longa mili
tandi conſuetudine adducti, permotiq; Italiæ opi-
bus, quum ad primum tympanorum crepitum ar-
ma ſumpſiſſent, caſtra atq; eadem Cæſaris auſpicia
ſpontè ſequebantur.Fama enim percrebuerat, Cæ-
ſarem pulſis Gallis extemplò Romam eſſe petitu-
rum, ut à pontifice maximo auream coronã, ac ſce-
ptrum Romani imperatoris inſignia more maiorũ
acciperet:eumq; regulis omnibus,ac liberis ciuita-
tibus,

tibus,uti odio uel amicitia meruiſſent, ſtipendij nõ
mine ingentes pecunias imperaturum. Quibus de
cauſis Leo pontifex, qui Germanicas irruptiones
urbi ſemper atq; uniuerſæ Italiæ funeſtas extitiſſe
memoria retinebat, ut eam belli procellam auerte-
ret, paulo antè ad molliendum Cęſaris animũ Egi-
dium Eremitanũ in Germaniam deſtinarat. Is tum
conciliandæ pacis egregius artifex habebatur, qui
quondã ſacris concionibus tota Italia habitis,ſum-
mam religionis,atq; eruditioris eloquẽtiæ laudem
adeptus, poſtea cardinalatus honorẽ à Leone pro-
meruit.Sed Egidius,quum ardẽtibus ad id bellum
omnium animis, ſera etiam ac intempeſtiua pacis
mentione, militare Cęſaris ingenium poſſe flectere
uideretur,à militibus exulibusq; Italis, qui ut in pa
triam redirent reliquam ſpem ſuam in armis collo-
carant,non mediocre ſalutis periculum adiuit. Cę-
ſar Tridentinis iugis digreſſus,ad M. Antonium &
Sedunẽſem, qui Heluetijs cæterisq; copijs Verona
eductis præerant, cum delecta equitum ala perue-
nit. Is dignitate oris, & militari habitu inter ſum-
mos proceres conſpicuus,& ſui nominis authorita
tẽ uenerabilis,acclamante exercitu, Auguſtus ſalu-
tatur:concipiturq; omnium animis certa ſpes uicto
riæ, quòd neq; Galli, neque Veneti tanti exercitus
uim laturi uiderẽtur. Conſultaturq; inde aduocatis
ducibus,an extemplò progredi ſublatis ſignis,Me-
diolanumq; rectà contendere expediat, ubi hoſtes,
occupatis metu atq; inopina celeritate animis, uti
nullis adhuc confirmati auxilijs, & dubijs aut auer
ſis ciuium uoluntatibus, defenſionis & fugę conſi-
lium fluctuanter agitarent: An uerò ſatius foret ex
itinere Aſulam oppidum expugnare,ne à tergo reli
cti hoſtes,commeantibus à Verona iter pręciderẽt,
& commeatus ſubuectiones impedirẽt. Id oppidũ
Venetæ ditionis paulò ſupra Ollium & Cheſiũ am
nes poſitũ eſt,ualido per ſe muro, & tum fideli prę
ſidio ita munitum, ut ſuſtinere oppugnationem, ſi
tentaretur:neglectũ uerò, præteruecto feſtinantiq;
Cæſari, aſsidua detrimenta afferre poſſe appareret.
Cardinalis Sedunenſis, M. Antonius & Galeatius
Vicecomes,atque ante alios Iacobus Stapher è Ti-
gurino pago eximiæ apud Heluetios authoritatis,
ſummum bonum,expeditamq; uictoriæ rationem
in celeritate ponebant, propterea cõuolandum eſſe
Mediolanũ,ut imperij caput, imparatis & trepidan
tibus Gallis occuparet. Paratos enim eſſe Mediola
nenſes ſuperbæ gentis iugum excutere,ubi Cęſaris
uexilla conſpicerent,nec Triuultium exactæ prudẽ
tiæ ducem, cui maior collega Carolus Borbonius
eſſet impoſitus, admiſſurum fore, ut pertinacia ſua
diripiendę patriæ occaſionẽ,pro externi regis com
modo imperitiq; iuuenis laude pręberet. At Cæſar,
Marco Sithio & Rochandulpho Aſulã omnino ex-
pugnandam eſſe cenſentibus,nequaquã ſuæ digni-
tatis eſſe ſtatuebat quicquã hoſtium, quod à tergo
officere poſſet relinquere: ne qui magna ſpe toto
Galliæ Ciſalpinę imperio Gallos expellendi uenis-
ſet, de expugnatione tenuis oppidi dubitaſſe cre-
deretur. Admoto nanq; terrore tormentorum ſubi
gendos eſſe prædicabat, qui inſolẽter temereq; ini
tiò belli portas clauderent. Quòd ſi ſtulta contuma
cia obſiſtere pergerent, eorum inſaniam omni belli
clade atq; ſæuitia uindicãdam.Neq; fuit quiſquam
qui priorem ſententiam non mutaret,& Cęſari tan
to imperatori non aſſentiretur. Verùm prolatis tor
mentis,Aſulani accepto militari præſidio,aliquan-
to fortius quàm quiſquam crederet,uehementiſsi-
mam atq; terribilem oppugnationem ſuſtinuerũt,
quum Riccinius Aſulanus admirabili uirtute ac ui-
gilantia ſeſe,& patriã tueretur.Ea oppugnatio tam
importunè quàm improſperè tentata, uniuerſo bel
lo triſte omen prębuit.Nam indignantes Germani,
quòd contra ſpem Riccinius diruta tormentis non
A uno loco mœnia intrepidè defenderet, & militari
compellatione cruentos Germanorum conatus ir-
rideret,tormenta tranſtulerant,ſicut modò hac,mo
dò illac murum fruſtra uerberarent, quum eorum
multi Aſulanorum tormentis ſternerentur. Itaque
Cæſar non dubio pudore confuſus,ne terendo tem
pus,primum errorem nouo cumularet, hortatu du
cum ad primi conſilij ſententiam recurrit, & caſtra
mouet,ſuperatoq; Ollio Soncinum uenit:ubi de ſti
pẽdijs exortam inter milites ſeditionem repreſsit,
quum ſua manu Germanum militem interfeciſſet,
qui arrepto pulſatoque tympano,iuſſu centurionis
milites ad excitum tumultum uocabat: quod con-
tra dignitatem Auguſti factum uideri potuit,niſi la
bante iam pridem & propè euerſa militari diſcipli
na,conſternati exercitus periculum præſentis ſeui-
tiæ remedia poſtularet. Inde ſedata ſeditione pro-
miſſoq; ſtipẽdio,promotis agminibus,ad Abduam
eſt peruentum, Gallis ripæ cuſtodiam deſerẽtibus.
Conſedit Cæſar ad Ripam altam oppidum, conſcẽ
ditq; præaltam turrim, contemplatus aduerſæ re-
gionis ſitum, ut idoneo in loco pontem cõſtrueret;
atq; ita biduo conuectis lintribus, conſtratoq; pon
te,copiæ omnes traductæ ſunt, nullo hoſtium prę-
ter paucos equites Epirotas in conſpectum ſe dan-
te. At Triuultius atq; Borbonius per exploratores
Epirotas cognito Cæſaris tranſitu,auxilia Veneto-
rum quibus Grittus legatus pręerat,accerſunt, de-
fendendæq; urbis conſilium ſuſcipiunt, eo maiore
fiducia, quòd nemo in urbe ſe commouebat:& Se-
dunorum eiuſq; factionis Heluetiorum auxilia op
portunè accita per Verbanũ lacum appropinquare
nunciabantur. Ante omnia Borbonius graui metu
periculoq; territus, ſuadente Gritto, ſuburbana te-
cta impotẽter atq; crudeliter incendi iuſsit, fruſtra
pro miſeris ciuibus deprecante Triuultio, quòd illi
B ad repentinũ edictum ardentes domos ſuas, in qui
bus nati eſſent, magno miſerabiliq; tumultu deplo
rarent.Nolebant enim Galli,ut prouectus Cæſar,in
ter ędificia ſingulari militum commodo caſtrame-
taretur,eminentibusq; domorum faſtigijs,ſeſe ad-
uerſus tormenta in muro diſpoſita protegeret.Iam
ad Pioltellum uicum intra ſextũ ab urbe lapidem,
Orientali uia, quæ Martianam regionem ducit,ca-
ſtra locauerat, Caduceatoremq; (hunc hodie Aral-
dum uocant) prætextam cum aquilæ Romanæ in-
ſignibus geſtantem,quem nefas eſt uiolare,uel ſi ſu
perbè atq; inſolenter mandata denũciet, ad Medio
lanenſes miſerat. Petebat Cæſar,ut ſibi Romani im
perij titulum præferenti, ſuſcepturoq; ferream co-
ronam de more Cæſarum portæ paterent. Fore e-
nim, ſi id non cunctanter facerent, ut iniquo & ſu-
perbo Gallorũ dominatu liberati, optima pace fruẽ
rentur. Sed Borbonius Araldum in urbem non ad-
mittit, reſpondens Mediolanenſes ſacramentũ di-
xiſſe Franciſco Galliæ regi, qui non ambiguò hęre-
ditatis,& recentis belli iure, Mediolanenſe imperiũ
recepiſſet: iuſtis armis eiecto Maximiliano Sfortia,
qui redactus in poteſtatẽ,eius imperij iuribus ſpon
tè ceſsiſſet. Addidit quoq; Triuultius nullum Cæſa
ri in Mediolanenſes ius eſſe relictum,quum totum
id quod auguſtalem authoritatem reſpiceret, iam-
pridem Ludouico Sfortiæ, liberisq; eius multo ac-
cepto auro uendidiſſet. Propterea uideri Cæſarem
iniquè & contra nominis dignitatem facere, quòd
callidè obliuiſceretur, quibus legibus quantaq; pe
cunia cum Lodouico rege ad Tridentum tranſegiſ-
ſet.Itaq; ſi procerum comitatus præſidio,non iuſto
inſtructus exercitu ueniret ſicuti ſuperiores pleriq;
Cęſares, Henricus & Ludouicus Bauarus, Carolus
que item Quartus, & Sigiſmundus feciſſent, Me-
diolanenſes præfectosq; regios amicè intrantẽ ue-
neraturos eſſe,hoſpitalibusq; menſis liberaliter ex-
cepturos. Quòd ſi uim moliretur, intellecturũ Cæ-

sarem, quantis opibus ciuitas pro salute sua & dignitate Francisci regis, in cuius fidem turò atq; honestè cõquiescret, captis armis esset certatura, quã doquidem insigni clemẽtiæ beneficio, post fractos magna clade Heluetiorum animos, & subactum ab ductumq; Sfortiam benignè se conseruatam fatere tur. Erat apud Cæsarem Galeacius Vicecomes Mediolano exul, primæ inter patritios existimationis. Is uana spe inaniq; uoto ad gẽtilium maiorum suorum, qui per ducentos annos Mediolani regnarant, imperiũ aspirabat, quòd Sfortianos dominatu pulsos conspiceret, & ciuitatẽ auersam ab externo dominatu, sui tanquam nobilissimi ciuis & antiquæ stirpis hæreditatem præferentis, studiosam & cupidam putaret. Nihil enim optatius atq; fœlicius Mediolanẽsi populo euenire posse rebatur, quàm ciuẽ suum affinitatibus utriq; factioni coniunctum, ingenio lenẽ, popularemq; in principatu Galliæ Cisalpinę conspicere: & quòd diuturnę securitatis interesset, Romani Cæsaris authoritate confirmari. Hoc tenore intimi consilij Galeacius usqueadeò sibi gaudebat, ut præclara Cæsaris gratia, atque eius quotidiana promissione inflatus, iam planè principis personam indueret, præcisa magna ex parte amicorum & familiarium cõsuetudine, tanta animi uanitate ut sæpè grauioris consilij specie, in secretum solus abderetur, & in tabernaculo secus ac solebat, peculiarem sibi uni parari mensam iuberet, certo interuallo discretam ab ea, in qua uel illustres cõuiuæ discumberẽt. Qua de causa M. Antonius Columna tantę uirtutis ac dignitatis, Romanię; fastus heros, & Ennius Philonardus Verulanus episcopus, Leonis legatus, intempestiuæ uanitatis notatum irridebant. Nec mirum erat, si uir sua spe in altum proiectus insaniret, quando ei Cęsar, astuto minimeq; absurdo consilio, primum gratiæ locum tribuens, per amplæ pollicitationis uerba dabat, ut per idoneum hominem, qui summo loco esset natus, ac existimatione populari inter ciues maximè ualidus putaretur, in amicitiam Mediolanensium se insinuaret, eorumque caperet studium noua liberalitate, si ipsis, pulso Gallo, Galeacius præficeret. Apparebat enim Insubres ciui splendidissimo amantiq; patriæ, lubẽtius atq; fidelius quàm Gallis præsidibus, qui plerunq; à graui imperio insolentes euaderent, esse paturos. Spõdebatur autem Galeacio principatus, titulo uicarij imperialis, qua dignitate Vicecomites antiqui principes à superioribus Romanis Cęsaribus essent appellati. Ab hac liberali prædicatione Cæsar existimari uolebat eo consilio arma cepisse, ut Insubres Gallorum dominatu liberaret: confectoq; bello, Romam ad suscipiendã Augustalis imperij coronam cõtinuò proficisceretur, quum nihil omnino præter uictorię decus peteret, & indigenã patritium ciuem de se benemeritũ, humanitate iustitiaq; præstantẽ, beneficiario iure Mediolani cum imperio esset relicturus. Hæc in fama aptũ uulgus erant, sed in arcano Cæsaris consilio id decerni nemo credebat: quando id totum, quod uictoria parari posset, Carolo nepoti (ut in fatis erat) pararetur. Id uerò tegi dissimulariq; tũ maximè expediebat, quoniam Cæsar exploratum haberet, id nequaquã probari Leoni pontifici aut Heluetijs, quum ij ad alterum Sfortianæ stirpis spectarent, Maximiliani scilicet in Galliam ducti germanũ fratrem, quem Mediolanum fratris exemplo reducere percuperent. Ille uerò ægerrimè passurus esset, ut opulenta atque oportuna Italiæ pars, Germanorum & Belgarũ colonia & sedes efficeretur: ad augendam scilicet Cęsarum potentiã, qui amplitudini atq; felicitati Romanorum põtificum, ab omni annalium memoria, semper inuidissent. Cæterùm in hanc consilij spem fatagente Cęsare, quũ Galeacio per clientes & propinquos suos tentatis ciuium animis, nihil de exci- A tando tumultu succederet, Araldusq; rediẽs de hostium responsis prolixè retulisset, castra propius urbem promota sunt, ea uicinitate, ut è summa testudine templi maximi castrorum ignes conspicerentur: pauentesq; ciues uillas suas hostili incendio absumi crederent, postquam à Gallis suburbana tecta ultrò concremata considerent. Augebant terrorem agricolæ in urbem confugientes, quum tormenta maiora prouehi falso nunciarent, quibus ab hoste admotis ultimum rerum suarum discrimen adiuri essent. Erat ob id in urbe inusitatũ tristeq; silẽtium, adeoq; altè cùm ciuium, tum præsidij militum mentes occuparat pauor, ut illi precioſiorem supellectilem fœdis latebris recondere properarẽt: ij uerò carissimarum rerum suarum colligerent sarcinas, ut trans Ticinũ in loca tuta aueherentur. Magna enim erat opinio apud Gallos, Germanorum uirtutis peritiæq; in toto negocio tormentorum, præsente præsertim Maximiliano, qui à prima adolescentia multis in bellis ac prælijs maximè fortunatus imperator extitisset. Verùm Gallis admodũ terribile erat Heluetiorum nomen: qui nuper incredibili animorum & corporum planè indomito robore, uallata Frãcisci regis castra adoriri: in eaq; per acerruos suorum cadauerũ penetrare ausi fuissent: quibus idem dux & concitator adesset Sedunensis acerbissimus Gallorum hostis. His de causis fiebat, ut plerisq; Gallorũ, suspenso Borbonio, de urbe deserenda seruandoque equitatu, uti nuper Palicia, & antea Lignius atq; Obeginnus, recto nec deformi consilio fecissent, haud perplexè cogitarẽt. Interea Triuultius frequenti allocutione ciues cõfirmare dubios & suspectos, ut limine se continerent interminatus pœnam, adhortari: suæ uerò factionis omnes arma capere, beneq; sperare iubebat: per fora & cõpita, ne quis tumultus temerè oriretur, custodias disponebat. Tormenta ab arce educta idoneis in locis contra hostes collocabat. Hæc intrepido ore administrans, Gallos uehemẽtibus castigabat uerbis, quos de deserẽda urbe cogitare cognouerat. Et id quidẽ tanta seueritate, ut Borbonio diceret ipsum rectè imperij potestate usurum, si in authores turpissimi consilij animaduerteret: descendensque demum in consilium demonstrauit uiris qui tot stipendia meruissent, nihil omnino potius & carius esse debere, quàm tueri pristinum decus. Itaq; deserendę urbis, ignominiosæq; fugæ cogitationes abijcerent. Ipsis enim, si id scelus admitteretur, regiæ seueritatis in Gallia iudicium esse subeundum, se quidem capitali teste atq; inimico, si destitutus amissa patria superesset. His Triuultij uerbis confirmati sunt, qui equitatum potius quàm urbem seruandam censebant: eoq; alacrius, & certius, quòd Triuultius publicum tabellionem rogarat, qui sententię suæ tabulas conficeret: qua testificatione ij, qui præsidij excedendũ putarent, cum ignominia damnarẽtur. Peropportunè autem accidit, ut auxilia Sedunorum atq; Bernẽsiũ in Verbano nauibus imposita, per Ticini emissarium paucis horis Mediolanum peruentura, certis nũcijs afferretur. Atq; ita è medio metu periculoq; perampla spes & certa salus cunctis oborta est. Nã Cæsar de hostiũ auxilijs edoctus, quum promouere copias, & uim portis inferre pararet, quòd nõ inanem de Heluetijs suspicionem arbitrarẽtur, remisso & commutato repentè consilio subtitit: incertus, an productis tormentis, cùm suę tum hostium uirtutis periculum esset faciendum, an uerò tutior foret receptus. Primas enim spes eius pecuniæ defectus fregerat, quo nihil periculosius excitandę seditioni apud milites accidere consueuit: & tum forrè persoluendi stipendij dies aderat, importuneq; Brixiani præsidij milites Hispani argenteæ monetæ duas sarcinas in castra è superiore Rhetia uenientes, interceperãt: quæ summa pecuniæ, uti exigua, quã-

quam

quam militarem sitim extinguere non poterat, ac- A
cendebat tamẽ Germanorum atq; Heluetiorũ animos, quòd à socijs, prædantium hostium more, grauem cum detrimẽto contumeliam accepissent. Cęsarẽm quoq; in ea consilij deliberatione fluctuantẽ, diffidentemq; rebus, magnopere perculit Triuultij dolus, magno Cæsaris incommodo excogitatus. Is nactus clientem suum Heluetiæ peritum linguæ, literas suo nomine perscripsit sua manu, suoq; signo notatas ad Stapherũ & Gholdilum primores Heluetiorum duces, ut Cæsari in eo momento rerũ suspecti redderentur. His literis postulabat, ut quæ se cum pepigissent, eo biduo perficere maturarent, se enim ad condictum instructa paratąq; omnia habiturum. Nuncius præmiorum spe oneratus, Cæsarianis excubitoribus ultro se capiendum obtulit: quũ interrogaretur, cur sine tessera in eum locum uenisset, probè confessus est, se Triuultij literas, si sibi parceretur, ad Heluetios duces deferẽdas prolaturum. Nec mora, uenię fide data, calceo insutas literas promit, extemploq; eæ ad Cæsarem deferũtur. Nec eas anxiè perlectas, Sedunẽsi Cæsar ostẽdit. Neq; enim Stapherum & Gholdilũ tantæ inter Heluetios authoritatis, sine perturbatione periculoq; sua rerum omnium, uel accusari ex Triuultij literis, uel (uti oporteret) cõprehendi posse censebat. Itaq; suspicaci ingenio Heluetiorum insidias ueritus retro castra repentè uertit, eoq; properantius quòd Albertum Petram, & Franciscum Georgij Sopraſaxi filium, Sedunensi capitales inimicos, cum uiginti peditũ uexillis applicuisse cognouerat. Cęsare tamen, haud perplexè de receptu statuentẽ, dissimulato pauore, alacribus uerbis ut consisteret hortabatur, quòd ij, qui auxilio Gallis uenissent, magna ex parte agrestes montanię; homines è pascuis abducti, rudes armorum essent: nec ora conspectumq; suorũ fide uirtuteq; præstantium laturi essent. Sed Cęsar suspicionibus suis implicitus, & amicis uel parum decora suadentibus, æquo plura tribuens, consilio suo prępropere suscepto, deijci non potuit. Requirenti autem M. Antonio causam usq; adeò repentini incõsultiq; receptus, quem neq; honestum, neq; necessariũ putaret: Cæsar respondit, pecuniæ inopiam, quæ fato quodã non semel conatus suos interpellatis uictorijs eluisset: plerunq; enim accidere dicebat, ut ubi uirtus superesset, fortuna deficeret. Affirmauitq; de mum sibi per quietem ea nocte apparuisse Leopoldum Austriæ archiducem atauum, & Carolum ducem Burgũdiæ, socerum suum. ea torui oris specie, ac eo cruento armaturæ cultu, quo hic ad Nansim, ille ad Semfac trucidati fuissent, acri quidem sermone & gestu uetantes ipsum diutius morari, & ut se periculo statim eriperet, seuerè imperantes. atq; ita motis castris ad Abduã est reuersus, atq; eodem põte fluminè superato ad Alpes iter intẽdit, tanta omnium, Gallorũq; præsertim admiratione, ut qui dudum inæstimabili metuendoq; copiarum hostiliũ numero, apparatuq; tormentorũ maximo territi & propè amentes erant, inopinati euentus gaudium uix perciperent. Neq; Triuultius atq; Borbonius ferè præter spem grauissimo liberati metu, abeuntiũ tergis insistere, quòd per Epirotas præuolantes speculantesq; omnia compertum habebãt nouissimũ hostiũ agmen ualido præsidio confirmari. Quando Marcus Sithius cũ delecta legione, & M. Antonius cum equitatu more militiæ incedentes, paratiq; ad pugnam, terga clauderent. Nec ullo modo Cęsar generosi spiritus nũquã expers temerè lacessendus uideretur: ne dedecoris metu, aut oborto pudore extimulatus, ad primas spes gerendi belli indignãter rediret: Sedunẽse præsertim ex ipsa rerum desperatione conserendæ pugnæ auido, ferociq; facundia legiones cõcitante. Grittus quoq; altè uociferatus à uetere militiæ instituto, terga danti hosti, totum iter aureis pontibus consternendum esse prædicabat. Eo modo compositis agminibus, Cęsar nihil lacessente Gallo, per Cremonensium fines in Germaniam dimissis Heluetijs est reuersus, nusquam memorabili re gesta: nisi quòd ex itinere M. Antonius Laudis Pompeiæ arcem Gallico munitã præsidio tormentis expugnauit. Isq; inde Veronã regressus, cum Marco Sithio iussu Cæsaris in eius urbis præsidio usq; ad belli exitum permansit. At Borbonius Mediolano cum insigni Triuultij laude cõseruato, Andreę Gritto gratias egit, quòd operam eo tumultu eximia fide Veneti senatus dignam præstitisset: prębuitq; abeuntibus eius copijs gratuitò commeatu. Nec multo pòst bellicarum & ciuilium rerum cura Triuultio relicta, in Galliam ad regem est profectus, ut quę gesta erant, ipse idem author & testis coràm explicaret. Tanto autem studio propensissimi regis, & magnæ partis aulæ procerum est susceptus, ut meritorũ ac eximij honoris causa, summus totius Galliæ equitum magister sit declaratus, qui hodie Comes stabilis uocatur, quòd eum regi semper adsistere ex usu bellicarum rerum expediat. Hic honos secũdum regem, apud Gallos facilè primus existimatur: quoniã minores equitũ magistri, qui in tota Gallia omnino quatuor sunt instituti, ipsius Comitis stabilis edicto ac imperio parẽt. Huius autem dignitatis atq; potentiæ nomen, tanquam proceribus inuidiosum, suspectumq; regibus, Ludouicus XI. lata lege sustulerat, quum forrè aduersum se cõiurati Galliæ proceres arma cepissent. Quibus demum cum magno discrimine subactis, Iacobus Lucẽburgus sancti Pauli Comes, qui tum erat summus magister equitum, perfidiæ conuictus, capite pœnas dedit, sic ut nemo ei postea in magisterio sufficeretur. Cæterùm uti postea compertum est, ea ratione Franciscus, reuocato uetere Galliæ instituto, hoc honore Borbonium remunerari uoluit, ut in locum decedentis, Odettum Lotrechium Cisalpinæ Gallię præfectura ornaret, multis quidem nominibus magnopere sibi commendatum, & tum supra generis nobilitatẽ militari laude maximè florentẽ.

SVPPLEMENTI
LIBER VII.

DVm hęc in Italia gerũtur, Selymus, qui secundum prosperam ad Araxem pugnam Persis citeriore regni parte expulsis, & Taurisio regia urbe in potestatem redacta, Orientis uictor apparuit, quum ad famã imminentis Hysmaẽlis subita ac celeri profectione, fugienti similis maiore Armenia decessisset, ad Trapezuntem atq; Amasiam, Cappadociæ urbem exercitum in hyberna dimisit. Quibus in locis totam hyemem commoratus, delectibus per præfectos Bithynia, Ponto, Phrygia, Ciliciaq; habitis, atq; accitis in supplementum è Græcia atq; Illyrico nouis militibus, tanta celeritate atq; diligentia attritas & afflictas copias reparauit, ut primo statim uere ampliorem quàm antea exercitum, aliquanto maturius, quàm Armeniæ niuali Tauro subiectæ frigora patentur, uel hostes fieri posse existimassent, in Persarum fines adduxerit. Erat Ciammassum, oppidum in ulteriore Euphratis ripa positũ, paulò supra eum locum, quo Melas amnis Gręcorum carminibus celebratus, in Euphratem euoluitur: quòd Persę propter magnam loci opportunitatem, quum maiorem ingredientibus Armeniam primum occurreret, præsidio impositio tuebãtur. Id Selymus ut proximis castellis finitimisque arcibus occupatis, ulteriorem prouinciam patefaceret, sibi omnino expu-

gnādum esse decreuerat. Eo autem tempore, quòd A Sophum Hysmaëlē aduersus Hyrcanos & Bactrianos, ulteriores q; Caspij maris accolas, cum omnibus copijs profectum esse cognouerat, facilem perficiendi negocij nactus occasionem, Euphrate ponte constrato, traductoque exercitu, penè priusquam ab hoste sentiretur, sub muro constitit, atq; oppidū oppugnare adortus est. Ciammalsini omni spe auxiliorum in tāta temporis exiguitate destituti, quū Turcæ, circumiecta totis mœnibus ingenti sclopetariorum & sagittariorū multitudine, murum propugnatoribus nudarent, irrequietoq; oppugnationis genere alij alijs, temporis & loci spacijs inter se constitutis, succederent, simulque portas dolabris perfringerent, & appositis scalis in murum enitерentur, desertis mœnibus in forum se receperunt. Vbi tametsi uigilijs uulneribusq; cōfecti erant, diu tamen hostium uim pertinaci constantia sustinuerunt: & ut in supremo urbis casu pro fortunis ac salute omnium debebant, egregiè dimicantes ad unū interierunt. Selymus expugnato direptoq; Ciammasso, & ignobilibus alijs duobus castellis, quę incolæ metu territi paulo antè deseruerāt, occupatis, tametsi inexpiabili odio & cupiditate gloriæ plurimum incitatus ad Hysmaëlem ferebatur, ac totus Persarum opibus imminebat, tamen non prius interiorem Armeniam bello sibi tentandam existimauit, quàm Aladolū regem, qui tot clades tanta perfidia sibi & copijs suis ab expeditione Persica redeūtibus intulerat, saltibus illis ac mōtibus expulisset. Enimuerò Aladolus, ut qui magnopere sibi ac rebus suis ex merito timere cogebatur, quū Selymū mouisse ex hybernis, & ad Euphratem atq; Ciammassum contendisse cognouisset, agrestibus ferisq; hominibus repentè coactis, magnas copias parauerat, quibus sese ac fines defenderet: si uerò Selymus in Armeniam proficisceretur, consuetudine sua spe B ctabundus ex euentu alieni belli prædandi occasionem caperet, ac obsessis itineribus, ut antea fecerat, impunè grassaretur. Itaque Selymus ad Ciammassum relicto præsidio, cis Euphratem regressus ad Antitauū, ubi hostes consedisse fama cognouerat, cum expedito exercitu deflexit. Aladolus (ut alio loco memorauimus) montanis gentibus imperitat, quæ in Tauro atque Antitauro sedes habent. Ii mōtes à Scordiscis iugis, & finibus Cappadociæ, perpetua ueluti cathena quadam, ad Amanum usque, & ultimos Ciliciæ terminos protendūtur. Populus uirtute bellica ferox, & numero amplissimus traditur. Cæterùm agrestis est atque efferus, & sola rerum inopia insignis, ut qui prærupta atque aspera in regione parum agricultura proficiant. Herbidis tamē in locis, armenta equorum & camelorum possident, & pecuariam diligentissimè exercent: cæterorum uita omnis in uenationibus latrocinijs que consistit. Orti dicuntur ex Galatis, Cappadocibus, Armenijs, ueteribusque minoris Asiæ colonis, qui propter assiduas bellorū iniurias superioribus seculis, & luctuosissima præsertim Scytharum irruptione, quum Tamerlanes clades & terror Orientis prouincias omnes immani rabie deuastaret, in proximos montes relictis urbibus, tanquam in pacatum refugerint. Ii uallibus iugibusque omnibus perlustratis, fluminū ac fontium opportunitates, mitioris q; cœli naturam & conuersionum solis maximè secuti rationem, frequentibus in locis ligneos pagos, ac mox illustria quædam oppidula condiderunt. Vnde postea coalescētibus eorum rebus, quū fortissimi quiq; cæteris præessent, regium nomen sibi ambitiose admodum usurparunt, ut qui horrida uirtute censeri uellent, & timeri à finitimis, quan quam syluis tantum undisq; & rupibus imperarēt. Aladoli finibus proxima est urbs Orpha, mirabili fonte oris lepram sanante percelebris, quam nonnulli Edessam esse iudicant, quòd ibi adhuc extent monumenta Balduini, Latinis indicantibus literis. Is enim, Gothifredo fratre Hierosolymis potito, Edessam peculiari suo ductu captā, imperio tenuisse traditur. Nec multū inde distat Amida urbs uetus, quæ hodie Caramida ab incolis uocatur, Mesopotamiæ iuncta. Hæc hodie regio Tigri & Euphratę amnibus inclusa, Diarbecha dicitur. Aladoli autem nobilius oppidū est, Maras, uti fas est suspicari, ita uocatum propter interfluentem è Celenæo monte nitidissimum amnem, qui ex certamine Apollinis deuicti, Marsiæ nomē tulerit, multis poëtarum carminibus celebratum. Cæterùm Aladolus, postquā Selymū infesto exercitu fines ingressum appropinquare uidet, equitatū omnem (erant ad quindecim milia) è montibus in conuallem iustę amplitudinis deducit: pedites, quorum magnum habebat numerum, à dextra læuaq; occupare montes iubet, ibiq;, quum edita loca atq; angustias pro se stare intelligeret, loco multùm antea explorato atq; munito, hostis aduentum expectare cōstituit. Porrò Selymus, quanquam locorum iniquitate perspecta, uictoriā multo suorum sanguine parandam uideret, quòd hostes nunquam sese apertissimis campis commissuros arbitraretur, iniquam tamen pugnandi condi tionem subire non dubitauit. Itaq; Sinambassām eunuchū, quem interfecto ad Araxem Cassembassa Europeis equitibus præfecerat, quadrato agmine, quòd extendere aciem, & cornibus uti nō poterat, hostem inuadere, & primam eorum frontem perrumpere iubet: ipse uerò cum prętorianis, atq; Asiatico equitatu subsecutus, subsidiariā aciem pugnantibus suis ostendit. Nec Aladolitæ sibi ac in oculis omnium pugnanti regi suo defuere: nanq; emissis statim sagittis Turcarū impetum egregiè sustinuerunt, cominusq; districtis gladijs, & collatis equorum pastoribus, quum è superiore loco ingruerent, tanta ui subeuntes propulerunt, ut ueteranus equitatus nihiliam multitudine, aut uirtute sua proficere posse uideretur. Ab lateribus enim Turcæ propter loci angustias hostem circumire nō poterant, & ab peditibus, qui utrinq; latera montium insederant, & sagittarum nubem mediæ conualli superfundebant, uehemētissimè læ debant. Selymus ubi uidet Aladolum, contrà ac ratus erat, fortiter resistere, & magna ui contendere, cohortes sclopetariorum ex acie ac phalange sua detractas, subsidio laborantibus mittit, ac simul lectissimos prætorianorum conscendere montem iubet. Quorum uim, Aladoliræ sclopetorum procella consternati, sustinere minimè potuerunt: extemploq; effusi in fugam, notis tramitibus montes suos ac proximas syluas petiuerunt. Plurimum cædis in pedites fuit, qui quū pulsum equitatum uiderent, & succedentibus prętorianis per arduos atque impeditos calles ægrè in montem enitерentur, sicuti plerunq; accidit, ut trepidos ac effugere conantes & crurium uigor, & solitæ uires, occupatis terrore animis, repentè destituant, usque ad occasum solis in fugam acti, trucidatiq; sunt. Equites ipsi cū rege insuefactos rupibus ac pernices equos nacti, paruo detrimento accepto, in ulteriora ac munitiora montium loca se receperunt. Aladolus post id factum, quòd se omnibus rebus tanto hosti longè inferiorem intelligebat, ducendum atq; trahendum sibi bellum esse iudicauit. Itaq; quum Turcę passim incensis mapalibus abeūtes persequerentur, ipse in alios atq; alios montes refugere, nullam pugnandi occasionem prębere, ac plurimum asperitatibus locorū se tutari: quibus de causis Selymus, ne in sterili, aspera ac ignota regione, si totis copijs insequi uellet, commeatus inopia laboraret, uel in insidias prolaberet, septimo die insequendi finem fecit. Castrisq; idonea in parte eius regionis collocatis, Sinābassām cū expedita parte exercitus

exercitus missit, qui allatis secum aliquot dierum ci A barijs, cedentium uestigijs insisteret, & quantū celeritate ac bellicis artibus fieri posset, ipsum maximè regem sectaretur. Quum autē Selymus ex captiuis agrestibus quæreret, quænam uires, queue consilia ad sustinendum bellum Aladolo superessent: reperiebat eum lectissimos quosq; equitum & peditū secum duxisse: cæteramq; agrestium turbam, ut solitudinem hosti faceret, decedere pagis iussisse, & statiuis castris apud quandam petram constitutis, quò magnam uim cōmeatus conulisset, non prius totis uiribus decertare uelle, q̄ hostem ad insuperabiles locorū angustias deduxisset. Eius consilij eam esse causam, quòd præfecti equitum consanguinei sui, cui Saxouarogli nomen erat, maximè perhdiam timeret, à quo in ipsa pugna initium fugæ factū fuisse cōperisset. Cuius defectionis atq; odij signa ab iusto dolore proficisci uideretur, quòd ipse patrem eius quondam propter affectati regni suspicionem per insidias interfecisset. Selymus his omnibus cognitis rebus, captiuis cathenas detrahit, eos donis pollicitationibusque onerat, ac dimittit, ut Aladoli præfectū adeant, & secretò redditis ei literis atque muneribus, hominem moneant, ut in ea rerum occasione paternam cædem ulcisci uelit. Id si aliquo insigni facinore edito perficiat, eum & summū gratiæ locum apud se, & regnum, quod Aladolus latro num immanissimus obtineret, adepturum. Agrestes, ut præceptū erat, eius rei consilio cum Sinambassa cōmunicato, paucos post dies mandata perficiunt, breuiq; præfectus & ipe regni, & muneribus, quæ uindictę cupiditatem exacuebant, ad amicitiā Selymi facilè pellectus, quum suspectanti insidias Aladolo, omniaq; exploranti aliter nocere non posset, cum magna parte equitum, apud quos summā obtinebat autoritatē, ad Sinambassam transfugit: à quo postea alij atq; alij ex his qui remanserant, pro B positis præmijs ad defectionem sollicitati sunt. Circumuentus his malis Aladolus, qui, ut sui ad Turcas deficerent, fieri posse non putarat, reliquam spem salutis in fuga posuit. Sed illum paulo pòst fugiētem per asperos montes, antris nemoribusq; se occultantem, Sinambassa & Saxouaroglis persecuti, specu abditum monstrantibus indigenis eruerunt. Aladolus ad Selymū perductus, in custodia paucos post dies interficitur, caputq; eius, ut omnibus ludibrio foret, per totam Asiam circumlatum: ac mox quoq; in testimonium partæ uictoriæ Venetias ad senatum fœda ostentatione transmissum est. Occiso Aladolo, Selymus eius regnum in prouinciæ formam redegit, diuisitq; in tres præfecturas, quæ totidem Sangiachis, Turcarum more tribuerentur: sic tamen ut Saxouaroglis omnibus præesset, cui cuncta præter regium nomen conceserat. Ipse relicto Sinambassa, qui reliquum ætatis in his locis moraretur, ac demum constitutis prouinciæ rebus, ut ad Iconium in hyberna concederet, modico comitatu Byzantium reuersus est. Nam dum Hismaëlis & Aladoli bello in minore Armenia implicitus esse diceretur, à Pannonijs finitimā Mœsiæ prouinciæ partem incursionibus uastari audierat. Quibus de causis, ne Samandriam amitteret, quod situm ad Danubij ripas, Mœsiæ Thracięq; propugnaculū, propter magnam eius loci opportunitatem existimatur, octo milia equitū instruxit, qui duce Iunusbassa (is tum Illyricæ Bosinę præfectus erat) Sauum flumē transirent, & in Croatiam ad Cetinum usq; per Illyricum penetrarent. Aliam uerò Turcarum manum improuiso Danubium ratibus transuectam, ulteriores Pannoniæ fines populari iussit, ut uno tempore Pannonij ancipiti belli periculo distracti, rebus suis timere cogerentur, ac simul doceret, quæ uires & quātæ facultates ad bellandū Othomannis forent: utpote qui magni interesse, & tum, & in reliquū etiā tempus ad perterrendos suspendendosq; Christianorū animos arbitraretur, si tot tantosq; exercitus cōmodè expediteq; alere, & diuersissimis terrarum regionibus grauissima bella se gerere posse felicib. ausis ostendisset. Exitus eius anni Selymus, quum Pannonios duplici incursione repressisset, hyemē que proximè secuta est, maioribus q̄ unquam antea apparatibus belli intentus, Hadrianopoli, Byzantijq; transegit. Enimuero potentissimos Septētrionis reges finitimos suos, Maximilianum Cæsarem, Vladislaū, & Sigismundū celeberrimo cōuentu habito, in colloquiū deuenisse, & cōiuratione facta, inductisq; Germaniæ, Pannoniæ ac Sarmatiæ gentibus, cōtra se ingens bellū parare audierat. Sed postquā per certos speculatores, quos magno sumptu in omnes Europæ partes dimittebat, ac obseruari in aulis regū, & cuncta diligēter explorare iubebat, renunciatū est concilia illa Christianorū, nihil præter magnificas cōciones, sumptuosaq; conuiuia certantium inter se regum & procerū habuisse, uano solutus metu, rursus ad Orientē se cōuertit. Ne tamē absente se aliquod incōmodum acciperetur, si fortè Christiani reges ex discessu suo atq; exercituū alio quam ad gerendum bellum occasionē arriperēt, finitimas prouincias ualidissimis præsidijs confirmauit. Quanquā sciret Sigismundum proprio bello distineri, quòd Moscouitæ Lituaniam etiā tum nouis incursionibus exagitarent, & Cęsarē atq; Vladislaū intelligeret, nihil aduersum se eo præsertim tempore molituros: quorū alter ætate grauatus, ac aruinę pondere suprema ualetudine conflictaretur: alter, quòd opportuna Ferdinandi regis morte, noua omnibus bellorū materia præberetur, magnis cōparatis exercitibus, aduersus Gallos ac Venetos Italiæ totus immineret. Itaq; Solymanū filium, egregię indolis adolescentē, cum iusto propè exercitu, ut Greciā Mœsiamq; tueatur, Hadrianopoli relinquit, Pyrrumbassam magni consilij ac eximiæ uirtutis ducē, Byzantio præesse iubet. Natione hic erat Cilix, & sanguine Mahometano progenitus, quod mirū uideri potuit, quum alioqui purpurati fermè semper ex Christiana progenie deligantur. Cherseoglim uerò, cui uni pluri mùm ob ueterē beneficij memoriā fidebat, cum copijs ad Prusiam in Bithynia collocat, classemq;, quam magna impensa & singulari studio paulo antè deduxerat atq; exornauerat, Zaffero eunucho attribuit. Ipse paucos Byzantij moratus dies, ut tyrones, qui in prętorianos legebantur, inspiceret, ab ea urbe proficiscitur, & in Lycaoniam ad ueteres exercitus peruenit. Quò quum uenisset, cognoscit Campsonem Gaurium, magnis copijs tota Ægypto Iudęaq; deductis, in Syriam descendisse: eumq; profiteri se præsidio Persicis rebus futurum, persuasurumq; in Ciliciam infesto exercitu, si Sophus Hismaël socius atque amicus rex, Turcarum armis oppugnaretur. Quibus rebus Selymus uehementer commotus, ne si ipse ad Euphratē progrederetur, propinquus hostis à tergo nudatā præsidijs Asiam per Amanum irrumperet, Iconij subsistit, protinusque ad Campsonem legatos cum muneribus mittit. Cuius legationis principem locum obtinebant, Iachis uir militaris, & Gadilescher maiore sacerdotio, & sacrarum literarum cognitione insignis. Hic postea huius belli commentaria conscripsit, quæ nos, Italico sermone donata perlegimus. Summa legationis fuit, ut Campsonē orarēt, & quàm subiectissimè deprecarentur, ne sibi nocere uel impedimento esse uellet, quo minus Hismaëlem bello persequeretur, qui tot tantasq; Asiæ calamitates intulisset, inductisque nouis superstitionibus, Mahometanæ religionis certissimas leges deprauare dilacerareq; cōtenderet. Quòd si ille persisteret, & nullis cōditionibus flecti posset, daret operā, ut uires atq; eius cōsilia diligēter cognoscerent,

& quàm primum ad se reuerterentur. At Campson A
tametsi ætate ingraueſcente, & florentibus rebus
ſuis, tranquillitati atq; ocio potius quàm armis, uel
alienis contentionibus ſibi ſtudendum eſſe arbitra
retur: multis tamen de cauſis, profectionem illã &
expeditionem neceſſariam exiſtimabat: utpote qui
multò antea Selymum propter nefariam hominis
crudelitatem plurimũ oderat, atq; ob eam cauſam,
ut fœdus, quod ſibi cum Baiazete intercedebat, cũ
eo renouaret, nunquã adduci potuerat: & tum ma-
ximè audaciam eius proſperis fortunæ ſucceſsibus
Iongius prouectã reprimere frenareq; cuperet, qua
ille tantam ſibi potentiæ atq; uirtutis opinionem,
ſecundiſsimo rerũ curſu uendicaſſet. ſiquidem Se-
lymus, Taurifio capto, uictis acie Perſis, Aladolo ſu
perato atq; interfecto, & magnus & formidoloſus
eſſe cœperat. Nec deerant, qui eum alterũ ferè Ale-
xandrũ interpretarentur, quòd ſinentibus dormi-
tantibusq; cæteris regibus, totius orbis imperiũ ſi-
bi animo deſtinaret. Sed Campſoné maximè impel
lebat Syriæ in primis, & totius mox amittendi im-
perij metus, quo nullũ acrius telum ad excitandos
ſuſpicaces regũ animos reperitur. Quando ea pro-
uincia ſuperbo atq; impotenti Mamaluchorũ do-
minatu oppreſſa, ob idq; infida Ægyptijs regibus, ſi
aliquo infelici prælio contuſæ Perſarũ uires foret,
ad Turcas finitimos protinus defectura uideretur.
Ob hæc Campſon ab initio Perſarum legationibus
ſollicitatus, cum Hiſmaële fœdus amicitiam q; per-
cuſſerat, Aladinio; Achomatis filij miſerrimi adole-
ſcentis calamitate permotus, in animũ induxerat,
ſuis atq; Hiſmaëlis uiribus, Aſiam, Græciam q; ex-
turbata illa immani bellua poſſe liberari. Aladinus
enim, qué patre apud Horminiũ interfecto, ad Cam
pſonem profugiſſe docuimus, in Memphitica aula
lachrymis & ſqualore miſerabilis, tres annos uerſa
tus fuerat, & ad uindicanda tot ſcelera, Mamalucho B
rum animos aduerſus Selymũ patruũ omnibus ar-
tibus concitarat. Peropportunè etiam Aladoli filius
natu maior, florenti ætate iuuenis, orbatus patre,
& in ſimili quoq; miſeria, regno fortunisq; omnib⁹
exutus, quum Memphim confugiſſet, tanta ira atq;
indignatione omniũ mentes ex atrocitate noui ſce
leris inflammauit, ut Mamaluchorũ principes Cam
pſonem ultrò adirẽt, obſecrarentq;, ut bellũ ſuſcipe
re uellet. Quòd ſi ipſe ſenecta inualidus obire ducis
munia grauaretur, ipſos per ſe bellũ geſturos, & ſce
leratiſsimi hominis audaciã repreſſuros eſſe teſta-
rentur. Erát Mamaluchi nõ tantum uirtute, ut qui
robore corporis, equitandi peritia, & armorum ge-
nere præſtarent: uerùm etiam magnitudine animi
atq; opibus Turcis hominibus minimè cõparandi.
Sed in primis meminerát ſe duce Caitbeio ualidiſ-
ſimos Turcarum exercitus in Cilicia, ſemel ad Ade-
nam, iterũ ad Tarſum, perexigua manu profligaſſe,
Meſithe Paleologo, et Cherſeogle Baiazetis genero
ducib. captis. Vnde ſibi ex ea uictoria tãtos ſpiritus,
tantã arrogantiã animorũ uanitate deſumpſerant,
ut ſibi unis præcipuã rei bellici laudẽ deberi, ac ne-
miné eſſe in terris, qué armis ſuperare non poſſent,
exiſtimarẽt. Igitur Iachis & Cadeleſcher Iconio pro
fecti ad Campſoné, is tum ad Orõtem amnem, qui
hodie Farfar dicitur, habebat caſtra, paucorum die-
rum itinere peruenerũt. Quibus liberaliter magis,
q̃ amicè, uel humaniter ſuſceptis, aliquanto pòſt,
quum ſenatus in prętorio datus eſſet, ipſiq; demiſſa
oratione mandata expoſuiſſent, Campſon in hanc
ſententiam reſpondit: Veterẽ eſſe Sulthanorũ con-
ſuetudinẽ, quòd principẽ in religione locũ obtine-
ant, Mahumetanos reges, populoſq; omnes in pa-
ce, cuius ipſe in primis ſemper fuerit ſtudioſus, om-
ni cura atq; induſtria continere: proinde ſe in Syriã
prouinciã ſuam ueniſſe armatũ, ut pacẽ Selymo per
ſuadeat. Quòd ſi in ea inferẽdi belli pertinacia perſi-
ſtat, atque Hyſmaëlem, quem fœderis atq; amicitię
neceſsitudinẽ ſibi coniunctum ſciret, oppugnare
pergat, ſe dignitati ſuę ac exiſtimationi conſulturũ:
nec paſſurum ulterius, ut unius inſolentis ambitio-
ſię; hominis libidine ac furore, humana diuinaq;
omnia permiſceantur. Nouiſſe ſe iam pridem Selym
mi ingenium, quàm uaſtum, quàm atrox, quàm in-
quietum foret, poſtquam Baiazete patre optimo,
tantæq; uirtutis fratribus, ac tantæ ſpei atq; indo-
lis ſeptem impuberibus conſanguineis per ſummũ
ſcelus enecatis, totq; amicis, ac fortiſsimis ducibus
crudeliſsimè trucidatis, immanitati atque audaciæ
nunquam finem uel modum impoſuerit. Propterea
Selymo denunciarent unam atq; extremam eſſe pa
cis tõditionem, ſi ab Hyſmaëlis prouincijs abſtine-
ret, & Aladoli filio paternum reſtitueret regnum,
quod in Sultanorum clientela ac fide ſemper fuiſ-
ſet. Id ſi faceret, ut rectè facere deberet, præter ſuam
gratiam atque amicitiam, quæ ei maximo uſui at-
que ornamento eſſe poſſet, ipſum longè maiorem
ex tuta pace, quàm ex ancipiti bello laudem eſſe re-
laturum. Legati tametſi Selymum non deſtitu-
rum incœpto, aut arma poſiturum ulla periculi de-
nunciatione intelligebant: tamen quo maturius di
mitterentur, & de repentino Campſonis aduentu
ad Selymum celeriter nuncium perferrent, dixe-
runt ſibi magnopere pacem placere, ſperareq; ſe iu-
ſtis adhortationibus flexuros animũ Selymi: quo-
niam aditum ad intima eius conſilia, & ſummã ad
perſuadendum authoritatẽ haberent: ac facilè futu
rum, ut ea incendiorũ initia opprimerentur, quæ in
tegris adhuc rebus nondum ueram belli flammam
concepiſſent. Ita cũ muneribus dimiſsi, continuato
die ac noctu itinere, ad Selymũ qui Cæſaream per-
uenerat, redierũt. Campſon quoq; promotis ab O-
ronte caſtris in Comagenem uenit, & ad Aleppum
celeberrimã urbẽ conſedit. Eam ex ruinis, antiquæ
Hierapolis ædificatã ab Alepio Iuliani Cæſaris præ
fecto qui in ea prouincia pręclaras bello & pace res
geſſerit, & nouæ urbi nomẽ indiderit, pluribus con
iecturis exiſtimamus. At Selymus, quũ per legatos
qui cuncta diligẽter Ægyptijs in caſtris explorarát,
de aduentu numeroq; hoſtiũ, ſimul & de Campſo-
nis arrogãtia, qui ſibi adeò tumidè atq; inſolenter
pręſcriberet, certius cognouiſſet, alia ratione ac in-
ſtituerat, bellũ ſibi gerendũ exiſtimauit: quòd neq;
tutam fore profectionem rebatur, ſi oblato nouo
hoſte in Armeniã cupidius penetraret, neq; ſuæ di-
gnitatis eſſe ſtatuebat, ad ſuperbi uaniſsimiq; homi
nis nutũ deſiſtere incœpto, expeditionemq; dimit-
tere, quam tanta impenſa, tantoq; ſtudio parauiſſet.
Igitur in ancipiti negocio, egregium ac neceſſarium
ab animi magnitudine conſilium capit: ſimulat ſe
rectà, ut conſtituerat, aduerſus Perſas progreſſurũ,
impedimẽtaq; & copiarum partem, ut certior eius
conſilij fama ad Campſonem deferretur, Suaſiam
urbem præmittit (hæc olim Sebaſta fuit) ſita eſt in
finibus Hiſmaëlis, ubi Euphrates Tauri montis oc-
curſu fractos, ac mox rapido aquarũ impetu uictor,
perruptis uallibus in Meſopotamiã effunditur. Cæ
terùm conuerſo in dextram itinere, tranſcendere
Taurum montem, et celeri in Comagenem irruptio
ne facta hoſtes imparatos adoriri conſtituit. Itaque
concionatus apud prætorianos noui conſilij ratio-
nem exponit, docetq; facilem atque expeditam eſſe
uictoriam, ſi adhibita celeritate, priuſquam retro-
ceſsiſſe ab Ægyptis ſentiant, eniti in aduerſa mon-
tium iuga, atq; eas itineris difficultates ingentibus
animis ſuperare uellent: neq; inani timore adducti
uana Mamaluchorũ nomina horrerẽt. Solere enim
deos immortales his, qui iuſta ac neceſſaria arma in
duerint, & belli cauſa pſtiterint, certã uincẽdi occa-
ſionẽ apponere. Cęterùm ſuperare hoſtẽ, potiriq; ui
ctoria in dextris eorũ ſitum, qui, q̃ pro decore gętis
ac ſalutẽ

ac ſalute Imperatoris occumbere, nihil in tota uita A
pulchrius atque præſtantius exiſtimarint. Præto-
riani alacri fremitu inter ordines ſuborto, ſtatim ac
clamauere, duceret ac raperet quò uellet, ſe cunctas
forti audacia peruaſuros locorum aſperitates, om-
nesq; labores ac belli incommoda æquiſsimè tole-
raturos. Ergo Selymus exploratis per montanos
homines itineribus, tres ſemitas traducendo exer-
citui deſtinat, adhibitaq; triplici Aſapporũ atq; in-
colarum manu, qui anguſtias repurgatis callibus a-
perirent, confragoſa quæq; & inæqualia itinerum
tranſuehendis tormentis communiri & exæquari,
aſperioresq; tranſitus quà iumenta ducerentur, ſu-
bitario opere conſterni iubet: ac ſimul ut milites
ad laborem accenderentur, donatiuum illis ex præ
ſenti pecunia pollicetur, qui in traducendo tormen
torum apparatu, extraordinariam operam nauaſ-
ſent. Vnde mox tormenta omnia, quum mino-
ris generis eſſent, nec maiorem Medico malo pilam
ferrent, facili tractu impulſuq; humeris militũ per
iuga & conualles tranſuecta ſunt. Factum eſt in-
credibili ſtudio militum, qui nouo bello aperiri ſibi
ad prædam opulentiſsimas prouincias uidebant,
ut quinque tantum diebus in eo labore abſumptis,
omnis exercitus cum impedimentis & curribus ſu
perato Tauri dorſo, in Comagenæ campos deſcen
derit. Neq; enim Taurus, ubi Amani montis nomẽ
aſſumit, qui locus fermè medius eſt inter Euphratẽ
ſecantem Tauri iuga atq; Iſsicum ſinum, qui hodie
Aiaccius dicitur, aſcenſu arduus eſt, uel inſuperabi-
lis. miteſcit namq;, quum extenuatus ad mare pro-
uehitur, & ſe multis in locis colendum atque habi-
tandum præbet Cilicibus montanis, aſperisque ho
minibus duro labori aſſuetis, qui hodie Caraman-
ni appellantur: ea uox nigri montis accolas ſignifi-
cat, quòd Amanus ab exuſtis cautibus procul ni-
greſcere uideatur. Saxouaroglis Aladoli proditor, B
quem paulò ante Selymus euocauerat, ut ſtatim in
hoſtium fines deſcenſum eſt, cum ualida ſuorum e-
quitum manu regionem omnem, quæ ad Amani
Tauriq; radices pertinet, celeri curſu percucurrit: ut
ſimul ubi nam Campſon cũ exercitu conſtitiſſet, ex
incolis captiuisque cogneſceret, obſeſsisq; itineri-
bus, quantum equitum diligentia effici poſſet, pro-
hiberet, ne de Selymi aduentu ad hoſtes fama de-
ferretur. At Campſon, qui uanitate atque ſuperbia
inductus, ſola authoritate atque amplitudine no-
minis terreri Selymum, & ad præſcriptum coërceri
poſſe putauerat, non prius adduci potuit, ut Tauri
culmina tranſmiſiſſe hoſtes crederet, quàm eorum
caſtra, in queis ſupra centum milia armatorum e-
rant, bidui tantum itinere abeſſe nunciatum eſt. Ita
ignarus belli, improuiſo metu territus, quum in
ipſo tanti diſcriminis negotio conſiliũ capere coge-
retur, ut qui ſuas atq; hoſtium uires tum primum
expenderet, fluctuare animo cœpit: æſtuandoq; ue-
hementer modò in ſpem erigi, modò metu ac pu-
dore agitari. Erant è ducibus qui tuta conſilia ſpe-
cioſis anteferrent, & ante alios Iamburdus cogno-
mento Gazelles, magni Caitbeij alumnus, uir for-
tis & militari prudentia inſignis, qui Amani, Apa-
miæq; præerat. Is ſicuti cum numeroſo uetereq; ho
ſtium exercitu tantulis copijs confligere calamito-
ſum arbitrabat, ita expedito agmine retrocedendũ,
& ſedem belli ad Damaſcum deligendam eſſe diſſe
rebat. Quando pedeſtris & curruum impedimentis
tardus ad inſequendum Turcarũ exercitus, tutum
& facilem receptum daret. Interea accitis in ſupple
mentum cæteris omnibus Mamaluchis, qui in Iu-
dæa atq; Aegypto in præſidijs forent, proximisque
Arabibus mercede conductis, in hyemem trahi bel
lum, atque hoſtem difficultate commeatus expu-
gnari facilè poſſe: nec ceſſurũ continuò Alepum mi
nora tantum tormenta trahentibus, ſi uel mediocri
præſidio firmaretur, uenturaq; ſubinde è Meſopota
mia Perſarum auxilia, ipſumq; Hyſmaëlem Sophũ,
cognito Turcarum itinere, in minorẽ Aſiam irrup-
turũ: nec defuturos Chriſtianos, qui è Cypro Rhodo-
q; inſulis, aduerſus communẽ hoſtem ænea tor-
menta ſubminiſtrarent, ſi legationibus adirentur.
Quibus comparatis, exequatisque uiribus, non te-
merè poſtea, ſi confligere, & ſummæ rei aleam ſubi
re adeò pulchrum exiſtimaret, in aciem eſſet deſcen
ſurus. Cæterùm grauiſsima bella, quæ initio uehe-
mentes, repentinosq; impetus habeant, prudẽtiad
uerſariorũ cunctatione interpoſito moræ ſpacio e-
langueſcere conſueuiſſe. Proinde fortunæ pericu-
lum facere ne properaret: quãdo errata bellorũ, quę
ſæpius ducum inſcitia temeritateq; prouenianť, lu
gere, ac ſerò deteſtari optimi quiq; poſsint: reſtitue
re autẽ atq; corrigere, nec Dij quidem immortales
queant. Mouerat Campſonem, & pleroſq; alios op-
portuna & graui ſentẽtia Gazelles, ſed quo minus
uera audirentur, militaris fremitus, & ſtulta Mama
luchorum alacritas Campſonis auribus officiebat.
Ii enim, quum certiora de aduentu Turcarum au-
diſſent, incredibili lætitia totis caſtris exultare, ge-
ſtire præ gaudio, atq; inter ſe gratulari quòd oſten-
dendæ uirtutis, ac parandę laudis tempus ueniſſet.
Iamq; illam tam diu exoptatã occaſionẽ tenerent,
qua Campſonem imperatorem ſuum ſupra titulos
& celeberrimã Caitbeij famam fuſis cæſisq; hoſti-
bus eſſent elaturi. Nec deerant ex principibus qui
adulatione, inaniq; iactantia memorando, quanta
cum gloria ad Tarſum ingentes Turcarũ copias nul
lo propè labore cęcidiſſent, facilem atq; expeditam
de ipſo hoſte uictoriam eſſe prædicarent. Sed in pri
mis Cayerbeius Alepi & Comagenæ prouinciæ præ
fectus, qui poſtea perfecto bello, perfidiæ meritis
ad ſummos honores euectus eſt, quũ de ſtudio, uir-
tute atq; ardore Mamaluchorum magnificè loque-
retur, quæ de apparatu numeroq; hoſtium uulgata
erát, eleuare uerbis, & ſaluberrimi conſilij rationes
euertere properabat. Erat enim Cayerbeius haud
obſcuris de cauſis Campſoni infenſus, quòd ipſius
fratrem authoritate & formidãdis opibus clarum,
aliquot antè annis Campſon ueneno ſuſtulerat. Vn
de poſtea Cayerbeius, quum ſibi etiam cauendum
exiſtimaret, & ſe ijſdem quoq; inſidijs petitum ſuſ-
picaretur, uocatus Memphim de more ad procerũ
conuentus peragendos, ſimulata ęgritudine, regio
edicto parere noluerat: quæ res haud mediocriter
regium animum exulcerauit. Sed Campſon tacita
iracundia tempus operiebatur, quo hominem præ
ferocem oblitum conditionis, ac inſolentius aduer
ſum ſe ueluti è proprio regno in præfectura agen-
tem capere atque interficere poſſet. Id commodè
perfici poſſe uidebatur, ſi ipſe occaſione belli, ut tũ
acciderat, uel ſimulatione adeũdi Euphratis Hiero
polim ueniret. Mos enim erat ueteribus Sultanis,
nõ prius ſe regio nomine uel militari laude dignos
exiſtimare, q̃ ut proximè fecerat Caitbeius, produ-
ctis ad Euphratẽ copijs, apud Byrtham emporium,
quod in ripa & antiquũ nomẽ & celebritatẽ adhuc
retinet, conſediſſent, ac ſolenni pompa equũ ad po
tandas profluẽtis undas ſpectãte exercitu in amnẽ
adegiſſent: ut q̃ ea ceremonia intelligi uellent, ſe q̃
latiſsimè imperitare, ac paratos armis oſtẽdere ſuos
eſſe agros, qui citra Taurum uſq; ad Arabiæ ſoliti-
dines Euphrate amne alluerentur. Verùm obſtabat
ratio belli, quo minus eũ primo aduentu ſtatim op
primeret: quòd incertis adhuc Selymi conſilijs, cir-
cũſpectare Turcarũ & Perſarũ motus, & conceptas
differre inſidias uſq; ad belli exitũ ex uſu pręſentiũ
rerum arbitrabat: ne atrocitate inopinati facinoris
milites cõſternati, ſeceſsionẽ facerẽt, aut in ampliſ-
ſima urbe ad rebellandũ ex noua re tumultus exci
tarẽt. Nã Cayerbei⁹ ualidiſsimas copias familiari-
tat⁹

tate ac beneficijs sibi obstrictas habebat in castris, et
A summâ apud Hieropolitanos gratiam atq; authoritatẽ obtinebat: ac munitissima arce quę media in urbe accliui in tumulo ædificata erat, fideli custode impositio potiebatur. Sed dum Campson tardius & consideratius ea moliretur, nonnulli ex intimis Sulthani familiaribus, qui officiosi q̃ fideles uideri malebant, Cayerbeium secretò monuerunt, ut regias insidias caueret, atq; aliquo honesto consilio rebus suis prospicere uellet. Ille periculo cognito omnem deliberandi moram exitiabilem ratus, nuncios ad Selymũ transmittit, qui doloris sui causas aperirẽt, pollicerenturq́; se in eius fidem ex occasione cõcessurum, traditurũ arma, arcẽ & studia ciuium erga se perquàm egregia: proprijq́; equitatus uires, ut fraternam necẽ ulciscereturad parandam de Campsone uictoriam esse collaturũ. Cæterùm ut promissis fides adhiberetur, obsidibus cauerent: & quæ cõsilia Campsonis, qualesq́; eius & quãtæ copię essent, sigillatim perdocerent. Postremò adhortarentur, ut accederet, & manus conferere maturaret. Nec Selymus postulatis annuere, proditorisq́; uoto subscribere, atq; ultrò maiora etiam polliceri dubitauit, haud ignarus explorari pararíq; sibi uictoriã, si amplissimę uires tãti uiri defectione hostibus decessissent. Itaq; Campson spreto Gazellis cõsilio, quod fidei ac salutis plenissimũ erat, Cayerbeij proditoris, omniũ militũ hortatu, atq; ipsa etiã urgẽtis Fati uiolentia impulsus, quũ Selymus appropinquare diceretur, prælio decertare cõstituit. Posita erat eius castra idoneo in loco ad Singam amnẽ, decimo fermè ab urbe miliari: ea ratione, ut milites propinquitate amnis uterentur, & semoti ab urbis tectis atque delicijs, nihilominus ciuium facultatibus ac copijs iuuari facilè possent. Mamaluchi duodecim milliũ numerũ uix attingebant: uerùm singulos, ut quisq; eorum maioribus stipendijs atq; opibus eminebat,
B plures serui armis & equis liberaliter instructi sequebanť. Decora certè ac insuperabilis acies, si uera uirtute certareť. Viri prolixa barba, & minacibus oculis truces, ipso toto corpore lacertosi atq; flexibiles, tanta arte pugnã ineunt, ut post primos statim hastarũ ictus, modò sagittis, clypeo in tergum reiecto, modò ferrea claua, interdum falcato ense, ut locus congressus q́; poposcerint, admirabili quadã agilitate uirtuteq́; depugnent. Equi eorũ ualidi atq; acres, atq; Hispanicis forma celeritateq́; persimiles: quodq́; supra nostrorum hominũ opinionẽ esse uidetur, tanta ingenij docilitate in primis prestant, ut ad nutus, & ad certas sessorũ uoces, hastã sagittãq́; mordicus terra subleuatã porrigere, hostem agnoscere, atq; appetere dentibus, calcibus cuncta circũsternere, nec horrere propriũ cruorẽ, natura consuetudineq́; didicerint. His frena argẽtea, aurata ephippia, & squamosi operis ferrea colli & pectoris tegumenta conspiciuntur. Eques lorica, uel thorace ferreis laminis conserto, cõtentus est. Primorũ ordinũ equites, & quisq; diuitijs clarus galeas ferunt. Cæteri linteo capitis tegumento, quod pluribus implicatum spiris ad elegantiam intorquetur, se satis munitos aduersus cæsim ferientes existimant: gregarij aũt equites uillosis purpureis q́; pileis, qui graui gladiorum ictu discindi nequeunt, utebanť. Campson ex omnibus copijs quinq; acies instituit, prima Cayerbeio data, quòd in eius prouincia bellum gerebatur: secunda Sybeio, cui ab admiranda corporis agilitate Baluano, quod eorũ lingua schenobatẽ significat, cognomentum fuit. Is erat tetrarcha Damascenus, uir singularis fidei ac uirtutis, qui uno tẽpore dextrũ & sinistrum cornu Turcarum inuaderent. Hos Gazelles cum tertia acie sequebatur, his uel illis ubi res poscęret auxilio futurus. Quartam ipse Campson, ultima ad præsidiũ castrorũ relicta, auratis armis fulgentem ueluti subsidiariam inter-
A uallo duodecim stadiorum adducebat. Selymus autem sic instruxerat aciem, ut more suo Asiaticum in dextro, in læuo Europeum equitatum, prętorianos uerò pedites cum tormentis in medio collocatos haberet. Sed ante peditatum ornatissimi atq; fortissimi prætorianorum equitum, in queis ipse Selymus eo die præter consuetudinem esse noluit, medio in sinu frontem obtinebant. Cayerbeius ut statim appropinquatum est, in speciem egregij animi acri impetu facto, Europeos adortus est: mox ueluti circumuenire eorum aciem uellet, in terga longo circuitu deflexit, ubi nouissimum lixarum agmen impedimentaq́; ac innumerabilem camelorũ multitudinem, magno terrore illato potius, quàm multa cędę conturbauit: ut fortis & proditor decori simul atq; perfidiæ satisfacere uideretur. In diuersa autem parte Damascenus, ut ab latere aperto hostes inuaderet, omissa fronte & circumactis in læuã turmis, in transuersos incurrit: tantoq́; ardore à Maluchis dimicatũ est, ut ingenti Asiaticorum strage edita, ad uexilla quę in medio collocata erant, in morem rapidissimi torrentis penetrarint. Nec prostratis primis Mustaphas Bellerbechus (hic Baiazetis erat gener, natione Hungarus) & Imbracorbassa regij stabuli magister, qui magna ui contrà contendebant, quin diffugerunt, diutius sustinere potuerũt. Ita uictor Damascenus hostium cornu in duas partes discisso, quum ex obliquo ad pedites & terga prætoriani equites peruasissęt, cuncta propè in media acie cædibus terroreq́; cõpleuit. Erat res posita in summo discrimine, quòd Selymus incursu hostium propè absciissus erat à peditatu, in quo summam spem reponebat: quòd prætoriani à Gazelle qui Damasceni fortunam secutus, iam mediã frontem inuaserat, acerrimè premebantur: quodq́; Asiatici pulsi atq; disiecti nullam restituendæ pugnæ rationem inueniebant, quum Sinambassa laborantibus auxilio superuenit. Eius aduentu, quoniam nulla, uel mediocri pugna à Cayerbeio fuerat lacessitus, recẽtemq́; equitum multitudinem induxerat, audacia Mamaluchorum retardata, auctiq́; Turcarum animi, ac mox hostibus erepta uictoria, quum Selymi iussu in aduersos tormenta disploderentur. Quorum insolito fragore consternatos equos Mamaluchi nec regere poterant, nec ipsi singulari atq; admiranda uirtute sua, ut erant in medio ab infinita hostium multitudine circumuenti, quicquã proficiebant. In ea tamen rerũ asperitate nequaquã fracti animo, tametsi à Cayerbeio & à Fortuna deserebantur, neq; consilio, neq; uirtute sibi defuerunt. Vniuersiq́; densato agmine conglobati cũ strage Europeorum, & prætorianæ alæ detrimento, oppositam aciem perruperunt, & continenti cursu castra atq; urbem petere cœperunt: tum demum acti omnes in fugam, persequente Sinambassa cũ expeditis & recentissimis equitum. Namq; Selymus, qui ea die in summo æstu patientia corporis, & uigore animi, & consilij felicitate, seipso haud dubiè maior apparuit, ut uictoriæ insisterent, & perterritos sectarentur, huc atq; illuc uolitans fuerat adhortatus. Iam Campson urgẽtibus fatis aciem promouerat, ut uel suis subsidio foret, aut uictoriæ, si Turcæ uincerentur interesset, quum in itinere à fugientibus cognoscit defeciśe Cayerbeium, fusas esse copias, nec iam omnium fugam sisti posse: tantam esse tormentorum uim, tantamq́; hostium multitudinem, ut diutius sustinere nequeant. Quo nuncio elatissimus senex, qui nunquam in perpetua rerum tranquillitate alteram fortunam expertus fuerat, supremo animi dolore concepto, penè concidit. Nec multo pòst superueniente suorum atq; insequentiũ hostiũ turba, qui ipso cursus impetu concitati, obuios quosq́; promiscuè proterebant, quum annis, & ingentis herniæ pondere grauaretur, & æstu mœroreq́;

req́; deficeret, in eo puluere exanimatus est. Damascenus quoq; & Tetrarcha Tripolitanus dum effusę omnes castra, atq; inde Hierapolim peterent, atq; ipsi à nouissimo agmine irruentium impetum sustinere conarentur, interiere. Selymus eodem in campo ubi pugnatum fuerat, paucis erectis tabernaculis, maioreq́; exercitu parte in statione collocata, insomnem egit noctem, ut qui uictoriæ ac fortunę suæ nescius, magnoperè timebat, ne tantæ uirturis homines, captatis ad insidias tenebris, ad oppugnãda castra reuerterentur, quos ipse tormentorũ metu magis quàm uera militum uirtute pulsos, & coniectos in fugam esse conspexisset. At Gazelles & cæteri Mamaluchi, quũ de Campsonis morte certius cognouissent, uixdum refectis ab lassitudine equis, de quarta uigilia ab Hierapoli Damascum citato itinere profecti sunt. Postero die Selymus promota acie, castra hostium regiæ opulẽtiæ plena militibus diripienda cõcesit: atq; inde ad urbem progressus, Hierapolitanos duce Cayerbio dedentes sese, in fidem recepit, atq; immunitatis honore prosecutus est. Periere in ea pugna non amplius mille Mamaluchi: sed plures ex eorum seruis, maioreq́; aliquantò cædes in fuga quàm in prælio facta, quum fatiscentibus sudore equis, & siti passim emorientibus, destituti in pedes ab ignauissimo quoque equite faciłè opprimerentur. Pugnatum est ad septimum Calendas Septembres, eo ipso die, quod mirũ est, quo Calderanis in campis biennio ante uictoriã de Hismaële retulerat. In partibus autẽ Selymi supra tria milia equitum cæsa referuntur, ut hinc coniectari liceat, insignem eum cladem fuisse accepturum, si ab ęquo cornu, quod proditoris beneficio intactum remansęrat, Sinambassa, ut alteri præfecto accidit, in suum & ipse Damascenum incidisset: quanquã recenti atq; integro adhuc peditatus præsidio confirmatus nullum salutis uel ignominiæ periculũ adire
B posse uideretur. Campsonis cadauer biduo pòst à conquisitoribus absque ullo uulneris uestigio repertum est, quod Selymus recognosci, & palam ostentari iussit, ut eæ gentes, quæ illum uiuę re, & ad reparandas uires Memphim contẽdere obstinata credulitate putabant, omni reliqua spe rerum nouarum decideręt: & qui fideles erant, in posterum firmiores, sublata eius rei suspicione, redderentur. Nec multo pòst, quum iam fœtore taboque diffłueret, & ad coarguendam uulgi famam, tridui spectaculo, satisfactum esse uideretur, apud uetustissimum urbis templum mediocri funere tumulatum est. Hierapoli in fidẽ recepta, Selymus Iunus-bassam cum expedito equitatu, qui uestigijs fugientium insisteret, Damascum præmisit, quò & ipse paucos post dies, quũ inde quoq; decessisse hostes, ac fuga Memphim petiuisse cognouissęt, cum omnibus copijs profectus est. Statimque ei Damasceni, qui morari uictoriæ cursum, & opulentissimæ urbis fortunas in discrimen adducere alienum à rationibus suis existimabant, ab sq; ulla dubitatione portas aperuerunt. Quorum exemplo permotæ mariti mę ciuitates, et in primis Tripolis, Berytus, Sydon, atq; Ptolemais missis legationibus, acceptis q́; Turcarum præsidijs, similiter deditionem fecere. Nec multis inde diebus Selymus celeberrimũ conuentum in castris habuit. Ea Damasci mœnibus iuncta erant, ne quietæ & frequentissimæ urbis status, & mercaturæ commercia, quæ summa omnium securitate ab uarijs remotissimarum nationum negotiatoribus tractari consueuerát, intromissa militũ multitudine, turbarentur. Quanquam ea esset in castris disciplina, seueriśimis acerrimi Imperatoris legibus constituta, ut quum milites nihil sibi ex ea uictoria licere intelligerent, in fertilissimo autumno horti sine custodibus tutò relinquerentur. Quo meru adeò prudenter penuriæ prouisum fuit, ut Tur-
A carum castra cunctis in locis rerum omnium copia semper abundarint. Itaq; adscitis legũ peritis, enocatis q́; eò omnium ciuitatũ legationibus, insignes Syrorum controuersias audiuit, atq; finiuit. Præfectos prouincijs atq; urbibus dedit: recognouit uectigalium rationes: & nonnulla ex uetere Sulthanici iuris formula, quæ iniqua uel onerosa populis uidebantur, ut summam sibi inde liberalitatis atq; iustitiæ laudem compararet, antiquauit. His rebus hunc in modum optimè constitutis, quũ satis quietis & spacij ad recreanda iumenta, quæ longi & pertinii itineris labore remacruerát, exercitui datum arbitraretur, atq; ipse omnibus consilijs ac uiribus Aegypto totus immineret, Sinambassam cum quin decim millibus equitum, adiunctis his ualida manu sclopetariorum, quæ ex ordine Ianizarorum & Asapporum delecta fuerat, in Iudæam præmisit, qui cuncta passim eius regionis loca exploraret, atque iter ad Gazam, quod propter Arabes impeditissimũ fore putabatur, aperiret. Ea urbs ad mare, atq; Aegypti fines pertinet, propinqua arenosis solitudinibus, per quas difficili periculosoq; itinere ab Syria Aegyptus ulterior, ac ipsa Memphis adeũtur. Interea Mamaluchi, qui duce Gazelle Memphim peruenerant, cæteriq; omnes, qui è cunctis regni partibus eò conuenerant, consilio habito, ut in asperis ac difficillimis tẽporibus accidit, nulla ambitionis uel inuidiæ contentione, Tomumbeium natione Circassium regem sibi delegerunt. Is tũ magnus Diadarius erat: qui magistratus post regẽ primum honoris atq; potentiæ locum obtinebat. Cæterùm ei uiro tantum uigoris atq; industriæ inerat, ut qui affłictas res, & labantem Imperij fortunam uirtute erigere posset, solus esse omnium propè Mamaluchorũ opinione crederetur. Is ut statim Sultani nomẽ adeptus est, ratus suã dignitatẽ & reliquas spes omnes in armis, & in una bella fortuna esse collocatas singulari studiq; arma, tela, equos undiq; cõquirere, tormenta cõflare, ex seruis qui militiæ idonei uidebantur, turmas cohortesq́; instruere, & ab finitimis Afris atq; Arabibus auxilia mercede comparare cœpit. Præterea peritos regionum magno proposito præmio, per deserta Palmirenorum in Mesopotamiam, atq; inde ad Hysmaëlem cum literis mittit: qui petant atq; orent, ut minorem Asiã incursionibus exagitet, & in primis in Comagenem discessũ hostium uacuam nudatamque præsidijs irrumpat. Selymum enim, qui tũ in Iudææ finibus esset, duobus exercitibus facilè intercludi posse, & commeatu prohiberi: quando litora nullis Turcarum classibus tenerentur, quæ terrestres copias aduectitijs commeatibus subleuare, uel eas, si aliquam ex euentu belli calamitatem acciperent, & propterea de recessu cogitarent, excipere ac auehere possent. Id si faceret, ipsum & Aegypti simul rebus propter eius causam in summo discrimine constitutis subuentu rum, & tot insignes iniurias, quas ab infensissimo hoste nuper accepisset, nullo propè negotio esse uindicaturum. Dum hæc à Tomumbeio administrantur, Sinambassa pluribus Arabum turmis, quæ latronum more uias obsederant, facilè pulsis, patefactoq́; itinere Gazam peruenit. Eum Gazenses, tametsi Mamaluchis fidi erant, tamen quòd sine præsidio militum portas claudere, & tentare defensionem periculosi & insani propè consilij esse iudicabant, deditione facta protinus recipiunt. Vrbis copijs exercitum iuuant, ac simul gratias agunt, quòd Selymi & Turcarum beneficio acerbissimæ seruitutis iugum depulissent, seq́ue omni tempore mansuros in fide ob eius rei memoriam pollicentur. Sinambassa collaudato eorum studio, cætera quæ sibi usui erant, eis imperat: sub mœnibus ad teli iactum inter hortorum munimenta castra locat; atq; eo in loco Selymi aduentum expectare cõstituit,

ſtituit. Interim ut erat multis militiæ experimẽtis eruditus, operam dat, ut regionem quæ paſsim infrequentia ædificiorum & aquæ penuria aſpera inculta{que} eſt, ac arenoſi præſertim eius itineris naturã cognoſcat. Incolas donis pellicit, qui proximos Arabum duces, oblatis amicitiæ conditionibus ſibi concilient, & quid Mamaluchi ad Memphim parent, quibus{que} uiribus confidant, diligenter explorent, & protinus ad ſe reuertantur. Contrà Gazenſes, qui natura Turcarum hoſtes erant, & iam à præſenti exercitu quotidie rerum ſuarum detrimenta ſentire cœperãt, Tomumbeium de Sinambeſſæ aduentu certiorem reddunt. Docent eam Turcarum partem, antequã Selymus adueniat, facilè poſſe opprimi atq; deleri, ſi ualida Mamaluchorum manus cum peritis ducibus ad ſe trãſmittatur. Ipſos enim, quum ex compoſito Mamaluchi intempeſta nocte ſopitos hoſtes inuaſerint, eruptione facta protinus caſtra aggreſſuros, & iniectis facibus cuncta cæde atque incendio turbaturos. Conſiliũ Tomumbeius & Mamaluchi ſtatim probant, mittitur{que} Gazelles cum ſex milibus armatorum equitum, & magna Arabum multitudine. Gazelles enim quòd ſalutaria eius conſilia à Campſone atq; alijs fuiſſent ſpreta, unde mox pugnæ auidi tantam ſibi calamitatẽ temeritate contraxiſſent, ipſe{que} in ea prælij aſperitate & prouidi ducis, & promptiſsimi equitis officia fuiſſet executus, ad ſummam bellicæ uirtutis opinionem peruenerat. Sed uix dum eo profecto, Sinambaſſæ per Syros exploratores defertur, Mamaluchos adiunctis Arabibus à Memphi per deſerta ad ſe opprimendum iter ingreſſos eſſe: atque eos, quòd expediti in equis abſque ullis ſarcinarũ impedimentis exierint, ante biduum ad ſuturos. Qui nuncius ſicuti opportuniſsimo tempore Turcarum exercitui ſalutem attulit, ita maximo poſtea ad ſummam totius belli uictoriam momento fuit. At Sinambaſſa quanquam de Gazentium perfidia nihil cognouerat, tamen quòd illa eadem, ut erat prouido ſolertique ingenio, ſibi accidere poſſe ſuſpicabatur, ne ſibi cum duplici hoſte negocium foret, Mamaluchis occurrere, & prælij fortunam experiri cõſtituit. Ergo de ſecunda uigilia, caſtris ſilentio egreſſus, è conſpectu urbis diſcedit, & Memphitica uia ad quintumdecimum miliare prouehitur. Erat in proximo humilis pagus, quo uiatores pro hoſpitali diuerſorio, ob perennis atq; largiſsimi fontis opportunitatem utebantur. Ibi forte & Sinambaſſa ſubſiſtere uolebat, & Gazelles aliquot horis conquieſcere, & ſuos recreare, ut noctu & maximè recentibus equis Gazam peruolaret, pari conſilio cogitarat: quum uno fermè tempore ab antecurſoribus eleuari ingentem puluerem, & mox aduentare copias utrinque duci nunciatur. Gazelles improuiſa re uehementer animo perturbatus, quòd ſe deiectum conſilio atque hoſti imparem futurum, ſi congredi uellet, feſsis præſertim equis intelligebat: quã{quam} de communi omnium ſalute in ueſtigio conſilium capere cogeretur, tamen animo non deficit, ſuos cohortatur ut arma expediant, & negociũ quod per inſidias perficere nequiuerint, id ſibi in aperto uera uirtute omnino conficiendum eſſe exiſtiment. Ex aduerſo Sinambaſſa aliquanto celerius quàm Gazelles acie inſtructa, quoniã milites, quæ fieri uellet ſi prælio certaretur, multum antea per ocium edocuerat, alacriter ac diffuſe apud cunctos ſuorum ordines concionatus eſt. Sed finis eius orationis fuit, ut omnino fugæ obliuiſcerentur, poſtquam omnia circum clauſa atque infeſta niſi uictoribus futura eſſent: illud{que}; in primis perſuaſum habere uellent, neminem ea die periturum, niſi quem certiſsima fatorum lege dij immortales exitio deſtinaſſent, pari{que} periculo & fortes in medijs hoſtium gladijs ſalutem, & timidos in tutiſsima etiã fuga ineuitabili ſorte morte inuenturos. Erant ſclopetarij in cornibus, quæ rara & ſimplici acie in longum porrigebantur, ea ratione, ut liberius ſclopetis uti, & latiore ſpacio circũuenire hoſtes poſſent, haſtati uerò medium tenebant locum, ut Mamaluchorum impreſsionem ſuſtinerent. Gazelles autem ap propinquans Arabum turmas ad diſturbanda cornua præmiſit, & quadrato agmine in mediam aciẽ inuectus eſt. Fuit prælium atrox, ac diu anceps, quoniam Turcæ etiam numero ſuperiores uim armatorum equitum ferre non poterant, iam{que} pulſi loco, atque in diuerſum erumpentibus Mamaluchis diſiecti, fugam oculis atque animis circumſpectabant, quum iubente Sinambaſſa, ſclopetarij, qui ad primam glandium procellam Arabas expulerant, reductis cornibus uniuerſam hoſtium aciem circũuenerunt. Quo caſu uiri pariter & equi à tanta multitudine eminus mortiferis glandibus ſternebantur, nullus{que} in medio circumuentis uirtuti locus relinquebatur, quoniam ubi aliquis Mamaluchorũ globus incitatis equis procurrebat, Turcæ leuitate ſua cedere aſſueti, uelociſsimè refugiebant: undiq; huic rei omnibus pugnæ locis ſtudebant, ut equos non conferrent, & ſolis ſclopetis uterentur: Gazelles quum defatigatos extrema laſsitudine equos cerneret, nec dilabentibus Arabibus quicquam auxilij ſibi ampliùs ſperandum eſſe arbitraretur, multi{que} iam ex fortiſsimis ſuorũ cecidiſſent, aut uulnerati eſſent, ipſe{que}; præaltum uulnus ceruice recepiſſet, cum reliquis ferro ſibi iter aperiens, amiſsis omnibus ſignis militaribus per eaſdem ſolitudines Memphim profugit. Periere in eà pugna Alexandri nus præfectus, & Orcomas Memphiticus prætor, uiri inſignes, præter{que} eos magnus Arabum numerus, & mille ferè noti equites. Nec Sinambaſſa lætam aut incruentam uictoriam adeptus eſt, nam ſupra duo milia equitum, & in his aliquot clarioris nominis præfectos deſiderauit. Turcæ quum à meridie ad occaſum ſolis protracta pugna, atque ob id exanimatis curſu equis, fugientes perſequi nõ poſſent, ipſi{que} inedia ac labore deficerent, eodem in loco iuxta fontem caſtra poſuérunt. Sequenti autẽ die cæſorum ſpolia toto campo per ocium lecta, capta{que} hoſtium abſciſſa cadaueribus, quæ ab ipſo barbæ habitu, quòd Turcæ cunctas corporis partes præter labrum ſuperius radant, facilè dignoſcebantur, palmarum arboribus adfixere, ut impigrè nauatam ab ſe operam teſtarentur: ac ſimul ea immanis ſpectaculi nouitate tranſituri, mox imperatoris ſui oculos ad oſtentandam eius diei uictoriã detinerent. Interim Gazenſes, quum exoriente ſole uacua hoſtium caſtra conſpexiſſent, ut qui diutius perfidiam diſſimulare nõ poterant, rati Sinambaſſam cognito Mamaluchorum aduentu timore adductum, inde retrò in pacatiora loca refugiſſe, nonnullos Turcas ex numero ægrorũ, ut luce facta ſequerentur, relictos, impetu repentè in eos facto crudeliter interfecerunt: & paulo pòſt circiter duo milia Turcarum equitum, qui ad augendas Sinambaſſæ copias à Selymo ſubmittebantur, forte{que}; ea ipſa hora ſuperuenerant, & magna cum ſolicitudine nũ in ea loca cum exercitu Sinambaſſa perueniſſet, ſciſcitabantur, hoſtiliter adorti omnibus impedimentis exuerunt, & in fugam dederunt. Qui poſtea eo accepto incommodo, quum Sinambaſſam cum uniuerſis copijs aliquo aduerſo caſu, uel hoſtiũ fraude perijſſe putarent, quem ad Gazam caſtra habere ut conſtitutum fuerat, atque ibi Selymi aduentum opperiri exiſtimabant, & propterea trepida fuga regrederentur, ab Arabibus in itinere trucidati ſunt. Nec unus eorum omnino incolumis euaſiſſet, niſi Iulebbo Achaiæ Sangiacho ad Ramam urbem occurriſſent. Is enim pariter à Selymo miſſus cum ualida manu Græcorum equitum, ad Sinambaſſam contende-

contendebat, cuius aduentu audacia perſequentiũ Arabum repreſſa eſt. Cæterùm Arabes, euocatis ad prædam alijs atq; alijs ſuorum ducibus, qui proximos montes incolebant, ac ingenti conflato exercitu, Turcas ad Carasbaram uicum conſecuti ſunt: pugnatum{que}; eſt iniquiſsimo Turcis loco, quoniam Arabes præoccupatis quibuſdam anguſtijs, quæ ad extremum ſpacioſæ uallis coarctabant iter, à tergo ſimul, à fronte, & à lateribus ſe oſtenderãt. Arabum arma erãt, præter ſagittas, longiſsimæ haſtæ utrinque ferro præfixæ, quas ad medium agili manu cõprehendunt: his ſumma peritia in pernicibus equis utebantur, & aduerſi pariter, ac fugientes hoſtem letifera cuſpide feriebant. Quamobrem Turcæ & numero pauci, & haſtarum genere impares, procurrere non poterant, circumuentiq; in orbem pugnare, ac ſimul iter facere cogebantur. Erat{que}; res in magnum adducta periculum, niſi Iulebbus prolatis quatuor currulibus tormentis, quæ præſidij cauſa ſecum adduxerat, eos qui fauces occuparant, uti erant editiore in loco, cum multa ſtrage deiciſſet, apertoq; itinere inde celeriter ſuos eduxiſſet. Quibus anguſtijs ſuperatis, patẽtiores nactus campos, meliore aliquãto cõditione iter facere cœpit. Nam per ſclopetarios & ſagittarios eminus rẽ gerebat: & quum hoſtes appropinquabant, aperta acie confertas haſtatorum turmas emittebat. Vbi uerò denſior atque amplior Arabum globus ſeſe offerebat, in eos tormenta certis ictibus emittebantur. Contra Arabes diſperſi circumuolitare, nouiſsimo abeũtium agmini inſtare, ſubſequi nequeuntes & uulneribus retardatos opprimere. Poſtremò iter morari, nec tantis difficultatibus circumuentos cibum capere, aut omnino conquieſcere, pati. Hic dies Turcis longè grauiſsimus fuit, nam plures eorum ſiti, uulneribus, & curſus labore conflictati, ceciderant: nullum{que}; iam ſubſidium extremis eorum rebus abnumeroſa ac pertinaci hoſtium multitudine relinquebatur: quum magnus Turcarum numerus medio fermè itinere laborantibus ac perditis ſuperuenit. Selymus enim Hymbracorbaſſa cũ ualidis copijs ad tuendam Syriam atque Aſiam in Perſarum finibus conſtituto, atque accitis Byzantio nouis militibus, qui magna atque ornatiſsima claſſe in Syriam tranſportarentur, caſtra Damaſco promouerat: & ut rei frumentariæ conſuleret, quæ exhauſta in regione anguſtior erat, ſeparata ſuorum agmina certis interuallis ſingulis quoque diebus præmittebat. Ita Iulebbus recentium militum interuentu eo periculo liberatus, ſequenti die Selymo occurrit, & que ſibi ac primis equitibus ad Gazam ac Ramam, & mox toto itinere contigiſſent, quæ{que} ipſi coniecturis Sinambaſſæ exercituique eius, ob crebras infenſiſsimorũ hoſtium inſidias acciditſſe exiſtimarẽt, ordine expoſuit. Quo nuncio Selymus in ſummam animi ſollicitudinem adductus eſt: quòd niſi exploratis & cognitis Sinambaſſæ rebus, in cuius fortuna totam belli rationem conſiſtere iudicabat, minimè ſibi procedẽdum eſſe arbitraretur. Sed mœrore atque ea cura anxio paulo pòſt Syri ſpeculatores ſuperuenere, qui rem, uti à Sinãbaſſa geſta fuerat, retulerunt. Quibus cognitis rebus incredibili lætitia eſt affectus, quoniam ea uictoria & apertã ſibi Ægyptum, & bellum celerius opinione propè confectũ eſſe prouidebat. Poſtero die exercitus Ramam ductus, proximaq; eorum Arabum mapalia, qui tantas tranſeuntibus iniurias intulerant, ut cæteri exempli atrocitate deterriti à latrocinijs abſtinerent, cum uxoribus eorum ac liberis cõcremata. Indeq; præmiſſis pedeſtribus copijs, quæ Gazam iuſtis itineribus contenderent, ipſe ad lęuam Hieroſolymas deflexit, ut urbem uetuſtate originis, ac Hebraicæ religionis fama totius Orientis celeberrimam inuiſeret. Ea tunc miſerabili ſacrarum ruina rum deformitate inculta atq; deſerta, non à Iudæis ueteribus incolis, qui tunc toto orbe extorres in admiſsi ſceleris pœnam, nec ſedem nec patriam habebant, ſed à paucis Chriſtianis incolebat. Ii cum ignominia, & grauj admodum contumelia Chriſtiani nominis, ob conceſſam uenerandi ſepulchri poſſeſsionem, graue tributum Ægyptijs regibus perſoluunt, nec florentes ætate opibus Europæ principes, ullis ueræ uirtutis uel immortalis gloriæ ſtimulis ad uindicandam iniuriam excitantur, quum religionis cauſam tanti nõ ducant, & inteſtinis bellis uel infami ocio abſumi, id demum regium atq; æterna laude dignum arbitrentur. Selymus ueterũ Prophetarum monumenta ſuppliciter ueneratus, Mahometo in primis ſacrificauit: & Chriſtianis ſacerdotibus loci præſidibus, tanquam pijs probisq; hominibus, pecuniam in alimenta ſex menſium largitus eſt, atq; inde unam tantum Hieroſolymis moratus noctem, Gazam ad exercitum quartis caſtris peruenit: quo itinere diu noctu{que} cum Arabibus continenter dimicatum eſt. Nãq; illi conſuetudine ſuã omnibus locis infenſi aderant: ubi locorum anguſtijs iter impediebatur, quòd extenuari Turcarũ agmina neceſſe erat, tranſuerſis prælijs laceſſebant, & comminus improuiſi præliabantur. Si in ualles agmẽ ſe demittebat, ipſi è uertice collium paratos ante ingentium lapidum cumulos prouoluebant: neque ullum in ſclopetarijs præſidium erat, in quibus ſummum fore putabatur. nam cœlum per eos dies uento & cõtinuis imbribus adeò fœdum fuit, ut ſulphureus puluis in lagenis & cornibus ſeruatus, humore concepto lenteſceret, & ignis paſsim humentibus funiculis extingueretur. Tamen uirtute prætorianorum effectum eſt, ne aliquod maius incommodum in conſpectu imperatoris ab nudis latronibus acciperetur. Nam captis lanceis talares ſuccincti ueſtes, in aduerſos montes euadebant, atque illos deturbabant: neque anguſtis in locis eos conſiſtere, uel obſidere fauces patiebantur. At Sinambaſſa, qui Gazenſes necatis defectionis authoribus, bonis{que} eorum direptis, & pecunia publicè imperata, meritas perfidiæ pœnas dare coëgerat, cognito Selymi aduentu, uictrices copias hoſtiũ ſpolijs exornatas eduxit, atque obuiam eſt progreſſus. Quem Selymus multo cum honore uerborũ commendauit, & muneribus ſericæ ueſtis ſignatæ{que} pecunię, omnes præfectos, & ſigillatim fortiſsimos quoſque equites proſecutus eſt. Exinde caſtra quatuor tantum dies Gazæ habita, quòd nullum perterritis iam hoſtibus, & duplici clade afflictis, morę ſpacium dandum putabat, & nouum regem authoritate nondum collecta, ipſam{que} Ægyptum ſitus munitione, numero hominum, & copia frumenti ualidiſsimam, maioribus præſidijs confirmari nolebat. Quæ omnia tametſi proficiſcendi ſummam celeritatem efflagitabant, atque ipſum ad gloriam & famam naturali cupiditate properantem nouis ſtimulis ad maturandum accendere uidebantur: tamen & reficiendus erat exercitus ab tanto labore perpetui itineris, & magna utrium multitudo inſtituenda, quibus per uaſtas & fontium penuria deſertas harenarum ſolitudines, ingentem aquæ uim toto itinere camelorum ſubuectionibus comportarent: ſiquidem ab Gaza ad Memphim harenę inculte & ſteriles iacent, quæ, ſi uentis agitatæ fuerint, ſequentis pelagi ſimilitudine in fluctus adeò turbidos attolluntur, ut ſæpè eleuati pulueris nube cuncta undique obſcurent: & cedente paſsim inæquali ſabulo, incedentium ueſtigia fallant, uehementerq; fatigent. Verùm illis diebus præteritos imbres tanta cœli tranquillitas conſecuta eſt, ut nihil ad ſummam traducendi exercitus felicitatem Selymo defuerit. Namque aër nullis turbatus procellis, quæ harenas excirent, atque officerent oculis, perpetua

serenitate conquieuit, ac simul tanta uis aquæ omnibus fermè locis reperta est, quòd pluuialis humor harenis imbibitus, fodientibus puteos ad depressionem duorum pedum occurrebat: ut frustra comportari utres, ac sitim timeri uulgò milites existimarent. Non defuere tamen Arabes, qui toto itinere ad prædam undiq; confluerent, nec quemquã hostium excedere agmine, uel remissius subsequi paterentur: cui uni malo facilè duces occurrebant. nam toto exercitu distributa erant tormenta, quæ à turmarum præfectis, ut quisque periculo proximus erat, in hostes emittebantur. Valida quoq; sclopetariorum manus nouissimum cogebat agmen, quorum præsidio, qui debiles & tardi, atque ob id opportuni iniuriæ erant, egregiè se defendebãt. Eo modo nequicquam lacessente Arabum turba, prope Memphim octauis castris peruentum, pręcedente Sinambassa, qui cum Europeis unius diei itineris spacio imperatorem semper anteibat. Erat pagus ad sextum lapidẽ ab urbe Memphi, qui Matharea dicitur, Balsami fœcũditate memorabilis. Ibi enim hortulus est humilibus arbusculis consitus, unde liquor ille omnium odoratissimus resudat, quum eburneis cultellis extremi cortices inciduntur: cui propter insignes uires, quando id donum natura alijs terris inuiderit, morbi hominum & oborta luxuria eminentissimum precium fecerũt. In eum locum iuxta Rhodaniam uicum, Tomumbeius omnem nouum ac ueterem tormentorum apparatum contulerat, fossas transuersas toto campo & publica uia, quæ leuibus cratibus ac terra inęquabantur, perduxerat: ipseque cum Mamaluchis (erant ij ad duodecim milia) magnoque Arabum equitatu opportuno in loco constiterat, eo consilio, ut Turcarũ copię, quum appropinquare inciperent, priusquam ad teli iactum accessum foret, improuisa tormentorum multitudine sternerentur: ipseque protinus cũ perturbatis, in insidiasque prolapsis, undique tota uirium mole circumfusus ęquissima cõditione decertaret. Magna proculdubio Turcis omnibus calamitas imminebat, nisi fortuna, quæ sicuti Selymo semper fauit, ita Tomumbeium aduersa atque infensa persequebatur, paucorum perfidia, operosis Mamaluchorũ conatibus occurrisset. Erant in Sulthanico exercitu ex numero prætorianorum equites quatuor, genere Epirotę, qui Tomumbeiũ contrà ac ipsi comitiorum die optauissent, ad id fastigij euectum aduersæ factionis suffragijs ęgrè ferebant. Ii siue ingenij prauitate impulsi, siue spe adducti pręmiorũ liberalioris q; militiæ, quòd labantibus partium rebus, nouas ac certiores amicitias sibi tentãdas arbitrarentur, ad Sinambassam tanquam ad primarium ducem suæque nationis hominem transfugerunt. Erat enim Sinambassa ignobili Epiri uico in montanis Ambraciæ natus, quem memorabilis casus in eam uirtutis atque opulentiæ magnitudinem euexit. Nam porcam quæ domi alebatur, ei adhuc puero, ac fortè in umbra dormitanti adprehensa morsu uirilia exedisse ferũt: protinusq; eum ueluti eo corporis uicio nobilitatum à conquisitoribus insignium puerorum Constantinopolim ad Mahometem fuisse perductum. Vbi eum mox fortuna, quem paulo antè non temerè, ac sæua tamen sorte castrauerat, fatalis uirtutis auspicijs ad destinatos honores extulerit. Ab his equitibus Sinambassa atq; Selymus edocti, cuncta hostium consilia cognoscunt, ac in primis quales sibi, quantasque insidias Tomumbeius summa calliditate summoq; artificio tetendisset: in quas necesse foret incidere, nisi ab uia publica, rectoq; itinere deflecterent. Quãobrem ijsdem perfugis ducibus in læuam magno capto circuitu, antequam dilucesceret, insolitũ iter ingrediuntur, atque instructa acie, productisq; tormentis, ne quid moræ ad cõmittẽdam pugnam in-

A teresset, euitata castrorum fronte, auersis hostibus se ostendunt. Ea re animaduersa, Tomumbeius ex hostium itinere, coniectura iudicans insidias suorũ proditione fuisse detectas, quanquam incomparabili dolore animi cõflictaretur, quòd ea omnia quę tot hominum labore, tantoque studio perfecisset, inuidente fortuna puncto temporis deperissent: nihilominus, ut erat egregiè fortis, ad consilium pristinumq; uigorem sensus omnes extemplò reuocat, accitisque ad se omnibus præfectis, quid fieri uelit celeriter edocet. Tomumbeio in tanta rerum angustia constituto, omnia uno tempore erant agenda: signum, quo milites conscendere equos atq; arma capere iubentur, proponendum: conuertendus castrorum ordo, instruenda acies, milites confirmandi, & tormenta, uti casus postulabat, in contrariam partem traducenda. Quæ res, sicuti eas nisi ęgrè atque turbatè unus imperator administrare non poterat, ita raptim atque peruersè à pluribus simul ducibus agebantur. Sed illud in primis omnem administrationem retardabat, magna omnium concursatio ad traducenda tormenta: è quibus plura erant è ferro enormia atque ingentia, quæ magnis inclusa trabibus, armillis, ac ferreis confibulationibus rudi & nauali ueterum artificio continebantur. Ea propter inusitatam grauitatem, nisi subditis pluribus iumentis, & scutularum ac uectium impulsu, magnoque cum labore hominum suo loco dimoueri non poterant. Quæ uerò curribus imposita erant, quum ab incondita ac festinante turba cum ingenti clamore impellentium atq; adnitentium per omnes castrorum uias traherentur, conscendentes equos, & coëũtes ad signa milites tumultuario trãsitu perturbabant. Verũm his difficultatibus duę res subsidio erant: militum alacritas, & supra quàm credi par sit, eorum omnium cõstantia singularis. Non
B enim, ut in repentinis casibus accidit, in quibus ipsi etiam ueterani sæpenumerò pristinæ uirtutis obliuiscuntur, ullo timore concepto, spe animísue deciderant. Siquidẽ bis acie uicti maiorẽ fiduciam, maioresque semper spiritus sibi desumpserant, quum non uirtutem pugnandiq; peritiam, sed fortunam sibi defuisse iudicarent. Igitur Tomumbeius instructa acie, & militibus magno ardore prælij signum deposcentibus, omnem Arabum multitudinem à tergo aduersariorum cornua circumuenire, & tumultuario prælio lacessere iubet, ut Turcæ equites penè, priusquam ipse inductis suorum turmis procurreret, ancipiti pugnę periculo turbarentur. Mox tormenta, quæ iam deducta ac directa in hostes fuerant, displodi imperat. Idem continuò fecerũt Turcæ. nam iusto ab spacio maiora minoraque semel emiserunt: ac rursus omnibus celeriter impletis, eorum currus ad sagittæ iactum promouerunt: certatumque diu est hinc atque inde solis ac frequentibus tormentis, dum acies appropinquarent. Qua contentione Ægyptij libratores fermè omnes interfecti, pluraque eorum tormenta ui pilarum hostilium curribus excussa, perfractaq; sunt. Nam Turcæ complures tormentariæ artis peritissimos magnis inuitatos præmijs, ex Italia atque Germania in castris habebant: ac multos, in primis ex illa Iudæorum colluuie, quæ pietate Ferdinãdi regis omnibus expulsa Hispanijs, in contumeliam nostram toto postea orienti huiusmodi rariores artes, insolitas atque mortiferas importauit. His omnibus prępositus erat Iacobus è Regio Lepidi, horum operũ egregius artifex, qui iam pridem Turcarum muneribus illectus, deserto Christi cultu, ad Mahometi sacra defecerat. Sed quum iam prælium utrinque ad manus adducerent, Mamaluchi trucem atque horribilem clamorem tollunt, & tripartitò magna ui Turcas adoriuntur. Selymus enim superius institutum suũ seruans, sic incedebat, ut lunata acie aduersis ho-

sis hostibus appropinquaret. Præerat Asiaticis in dextro cornu Mustaphas, in sinistro Iunusbassa: ipse mediam aciem, ubi prætoria phalanx erat, cum magna tormentorum multitudine obtinebat. Sinambassa autem toti summæ certaminis præesse iussus, ad incertos pugnæ euentus, certam sibi aciem ex fortissimis equitum, ab unaquaque ala detractis delegerat. Quibus ex Selymiana phalange, & uirtutis & uelocitatis eximiæ quingentos pedites sclopetarios admiscuerat, ut ab omni pugnę loco, quãtumlibet subitis casibus paratus, ei suorũ parti subsidio foret, quæ ab hostibus maximè premeretur. Ita uno fermè tempore, quum Tomumbeius in medio contra Selymum constitisset, & iam Mamaluchorũ alæ cum cornibus pari fronte concurrissent, ac in tergis Arabes, ut imperatum fuerat, impigrè dimicarent, quatuor simul prælia distinctis in locis exarserunt. Narrant qui huic prælio interfuere, & clamore militum, & tympanorum tubarumq; sonitu, & fragore tormentorum, & pulueris nube, armorumque strepitu, adeò omnium mentes attonitas confusasq; fuisse, ut cuncti promiscuè cæci furore, & uecordi audacia proruentes, quũ nec uoces tesseræq; dignosci, nec uideri signa, nec ducum imperia exaudiri possent, magnam suorum pariter atq; hostium stragem per mutuũ errorem ediderint. Nunquam enim antea ullæ acies maioribus accensæ odijs inter se concurrerant, nunquam duo maximi reges minore salutis cura pertinacius atque ardentius, corporis aut animi uirtutẽ ostenderant: namq; ambo pari suo atque exercituum periculo, quum se uitæ simul atque imperij aleam subijsse manifestè perspicerẽt, nullam sibi reliquam spem, nisi quã ipsa uictoria peperisset, fore intelligebant. Iam Gazelles decoris atq; uindictę studio incensus, ut Europeis parem Gazensi cladem redderet, Iunusbassam magno impetu adortus, primas ac resistentes turmas obtriuerat, uexilla prostrauerat, ac Arabibus à tergo prementibus, illas omnium bellorum uictrices copias, ubi Thracum, Thessalorum ac Macedonum robora erant, terga quæ nunquam ullus antea hostis conspexisset, dare coëgerat, quum Sinambassa in omnem uictoriæ occasionem, animo ac uiribus intentus cum recenti ac ualida suorũ manu in latus hostium aduolauit, & inclinatam ac fœdè disiectam aciem reparauit. Verùm paulo pòst ipse Sinambassa, qui supremo uirtutis opere edito, manifestam hostium uictoriam interpellarat, conuertentibus sese in nouum hostem Mamaluchis Bidone pugnacissimo duce, ante alios egregiè pugnans obtruncatur. Eius quoque equites exanimẽ humo tollere ac seruare conati, Gazelle turmas explicante, ut rari liberius gladijs rem gererent, quo genere pugnæ Mamaluchi maximè pręstabant, magna ex parte cæduntur atque fugantur: egregiaque illa prætoria cohors, quum destituta ab equitatu, circumacta in orbem hebetatis sclopetis diu restitisset, tota in medio protrita, concisaq; est. In altera autem parte Mustaphas cum omni suo equitatu uehementer inuectus, sinistram Ægyptiorum alam, in qua Heylmis Diadarius, & Giapal alter Orcomas clarissimi duces curabant, acerrimè perurgebat. Ii paulo antè tormentis insigne detrimentum acceperant, quę fortè ab media Selymi acie obliquis campi spacijs emittebantur. Ea re animaduersa, Mustaphas abolendæ ignominiæ auidus, semel perturbatis acriter instare, disiectos, lassatosque, inductis per cuneos turmis fundere atque prosternere: ac tota acie armis uoceque conspicuus, Asiaticos adhortari, ut ueteris militiæ decus, quod Hierapolitanis in campis nuper amisissent, illa die uirtute egregia, uel honesta morte recuperandum sibi esse censerẽt. Eodem quoque tempore Tomumbeius perrupta media equitum acie, ad peditatum peruenerat, plura

A ipse clara facinora curuato ense, ut erat corpore ac uiribus ingens, ediderat: atq; Arabes exteriora Turcarum agmina corona pręcinxerant, eosque auersa ac duplici acie pluribus in locis pugnare coëgerãt, quum Selymus, quod reliquum ac certum erat in tanta rerum iniquitate subsidium, phalangem promouit, cuius impetum neque equi acres, ferroque contecti, neque uiri uictores ferre potuerunt. Pars enim militum per interualla sclopetis utebantur, pars prætentis cuspidibus frontem hastarum sylua ita pręsepserant, ut obuia quæque, ubi illa conserta ordine unius corporis armatorum stabilis moles incumberet, sternerentur. Pugnatum tamen est uario utrinque euentu, ab hora quarta ad occasum solis: nec ulla copiarum pars extitit, quæ diuersas pugnæ uices alterna sorte non tulerit. adeò enim uicti uictoresque mutua atq; implacabili rabie efferati, peruicacibus animis decertabant: quũ Mamaluchi ab his eripi sibi uictoriã, quos tam latè cæcidissent, Turcæ uerò tam diu sibi resistere duobus prẹlijs ab se paulo antè superatos, indignarentur, ut languidę etiam manus, fessaq; & prægrauata uulneribus corpora, quę una ira ac obstinatione animorum sustentabantur, suffectura continuis cædibus in alteram lucem uideri possent, nisi nox ipsa tantę cladi finem attulisset. Prior Tomumbeius haud dubiè uictus summę rei diffidẽs, receptui canere iussit, ut sui qui iam phalangi pares esse nõ poterant, non pulsi, sed reducti uiderentur: quod ad cõfirmandos militum animos, & ad retinendam authoritatem pertinere plurimum existimabat. Iam enim illa eadem fortuna, quę primas spes fefellerat, Tomumbeio, ut miseri solent, meliora speranti secundos rerum euentus promittere uidebatur, si animo non deficeret: ac seruatis, quæ supererant, copijs bellũ instauraret. Pręlio interuentu noctis dirempto, Turcæ uictores potiti hostium tormẽtis atq; tentorijs, Mamaluchos,
B qui iter fugæ simile Memphim intendebãt, ad multam noctem persecuti sunt. Pugnatum est die Iouis nono calẽdas Februarias, anno à partu Virginis decimo septimo, supra millesimum & quingentesimum. Captus est in fuga Diadorius multis grauatus uulneribus, & cum eo Bidon, cui pila falcone emissa traiecto equo alterum genu perfregerat. Ambos Selymus, uel quia sanari non poterant, uel quia ita decebat, postero die mactari iussit: scilicet ut Sinambassæ manibus, quem unicè defleuerat, dignioribus uictimis parentaret. Erant Turcarum copiæ, tametsi egregiè uicerant, uehementer secundis etiã prælijs attenuatæ. Quarta pars ualetudine atq; uulneribus erat confecta, magnumque equorum numerum superemẽsi itineris labores, eius diei fatigatio debilitarat. Quibus de causis Selymus aliquid de sua uetere festinandi consuetudine remittere cogebatur. Nondum enim Ægyptiorum, qui Memphim incolebant, uoluntates perspectas habebat: nondum quibus in locis Tomumbeius constitisset, quibúsue consilijs niteretur, fama cognouerat. Quibus rebus nisi maturè ac diligẽter exploratis, suam ac totius exercitus salutem numerosissimis incolis, urbique totius terrarum orbis amplissimæ, minimè committendam esse statuebat. Igitur ijsdem in castris ad Mathaream, Rhodaniamq; uicum quatriduo moratus, saucios cum cura reficit, suorum cadauera effossis magnis scrobibus sepeliri iubet: hostium uerò alitibus ac feris lanianda relinquit. Indeque promotis castris, ut commodius aquaretur, in planiciẽ inter Cayrum uetus, & Bulachum proficiscitur.

SVPPLEMENTI LIBER VIII.

INterea Tomũbeius nihil tot usq; adeò funestis, atque asperis rerum successibus fractus, collectis undique Mamaluchis, loco inter Memphim nouam & Nilum amnẽ idoneo castra posuerat: ad octo milia seruorum Æthiopum armauerat: quo genere homi num propter antiquæ rebellionis memoriã, antea usus non fuerat. Præterea Mamaluchorum filijs, ac Mauris clientibus suis, Iudæis atq; Arabibus aperto uetere armamentario, arma telaq; tradiderat, & bellum priore maius atq; atrocius aduersus Turcas impigrè moliebatur. Sed quoniam multę erant gerendi belli difficultates, & nihil aperto in cãpo uera uirtute proficeret, totus ad dolos bellicosq́ue astus uertebatur. Itaq; noctu adoriri ac incendere Turcarum castra cõstituit. cuius consilij duæ rationes esse uidebantur: quarum altera erat in celeritate posita, ut prius ipse aliquid per tenebras audacter conaretur, quàm hostes paucitatem copiarum eius deprehenderent, quæ heberes & tumultuariæ erant: uel ipse in contemptionem Ægyptiorum deueniret, qui excutiendæ seruitutis auidi, rebellãdi occasionem nutantibus animis expectabãt. altera erat, ut tormenta, quæ in repentinis & nocturnis maximè casibus nullo propè usui esse consueuerãt, noctis beneficio deuitaret, qua parte uiriũ hostes magno suo cum detrimento superiores esse didicerat. Verùm & hos quoq; conatus, quum iam omnia ad patrandum facinus parata essent, similis trãsfugarum perfidia euertit. Namq; Selymus, prodentibus aliquot Mamaluchis, qui despecta regis fortuna, ut in calamitate miseris accidit, quotidie transfugiebãt, cognito insidiarum ordine, exercitum arma expedire, & excitatis passim magnis ignibus intẽtiore cura excubare iusserat. Qua diligentia sequenti nocte peropportunè factum est, ut Tomumbeius delatus ad castra, non mediocri cum iactura temerè proiecti primi agminis repelleretur: supremamq́ue inde proculdubio ea nocte cladem accepisset, nisi flammarum totis castris collucentium insolito splendore admonitus, festinantia agmina, quę ultro contra hostium tormenta citato cursu ferebantur, animad uerso prælio continuisset. Eo depulsus consilio Tomumbeius, omniũ suorum hortatu Memphim ingressus est. Namq; Mamaluchi, quum omnibus uicti prælijs aliam gerendi belli rationem ineundam sibi esse censerent, ut urbem occupatis opportunioribus locis totius exercitus præsidio confirmaret, atq; ingressu hostem prohiberet, suadebant, ut qui in tanta rerum acerbitate, postquam pro focis, uxoribus ac liberis, certandum foret, in eorum conspectu, ac in ipsis domorum uestibulis pugnantes, occumbere, decorum & pristinę uirtutis gloria dignũ arbitrarentur. Itaq; singuli equites domos suas digressi, familiam omnem & summa tectorum uario genere telorum instruunt, Ægyptios suę quisq; uiciniæ suppliciter orant, ut arma aduersus cõmunes & crudelissimos hostes capere uelint, nec se trucidari, uxores uerò ac liberos in seruitutem abstrahi patiantur: quando nec ipsis, etiam si medios se gerere, & neutrum contra alterũ opibus suis iuuare uellent, parsurus esset, si semel immanis atq; auarissimus hostis (quod dij auerterẽt) bello uictor euaderet. Quum uictoria libidinis atq; insolentiæ plena neminem agnoscat, nisi eum, qui minimè consilij incertus & dubius, dum Mars adhuc cõmunis, remanuq́; partium fortunam adiuuerit. Erant pleriq; ex ditioribus Ægyptijs, qui sicuti rerum atq; imperij commutatione, mercaturę, fortunisq́; suis detrimẽ A tosam, atq; inimicã fore prouidebãt, ita studio atq; opera Mamaluchis non deerãt. Contrà pleriq; è media classe ciuiũ, & è plebe infima ingens multitudo, quæ periculi expers semper in alieno damno lucrũ facit, quòd se per trecentos propè annos in luctuosa & miserabili seruitute omnia extrema perpessos esse meminerat, intenti in euẽtum supremi certaminis, foribus suis se continebant, & tacitè lętabãtur, quòd non sine deorum immortalium cura tempus aduenisset, quo nefarij impotentesq́; domini tantorum scelerum pœnas darent, ac uindicta alieno præsertim sanguine peteretur, unde mox ipsi oculos optatissimo spectaculo satiarent. Interea Tomumbeius intentissimo labore ac studio portas aditusq́ue omnes communire, singulos duces singulis plateis præponere, per omnia fora concionari, nihil remissum in opere esse pati: ac demũ quod in calamitate atq; periculo difficillimum putatur, summã spem rediuiuamq́; uirtutẽ intrepido uultu præferre. Ipsi uerò equites supra necessitatem, quæ extremis in casibus ignauos etiam accendere atq; efferare consueuit, ęmulatione incitati, impigrè officia ducis exequebantur. Nam quisq;, uti eorum ingenium atq; industria ferebat, notioribus uicis suis fossas transuersas, ac trabes ingentis crassitudinis perducebãt: alij præacutos stipites occultis in scrobibus, queis incautè prolapsi hostes inducerentur, defigebãt: alij in cõpitis ac triuijs frequẽtioribus fenestras, & domorum frontem pro copia tormẽtis instruebãt. Quæ omnia tanta celeritate administrabãtur, quòd nemo uel equitum splẽdidissimus, ligones, aut fordidi operis laborem detrectabat, ut non prius excogitari, quàm perfici cuncta uiderentur. Erant portę, certiq́; aditus qui in urbem ferebant, quanquã urbs amplissima atq; uetustissima nullis mœnib. cingeretur, quorum unus directis ac latioribus uiarũ spacijs, ab Orientali porta ad arcem mediamq́; urbem B pertinebat. Cæteri aditus perangustos calles, & enormes uicos habebant, quibus tormenta commodè apteq́; deduci, uel instructæ armatorũ acies tutò committi non poterant. In hunc maximè locũ Tomumbeius iustas uires contulerat, quòd necessariò ab ea parte irrupturos hostes propter uicorum amplitudinem intelligebat: reliquas urbis remotas regiones mediocribus præsidijs impositis tuebatur. Interiora uerò, ubi arx erat, à ualidissima copiarum parte tenebantur, ut quò uis hostiũ clamorq́; & periculum milites auocasset, intenti ad opem ferendã celerius accurrere possent: quoniam urbs omnium maxima, ab exteriore circuitu patentibus ubiq; ingressibus, parua manu defendi non poterat. Memphis enim uasto ambitu tres ingentes urbes cõplectitur: sed hæ raris inter se iunctæ ædificijs unã efficiunt, quarum frequẽtissimam hodie nouum Cayrum appellant. Ea in longitudinem sex miliariũ, secundum Nilum amnẽ protẽditur: & ab Nilo passus mille, parib. semper interuallis distat: latitudo eius decẽ stadia non excedit. Media in urbe arx est molli tumulo imposita, cuius amplitudinem & elegantiã potius quàm munitionẽ nostri homines admirantur: sunt enim in ea nobiles horti, platea ingens cum immẽsis porticibus, hippodromus, minoresq́; areę plures, atq; triclinia in omnes cœli obuersa regiones. Exteriora uerò turribus ac propugnaculis, eximijq́; operis pinnarũ corona præcinguntur: unde subiectæ circũquaq; urbis spacia, Nilus præterfluẽs, ipsęq́; pyramides amœnissimo prospectu cõspici possunt. Non longè ab regia lacus est, aqua ex Nilo corriuata manufactus, eum ædificia mirę pulchritudinis undiq; claudunt: summaq́; est eius loci amœnitas, quum & piscari, & auibus, quę in lacu innumerabiles degunt, insidiari ex ipsis etiã fenestris liceat. Sed hunc alius nobilitate superat, figuræ triquetrę lacus, in extrema huius noui Cayri regione, quæ

quæ Bulachum respicit. Is per emissarium lapidei A batur. Ab uetere Cayro quinq; milibus passuum, in operis, ubi ferreę sunt catharractæ, crescẽte Nilo impletur: eo etiam latiore canali fluuio cõmissus nauiculas admittit, quibus interdiu noctuq;, qui lætioris uitæ genus colunt, & amoribus uacãt, pernehũtur. Domus ad elegantiã fermè omnes ipsa fronte, lacui imminent, quarum uestibula perpetuo podio & marmore leuigato circumstratis marginibus decorãtur. His cymbas errãtes ludibundiq́; admouẽt, effusamq́; ad captãdas auras uirorum ac mulierum, multitudinem, citharis musicisq́; cõcentibus salutant. In Orientali lacus latere prætorium exurgit, paucis antè annis Dultibeæ reginæ opibus ædificatum, quo cæteræ amœnissimi tractus ędes structuræ specie atq; interiore elegantia facilè superantur. Parietes enim porphyreticis & uariegatis incrustationibus relucebant: laquearia & concamerationes bracteato auro, preciosioribusq́; pigmentis, & multa arte præcellentium artificũ ornabantur: quin & tota domo tessellati & uermiculati operis pauimenta, fenestras minorumq́; ornamenta portarũ, ex alabastrite, & cãdidissimo marmore, multoq́; passim ophite cælata spectare erat. Postes ualuæq́; ipsæ ubiq; solido ex ebore, ac internitente passim ebeno elaboratæ, tanta artificum eruditione, luxuriantibus in certos orbes nodorũ capreolis, ut mirãtium oculos detinere, nec satiare posse uiderẽtur. Nec apparatus, si ad interiora peruaderes, magnificentissimis ædibus erat inferior: utpote qui regię fortunę, & muliebri luxuriæ aptissimè responderet. Quæ omnia mox uictor Selymus, uiolatis etiam parietibus, ut integra exquisitorum lapidum ornamenta detraheret, Byzantium asportauit. Præter eum lacum, omnibus noui Cayri regionibus nõnullæ procerum & Mamaluchorum domus uisuntur, quæ à nostris hominibus maiorẽ amœnitatis quàm structuræ commendationẽ accipiunt: cætera urbis hu- B milibus casis & fordidissima plebe replentur. Extant etiam tria Christianorum templa diuersis in locis; quorum unum multo alijs uenerabilius existimatur, propter cryptę famam, ubi Maria uirgo seuitiem Herodis effugiens, cum infante Deo Christo latuerit. Alia Barbaræ uirgini & Georgio equiti, diuis etiam apud eas gentes celeberrimis, nuncupata sunt. Cayrum nouum continuatis propemodũ ædificijs Bulachum sequitur. Id oppidum in urbis effigiem altioribus tectis superbum, Nilo adiacet, & à Mamaluchis cæterisq́ue nobilibus æstiuo tempore frequentatur, ut increscentis Nili exundationes uoluptatis causa ab editioribus locis prospiciant. Eò cuncta nauigia quæ aduerso amne subuehuntur, applicant: cæterùm mercatorum concursus nouo in Cayro celebratur. In aduersa ripa contra Bulachum piscatorum ac nautarum casæ atq; tuguria ex cratibus & palmarum foliis cõtecta, uisuntur. Paulò supra Bulachũ Cayrum uetus occurrit, quod pariter nouo Cayro intercedentibus ædificijs interuallo uiginti stadiorũ adnectitur, & præterfluenti Nilo imminet. Plurima mediocris structurę ædificia utrãq; ripã obtinent. Contrà est insula medio in amne hortorum & uillarum amœnitate memorabilis, ubi diuortium aquarum incipit, & Nilus ipse ingẽti eius insulæ rostro proscinditur. In ea templum est filiæ Pharaonis regis, amore & Moseos periculo tãri qui repetita memoria celebratum. Verùm Cayri ueteris ædificia magna ex parte in hortos & squallentes ruinas abierunt. Ibi antiquã Memphim fuisse multis coniecturis existimamus. In ripa amnis Sulthanus Campson, egregij operis turrim arcis fastigium altitudine superantem extruxit, ad hauriendam è Nilo aquam. Ea pluribus rotis & machinationibus iumentorum labore uersatis in cacumen excepta, perpetuo demum aquæ ductu per castella, & lapideos tubulos, toti regiæ uarijs siphonibus immitte

acrius uel cruẽtius memoria noſtra ſit dimicatum. A Mamaluchi enim pariter ac Turcæ uires omnes, & cunctas bellandi artes in id unum pugnæ diſcrimẽ contulerant, haud ignari pro uita atq; imperio, ultimo eo certamine dimicari: quando ſumma utrinq; præmia, aut extrema ſupplicia uictis atq; uictoribus ludente fortuna oſtenderentur. Plurimũ cædis erat apud munitiones. nam Turcæ incautius progreſsi in cæcas foſſas, alij ſuper alios cumulati, prementibus ultimis procidebant: alij acutiſsimis uallis induebãtur. Ipſæ matresfamiliãs & pueri, è domibus uirili audacia in ſubiectos ſaxa ac regulas prouolue bant. Hos contrà Turcæ, ut quiſq; eorũ in feneſtris uel tectis conſpiciebatur, deſtinatis ſclopetorũ ictibus ferire, effringere fores, unde ſupernè uis telorũ ingrueret, intra domos uario euentu pugnare. Ipſi quoq; Ægyptij, modò harum, modò illarum partiũ fortunã ſpeculantes, diuerſo ſtudio utroſq; pro hoſtibus ducere atq; oppugnare, ut quẽcunq; uictoré fors daret, illum etiam egregiè iuuiſſe uiderentur. Erant diuerſis in regionibus plura ſimul contracta certamina: nam tranſuerſis uicis quum diſcurrerẽt, modò hi, modò illi, in nouos hoſtium globos incidebant: & qui uictores in fronte urgebant, ſæpè intercluſi ab hoſtibus, in tergis cædebantur. Viæ, & quãtum ſpacij inter tecta relinquebatur, horrendũ uiſu, coaceruatis paſsim cadaueribus, tã multo cruore madebant, ut eleuatus puluis, qui initiò denſiſsimus erat, ſedaretur. Aër nihilominus fumo & caligine tormentorum, & ſagittarum nube erat obſcuratus: tantus q; erat militũ clamor, armorumq; ſtrepitus, atq; ipſorum tormentorũ fragor, ut terra tremere, & conuelli ædificia uiderẽtur. Pugnatum eſt continenter duobus diebus, ac totidẽ noctibus ancipiti Marte: ita tamen, ut Mamaluchi, qui numero pauci labori atq; uigilijs ſufficere non poterant, cedendo in interiores ſenſim urbis partes, deſertis pri B mis munitionibus ſe receperint. Tertia die Mamaluchi, quum in ipſo ſummæ rerũ fortunarumq; omnium diſcrimine, quod ſupremos hominũ conatus atq; animos augere cõſueuit, uerſarentur, tanta uirtute pugnam redintegrarũt, ut Turcas ad multum ſpacium propulerint, & aliquot eorum falcones interceperint. Quo caſu Selymus dicitur de uictoria deſperaſſe, iuſsiſſeq; ut ædificia paſsim incenderentur: impellente eum ad id flagitij & crudelitatis edictũ iuſta penè aduerſus Ægyptios iracũdia, quòd Iunusbaſſa in oculis eius è feneſtra lapide caput ictus, graue uulnus paulo antè ſuſtulerat. Iam tecta miſerabilem flammam conceperant: iam ululatus plorantium & deprecantium Ægyptiorũ audiebatur: iam ipſi Turcæ languidius pugnãtes, ut receptui caneretur expectabãt, quum à pluribus ſimul nuncia tum eſt hoſtes ab diuerſa parte, inſtante Muſtapha, loco pulſos ſuperatoſq; ſupremum auxilium in fuga poſuiſſe. Etenim Muſtaphas, mõſtrantibus Ægyptijs Mamaluchisq; tranſfugis ad ampliſsimã plateã peruenerat, ubi Mamaluchi ſtratos frenatoſq; equos collocarant, ut ſi quid durius accideret, eò ſe reciperent, atq; his conſcenſis, in proxima, quę ſtatuiſſent, loca ſe proriperẽt. Hos omnes, Muſtaphas, deiecto præſidio, quod ut in parte urbis minimè ſuſpecta ex pueris ac mulionibus infirmiſsimũ erat, comprehendit & abduxit. Ea res, ſicuti in grauiſsimis atq; inexpectatis caſibus accidere ſolet, uigorẽ eorum atq; impetũ magnopere debilitauit. Quamobrem ſpe fugæ ſublata, quum undiq; circũuentos ſe perſpicerent, prælium q; nulla alia ſpe, nullis ſubſidijs, ſed ſola uirtute ſuſtentaretur, cõfeſsione ſua uicti terga uerterunt. Multi cũ Tomumbeio, qui ne uinceretur eo prælio, cunctas artes uirtutis atq; conſilij nequicquam expertus fuerat, ad Nilum properantes ratibus tranſuecti in Segeſticam regionẽ cõtenderũt. Alia multitudo Ægyptiorũ domibus fœdiſsimis q; latebris ſe cõdidit. Ex fortiſsimis autem equitibus, amplius mille & quingenti ad templum inanium deorum tota urbe maximũ confugerunt: ubi quũ diu ſeſe tanquã ex arce defendiſſent, quòd niſi honeſta conditione deditionẽ facere nolebant, ad extremum ſiti, laſsitudine, uulneribus, tormentisq; expugnati, uictoris arbitrio ſe dediderũt. Quorum pars, conniuente Selymo, ab iratis militibus in ueſtibulo trucidata, pars ſecũdo amne poſt aliquot dies Alexandriam deuecta eſt. Selymus, inclinante uictoria, extemplò cohortes duas ad reſtinguẽdos ignes præmiſit, ac tota urbe circummiſsis pręconibus pronunciari iuſsit, Mamaluchos, qui intra duo decimam horã ſe dederent, omnes fore incolumes: poſtid tempus, deprehenſis nullã fore ſalutis conditionem. Ægyptijs autem qui latentes proderent, ſe daturum præmia: contrà qui occultaſſent, ſe protinus eos palo infixurum: uxoribus q; ac liberis uenundatis, domos ipſas eſſe concrematurum. Ad cuius edicti famam magnus eorum numerus prodijt, quibus ſtatim cathenæ iniectæ. Iiq; omnes poſtea contra iuſsurandum, quòd fugæ conſiliũ cepiſſe dicerentur, in cuſtodia crudeliſsimè trucidati ſunt. Nonnulli, qui fidei ac amicitiæ iura proditione uiolare noluerunt, delati ab alijs uicinis ciuibus, extrema ſupplicia perpeſsi, pro amicis quib. ſe deuouerant, cõſtantiſsimè periere. Exinde milites uictoria feroces, ſcrutari cuncta, protrahere abditos atq; obtruncare, prędari etiam Ægyptiorum domos, nihil clauſum ſecretum q; relinquere. Erant qui uno tempore ijſdem in ædibus auaritia, crudelitate atq; libidine graſsarẽtur, quum quiſq; eò uires impetum q; trãsferret, quò à natura raperetur. In magnæ namq; licentia quiſq; ſuis moribus facilè ſeruit, effuſęque blanditur. Eodem die Gazelles, qui paulo antè ad cogendos Arabes, conducendaq; auxilia iuſſu regis in Thebaidem profectus fuerat, ſuperuenit. Is quũ euerſis omnibus rebus, neq; manu, neq; cõſilio prouidere poſſet, ac dijs iratis infeſtisq; belli fortunam, quæ toties partium conatus tranſuerſo impetu pertregiſſet, minimè ſibi amplius tentandam putaret, ad Selymum fide accepta cum tribus Arabum ducibus, multisq; equitibus uenit. Selymus, quòd Gazellem propter eximias animi corporisq; uirtutes, quibus clari uiri etiam apud hoſtes gratiam promerentur, apprimè nouerat, quodq; Arabes, quos maximè timendos eſſe intelligeret, fœdere atq; amicitia ſibi obſtringere cupiebat, omnes humaniſsimis uerbis excepit, & ſingulis ſtipendia conſtituit: hortatusq; eſt, ut ueteris fortunæ obliuiſcerentur, & cuncta ex liberalitate ſua ſperarẽt. Nec multo pòſt, quũ ab Achaſia urbe Mauri ſimul atq; Arabes, adiũctis quibuſdam Mamaluchis, qui eò profugerant, Memphiticum agrum incurſionibus uaſtarent, ſæpeq; frumentatores Turcas, ac muliones qui paulò longius pabularentur, interciperent, Gazelles cum parte exercitus ad debellandos eos miſſus eſt: qui celeriter expugnata, direptaq; Achaſia, & latronibus magna ex parte trucidatis, ſuperiorum dierum iniurias cum magna ſui laude imperatoris q; lætitia uindicauit. Interea Tomumbeius in Seiectica regione, quæ trans Nilum ad Cyrenaicã uergit, his etiam tot malis uictus bellum reparabat. Venerat ab Alexandria ad eum ualida Mamaluchorum manus, quę ab urbis præſidio literis euocabatur: multi etiam eum ex fuga comitati fuerãt. Non deerant partis Africæ Arabes: & Mauri quoq; regionis incolę ſtudiũ atq; operam ſuam pollicebantur. Præterea ab Memphi nonnulli Ægyptiorum, quorũ domus ipſæq; familiæ Turcarum prædæ atq; libidini ceſſerãt, ſi noctu Memphim conuolaret, ſe tumultũ excitaturos promittebãt: foreq;, uti omnes Turcæ, qui in contubernijs eſſent, uno clamore atq; impetu populi deleretur; quãdo omnes cuncta nefanda atq; hoſtilia perpeſsi,

peſsi, diutius inſolẽtiſsimorum hominum iniurias A ferre nõ poſſent. Ipſos quoq; Turcas ad contemnendum numerũ ex ampliſsimo exercitu redactos eſſe dicebant, magnã eorum partẽ duobus Memphiticis prælijs interijſſe: reliquos fermè omnes, aut uulneribus, aut aduerſa ualetudine eſſe confectos. Quibus de rebus & uires undiq; creſcebãt, & ſpes ipſa, quæ nunquam perdito ac proſtigatiſsimo regi defuerat, apud inuictum animum ſupra eius miſeriæ conditionem efferebatur, ita ut fortuna, quæ immitis atq; acerba omnium mortalium infeliciſsimo ſupremas inſidias tendebat, tum primum cõmutatis iniurijs proſperos rerum exitus promittere uidere tur. Dum hæc à Tomumbeio pararentur, Albucho mar, uir Ægyptius, qui in Seiectica cæteros omnes authoritate atq; opibus anteibat, ſiue ut imminentis belli cladem ab agris ſuis auerteret, ſiue ut gratiam uictoris, quã malis facilius apud reges, quàm bonis artibus homines conſequuntur, proditionis munere mereretur, ad Selymum uenit, atq; eum de copijs ac nouis Tomumbeij & ciuium conſilijs certiorem fecit. Quo cognito, Selymus excubias tota urbe diſpoſuit: ſuſpectos ciues, in arce, quæ deſerta à Tomumbeio, deuenerat in eius poteſtatem, cuſtodiri iuſsit: & complura nauigia tormentis atq; militibus inſtructa, quæ aduerſam Nili ripam obſeruarent, ac tuerentur, pluribus locis ſeparatim toto flumine collocauit. Verùm ſecum ipſe reputans, quanto cum periculo toties cum acerrimis hoſtibus conflixiſſet, & quàm difficile factu foret intercipere Tomumbeium fuga extrahẽtem bellum, atq; alia ſemper atq; alia per uaſtas & ignotas regiones auxilia comparantem, ut clementia atq; animi liberalitate hominem tentaret, ad eum legatos mittere decreuit, qui ſuaderent, ut arma deponeret, & iam tandẽ uictoris fortunam agnoſcere uellet, ac ſimul data fide pollicerentur, eum ſi ſupplex accederet, regnũ, B quod tueri armis nequiuiſſet, uictoris humanitate ac beneficio conſecuturum. At ſi renouare bellũ pergeret, & ſuæ imbecillitatis obliuiſceretur: dijudicata belli fortuna, nullam eum poſtea dignitatis ac uitæ conditionem ex merito apud iratos inuenturũ. Enimuero Selymus, quum ſe in remotiſsimam regionem, alia atq; alia inuitante uictoria, abductum conſpiceret, ac tantulis infirmus copijs timeret, ne in ampliſsima urbe ab incertæ fidei hominum multitudine opprimeretur, per conditiones bellũ confi cere, quàm ui contendendo nouis implicari periculis malebat: quum præſertim ab incolis eius prouinciæ nunciaretur, ubiq; manus equitum omnis generis cogi ab his Mamaluchis, qui ex fuga diuerſas regiones peruiſſent: claſſemq; ad Suezziã portum expectari, quæ Arabico ſinu ad Erythræas angu ſtias aduerſus Luſitanos profecta eſſet. In ea eſſe ſupra tria milia Mamaluchorum, & Amyraſſem ac Rayſalomonem peritiſsimos duces, magnumq; numerum æneorũ tormentorum, unde Tomumbeius accepta incommoda reſarcire, atq; urbem uocantibus amicis repetere poſſe uideretur. Sed eum in primis ingens cura Perſicarum rerum excitabat: ne ſi Hymbracorbaſſa, quem ad Taurũ præmiſerat, Hiſmaëlis uiribus impar foret, ipſe prius ab Aſia minore ac Syria excluderetur, quàm Byzantina claſsis cũ ſupplemento militum, & ſecundis commeatibus Alexandriam peruenire t. Igitur decreta legatione, uiri inſignes qui ſacris præerant, cum his q; aliquot Ægyptij clari nominis mittuntur. Qui quum traiecto Nilo in Seiecticam perueniſſent, antequam audirentur, à quibuſdam Mamaluchis infana ac barbara crudelitate trucidati ſunt. Nefarij ſiquidem & arrogantiſsimi homines, Tomumbeio nihil tale expectanti, ſe gratum facturos putabãt, ſi ad declarandum ſtudium ſuũ atq; alieniſsimã à pace uoluntatem, tanti odij ac feritatis rabiẽ ea immanitate ſceleris oſtentaſſent. Quod factũ ſuperbè atq; atrociter, omnẽ Selymi patientiam abrupit, & mox funeſtiſsimũ bello, ac Mamaluchis omnibus finẽ impoſuit. Namque homo, quũ nullis etiam irarũ fluctibus ageretur, natura & uehemens & ferox, æquo animo ferre nõ poterat, quòd uicti fugatiq;, & mãdata ſua; quæ utilia atq; honorifica ipſis forent, deſpicere: & ius legatorũ apud efferatiſsimas etiam gentes ſanctiſsimum uiolare auſi fuiſſent. Quamobrẽ his exagitatus iniurijs, in Seiecticã aduerſus Tomumbeiũ expeditionẽ edicit, cõmeatũ parare imperat: & Nilum, quòd ratibus tranſire, neq; ſuę dignitatis, neq; preſentis occaſionis eſſe ſtatuebat, cõractis undiq; nauigijs, ſtabili ac latiſsimo ponte conſterni iubet. At Tomumbeius, quũ parari copias, & Nilũ ponte iungi per exploratores & Memphiticos ciues audiret, ueritus prouincialiũ perfidiam, quorũ animos Albuchomaris defectione ab ſe alienatos eſſe, propter eius uiri potentiã atq; authoritatẽ, facilè ſuſpicabatur, illam eandẽ, quæ toties ſpes ſuas fruſtrata fuerat, prælij fortunã tentare conſtituit. Omnibus enim rebus inferior, extrahere bellum, uel hoſtem expectare non poterat: neq; ſibi iterũ amiſſa dignitate per ulteriores ſolitudines fugiendum arbitrabatur. Ergo inito cum ſuis cõſilio, quod ſibi Mamaluchisq; omnibus ſupremũ fuit, cum quatuor militibus armatorũ equitum, & bis totidem Maurorum atq; Arabũ, è Seiectica diluculo profectus, cõtinuato per diem ac noctẽ itinere, ad Nilum cõtendit, ut Turcas, quos nihil tale de uicto atq; infirmiſsimo hoſte ſuſpicaturos eſſe intelligebat, audendo falleret, & ſui famã celeritate præueniret, ratus ſe impro uiſo aduẽtu copiarũ partẽ, quæ primæ flumen trãſijſſent, priuſquã eis ſubueniri poſſet, eſſe deleturũ. Neq; enim tẽporis ſpacium opinionẽ fefellit: namhorarũ momẽta cum itineris celeritate egregiè ſupputata, cõgruerant: & ut ipſe coniectura futurũ putauerat, prima Aſiaticorũ agmina pontem traiecerant. Muliones, & cum his pueri, qui Selymo à cubiculo ſeruiebant, quum ad tendendum tabernaculũ amœniorẽ locum quærerent, longius progreſsi, puluerem aduentantis exercitus primi conſpexere: ſtatimq; ea de re Muſtaphas certior eſt factus, & ad arma conclamatum. Qui rumor & his, qui iam tranſierant, & illis qui in citeriore ripa tranſituri morabantur, magnam trepidationem iniecit. Tomumbeius expeditas arma, & coëuntes ad ſigna hoſtes repentino impetu adortus, primos, qui luſtinere irruentium impetum auſi ſunt, obtruncat, alios diſijcit & conuertit in fugam. Nec Muſtaphas, quanquã impauidus, ante alios pugnando atque adhortando, tota fermè prima acie protrita, ac cæteris perturbatis, reſtituere ordines, aut in fugam uerſos retentare poterat. In aſpero enim atque inopinato negocio, cuncta concurſatione, cæde, fuga & metu plena erant, totis ripis ſupra atque infra pontem, reſpectantium atq; auxilia implorantium trepida agmina uiſebantur. Multi, impellentibus hoſtium turmis, ad extremos redacti margines, in flumen procidebant: multi ad initium pontis, occurrentibus, qui continuè ab ulteriore ripa ſubmittebãtur, dum ſcandere pontem uellent, timore præpediti, & reiecti ab ſuis, profluentis gurgitibus hauriebantur. Erat latitudo pontis tanta, ut quaterni equites commodè recipi, & magna eorum multitudo unius horæ momento tranſmitti poſſet. Verùm quum tormẽta traducenda eſſent, minora equitum ſubſidia, quàm periculi magnitudo, uel repentinus caſus efflagitabant, ſubmittebantur: nec in tormentis ullum erat auxilium, quæ celeriter traduci, uel ab citeriore ripa in aduerſam, propter obiecta ſuorum agmina emitti ſine detrimento non poterant. Interim Selymus, qui initio tumultus ad Nilũ decurrerat, ſcaphas & fluuiatiles lẽbos prætorianis ſclope-

tarijs complet,atq; equitatu per pontem accelera-
re iusso,eos laborantibus subsidio transmittit. Qui
bus nauigijs expediti nautæ,quum adhibita omni
celeritate reuerterentur, ac rursus alios exciperent,
paruo tẽporis spacio plures cohortes exposuerunt.
Quorum aduentus perturbatos, & iam ægrè susti-
nentes Asiaticos confirmauit. Canoglis quoq; Tar
tari regis filius,Scytharum agmina ut Nilum transi
rent cohortatus,in ulteriorem ripam paucis desde
ratis & admirantibus cunctis euasit. Ea enim gens
& Tanaim & Volgam rapidissimos maximosq; a-
mnes,gregatim insuefactis equis, transnatare didi-
cerat.Eodem quoq; tempore Tomumbeius, quòd
celerem in una ea re uictoriam consistere prouide-
bat,confertis suorum turmis ad pontis caput pene
trare,atq; id occupare conatus est,ut ad intercludẽ-
dos hostes primã ratem auelleret,& rudentes, qui-
bus ea nauium series ripæ deligabatur,præcideret:
quibus abscisis, necessariò totus pons superstanti
bus copijs resolutus,ipso tanti amnis impetu rape-
retur:quæ res longè periculosissimam attulit dimi
cationem.nam ab delectis,ac optimè armatis, qui à
fronte urgebant, singulari uirtute pugnabatur: &
Mustaphas animaduerso periculo, & signa & fortis
simos quosq; in eum locum contulerat. Itaq; tanta
est contentione actum,quanta agi debuit,quũ Ma-
maluchi,si loco potirentur, se breui negocio postea
superiores hostium uictorias euersuros, manifestè
perspiceret:& Turcæ, nisi pontem conseruassent,
de sua in primis,& reliqui exercitus, ac ipsius impe
ratoris salute desperandum esse intelligerent. Sed
rem obtinuit Mustaphas sclopetarijs,& Græcorum
turmis,quæ iam plures transierant, prælium exci-
pientibus:moxq; hostibus repulsis ultrò institit,&
ad multum spacium eos submouit. Hic est ille Mu-
staphas natione Pannonius,& Baiazetis gener,qui
magnificentiæ & perpetuæ laudis studio, ex huius
uictoriæ manubijs, eximij regijq; operis, & sum-
ptus,pontem lapideum in Strymone amne cõstru-
xit,quem hodie per Thraciam transeũtes,tanquam
Romanæ magnitudinis æmulum admirantur.To-
mumbeius,ut Mamaluchis,qui lassitudine deficiẽ-
tibus equis, acrius pugnare non poterant, aliquid
ad respirandum spacij daret,& per eos rursus extre
mum prælij casum collectis uiribus experiretur,A-
rabes ac Mauros, ut tantisper pugnam sustinerent
adhortatus est. Quod quum impigrè præstitissent,
& paulo pòst Mamaluchi equis atq; corporibus a-
liquantulum recreatis succesissent,tanta ui præliũ
redintegratum est, ut Selymus uictoriæ diffidens,
quanquam amici eius,ne id faceret, deprecarentur,
conscendere pontem, & suis auxilio proficisci non
dubitarit.Eius aduentus,spe illata militibus,qui in
conspectu imperatoris, & præmia & laudem, insi-
gni aliquo uirtutis facinore edito,promereri cupie
bant,conatus hostium represit:statimq; prætoria-
narũ cohortium uirtute omnes in fugam uersi. Fu-
gientes,equitatus qui prælio non interfuerat,totis
campis consectatus est: & ipsi demum Scythæ,qui
delati uorticibus in ulteriorem ripam ad hostes tar
dius ascenderant,sagittãtes affuere.Tum uerò mis-
si Mustaphas, Cayerbeiusque & Gazelles cum re-
centi atq; expedita equitum manu, qui uestigijs fu
gientium insisterent,nec Tomumbeium elabi pate
rentur.Sequenti die eum ad prælatæ paludis emis-
sarium,ubi paulùm conquieuerat, adepti sunt, co-
nantemq; interscindere ligneum pontem, ut inie-
cta mora antecederet, aliquot ibi occisis & captis,
rursus effugere coẽgerunt. Tertia die, quum amis-
sis fermè omnibus copijs, ad Secussani reguli uillã
peruenisset, & Turcæ Ægyptijs, qui eius regionis
pagos incolunt, extrema supplicia denunciassent,
nisi ad comprehendendum Tomumbeium, egres-
sus omnes illarũ paludium,& circumiecta loca in-

A tentis custodijs obseruarent, metu perculsus palu-
dibus se condidit:ubi eum paulo pòst agrestes mer
sum aquis usq; ad summũ pectus, atq; inter iuncos
& harundines latitantem deprehenderũt, uinctũq;
miserabili habitu occurrentibus Turcis tradiderũt.
Nec multo pòst cum aliquot ducibus amicorumq;
præcipuis,Memphim perductus est. Selymus, qui
propter interfectorum legatorũ iniuriam, hominẽ
necare decreuerat,eum ad se perduci uetuit, torro-
busq; tradidit,ut de Campsonis thesauris quære
rent,qui secretissimo specu abditi credebantur.Fe-
runt eum cõstanti animo ac minaci uultu,nihil præ
ter suspiria atq; horribiles gemitus,in summis cru-
ciatibus protulisse, ut ea patientia uictoris sæuitiã
superaret.Postero die eum uili camelo impositũ, ac
obsoleta indutũ ueste,religatisq; in tergo manibus,
sicuti noxij ac latrones solent, per omnia urbis fo-
ra, & celeberrimas regiones circumduci iussit: ut
Ægyptij,quem paulo antè regem adorarant, illum
eundem uertente fortuna in extremas præcipitatũ
miserias,uitæ simul atq; imperij dies fatali laqueo
finiturum intuerẽtur. Quũ uerò ad Bassuellam por-
tam peruentum fuit, ei laqueo gulam fregere, utq;
transeuntibus conspectui atq; ludibrio foret, unco
ferreo suspensum supra fornicem reliquere. De To
mumbeio suppliciũ sumptum est idibus Aprilis,an
no à partu Virginis decimoseptimo supra millesi-
mũ & quingentesimũ:qui dies lunæ dicatus, Chri-
sti resurrectionis celebritatem secutus est:quum ad
Rhodianam pugnatum esset undecimo Calendas
Februarias,die diui Vicentij memoriæ dicato. Nec
defuerunt,qui in eo tam atroci miserabilique spec-
taculo,lachrymas effunderent,tristiq; gestu & incon-
dito eiulatu ultimi regis sui usq; adeò fœdam atq;
turpissimam necem auersarẽtur, uel increpantibus
sæua uoce,& mortẽ cõminantibus Ianizeris, quòd
B Memphiticus populus,uti leuis,& ueteri Mamalu-
chorum seruitio assuetus,depulsæ seruitutis benefi
cium, nequaquam lætis & gratis animis acciperet.
Erat enim plebs Ægyptia adhuc incerta libertatis,
propterea q; cæco suspensa metu, rebus suis timere
cogebatur: quòd Turcarũ gentem bello inuictam,
formidatamq; cunctis Europæ atq; Asiæ regibus,
nequaquam Circassijs mitiorem, imperatore præ-
sertim cruentissimo, superbissimè regnaturam exi-
stimaret. Commouebat quoq; animos mirũ in mo
dum pendentis Tomumbeij habitus iam indignè à
fortuna mulctati:eum namque singulis aulæ hono
ribus integra nominis fama gestis,ad summum re-
gij decoris fastigium,studio populi,fauoreque pro-
cerum ascendisse meminerant, ut inde urgentibus
fatis usqueadeò deformi ruentis imperij, & uitæ
exitu præceps daretur, exemplum haud dubiè in-
ter paucissima humanæ uarietatis ualde memora-
bile miseris pariter atque felicibus prębiturus.His
quidem,ut nihil sese efferre, sibique adulari, illis ue
rò,ut cuncta, quæ indigna atque aspera sors adue-
heret, constanter ferre condiscerent. Eo etiam To-
mumbeius cõmiseratione dignior apparebat,quòd
maiestatem proceri & lacertosi corporis, ultumq;
que promissa & canescente barba uenerabilẽ, cùm
regio solio, tum militari imperio parem attulisset.
Cæteri Mamaluchorum proceres cum ignobili e-
tiam equitum turba, qui in custodijs erant, eandẽ
exitus fortunam tulerunt. Sublato Tomumbeio, atque occisis fermè omnibus Mamaluchis,
quum nulla certa hostium manus in Ægypto esse
nunciaretur, quæ renouare bellum posset, diduc-
tis copijs, ad recipiendas ulteriores prouincias Se
lymus duces misit. Alexandrini enim secundum
Memphiticam pugnam expulso præsidio, & Pha-
ri arce, quam imbellis custos certa cum spe præsen
tis præmij, quàm dubio periculi euentu tradere,
quã defendere maluerat,facilè occupata multis an

tè die-

tè diebus ad Turcas defecerant:Damiata quoq; ui-
ctoribus portas aperuit. Hæc olim Pelusium,Æliopolis q; demum instaurante Hadriano Cæsare uocata est. Citra autem Nilum, quà Ægyptus Iudææ atque Arabiæ terminos attingit,nulla ciuitas,quæ Turcarũ imperio non pareret,relinquebatur. Ipsiq; Africæ reges Cyrenaici finitimi,qui pendere tributa,& Sulthanis certo fœdere parere consueuerant, legationes destinabãt.Reliqui erant Arabes, & præ sertim Africani,qui Tomumbeio auxilia miserant, & Turcis,quòd eo bello magnum suorum numerũ amisissent,minimè parituri dicebantur. Ea gens latrocinijs potius, quàm bello assueta, ab Euphrate quà Palmyrenorum fines alluuntur, usq; ad Atlanti cum Oceanum totam Ægyptum atq; Africam multitudine sua repleuit. Errabunda gens est, ac innumerabilis,distincta tamẽ per populos & duces, qui suas urbes atq; oppida singulis curribus trahũt: utpote qui certas sedes nõ habent,& Scytharum more tentorijs & papilionibus utũtur. Ipsi se gentium nobilissimos prædicant,quòd nullis unquam alijs immixti gentibus,incorruptam antiqui generis nobilitatem conseruarint. In uniuersum astu omnes atq; ingenij artibus potius, quàm corporis uiribus pollent.Frugi enim in conuictu homines,nulla cibi intemperie uires alunt: temperantia ualetudinem tuentur,multaq; exercitatione ad inuictum robur habiles artus confirmant. His magnæ curæ est uxorum pudicitia, quando nihil potius ducant, quàm incorrupti sanguinis antiquum decus. Totum autẽ familiæ censum una impleret tenuis supellex,quæ nobili equo Numidico,lancea,& iaculis constat.In mundo muliebri,neq; aurum, neq; argentum uisit: sed lanea uirgata uestis,& pro geniali toro ex centone leuis culcitra:primores tantum,argentum uer miculato opere fabrefactum, pictumq; in phaleris gestant:argenteasq; item bullas collo suspendunt, B quas incluso amulero Thaheles uocant,quarũ præsidio aduersus pericula se probè munitos arbitrantur.In hospites aduenas ambitiosius,quàm latronũ mores ferant,liberalitate uti mos est. Sed conuiuia eorum,si uenatio non supperat,leui pollinis & orizæ pulticula,fauo mellis, carica, palmæ dactylis,ac lacte acido finiuntur. Munera sunt laneæ chlamydes,colore uiolaceo aduersus imbres à nostris expetitæ.Sed inter se nouas & ueteres à maioribus per manus traditas immortales inimicitias exercent, ac sæpenumero in factiones secedunt, & aggregatis utrinq; auxilijs cruentissimè pręliantur. Qua de causa, quum antiquis odijs, & nouis simultatibus semper studeãt,& bella ex bellis oriantur, nunquã ad expellendos Mamaluchos consentire in unum, & pari consilio bellum gerere ualuerũt. Neq; enim Mamaluchorum opes tantæ multitudini sufficere potuissent,quando Sulthani ex aliena discordia potius,quàm proprijs uiribus eam prouinciam atque imperium retinere uiderentur.Itaque Selymus per idoneos homines plures eorum duces data fide ad se Memphim euocauit,& summa liberalitate prosecutus est:quorum exemplo fiebat,ut cæteri quotidie accederent,acceptisq; muneribus in uerba eius continuò iurarent. Aliqui tamen,quum nullis pollicitationibus ac donis flecterentur, per insidias ab alijs ducibus intercepti, ac Selymo traditi, inanis pertinaciæ atq; odij pœnas dederunt. Classis quoque paucarum nauium aduerso Nilo usq; ad Sienẽ, quam hodie Guagueram incolæ appellant, ascendit:omnesq; hæ gentes quę ad Æthiopiam uergũt, sicuti amicitiam potius,quàm imperium Sulthano rum agnoscebãt,ita uictorię fama perductæ,in Turcarum fidem facilè concessere.Iisdem etiam diebus ad Suezziam Rubri maris portũ (is olim Arsinoës fuit)cum aliquot turmis atque cohortibus processum.Distat Memphis à proximo littore, ubi Suez-

A zia est & Thorius portus,trium tantum dierum iti-
nere. Quo in portu Campson aduersus Lusitanos
classem ædificauerat, qui subacta tota propè India,
omnem Arabici sinus nauigationem sustulerant:&
quum Indicas merces per Oceanum in Hispaniam
auerterent,Memphitica uectigalia grauissimis de-
trimentis affecerant. Ea classis,magna impensa, &
labore incomparabili uix quatuor annorum spacio
perfecta,deductaq; fuerat. Nam ab Ilsico sinu, atq;
Amani syluis è Cilicia materiã petere necesse erat:
eam inde transuectam Pelusiũ,aduerso Nilo Mem-
phim deportabant, ubi nautæ ac peritissimi fabri
non deerant,qui ab Venetis haud obscurè submit-
tebantur: quum & ipsi, eodem incommodo acce-
pto,nobilem illam,& toti Europæ statis temporibus aromata partientem nauigationem intermitte
re cogerentur. A Memphi autem plicatiles ac solu-
tæ naues membratim camelorum dorso Arsinoẽ
cõuehebantur:ibiq; rursus commissæ in unum per
partes suis clauis configebantur. Quibus constru-
ctis atq; deductis,paulo antè Selymiani belli initia,
Campson Amyrasem,& Raysalomonem duces mi
sit cum ualida manu Mamaluchorum, magnoque
tormentorũ apparatu,qui cum classe ad Erythræas
angustias contenderent,& cum Lusitanis bellũ ge-
rerent.Sed illi,quum Lusitanam classem ducẽ Lo-
po Suare ultro ingressam Arabicum sinum cogno-
uissent:nec sibi tũc,multis de causis,cum totius In-
diæ uictoribus confligendum esse arbitrarentẽ,Gid-
dę, qui Mechæ Mahometi sepulchro celeberrimæ
urbis portus est,medio in sinu ad Arabiæ felicis li-
tus per causam reficiendæ classis substiterũt. Mox
uerò discedentibus Lusitanis,qui propter aduersas
tempestates repulsi in Æthiopica litora,ac diu flan
tibus Euris iactati, nulla re memorabili gesta, sinu
excesserant,aliquot amicas urbes felicis Arabiæ,la
tronum more diripuerunt: & Ademum, ut ciuibus
pecuniam exprimerent,expositis copijs oppugna-
runt.Sed urbs frequentissima & munitissima im-
petum Ægyptiorum egregiè sustinuit.Ademum e-
nim,quod antiquitus Ocellis emporium fuisse ar-
bitramur,opportuna incautè iuxta promontorium
Palindromum extra Arabici sinus fauces ad læuam
positum est, & à tribus ferè partibus mari alluitur,
murumq; habet,quà aditus est à terra,&complures
turres in morem nostrum portui ac naualibus im-
positas.Magna quoq; est ea in urbe, ut in nobilissi-
mo Indici maris emporio,commercij & mercaturę
causa,Persarum atq; Indorum multitudo, qui uno
consensu cum ciuibus,ut sese atq; opes suas ab Æ-
gyptiorum iniuria tuerentur,pro alienæ urbis salu-
te sumptis armis propugnare non recusabant. Ita
Amyrases, & Raysalomon repulsi ab mœnibus &
pessimè accepti,reductis copijs ad insulam Came-
ronis, atque inde Giddam redierunt. Ibi quum de
Campsonis morte atque aduentu Selymi ad Mem-
phim cognouissent, atque alter in fide permanere,
alter uerò uictoris fortunam sequi cõtenderet, pro
tinus inter se dissentire cœperunt: coortaque inter
milites seditione, Amyrases qui Tomumbeio faue
re conabatur,Mecham profugit.Verùm paulo pòst
Raysalomone eum deposcente,atque omnia hosti-
lia,nisi continuò sibi traderetur,denunciante, à Me
chensibus,qui rebus Giddensium magnopere time
bant,captus,& Giddam ad classem transmissus est.
Porrò Raysalomon,ut æmulo &collega sublato,so
lus classis imperio potiretur,atq; edito aliquo insi-
gni facinore sibi aditum ad uictoris gratiam præpa
raret, Amyrasem noctu ad declinandam inuidiam
mari demersit: & bimestri stipendio donatis militi
bus,his que Selymi sacramento adactis,paucorum
dierum nauigatione Arsinoëm peruenit, & tradita
classe ad Selymum profectus est. Ea uerò Turca-
rum manus, quæ Arsinoëm uenerat, dextro litore
ad su-

ad ſuperiores prouincias aſcendit: regulíq; omnes, qui Sulthanorum tributarij uel amici erant, uſq; ad Dauidis maximi Æthiopum regis fines, quem noſtri Preteiannem uocant, ſine ulla dubitatione deditionem fecerunt. A Bonæ ſpei promontorio, binisq; ambientis Oceani litoribus, introrſus Magni Preteiannis imperia pateſcunt, quæ in quadraginta amplius regna, per immenſas propè regiones certis finibus diſtinguuntur. Hæc nota, claraq; ſuis nominibus atq; opibus, peculiares habent reges, lingua, moribus, & oris colore diſſimiles, qui tributa pendunt: aut ſtipendiarij facti, quũ bellum ingruit, Preteianni tanquam ſupremo imperatori operam nauant. Hic magnus Abyſſinorum & Æthiopum rex, qui à noſtris corruptè dictus eſt Pretegian, à ſuis Belulgian appellatur, quod eſt uetus cognomẽtum uſurpatum à ſuperioribus regibus. Id nomen incõparabilis præſtantiæ, immenſiq; precij gemmã ſignificat: proprio uerò nomine, qui hodie regnat, uocatur Dauid, peculiareq; habet cognomentũ Atanadidinghel, quæ uox thus uirginis exprimit. Regnauit ante hunc Naus pater, nulla propter auaritiam populorum gratia. Excepit autem regnum filius admodum puer, tutrice Helena matre, quę prudentia pietateq; ſpectabilis, eum probatiſſimis imbuens moribus, tot regna moderatiſſimè rexit. Filij ex ætatis prærogatiua in regno patribus ſuccedunt. Quòd ſi maſcula proles deſit, unus è propinquis uirtute præſtantior, defuncti ſedẽ implet. Præalto ſiquidem ſtemmate ab antiquiſſimis regibus genus repetunt: regijq; ſanguinis incorrupta nobilitas hiſtoriarum teſtimonio recenſetur. Nam apud eos rerum geſtarũ memoria, perpetuæq; regiæ ſtirpis ſucceſſiones, fideli literarum cuſtodiæ publico inſtituto demandantur, tanta cura & religione, ut præfecti notariorũ, quũ oportet, annorũ ſupra mille nuſquam interciſam memoriam ex archiuis proferant. Rex ipſe quum negociorum occupatione liberatur, reliquas horas euoluẽdis hiſtorijs ſacrisq; item literis fermè totas impendit. Nam apud eos ſunt ueteris & noui inſtrumenti codices, cum Diui Pauli epiſtolis, in Abyſſinam ex Chaldaica translati linguã. Exinde modicè corpus exercet, atq; id balineo curat, & demũ eodem more quo noſtri reges cibum capit ſolus aureo in monopodio, quod nulla mappa contegitur. Miniſtrant ei nobiles pueri, epulasq; per ligneos gradus excelſæ menſæ inferunt: & eas quidem in paruis calathis conciſas. Vinũ ex aurea patera potat, & ex calice cryſtallino ceruiſiæ lympidæ genus, quod ex auſteris pomis & ſaccaro conficitur. Suauiſſimi ſaporis uolucres, piſcesq; uti apud nos, uenatioq; item multa omnis generis totius regiæ menſas exornant. Prandenti, cuſtodiam agunt circumfuſi tabernaculo trecenti fermè iuuenes ex omnibus delecti regnis, qui loco ſatellitum & obſidum habẽtur. Arma eis ſunt, enſis, pugio, & haſtile præpilatũ: ceruices & humeros ferina pellis contegit. Quatuor porrò inſignes reges, qui edicto euocati, per uices aulam frequentant, cũ ſplendido procerum & minorum præfectorum comitatu, epulas è coquinæ ueſtibulo, ad regis tabernaculum honoris cauſa deducũt, traduntq; prodeũtibus pueris. Rex prandio cõtentus, quando niſi feſtis diebus haud cœnet, remota menſa, aliquot reginas, quæ ad colendam ipſius Dauidis uxorem uocatę, eadem conditione qua reges ad aulam ueniũt, ab eunuchis introduci iubet. Hæ iucundioris oblectamenti cauſa, coram rege pſallere & ſaltare conſueuerunt. Is quatuor uxores finitimorum regum filias connubio ſibi iungit, ſed cum una ritè & ſanctius deſponſata cubat: quæ ſi ſterilis euadat, una è cæteris regium torum ſubit. Velata facie obtenſo ſcilicet tenui ſudario rex in publicũ prodire, & partam crucem argenteam dextra manu geſtare ſolet,

A equitantiq; ſeptem laureæ totidem uictoriarũ præferuntur, prælongis haſtis ſericam umbellam excedentibus, hæc ei trophęa ſunt de deuictis hoſtibus. Vir enim bellicoſus arma cõtinenter exercens, ingéres alit copias, quibus aduerſus rebelles hoſtes q; imperij ſui maieſtatem tuetur. Difficili ante alios & periculoſo bello Troglodytas uenenatis utentes ſagittis perdomuit: regem Caſantem prælio fuſum uiuum cepit, eiq; tanquam ſæuitia & perfidia infami caput præcidit. Is regnabat ad eam regionẽ, quę uergit ad Auſtrale Oceani litus, nomine Mozambi cum, quod contra ſpectat ingentem diui Laurentij inſulam. Hæc ora Æthiopici litoris inſalubris & peſtilens eſt propter æſtuaria, quę reciprocantis Oceani alluuiones, & crebris decurrentium amnium oſtijs dulcis aquæ undas marinis admixtas recipiũt. Ab eo quoq; Bethfagæ reginæ, quæ regnum Bonę ſpei promontorio proximum poſsidet, præfectus bello acer & contumax, acie uictus interfectus q ue eſt, quòd inuita regina oblitus beneficiarij iuris, tributa pendere nollet, & crebris incurſionibus fidelium fines euaſtaret. Eadem armorũ ui Manicongri regem, quẽ poſtea Chriſti religionẽ induiſſe cõſtat, & Tormedam Nigritarũ principem aſsiduo bello attriuit, ut auctiora tributa atq; obſides uictori dare cogerent: geminatã uerò uictoriam uaria contentione multoq; ſanguine quæſitam à Selano rege retulit. Is Mahometanis Mauris imperat, iampridẽ ex Arabia felice, per Rubri maris anguſtias in Æthiopiæ proximam continentẽ ad cõdendas colonias tranſgreſsis. Ea gens Perſarum more optimè inſtructa armis & equis, ita indies coaleſcit, uiribusq; & numero hominum augetur, ut Barnegaſio & Tigrinio regibus, qui regna inter Arabicũ ſinum & Nilũ amnem obtinent, & Dauidi parent, magno terrori ſit. Tributa quæ Dauidi regi penduntur, uarij ſunt generis, pro facultate atq; opibus ſubditorum regũ. Alij namq; informe aurũ, atq; alia metalla, quorum omnium ferax eſt Abyſſinorũ terra: alij maioris pecoris greges: alij telas ſericas aut laneas, quibus eæ gentes ab umbilico ad ſuras conteguntur: alij præterea diuerſæ ſegetis, & foſsitij ſalis copiã in caſtrenſem commeatum: alij peregrinas merces, aromata, præcipueq; piper, & mancipia præbent. Agreſtiores porrò aſperis nemoribus adiacẽtes, certum numerũ uiuorũ leonum, & tigridum, aliarũq; ferarum ad regiam perducunt, quæ animi cauſa uiuarijs & ſeptis includuntur. Remotioribus ſola huiuſmodi ferarum tergora imperat, quibus Abyſſini ad elegantiam & militarem cultum ueſtiuntur. Regis exercitus quum ad bellum educitur, incredibilem equitum & peditum multitudinẽ oſtendit. Pedites magna ex parte iaculatores, ſagittarij, funditores q; ſunt. Robur autem eſt in equite, qui lorica oblonga protegente coxas, aperta galea, & rotundo ſcuto, acinaceq; àdunco, & ancipiti lancea armatus in aciem prodit. Qui galeis carent, capita muniunt rubris uilloſis q; pileis, quibus modò Mamaluchi equites apud Memphiticos reges utebantur. Elephantos etiam turritos, & militariter ornatos in aciem producere conſueuit. Eadem autem diſciplina accipiendi imperij, ineundæq; pugnæ obſeruatur, quæ apud nos in uſu eſt. Tympanis æreis, & tubarum cantu Martem accendunt. Vera & ſpectata inter eos uirtus, certum decus & præmia parit: eo quidem nobilius, quòd ſtrenuè pugnantes quo minus arctè manus conſerant, nullo tormentorũ periculo deterrentur. Abyſſini monetã non cudunt, ne à prauis ingenijs adulteretur: importata tamen utuntur, ſed tantum aurea cum Arabicarum literarũ nota. Hos nummos, Pardales, & Seraphios appellant, qui nec pondere nec probitate auri Venetum nummum æquant. Certis auri argentiq; fruſtulis ad uarium pondus examinatis, militi ſtipẽdia perſoluere,

ſoluere, & res uænales in foro coëmere mos eſt. To A uictoris inuidia parietibus reuellerentur. Nec multo pòſt per ſummam uoluptatẽ incrementum amnis, qui proximos campos ſtagnantibus aquis inundauerat, ita inſpexit, ut à ſenioribus incolarũ totius exundantis amnis menſuras rationes q; curioſe perquireret. Pronunciant enim diuerſi auctus, qui certis menſuræ notis deprehenduntur, modò lætiſſimam ſegetem, modò diram famẽ, modò certã tantum aduerſus inopiam ſecuritatẽ, quum imperioſus ac impotens amnis, benigna aut ſæua libidine exundans, nunc quoſdam camporum tractus adeò copioſe irriget, ut intra ſerendi ſpacium ſerò decedat, alios ſegniter parceq; leui tantũ rore aſpergat, ad non dubiam ſterilitatem uix puluere ſubacto, ea prorſus alternantis amnis lege, ut Ægyptij ſe tum diuites futuros exiſtiment, quum Nilus temperatus & lenis nequaquam ad ſummi, aut minimi incrementi notam acceſſerit. His rebus ſtudioſe compertis, quũ ſibi in Syriam propter rumores, qui de Hiſmaëlis aduentu in Meſopotamiam afferebant, redeundum eſſe arbitraretur, præſidio Turcarum Memphi impoſito, Cayerbeium toti Ægypto præfecit. Quæ res Iunusbaſſam eius honoris ſpe, & iuſta cupiditate accenſum, uehementiſsimè perturbauit. Is enim mortuo Sinambaſſa, cùm uirtute & rebus geſtis, tum recenti etiam uitæ periculo elatus, quum neminem ſibi exæquari dignitate pateretur, ſe unum eſſe reliquum, ad quem ſumma imperij redire deberet, Selymi & militum iudicio ex omnibus illius amicis ac ducibus exiſtimabat. Nec deerat militaris fauor: nam ut ſtatim ex uulnere conualuit, quum in magnificentiſsima Diadarij domo, quam in ipſa uictoria uſurpauerat potius, q̃ Selymi munere acceperat, conuiuia, quibus milites maximè capiunt, regio propè ſumptu primoribus iuxtà atque gregarijs quotidie pararet, ac ſæpe nobiles equos, decora ſeruitia, ueſtes, uaſa, arma, ultro omnibus elargiretur, tantam gratiam beneuolentiamq; collegit, ut quum de more in arcem ad imperatorem eũdum foret, longè ampliſsimo atq; ornatiſsimo comitatu deduceret, & uulgo ei omnes Ægypti præfecturam deſtinarent. Quę omnia Selymi animum offendebant: nam uti erat facilè ſuſpicax, & metuſæuus, magnis etiam uirtutibus, quæ nimiã claritatem certamq; potentiã adferrent, inuidebat. Cayerbeio autẽ ſummæ rei propoſito, Iunusbaſſa pudore ac dolore uictus, ut qui ſuperbo animo contumeliã ferre non poterat, ſimulans ægritudinem corporis, quæ animi æſtuantis erat, per aliquot dies publico abſtinuit: & quum magis ac magis, & ſua iniuria, & proditoris honore cruciaretur, etiam moderari linguam non poterat. Accidit autẽ, ut Cayerbeius, quũ officij cauſa ad uiſendũ eum acceſsiſſet, & meridiano tempore ad leuandam ſitim, conſuetudine Ægyptiorũ, ſaccarũ frigida dilutum militari familiaritate deguſtaſſet, paulo pòſt acerbiſsimis alui doloribus conflictaretur, ut ueneno eum à Iunusbaſſa petitũ fuiſſe cõplures interpretarentur, ac ſeruatũ certioris antidoti præſidio dictitarent. Qui rumor, an falſus, incertũ: altius tamen q̃ quiſquam putaret, in Selymi animũ penetrauit: & iam paulo antè audierat nonnullas Ægyptiorũ familias, ex his, quæ Byzantium cõmigrare iubebãtur, à Iunusbaſſa (ipſe enim ei negocio præerat) ut rutò Memphi in patria permanerent, ingenti pecunia ſe redemiſſe. Cuius auaritiæ non obſcura ab æmulis ac delatoribus indicia prodebantur, quòd regales illos ſumptus, quos priuatis ſtipendijs tolerare non poſſet, noui uectigalis redditibus egregiè ſuſtineret. Hæc quum ad cõminuendam gratiam pertinerent, aliud quoq; fraudis uel negligentiæ crimen acceſsit, quod illi uitæ exitum urgentibus fatis maturauit. Nam Selymus, ſicuti reges ſolẽt, qui egregiè diſſimulando, ut priora puniant, cõpreſſa in præſens iracundia, alicuius

noui

noui criminis occaſionem expectare conſueuerũt, A dicta factaque eius obſeruans, eum infenſo paratoque animo perſequebat. Paucis enim antè diebus, quàm certior fama de profectione imperatoris in Syriã euagaretur, milites, qui Memphi in præſidio relinquebantur, cauſati longinquam militiam maioraque pericula, & defunctos labores, augeri ſibi ſtipendia flagitarant. Idq; illis facilè Selymus ordinum habita ratione præſtiterat: mandaueratq; Iunusbaſſæ, ut ea ſumma apud caſtrenſes tabulas antiquis rationibus adderetur. Sed ille inſania præceps, nihil earum rerum quas iuſſiſſet imperator, quæſtoribus retulit, ut milites, ſi uberiore promiſſoque ſtipendio fraudati eſſent, Cayerbeium tanq; iniuriæ authorem odio habere, atque deſpicere inciperent, & propterea Memphiticæ res militari abalienatione turbarentur. Vnde Selymus, damnato priore conſilio, pro alienigena qui non occulto Ægyptiorum odio, ut in recenti fœdiſsimæ proditionis memoria deflagraret, cuiusque imperium uetera rani moleſtè ferrent, hominẽ Turcam nutanti prouincię ſubmittere cogeretur. Sed ea omnia, quoniã praua conſilia duri rerũ exitus eueſtigiò conſequuntur, aliter atque ipſe ægro animo deſtinarat, euenere. Namque profecto imperatore, & iam Hieroſolymis appropinquante, Memphitici milites, quòd accipiendi ſtipendij ſtatura dies aduenisſet, nec ſibi quicquam præter ueterem ſummã perſolueretur, rei indignitate commoti, apertius ac uiolentius q̃ Iunusbaſſa putauiſſet, inſultare & comminari quęſtoribus, acipſi Cayerbeio palàm maledicere cœperunt. Quibus uocibus ille perculſus, ut qui nondũ in Turcarum conſuetudinẽ deuenerat, unà cũ quæſtoribus, ſeſe purgare militibus, atq; orare ſuppliciter, ut nihil de ſe temerè crederent, remque ipſam ſedatis ab iracundia animis cognoſcere uellẽt: nec ſe uel acerbiſsimam pœnam deprecari, ſi quid dolo B ſuo factum, aut fraude prætermiſſum inueniretur. Sed diſceptationis is exitus fuit, quum Cayerbeius & quæſtores ſuſpicionem periculumque uitare, & milites ad ulciſcendam iniuriam fraudem deprehendere properarent, ut legati ad Selymum mitterentur, qui nondum Iudææ finibus exceſsiſſet. Legati itinere celeriter confecto, exercitum ſupra Lariſſam Palæſtinorum conſecuti, imperatori, ut primum facultas data eſt, & militum querimonias, & Cayerbei ac quæſtorum in auertenda fraudis ſuſpicione ſollicitudinem ordine detulerunt. Quæ res Selymi animum alijs quoque offenſionibus alienatum, adeò uehementer nouis irarum ſtimulis exagitauit, ut Iunusbaſſam protinus ad dicendã cauſam pertrahi iuſſerit. *Ille*, quanquam & culpæ conſcientia & ſupremo timore palleſceret, quum in irati imperatoris uultu certiſsimas ſæuitiæ notas intueretur: attamen preſenti animo reſpondit, ſe neque dolo malo, ut pecuniam auerteret: neque ut inde alijs aliquam conflaret inuidiam, ſtipendia militum ſecus ac ipſe iuſſiſſet, augeri uetuiſſe. Sed id optima factum ratione, ut ærario proſpiceretur, quum incredibilem pecuniarum uim præterita bella exhauſiſſent, & iam noui bellorum motus è Perſide audirentur, qui non neceſſarijs ſumptibus parcendum ſuaderent. Contrà milites, qui & præda ditiſsimi euaſiſſent, & in fertiliſsima urbe Mamaluchorũ domos & fundos tenerent, ac Ægyptiorum facultatibus alerentur, & maiora atque uberiora, quàm ab ullo unquam Othomannorum imperatore, ſtipendia acciperent, eum caſum quòd minus liberali cõſilio ſecum ageretur, ſi non omnem penitus modeſtiam exuiſſent, æquioribus animis tolerare potuiſſe: ac debere imperatores, qui milites bello paceq; perpetua liberalitate proſequerẽtur, ab his aliquando pro diſciplina animi continentiam requirere: ne dum priuatim quæſtui omnes ſtuduerint, publicè poſtmodum ad ſuſtinendos maiores ſumptus, quum neceſſariò bella ex bellis ducantur, opes deſint. Quando nemo uel uirtute, uel fortuna maximus imperator, res præclaras unquam bello geſſerit, ſi eum omnibus abundè optimis artibus inſtructum pecuniæ propria bellorum inſtrumenta defecerint. Talia dicentem Selymus uindicabundus & ferox, loqui plura prohibuit, quoniam ſi reus longiore oratione merita anteactæ militiæ recitaſſet, deprecatores ex intimis omnino ſibi paraturus eſſe uideretur, protinusque eum in conſpectu interfici iuſsit: addens inſolentiſsimi eius ſerui exemplo, cæteros, qui arroganter imperatori præſcribere uellent, officij & conditionis memores in poſterum futuros. Ferunt milites, cum magna Selymi inuidia, miſerabilem inſignis uiri interitum magnopere doluiſſe. Nam ille præter eximiam, & toties cum ſumma gloria ſpectatam omnibus bellis uirtutem, tantum Græci ingenij artibus, oris habitu, militariq; facundia, & ipſo uitę ſplendore apud omnes & gratię & exiſtimationis adeptus fuerat, ut nemo in exercitu eſſet, qui ſe non ei aliqua ex parte deditũ atq; obſtrictum eſſe fateretur, ac imperatoris ſæuitiem non damnaret. Meminerant enim ab eo præpropera crudelitate necatum Muſtapham, cognomento Calogerum, tantæ quondam authoritatis & potentiæ: & ſimili quoque rabie Chendemum ea dignitate, uitæque innocentia omnium ducum, qui ex magni Mahometis ſeminario profluxiſſent, longè peritiſsimum, indicta cauſa concidiſſe. Neque excidẽrãt animis Boſtanges eius gener, & Ducaginoglis, hic inſigni curiæ magiſtratu clariſsimus, ille claſsis ac hortorum præfectura, & uxoris uinculo atq; opibus ſuperbus, qui biẽnio antè abſciſsis ceruicibus, in curiæ ueſtibulo expoſiti, & miſeriæ ſuæ, & regię crudelitatis ſpectaculum præbuerant. Obſeruabantur quoque omnium oculis, ueluti nouo ſcelere priſtinæ immanitatis renouata memoria, Bayazetes pater ſanctiſsimus ſenex, duoque fratres ſuo iure, ſuoque ætatis & ſtirpis ordine ad imperium uocati Achomates atque Corchutus: totque item regiæ indolis adoleſcentes, ſuperiorum fratrum filij, qui inhumani ferię; hominis execrabili ſæuitia perijſſent, ut non immeritò eum omnes ſimul metuerẽt, & acerbiſsimo odio perſequerentur: quando Selymus nullo deorum metu, nulla humani dedecoris cura, nec prauas, nec deteſtabiles ullas eſſe artes, modò uires imperio adſtruerent, arbitraretur: & timeri à pluribus, quàm amari certius atque ualidius eſſe, in animum iampridem impietate atque ſceleribus efferatũ induxiſſet. Iiſdem fermè diebus Himbracorbaſſa, quem ad Perſarũ fines cum parte exercitus miſſum fuiſſe docuimus, ut ſi Sophus Hiſmaël, in ea rerum opportunitate, in Aſiam uel Comagenem ſibi irrumpendum arbitraretur, & illic quoque iuſtas uires ad tuendos aditus inueniret, per literas ſignificauit, Perſicos apparatus, qui tantũ belli rumorem initio hyemis excitaſſent, media æſtate penitus refrixiſſe. Prædatorias tantum manus, quæ ſpeciem præſentis exercitus facerent, atq; ex occaſione nonnunquam excurrerent, ab ſe conſpectas eſſe, cum quibus ipſe ſæpius in excurſionibus proſperè conflixiſſet. Cæterùm uno conſenſu à captiuis, exploratoribusque referri, Hiſmaëlem Hyrcano ac Scythico ſimul bello implicitũ, cunctas regni uires aduerſus eas gentes contuliſſe. Propterea eum, quòd iam propinqua hyeme ſolitæ niues Tauri iugis imminerent, Aſiam aut Syriam eo anno minimè eſſe reſpecturum. Fuere qui dicerẽt, Tartaros, Scythas, qui Tanaim inter & Volgam amnes lætiſſimos campos tenent, Selymi conſilio atque pecunia ſedibus ſuis excitos, ut ad diſtinendum Hiſmaëlem, Iberis & Albanis, qui in eius ditione eſſent, bellum inferrent, adiuuante preſertim Mahometo ſocero,

cero, Boſphorano rege, qui facilè eiuſdẽ linguæ Tar A tarorum duces, fœdere atq; amicitia ſibi iunctos, oſtentatis præmijs ad bellum inferẽdum impulerit. Nos autem, quum à Perſis, Armenijsq; hominibus talia quęreremus, quod Sophus Hyſmaël pulcherrime; atq; à dijs propè ipſis oblatę occaſioi deftuiſſet, qua Selymum in Ægypto bellum gerentem, Aſia ac Syria penitus exuere, intercluſum cũ omnibus copijs, preſertimq; tanta ui reſiſtente Tomumbeio, facilè delere potuerit, eã fuiſſe cauſam reperiebamus, quòd non eædẽ Hyſmaëli domi ac foris ſint uires. Exercitum namq; eius ex euocatis atq; nobilibus magna ex parte conſtare, qui gratuitò militare conſueuerint. Hos, ut ſunt totius Orientis fortiſsimi equites, ſingulari ſtudio regnũ egregiè tueri, & cum finitimis populis acerrimè bella gerere. At ſi paulò longinquior expeditio ſit ſumenda, eam militiã detrectare, quum relinquere uxores, quibus maximè ſunt addicti, durum arbitrentur: nec more ſuo multa impedimẽta trahere, & plures ducere equos gẽs luxurioſiſsima atq; ornatiſsima ſine ſtipendijs poſſit. Qua rerum difficultate ad educendos exercitus, ipſum quoq; Vſumcaſſanẽ maternum Hyſmaëlis auum, laboraſſe conſtat. Id autem eo ægrius ab Hyſmaële parari poſſe uidebatur, quòd propenſiſsima prouinciarum uolũtate auitum imperium recepiſſet: ſublatis ſtatim oneroſis uectigalibus, ſtudia hominum, quę liberalitate atq; iuſtitia facilè comparantur, longè firmiſsimas regni opes eſſe ſemper iudicauit. Quando ipſis tantum gentium fortunis imperare, animis omnium ſemel acerbitate tributorũ alienatis, non optimi, ſed impotentis, ac temporarij regis eſſe uideretur. Contrà Selymus qui ui, ſcelere, execrandiſq; artibus paternam ſedem inuaſerat, in ſeruilibus & mercenarijs copijs, quas & longè ab domo abducere, & per omnes prouincias raptare pro libidine poſſet, ad proferendos imperij termi- B nos, & adres immortalis famæ gerendas ſumma atq; certiſsima præſidia eſſe ſtatuebat: ut qui in una pecunia, atq; imperij ſeueritate, ueram atq; expeditam potentiam putaret, qua omnium Othomannorum uictorias obſcurare fœlici rerum ſucceſſu didiciſſet. Ea, quę ſecuta eſt, hyeme, Selymus circumeũdo maritimas & mediterraneas ciuitates, exercitũ in Syria aluit: apperente autem uere, quum Romæ flagrantiſsimo ſtudio Leonis pontificis de bello inferendo iniri conſilia aduerſum ſe, ſupplicationes magna celebritate fieri, & ad excitãdos Chriſtiano rũ reges ſummæ dignitatis legatos in omnes prouincias deſtinari certius cognouiſſet, relicto in Syria Gazelle, qui cum imperio præeſſet, Byzantium magnis itineribus contendit, ut ex propinquo conſilia motus q; hoſtium ſpectaret: haud ignarus intrea Ægypti Syriæq; prouincias nullam rerum mutationem eſſe ſubituras, quoniam Cayerbeium atque Gazellem, qui immortales inter ſe inimicitias ex ueteribus ſtudijs, & ex recenti etiam proditione conceptas exercerent, nõ conſenſuros in unum: ſed æmulatione ad promerendam gratiam in regendis prouincijs, diligentia, fide, ac temperantia inter ſe certaturos eſſe intelligebat. Eadem æſtate, qua ad Singam amnem in Syria pugnatũ eſt (fuit is annus à partu Virginis milleſimus quingẽteſimus ſextuſdecimus) Galli & Veneti repreſsis apud Mediolanum Maximiliani Cæſaris conatibus, atq; eius copijs in urbem Veronam compulſis, uniuerſas uires ad oppugnandam Brixiã contulerunt. Præerat Gallis, Borbonio in Galliam profecto, Odettus cognomento Lotrechius, qui ad non dubiam iuſti maturiq; ducis famam contendebat: quum uim feruidæ alacritatis, uti ab ultima Aquitania ſemihiſpanus, mora & ratione ſedato impetu temperaret: nec in eo rapacis ingenij ſordes, aut diſſolutæ ac indignæ uoluptates notarentur: ſuperiorum eius gentis ducũ planè diſſimilis, & ſuſcepto oneri omnino par, niſi ſuperbo ingenio nemini familiaris, alieniq; conſilij inſolens contemptor, grauitatis atq; prudentię ſuæ nomẽ corrumperet. In Veneto autem exercitu, quum ſenatus neminem adhuc in tanta ducum inopia, Liuiano ſuffeciſſet, Theodorus Triuultius iam pridẽ Gallico ſtipendio addictus, imperatorias partes exercebat, uir neq; uehemẽs, neq; pugnandi auidus: ſed qui propter longam militiam, quòd pluribus quàm quiſquam ſuæ tempeſtatis ducum, Italię prælijs interfuiſſet, conſilio optimus habebatur. Erat Brixiæ Hicardus recenti defenſæ urbis gloria inſignis, cum Hiſpanorum & Germanorum adeò exigua manu, ut milites duarum cohortium nũmerum uix implerent. Cęſare namq; infectis rebus in Germaniam redeunte, quum res aduerſæ multorum ſpes atq; animos cõminuiſſent, milites uulgò domum aut Veronam conceſſerant. Multi quoq; qui diripiendæ Cæſarianæ pecunię authores fuiſſe dicebantur, iudicium ueriti, ad hoſtes perfugerãt: nulla commeatus, nulla ſtipendij certa ſpes, exhauſtis priore obſidione Brixianis relinquebat: & maturæ tum in agris ſegeres erant, quibus hoſtis longè ac latè circũ emiſſo equitatu potiebatur. Quodq; in ea rerum aſperitate grauiſsimum ducebant, tormentarij puluris tanta erat inopia, ut totus tormẽtorũ apparatus, uix decies impleri poſſe uideretur. Quæ omnia, ſicuti corporis uitia, tametſi planè celari non poterant: uir tamẽ Hiſpanus & prouidus, ſic ea cunctis artibus contegebat, ut intra urbem diffi cultates earum rerum minores, & maiora militum præſidia hoſtibus uiderentur. Itaq; Gallus & Venetus promotis caſtris, ac exploratis omnibus rebus, inter ſe conuenere, ut diuiſo peditatu, atque ea cura minoribus ducibus demandata, ab quinq; ſimul diuerſis urbis partibus murum quateret: pateſactoq; aditu ad irrumpendum, hoſtes, ut neceſſe foret in plures diductos partes, & multiplicis periculi timore occupatos, adorirentur. Id autem facilè fieri poterat, quum & militum multitudine foris abundaret, & tanta eſſet tormentorum copia binis in caſtris, ut paucorum dierum ſpacio urbs ampliſsima mœniũ corona nudari poſſe uideretur. Igitur quũ per aliquot dies continuè oppugnando, ingentem murorum ruinã deſtinatis in locis edidiſſent, atque hoſtes, qui neceſſariò die noctuq; comportare aggerem, interiores munitiones erigere, & quod in perpetuo labore duriſsimũ erat, omnes ſimul propter paucitatem excubare, cogebantur, multis prælijs laceſsiſſent: ad extremum, ut iuſto prælio aggrederẽtur; cohortes delectas paulo antè optimè inſtructas, murum ſubire iuſſerunt. Pugnarum eſt uno ſimul tempore quinq; locis per plures horas, magna utrinq; contentione: nam recentes atq; integrę cohortes feſsis & cõuulneratis, ſic per uices in pugna ſuccedebãt, ut propugnatoribus etiam ſuperiorum dierum labore defatigatis, nihil ſpacij ad recipiendas uires relinqueretur. Verùm Hiſpani atq; Germani tot bellorum uſu periti, ſicuti æquitate locorum atq; uirtute ſuperiores erant, ita ſubeuntium impetum multis illatis uulneribus egregiè ſuſtinebant. Sed magno eis ſubſidio erant, equites fermè centum, qui per pomœrij ſpacium irrequieto curſu mœnia introrſum circumibant, notabantq; qua in parte maximè laboraretur: ac ſtatim in foro ubi trecenti ueterani in ſtatione ad ſubitos caſus collocati erant, decurrebant, totque ueteranos, quot periculi magnitudo depoſcebat, ne pedeſtri curſu exanimati peruenirent, ſuis in equis conſeſſores accipiebãt, & ad locum iniqui certaminis reuertebantur. Ipſi nonnunquã, quum repentinum urgentis prælij diſcrimẽ preſentanea ſubſidia flagitaret, ex equis deſiliebant, & in pugnæ locum progrediebantur. Sed ab ea parte quam Nauarrus oppugnandam accepe-

rat,longè periculosissimũ certamen fuit.nam Cantabri & Vascones intrepidè murũ subiere:actumq; est utrinq; audacter non missilibus tantum,sed lanceis & gladijs,quũ scutis super capita impositis, ueluti testudine facta succederetur: transcendissentq; in urbem, nisi testacea mala sulphure & resina repleta,& globi nauali artificio confecti,lethiferum atq; terribilem uomentes ignem, quæ propugnatores supernè iaculabantur, subeuntes cohortes deiecissent.Quo malo perterriti Nauarrini,urgentib.mox in ea perturbatione aduersarijs,per ruinas præcipites acti,aliquot suorũ amisisis, & pluribus igne ambustis ac consauciatis se receperunt. At Hicardus quinq; prælijs una die atq; uno tempore sustẽtatis, quum multos uulneratos, & cæteros omnes labore atq; uigilijs cõfectos esse animaduerteret,nec ulla spe Cęsariani auxilij teneretur, de deditione cum hostibus sibi agendum esse iudicauit. Magna enim eum uirum,quàm parua sibi præsidia forent,animo reputantẽ,amittẽdi decoris cura angebat, ne si pertinacius hosti & quotidianis prælijs resistere uellet, attritis ad extremum uiribus,deditionẽ, quam omnino necessariam fore prouidebat, iniquiore conditione facere cogeretur. Itaq; aduocatis centurionibus,& ciuium primarijs, protulit tabulas publicas, quibus ab initio regrediẽte Cæsare,eius præfectos fuerat contestatus, se urbem,si quid durius accidisset,extemplò esse dediturum: quando neq; cõmeatus, neq; militum cæterarumq; rerum debita præsidia,quibus suę fidei commissam urbem tueri posset,sibi relinquerentur.Non esse neq; sibi neq; præsidiarijs succensendum, si in summa rerum necessitate,& uitę & rebus suis prospiciant,ac optimè de se meritæ urbis saluti cõsulere uelint. Conditiones quas longè æquissimas hostis proponeret,non esse temerè contemnendas, quum ad eas mox afflictis ad extremũ rebus sit recurrendum. Satis enim pro gloria,quid Hispani,quid Germani uirtute possint, quidue hostes audeant, Brixiæ pluribus periculis ostensum esse:& satis superq; pro ipso Cæsare dimicatum,qui repentina profectione,rebus & consilijs omnibus subitò euersis,suos omnes deseruerit atq; proiecerit. Proinde rei conficiendę sibi curam relinquerent:daturum enim se operam,ut non accepisse conditiones,sed dedisse salua præsidij & ciuium existimatione uideantur. Itaque quum & Grittus,qui tum legatus aderat,nullas non æquas esse conditiones duceret, modò urbe potiretur: per idoneos utrinq; homines actum, ut Hicardus urbem atq; arcem Lotrechio dederet,sicut eã Cardonius,& Prosper Columna ab Obegnino quatuor antè annis acceperant. Præsidium uerò armatum more militari cum tubis ac tympanis,explicatisq; uexillis exiret, ac liberè, quò uellet, proficisceretur. Cẽturionibus tamen certisq; cohortium præfectis interdictũ est, ne Veronam intra quadragesimum diem se conferrent, quando milites, si absq; ducibus forent, dilapsuri uiderentur: qui tamẽ omnes fermè Veronam alij alijs itineribus profecti sunt. Expresse quoq; in tabulis cautum est ciuibus Brixianis, & præsertim his qui partium Cæsaris fuissent, ut nulla domibus uel præsidijs eorum iniuria inferretur,etiam si apud Gallorum & Venetorum hostes agere uellent, uel se Brixiæ minimè turos esse existimarẽt.Sed quum præsidium eductis impedimentis porta egrederetur,& per medios hostiũ ordines alacriter pertransiret,Galli conspecta hostium paucitate(uix enim septingenti armati milites erant)pudore cõfundi,& fremere cœperunt,quòd tantulæ copiæ falsa maioris multitudinis specie obiecta, duorum exercituũ impetum eluissent: uixq; sibi temperare poterant, quin minis & contumelijs abeuntes uiolarent. Lotrechius prior urbem ingressus, ut captæ possessionis formula seruari uideretur,paulo pòst eam Grito restituit:actęq; nomine senatus Lotrechio ingẽtes gratię,& munera data, quòd nauiter copijs suis rempublicã iuuisset,atq; urbem tanto sanguine toties frustra repetitam integra fide reddidisset. Nec multo pòst ad conficiendum bellum copiæ in Veronensem agrũ ductæ : namq; exulibus Cæsarianisq; reliquijs unus erat Veronæ tutissimus receptus, propter magnam loci opportunitatem, quòd urbs Tridentinis iugis atq; Germanię proxima,celeriter nouis auxilijs,si urgente hoste res paulo asperiores euaderent,cõfirmari posse uideretur.Collegerat M. Antonius Columna, cui summa bellicarum rerum cura ab Cæsare demandata fuerat, ex omni genere hominum ualidissimam ueteranorum manum. In his erant Hispanorum tricenariæ cohortes sex,quibus ante alios Maldonatus & Morellio præerant, uiri ætatis honore & fortibus factis in ignes. Germanorum uerò quatuor milia,omnes fermè in Italia militare assueti. Ii Georgio Franispherchio nobili è Vindelicia parebant: præterea Castellato ac Rodulpho alæ strenuis præfectis, & Marco itẽ Sithio, qui postea M. Antonio testimonio summam inter Germanos uirtutis militaris atq; prudentiæ laudẽ adeptus est. Aderant & quingenti fermè Heluetij, qui militię auidi,suis domum abeuntibus, Veronę remanserant,adhortante Arnoldo Vnderualdio eorum duce fortissimo,qui apud Sfortiã prætorij præfectus fuerat. Præter uerò suam cataphractorum alam ueteranam,aliquot Italici,Hispanici ac Germanici generis, leuis armaturæ equitum turmas habebat, quarum inter alios excellenti uirtute ductores eminebant, Gurlottus Rhauennas, Valastichinus Cantaber,& Succarus Belga.Sed in primis militari gloria florebat egregia Græcorũ equitum manus. Ii omnibus Italiæ bellis exercitati, clypeos tanquã inutiles deposuerant, quibus antea ipsi inermes oblongis atq; inflexis utebantur : & pro his thoraces & galeas ita ferre didicerant, ut congredi cum cataphractis auderent. Erant eorum duces duo Boccali,Constantinus,& Emanuel, illustri ueterũ Achaię principum familia orti : & secundum eos Andreas cognomento Bua, corporis atq; animi promptitudine insignis. His fretus copijs M. Antonius, dum Galli & Veneti Brixiam oppugnarent, atq; ipse laborãtibus socijs auxilia submittere ulla ratione nequisset,Vicentiam nocturna profectione contendarat:expulsoq; præsidio atq; urbe occupata, ingentẽ prædam omnium rerum, multosq; captiuos, & ali quot currulia tormenta auexerat. Quodq; magno ei postea usui fuit,frumẽta quæ in arcis adhuc erãt, cõquisitis undiq; plaustris, ac farcinarijs iumentis, Veronam asportauerat. Neq; post id factum, ullus hostium locus fuit, qui ab Antonianorũ iniuria tutus esse pũtaretur: quum circumiecta castella aut deserta essent,aut in summo metu uersarẽtur,atq; omnes milites qui in præsidijs erant,eius uiri uim atq; celeritatẽ pertimerent, uti superiore etiam hyeme pluribus periculis, & multis acceptis incommodis timere didicissent. Veneti aliquot antè diebus, quã iustus Gallorum exercitus appropinquaret, ut qui capiendæ urbis peculiari cura plurimum angebantur,non longè à Verona constiterunt, ut hostes pabulatione ac frumentatione prohiberent, ac simul uniuersam regionem, quam subitis incursionibus aduersariorũ equitatus infestabat,oppositis maioribus copijs tuerẽtur. Itaq; crebrò equestria prælia fiebant, & hinc atq; inde ex occasione, & per insidias, ut quisq; suum hostem opprimeret, uirtute ac dolis singulari studio certabatur. Per eos dies agricola Veronensis M.Antonij præmijs & pollicitationibus inductus,magnũ facinus, sed tam sibi postea exitiabile, quàm hostibus inexpectatum ausus est. Is enim, quũ res uenales & hortensia in primis sæpius humeris deferret, atq; ob id Venetis in castris impunè

impunè uersaretur, simulatione spectandi, ad tormentorum locum,ubi & omnis eorum erat apparatus, minimè id curantibus custodibus, processit, funiculumq; igne succẽsum, ut antea edoctus fuerat, idonea in parte reliquit. Nec mora, ut primã statim paleæ & proxima cadis stramenta flammam corripuere, tantus repẽtè incenso puluere ignis obortus est,ut quicquid sulphurei pulueris ad oppugnandã urbem magna impensa, & multo labore paratum cõuectumq; fuerat,id totum uno temporis puncto conflagrarit: tantaq; flammarum uiolentia atq; rapiditas fuit, ut omnia cõcursantis & restinguere conantis exercitus remedia, una mali uelocitate præueerteret. Id solùm in graui atq; insperata iactura solatio fuit:incendiarius dum se reciperet,in ipso statim incendij sæuientis initio deprehensus. Qui postea ad eruendam ueritatem tormẽtis excruciatus, & uiuus eodem igne concrematus, dignas scelere atq; audacia pœnas persoluit. Eo accepto incommodo, Veneti, quòd omni pulueris copia incendio absumpta, tormentorum apparatus inutilis euadebat: quodq; & tutius & commodius quæ amissa erant,si se reciperent,reparaturos esse iudicabant,reductis castris,in remotiora ab urbe loca discesserũt: tantamq; paucis diebus diligentiam adhibuerunt, ut longè maiorẽ uim pulueris quàm antea habuissent,Patauio atq; Venetijs in castra, pluribus omni fariam imperatis uecturis,comportarint. Nec multo pòst Gallorum exercitus, qui eius gentis consuetudine cùm in aliena causa tardè & cunctanter,tum alieno in agro tardissimè, ut sese atq; equos largius atque uberius aleret,iter faciebat, circiter calendas Sextiles appropinquauit,& Veneti pari consilio ab ea parte, quæ est ultra Athesim, castra promouere, ita tamen,ut neuter exercitus intra maioris tormenti iactum tendere uel consistere auderet. Incredibilem enim tormẽtorum in urbe esse multitudinem, transfugarum & speculatorũ sermonibus compertum habebãt:ignari tamẽ, quanta intus hostes puluueris penuria premerentur.Itaque duobus magnis exercitibus circumiectum omnem agrum longè lateq; tenentibus, arctius obsideri cœpta, ea ratione, ut non prius ad oppugnandum accederent, quàm inclusos fame ac aliarum rerum inopia debilitatos, ad summas defendendæ urbis difficultates perduxissent.Iam enim cohibitis excursionibus,& facultate frumentãdi,ac pabulandi magna ex parte sublata,tantum custodiarum diligentia, atq; itinerum obseruatione,ultra citraq; Athesim effecerãt, ut Cęsariani,nisi cum iusta ac ualida peditum & equitum manu,longius frumentari uel excurrere dubitarẽt. Quod ne sæpius fieret, multitudo & propinquitas aduersariorum & præsentis belli ratio,ne extremis propè rebus aliquod detrimentũ acciperetur, prohibebant.Interea M. Antonius, qui hostes propius accessuros,ac mox urbẽ oppugnaturos esse certiore coniectura iudicabat,munitiones,quas antea instituerat,irrequieto ciuium ac militum labore perficere,ipse in primis uti erat propter architecturę disciplinarumq; noticiam, summus horum operum artifex, ut alios doceret, exemploq; accẽderet, agendo atq; instrumenta fabrilia contrectando, nullum uel humilis etiam operæ laborem aspernari, omnibus in locis aggeres ædificare, sed maximè ad Mantuanam portam quæ Calcearia dicitur, frequẽs & multus in opere esse,ac plurimum in eius loci munitione uersari.Erat turris mediocri altitudine ipsi portę impositа,atq; ea foris ita aptè oblongo & quadrangulari cincta propugnaculo, ut peritis etiam per se satis tuta uideretur.Sed uitiũ M. Antonius animad uerterat, qui nullam sibi tuendæ portæ facultatem relinqui, si propugnaculi murus acri hostium oppugnatione sterneretur, solerti iudicio prouidebat. Quamobrem,tametsi ab omnibus propè militibus irridebatur, quòd munitissima in parte tantũ operæ ac laboris impenderet : tamen, quin munitionẽ perficeret, non destitit,quæ una omnium postea & cunctis salutem, & ipsi in primis singularem laudẽ peperit. Siquidem portam ante omnia multo aggere repleuit, relicta in medio ad ingentis tormẽti usum fenestella, quę tenui gleba in speciem ab exteriore parte similiter obstruebatur.Item ab utroq; latere apud binas munitiones totidẽ fenestellas effecit, quibus maiores colubrinæ interius collocatæ ex obliquo, ubi incursus hostiũ flagitaret, occultè emitterentur.Nouam quoq; & subterraneam portam,patefacto ab imis mœnibus ampliore aditu,in fossam perduxit,unde expediti atq; intenti milites aduersus subeuntem hostium multitudinem ex improuiso prosilirent. Atq; hæc ne hostibus proderentur,adeò occultè administrabat, quũ nocturno maximè tempore, & familiaribus, aut fidissimis uteretur,ut milites magna ex parte, ac ciues quæ parata essent, ignorarent. Multi namq; ex Hispanis, nulla uerecundia, quòd neque sine stipendijs pro Cæsare militare, neq; ultimam inediam, quum iam angustior annona uideretur,experiri se uelle dictitarent, ad Venetos simulata in agrũ excursione transibãt. Quanquam plures patrij decoris memores,ne uniuersæ genti ea ignominia conflaretur, dolore concepto, factum perditorum hominum improbarẽt, atq; eis quum uindictæ uel iudicio locus foret, extrema supplicia cõminarentur. In his fuere Suares Roscius, Plasolla, Christophorus Magius, Iamperes,& Ioannes cognomine Latro,& nõnulli alij leones uerius quàm milites,quæstui assueti, qui paulo antè signiferorum,& cẽturionum loca, melioribus fato extinctis,audacia potius & commilitonum fauore, quàm propria uirtute meruerant. Hos & ipse Maldonatus paulo pòst, nullo anteactæ militiæ pudore, subsecutus est : uir militari laude dignus,nisi auaritia atq; superbia inductus, iam senex ante partam longo labore dignitatem, eo scelere, & postea fœdissimo ac horribili uitæ exitu, maculasset. Per eos etiam dies Bernardinus Caldareus Veronensis equitum præfectus, quum in diuidenda præda,seditione inter milites suborta, eius equites Emanuelem alæ Græcorum ducem interfecissent,& pluribus de causis spectatę fidei à Cęsarianis esse diceret, ad Venetos transfugerat. Nulla interim dies erat, qua non equestri prælio subiectis in campis certare tur:fuitq; aliquando admiratione dignũ, quòd pauci Græci equites totidem cataphractos Gallos captiuos adducerent. Nam singulari uelocitate grauiter armatorũ impetum ludificabantur,ac rursus prę teruolantes & subiti ex transuerso ictus ingeminabant,clauaq; præsertim ferrea hostis cassidẽ,& eius equi caput feriebant, tanta arte, ut fessos atq; attonitos facilè postea ad deditionem, quæ traditione gladij fiebat,compellerent.Quod si cõfertis turmis Galli ingruerent, liberiore cãpi spacio fuga sibi consulebant: si uerò Græci in angustias uel arctiora loca retrudebantur, ubi stataria pugna dimicandum foret,nec solitis in fugam gyris eludere congredientem hostẽ facilè possent, circumuenti atq; oppressi, audaciæ pœnas luebant.Nonnunquã etiam per lusum extra ordinem,interposita fide, ab binis uel ternis utrinq; certabatur:ut tum accidit, quum inductis inducijs, ut turò omnes spectaculo interessent, quatuor nobilissimi,ijdem atq; omnium longè fortissimi Galli equites,inter quos Ambra pedirũ præfectus,excellenti uirtute iuuenis erat,totidẽ ex hostibus prouocarũt.Præferebatur certamini titulus: si qui in urbe equestri gloria illustres essent, qui proadamata muliere decurrere,atq; hastam ferro præpilatam infringere uellent, hos contra in stadio parem ad numerum staturos Gallos, & suæ atq; alienæ uirtutis fine fraude periculũ esse facturos. Pro-

diere Gurlottus Rhauennas, Summontius Neapo A
litanus, & duo Hiſpani Vaſcus Cunnius atq; Guin
nea: concurſumq; eſt infeſtis haſtis magno ardore,
ſummis utrinq; uiribus, adeò ut pari uirtute, pariq;
periculo contendiſſe omnes iudicarent. Summa ta
men laus haud obſcurè Cæſarianis ceſsit: nam quũ
Sũmõtius & Vaſcus ſuperiores euaſiſſent, & Guin
nea ephippio fuiſſet excuſſus, Gurlottusq; & Amí
bra mutuo ictu penetratis uſque ad interulam tu
nicam ſolidiſsimis thoracibus, cùm ui, tum cõſtan
tia, pares extitiſſent, nulli dubium erat, ſi res ad gla
dios deducta fuiſſet, duobus iã Gallis peſsimè affec
tis, qui tum afflicti ſuperſtratis & morientibus e
quis iacebant, uictoriam ad Cęſarianos eſſe redítu
ram. Sed ſtatim dirempta eſt pugna, ne tantæ uirtu
tis homines, qui non hoſtili rabie, ſed ingenuo quo
dam corporis atq; animi uigore cõcurrerant, poſt
quam primum & maximum uitæ periculũ euitaſ
ſent, non gloriæ, ſed fati caſibus ſe obiectare uide
rentur. Interea Lotrechius & Theodorus, quum
certius cognouiſſent obſeſſos, deſperatis ſemel ſti
pendijs, & cibarijs magna ex parte conſumptis, ob
crebra ſuorum transfugia metu conſternatos: cíues
uerò uſq; ad miſerãdam egeſtatem, & rerum tẽdiũ,
omnibus domi & foris conflictatos incommodis,
diutius quin ſe dederent, extremas miſerias nõ eſſe
toleraturos, mœnia aggredi ſtatuerunt: atq; ita per
ductis foſsis, perfectiſq; ſolitis munitionibus, ut
tutò mœnibus ſuccedi poſſet, prolatoq; omni tor
mentorum apparatu, urbem ab duobus lateribus
oppugnare cœperunt. Gallus eam partem quæ à
Mantuana porta perpetuo tractu ad Citadellam pa
tet (ſic enim appellãt retractiorem urbis angulum,
& uetere munitione firmiſsimum) ſibi oppugnan
dam accepit. Venetus autem ad Vicentinam, quæ
Epiſcopalis nuncupatur, conſedit. Et quoniam in
ter bina caſtra præterfluebat Atheſis, qui eo in loco B
uado tranſiri non poterat, ut uterq; exercitus mu
tuis auxilijs ſubitò traducẽdis alteri preſidio foret,
amnem latiſsimo ponte iunxerũt, & ad tutelã eius
cohortes ſtationarias ad extrema põtis capita cum
tormentis impoſuerũt. Itaq; urbs diuerſis duobus
in locis undecim fermè continuos dies oppugnata,
tantaq; ui, ac tanta utrinque perſeuerantia, ut Vene
ri eam mœnium partem, quæ ad Vicentinam perti
net, ſupra centum & quinquaginta paſſuum in lon
gitudine patentem, perpetua murorum ſtrage edi
ta, deiecerint: Galli uerò per interualla quinque in
locis ingentes quinque aditus patefecerint, ſuper
ſtantibus intermedijs totidem intacti muri portio
nibus in pinnarum ſimilitudinem. Quæ ruinarum
& ſtratorum paſsim mœnium uaſtitas, paſſuum fer
mè ducentorum ſpacium amplectebatur. Idq; ea ra
tione fiebat, ut hoſtes, qui interiora cadentium mu
rorum foſſa & perpetuis aggeribus munire coge
bantur, multo maxima (ut in extenſo ac longiore
opere) continui laboris neceſsitate impoſita confi
cerentur: ac ſimul, ut torméta, quòd recta fronte fie
rinõ poterat, ex obliquo per diruti & patentis mu
ri interuallum, in latera hoſtium intus pro ſtatione
agentium, atque opus molientium, non fortuitis,
ſed deſtinatis ictibus emitterentur. Erat tanta pila
rum uis, ut nõ ſolùm muri, ſed quum ſupra mœnia
ferebantur, etiam ædificiorũ tecta corruerent: multq;
paſsim in urbe, plures in munitionibus uel in
cidentibus pilis, uel defractorũ lapidum fragmen
tis eliderentur. Nullæ namque gentes, nulli duces
memoria noſtra, uel maioribus opibus, uel amplio
re tormentorum apparatu urbem oppidúmue op
pugnarant. Nulla, ipſi qui oppugnabant, Italiæ in
parte, tormentis, aut machinis maiorem murorum
uaſtitatem factam fuiſſe meminerant: adeò ut ſu
pra uiginti milia ferrearum pilarum, una ea oppu
gnatione, & paucis quidé diebus iaculati fuerint,
Periere è Cæſarianis tormentorum ictibus diſcer
pti, Ioannes Montefeltranus, clarioris nominis e
ques, Pellanda architectus inſignis, & Fontana In
ſuber, in conflandis dirigendisq; tormentis peritiſ
ſimus. Sed in tanta periculi aſperitate, ea erat & du
cis uirtus, & militum diligentia, & ciuium fides,
quũ omnes certatim ſingulari ſtudio in opere uer
ſarentur, neque ſibi die noctuq; parcerent, ut quan
tum muri ab acerrimis indefeſsisque hoſtibus ſter
neretur, tantum ipſi pari temporis ſpacio adauctis
& prolatis aggeribus commodiſsimè reſarcirent.
Intra enim cadentiũ mœnium ruinas, M. Antonius
foſſam perduxerat, atque interiore labro munitio
nes erexerat. Vbi uerò pomœrij depreſſum ſolum
foret, nec abraſis ab hoſte mœnibus æquaretur, mu
rices paſsim, & tabulas è quibus frequentes clauo
rum cuſpides prominebant, opportunis in locis oc
cultè poſuerat. Præterea teſtarum & globorum in
gentem parauerat multitudinem, quibus miſsilis
& pinguior flamma noto artificio cõtinebatur: tor
mentaque, quorum magnum habebat numerum,
idonea in parte, ubi periculum oſtenderetur, ordi
ne collocarat. Curabant Germani ducę Franiſperchio, adiunctis ſibi Heluetijs, ea in parte, quæ à Ve
netis oppugnabatur: atque hæc eadem agendo imi
tandoq; diligentiſsimè adminiſtrabant. Porrò An
tonius tabernaculo iuxta mœnia in ipſis munitio
nibus erecto, ubi certamé & plurimum periculi fu
turum eſſe putabatur, cum reliquis copijs aduerſus
Gallos cõſtiterat. Iam peruentum erat ad ſummas
rerum difficultates: iam cuncta obſeſſos, præter unã
ſpem, atque unam animi uirtutem conſtantiamq;
defecerant. Frumenti parua, caſei autem, & carnis
ſalitæ, uel pecoris nulla copia in urbe reperiebatur:
& quod in primis corpora atq; animos Germano
rum infregerat, tanta uini penuria erat, ut quicquid
in ipſa ſpe propinquæ uindemiæ ſupereſſet, id to
tum ſacrificio atq; ægris militibus ſeruaretur. Dux
ipſe, quum primores exercitus quoridianis cœnis
adhiberet, & quadraginta diebus nihil præter aquã
bibiſſet, tanta comitate omnes abſtinentiæ & fru
galitati inſuefecit, ut facilè atq; alacriter cæterarum
etiam rerum inopiam tolerarent. Lentem enim &
fabam, paniceaq; pultaria in quotidiano uſu: equi
nas uerò atque aſellorum carnes magno in honore
habebant: & tum præſertim opiparè apud ducem
epulabantur, quum aliqui Gallorum equi, ut erant
præpingues, ac ſuis ſtrigoſioribus, & fame propè e
nectis minimè comparandi, in excurſionibus occi
debantur. Nam conſpectis ſtatim equorum cadaue
ribus, portis frequentes euolabant, conciſoſq́ue in
fruſta, humeris in urbem cum plauſu referebãt. His
rerum anguſtijs quum premeretur Antonius, neq;
pluribus literis ac nuncijs ad Cæſarem tranſmiſsis,
quicquam certi de eius auxilijs audiret, atq; indies
copias tot affectas incommodis magis ac magis de
ficere atque extenuari, nihilq; iam ſemigris corpo
ribus præter fortem fidelemque animum ſupereſſe
conſpiceret: antequam omnis exercitus deſperatio
ne atque extrema inedia conficeretur, audendum ſi
bi aliquid de eruptione exiſtimauit. Itaq; re ad cõſi
lium delata, docuit quàm luctuoſus atque ignomi
nioſus, ipſiſq; in primis nobiliſsimæ ac fideliſsimæ
ciuitati, miſerabilis rerum exitus futurus eſſet, ſi in
ſuprema ingentis belli neceſsitate, Cæſaris auxilia
ſibi expectanda iudicarent. Fortibus uiris fortia cõ
ſilia, quę neceſsitas omni ratione ualidior offerre ui
deretur, in tempore eſſe præſumenda: conandumq;
ac impigrè agendum, dum uires ad rem bene geren
dam ſupereſſent. Nec in una laboris atq; inediæ pa
tientia, ſed in uirtute, atq; audacia, & ſpem melio
ris fortunæ, & ſummam totius belli uictoriam po
ſitam eſſe arbitrarétur. Placere ſibi eruptione facta,
pontem occupare atq; interſcindere, ac ſimul omni
bus co-

bus copijs Venetos adoriri, quãdo factu facillimũ A
foret, ut qui nihil minus, quàm eruptionem ab ob
ſeſſo hoſte fieri poſſe putaret, ſubitum atq; improui
ſum pugnaciſsimi ac toties uictoris exercitus impe
tum, minimè ſuſtineret. quibus pulſis, Gallos nec
conſiſtendi animum, nec ſeſe recipiendi ſinè tormẽ
torum iactura, ſpacium habituros. Quãtum autem
ad ſe pertineret, ut maiorem ſpem proſperi euẽtus
conciperent animis, ad exæquandum periculũ pe
dibus in prima fronte pugnaturũ: & dijs bene iuuã
tibus, ſi forti conſilio ſtrenui milites non deeſſent,
finem egregia cum laude ærumnis omnibus impo
ſiturum. Præfecti, & centuriones qui aderant, nulla
interpoſita dubitatione, fermè omnes Antonio aſ
ſenſerunt. Nam tametſi conſiliũ primo aſpectu peri
culoſum atq; aſperum ducebant, tamen tanta erat
omnium uirtus tantaq; pugnãdi cupiditas, ut quo
audacius conſilium erat, eo & certius & ſpecioſius
eſſe uideretur. Curauere cuncti corpora, atq; arma
expediuere, ut ſequenti die ancipitis conſilij aleam
ceeretur. Sed quũ rebus omnibus ordine conſtitutis
inſtructi & parati eſſent ad erumpendũ, & iam pri
ma ſigna ad portam ferrétur, repentinus ab Calcea
ria porta tumultus exortus, interpellãtibus Gallis,
ab incœpto M. Antonium reuocauit. Namq; Lotre
chius, ſi portæ propugnaculum celeri atq; acerrima
oppugnatione ſterneretur, prius quàm obijci noue
munitiones poſſent, facilè ſe in urbem peruaſurum
ratus, conuectis in eum locũ omnibus propè maio
ribus tormentis, propugnaculi muro portam nuda
uerat: patefactoq; aditu Leſcutum fratrem (is tum
peditatus curã gerebat) expeditas cohortes adduc
cere, & p ruinas immittere iuſſerat. Subiere ad por
tam impigrè Galli, & frequentes totum propugna
culi ſpacium compleuere, ut inde in urbẽ tranſgre
derentur, quum Antonius, qui priore excuſſus con
ſilio, celeriter in eam partem decurrerat, locum de- B
lectorum militũ præſidio firmauit: edixitq;, gnarus
eorum quæ occultè parauerat, ne iniuſſu ullum in
ſubeuntes tormentorũ emitteretur. Cæterùm alijs
atq; alijs intrepidè ſub euntibus, ut cõfertiſsima ho
ſtium multitudine interiorẽ propugnaculi aream
plenam eſſe animaduerit, ſubitò tormentorum il
lud maximũ, quod antè ibi conditum fuiſſe docui
mus, ſua manu collibratum atq; inflammatum, in
oppoſitos emiſit. Idem fecere magiſtri, qui tormen
tis in dextrã ac læuam collocatis præerant: tantaq;
hominũ ſtrages puncto temporis edita eſt, ut pauci
ex ea multitudine, quæ propius acceſſerat euaſe
rint. Nam non pilis tantum tormenta quibus con
ſtipata acies certa ac miſerabili clade lacerabatur,
ſed etiam taxillis ferreis, uarijsq; metallorũ fruſtu
lis uſq; ad ſumma ora compleuerant: quę flammã
rum & pilæ impetu expulſa, grandinis modo ſic in
omnes partes lethali uiolentia diſpergebantur, ut
thoraces earum rerum ictus minimè ſuſtinerent. In
cubuere demũ Hiſpani, & cum his Itali cataphracti,
qui ea die pedibus rem gerebant, & pauidos, atque
ea procella diſiectos multis illatis uulneribus repu
lerunt. Deſiderati ſunt paulò minus ducẽti milites
in partibus Gallorũ: uulnerati autem plures, è qui
bus multi etiam, quòd eius generis uulnera igne ac
ſulphure uiciata difficillimè curarentur, poſtea in
terierunt. Eo die Antonius, tacito ſuorum omnium
conſenſu, ſummam prudentię opinionem adeptus
eſt: quam amici pariter atq; æmuli, qui eum ſuperio
ribus diebus Calcearíam, ueluti inani quadã haud
neceſſarij laboris perſeuerantia, munientem irriſe
rant, eius opera atq; artificio in repentino maximi
diſcriminis caſu, urbem haud dubiè conſeruatã eſſe
fatérétur. Nec multo pòſt literæ è Germania allatę,
quibus Cæſar ſignificabat magna peditũ atq; equi
tum auxilia ſe cum ingente commeatus copia pro
pediem ad ſoluendam obſidionem eſſe miſſurum.

Qui nuncius, ſicuti Galli primã eruptionis occaſio- A
nem improuiſa dimicatione ſuſtulerãt, ita in poſte
rum totum deſtinatæ eius rei conſilium interrupit.
Quoniam M. Antonius, quanquã milites oſtenden
dę uirtutis auidi, id egerrimè ferrent, in tam propin
qua ſpe auxiliorum, nihil temerè ſibi tentandũ arbi
trabatur. Cæterùm Lotrechius, quũ eo accepto in
commodo, nihil neglectum apud hoſtes, nullam q;
mœniũ partem, quam ipſe tormentis deiecíſſet, nõ
omni munitionis genere uallatam eſſe cõſpiceret,
noua ratione ad fallendum hoſtem oppugnare cõ
ſtituit. Superſtabat inter binas ſtratorum mœnium
ruinas, eiuſdem muri pars, ſeptuaginta fermè cubi
torum in longitudinẽ, quæ ratione ſuperius memo
rata ex interuallo relinquebatur. Eam partẽ ab imo
ſubruere, atq; excíſis fundamentis, in urbẽ una im
pulſione propellere conabatur, ut quum integra ea
moles perpetui muri procidiſſet, priuſquã ullæ ab
hoſtibus munitiones ab interiore parte extruerẽ
tur, armatorũ acies, patẽte quã ampliſsimo aditu,
in urbem irrumperent. Igitur miſsi complures, qui
imas mœniũ radices dolabris uectibusq; ſuccide
rent: qui quũ impunè ſub muro uerſarentur, quòd
ſumma mœnia defenſoribus nudata erant, breui o
pus eò perduxerũt, ut murus ab exteriore parte ſen
ſim excauatus, appoſitis trabibus, quæ ruinam eius
prohiberent, ſuſpenderetur. Ea res ſerò deprehenſa
ab hoſtibus, Antonio atq; alijs magnam cum timo
re ſollicitudinẽ iniecit. Nam in tanta temporis exi
guitate, nec foſſam, nec aggerem perficere poterãt:
nec ſatis quod uſui potiſsimum foret, ſuſpenſis ac
timentibus occurrebat. Antonius tamẽ, quod ſubi
tarium in eo periculo auxiliũ eſſe putabatur, conue
cta è foro in eum locum multiplici materia, prælon
gis ac ualidiſsimis tibicinibus nutantẽ murum con
traria ratione fulciuit. Quorum tignorum tanta uis
fuit: quoniã dimenſa ad pinnarũ altitudinẽ, atq; ab
imo diuaricata erant, ac hoſtilium trabium longitu
dinem ſuperabant, ut in opus molientes, murũ, qui
iam totus ab imo cęſus pluribus rimis fatiſcebat, in
exteriorẽ partem momẽto prouoluerint. Cõplu
res è militibus, qui parati ad irrumpendũ in proxi
ma parte ruinam in diuerſum expectabãt, omnes q;
ad unum qui ad ſubruenda fundamẽta ſucceſſerãt,
repentino muri caſu oppreſsi, miſerabiliter perie
runt. Sed dũ Antonius in erigẽdis tibicinibus, ar
dentius atq; incautius in opere uerſaretur, maiore
ſclopeto ita ictus eſt, ut plumbea pila per brachium
adacta, corpus etiam ſublato humeri oſſe per alam
in tergum, quatuor effectis uulneribus emerſerit.
Diſsimulauit in preſens grauiſsimi uulneris dolo
rem atq; periculũ, uir ante alios fortis, dum murus
ille prorueret. Quo demum prolapſo, & tot hoſti
bus eius ruina oppreſsis, ueluti expiato uulneris
dolore, in tabernaculum conceſsit: eaq; mox fuit le
thalis plagæ acerbitas, ut diu pertinaci febre confli
ctatus, ſummũ uitæ periculũ adijſſe crederetur. Lo
trechius, tametſi hominẽ, qui omnibus bellis acerri
mus Gallorũ hoſtis extitiſſet, publicè oderat, atq;
ut erat potiundæ urbis & militaris gloriæ auidus,
plurimum aduerſarij ducis incommodo lætaretur:
tamen quum ſingularis uiri caſum magnopere do
luiſſet, & medicum obtulit, & quotidie ad eum gra
tiſsimarum rerũ munera, ſicuti morbus & afflictæ
urbis miſeria flagitare uidebantur, officioſe huma
niſsimeq; tranſmiſit. Erat enim M. Antonius maxi
marum uirtutũ gloria, quæ nullis in eo ingentibus
uitijs obſcurabatur, etiã apud hoſtes illuſtris. Idq;
ei præſertim omnium beneuolentiam conciliabat,
quòd præter proprium animi uigorẽ, etiam ſtaturę
proceritate, firmitate membrorum, & uirili quodã
decore uultus, armorũq; omnis generis, atq; in pri
mis equitandi peritia cæteros eius tẽpeſtatis duces
anteire diceretur. Quin & ipſe paucis antè diebus,

quũ Lescutus & Franciscus Borbonius, sancti Pauli A
regulus egregia uirtute & singulari dignitate flo-
rentes, uisendi eius studio adducti, ut porta egredi,
& in cõspectum deuenire uellet ad iungendas de-
xtras, quod priuatæ beneuolétiæ testimoniũ foret,
obnixè petijssent, interposita statim fide, ad ample-
xandos publicos hostes, summa securitate comita-
teq; prodierat. At Veneti, tametsi ad Vicentinã por
tam, non intercisis alternisq; mœniũ spacijs, oppu-
gnarant, ut Gallos feciſſe docuimus, sed continenti
murorum strage, & perpetuis ruinis nudauerant ur
bem: tamen neq; in duce eauis animi, neq; in exer-
citu tantum audacię fuit, ut mœnibus succedendũ,
& prælio aliquid sibi tentandum per ruinas esse iu-
dicarent: mox & operũ quę intus erigebantur ma-
gnitudine deterriti, & sociorũ infelici exemplo ad-
ducti, ad effodiẽdos cuniculos se cõtulerant. Iamq;
solidam turrim, quæ ad campum Martium uergit,
Ioannis Comenis industria (is tum cohortis præ-
fectus erat eius artificij nõ ignarus) in aliquod ruinæ
discrimen adduxerant, quum Cæsarianæ copiæ su
peratis Alpibus in Pulicellam uallem se demiserũt.
Erant ad octo milia hominum, cum magna pecoris
& casei copia, multisq; farinæ dolijs, quę ratibus se
cundo Athesi deuehebantur. Is præerat Guliermus
Rochandulphus, qui superiore hyeme Brixiam ob
fidione liberarat. Eius aduentus uno fermè tẽpore,
obsidentibus, atq; obsessis nupciatus est. Nã quan-
tum iustis confectis itineribus procederetur, tantũ
ipsi interdiu fumo passim per uillas facto, noctu ue
rò magnis excitatis ignibus, significabant: & ab a-
grestibus qui precio literas deferre consueuerant,
Venetorum Gallorumq; custodiæ sæpenumerò fal
lebantur. Placuit utrique duci, & Gritto in primis,
postquam Germanorũ aduẽtu, omni spe potiundæ
urbis manifestè deciderant, uniuersas uires in una
castra conferre: ne intercedente amne, si cum dupli B
ci hoste ancipiti prælio contendendum foret, ali-
quod insigne detrimẽtum acciperent. Theodorus,
quòd nouo hosti propinquior erat, reductis tormẽ
tis uasisq; collectis copias ponte traiecit, & ad Gal
lorum castra se contulit. Quod quum fieri ab Vene
tis hostes è muro conspicerent, subitò torméta quæ
in editioribus locis collocata erãt, in extremũ abeũ
tiũ agmẽ emiserunt, qua procella aliquot interfecti
sunt: & in his Basilius Ripa Liuiani alumnus, qui
ob singularem rei bellicæ peritiam, paucis antè die
bus alæ equitum præfecturam adeptus fuerat. Eru
pere demũ sub signis Germanorũ cohortes, & non
contemnendam uini & commeatus copiam taber-
naculaq; aliquot, & castrensis apparatus instrumen
ta nacti, cuncta in urbẽ plaustris conuexere. Ab An
tonianis quoq; equestri eruptione cum nouissimis
Gallorũ uno fermè tempore pugnatũ est: cęsiq; ali-
quot, & plures capti. Sed ea omniũ opinio fuit, Gal
lorũ copias tormentis ea die propè deleri potuisse,
dum subducto oppugnãdi apparatu retrò Mantua
na uia in tutũ se reciperét, si uel mediocré sulphurei
puluęris quantitatẽ, cuius summa in urbe penuria
erat, habuissent. His enim pœna grauissima erat cõ
stituta, qui frustra, uel iniussu ducũ paulò maius tor
mentum emisissent, ut id totum quod supererat ex
tremis casibus seruarẽt. Lotrechius nõ multo pòst
Villafrancã, Theodorus uerò inde ad secundũ mi-
liare Bouilianũ castra reduxere, ita tamen ut Galli
appetente hyeme uniuersi tectũ subirent, Venetus
uerò exercitus sub tentorijs ac pellibus haberetur.
Nec multo pòst Rochandulphus urbẽ ingressus est,
egitq; Veronę paucos dies, ne qui aduentu suo ob-
sidionẽ sustulerat, introducta auxiliorũ multitudi-
ne, afflictis diuturna fame Veronensibus duriorem
priore calamitatem importasse uideretur. Itaq; per
mutatis aliquot cohortibus, ut præsidiũ laboris ui-
cissitudine recrearet, in Germaniã discessit. Per eos

quoq; dies Venetis in castris media nocte tumul- A
tuatum, seditione ob scortũ, ut tum credebatur, in-
ter Italos pedites & perfugas Hispanos orta: resq;
eò ab iurgijs & contumelijs paucorum petulantia
processit, ut quum in nocturna trepidatione quisq;
ad arma discurreret, iusta propè acie inter se cõflixe
rint: admissumq; ea nocte fœdũ ac miserabile faci-
nus foret, nisi Lotrechius, qui è proximis castris ad
tumultũ adcurrerat, iam supra centum interfectis,
& compluribus uulneratis, exardẽtem seditionem
minis atq; authoritate compressisset. Profecto Ro-
chandulpho, tametsi Cæsariani, quòd in præsens in
urbe fames esse desierat, graui obsidione leuati, in-
gruente hyeme, nihil sibi esse timendũ arbitrarẽn-
tur: attamen hostibus remotiora ac superiora loca
tenẽtibus, sic omnibus obsidionis malis pressi atq;
afflicti sunt, ut durioré propè quã antea annonę ino
piam senserint. Namq; Veneti quum abstinere incœ
pto turpe ducerent, atq; si pertinacius obsiderẽtur
hostes, eos tãtas diuturni belli atq; inediæ acerbita
tes minimè esse toleraturos intelligerẽt, diuisis co-
pijs itinera aditusq; omnes, quibus ab Germania in
ferri cõmeatus posset, occupauerunt. Mercurius cũ
maiore leuis armaturæ equitũ parte summis in cã-
pis, qui locus ad Alpium radices pertinet, hyberna
bat: uir uel fato quodam, uel prudentia per triginta
amplius annos, quibus in Italia militauit, omnibus
excursionibus felix. Fœdericus autẽ Gõzaga cogno
mento Bozolus, cum aliquot cohortibus supra Clu
siam cõfederat. sic enim locũ appellabant, ubi Athe
sis coëuntibus geminis rupib. coarctatus, minimã
aluei latitudinẽ ostendit. Angustijs imminet uetus
castellũ cum turri, quod Germanorũ præsidio tene
batur. Intercepere apud eas fauces, nequicquã locũ
tuentibus Germanis, Veneti pedites aliquot naui-
gia commeatu onusta, quæ secundo flumine dimit
tebantur. Reliquæ quoq; copiæ certis atq; oppor- B
tunis in locis ita constiterant, ut quum in hyberna
deductæ essent, nihil quantũ cura ac diligentia præ-
stari poterat, obsidionem intermitterent, ac penè a-
crius quàm æstate feciſſent, bellũ gerere uiderẽtur.
Sed tãtis laboribus, ac Veneto tandẽ bello exopta-
tum finem imposuit memorabile fœdus, quod in si
nibus Lingonum & Sequanorũ apud Nouiodunũ
ictum est inter Franciscum, Gallorũ regem, & Caro
lum Belgarum principem, quem moriens auus Fer
dinandus omniũ regnorũ hęredem testamento reli
querat. Siquidem adolescẽs Hispanorũ ingenijs &
potentissimorũ regulorũ uoluntatibus diffisus, ne
absente se, ueluti per interregnum, rebellandi occa
sio præberetur, omnib. rebus postpositis, in Hispa-
niam sibi maturandum esse iudicarat. Quod neque
turò, neq; expeditè fieri poterat, nisi prius cum Fran
cisco certis legibus amicitia firmaretur. Timebatur
namq; rex iuuenis & acer, tantis subnixus opibus,
qui dudum Heluetijs prælio deuictis, etiam Maxi-
miliani Cæsaris conatus egregiè repressisset: & tũ
maximè reperiturum se armis Neapolitanũ regnũ,
& Ioannis Nauarræ regis paulo antè in Gallia de-
functi filium adolescentem in paternum regnum re
ducturum minaretur. Itaq; conscriptæ Nouioduni
fœderis tabulæ per legatos in has conditiones, ut
Carolus regnum Nauarræ Ioannis filio, qui inde ex
pulsus esset, restitueret: si id iudicibus, quos consti-
tuere summæ rei arbitros deberent, ex æquo & iure
uideretur. Item cẽtum milia aureorum nummũm,
quotannis Gallo pẽderet, ut eo tributi nomine ali-
quod Gallis Neapolitano regno ius esse uideretur,
amicitiaque & mutuum fœdus affinitatis uinculo
confirmata. Nam Carolum sibi Franciscus generum
adsciuit, sic ut ei puella, quæ in cunis adhuc erat de
sponderetur. Gallus quoq; ad componendum Ita-
liæ statum, & ad res Mediolanensis imperij confir-
mandas, ut Verona Venetis redderet, postulauit, ea

lege,

lege, ut à Venetis redemptionis nomine ducẽta mi A
lia aureorum nummũm, duabus pensionibus, Cæ-
sari persoluerentur. Quibus cõditionibus, sicuti Ca
rolus adeũdæ Hispaniæ cura anxius, haud cunctan
ter subscripserat, ita Cæsar oblata sibi ingenti pecu
niæ summa conditionẽ minimè detrectauit: ut qui
nepotis consilia, atq; ipsam spem ac rationem om-
nem obtinendi imperij importuna tergiuersatione
corrumpere nolebat: præsertim quum urbem quã
nisi graui impensa, & summa cum difficultate tueri
retinereq; non poterat, magno precio uenditaret.
Vt tamen salua existimatione, quæ haud dubiè tam
fœda pactione polluebatur, Italiæ possessione dece
dere uideretur, non Veneto, sed Caroli legatis urbẽ
dedidit, qui eam mox Lotrechio, ut constitutũ fue-
rat, tradiderunt. Gallus quoq;, triduo postquam ur
bem ingressus est, sicuti Brixiæ ex formula factita-
tum fuisse memorauimus, Gritto eam cum arcibus
magna omniũ alacritate restituit. Is fuit Veneti bel
li exitus, quo iam octauum annũ Italia deflagrabat:
illudq; in primis memorabile uidetur, quod Veneti
ab initio oppugnati ab cunctis propè Europæ regi-
bus, atq; omnibus prælijs uicti, uniuersi tamẽ bello
uictores euaserint. Cæterùm M. Antonius, qui iã ex
uulneribus conualuerat, quoniam certus rumor de
his quæ Nouioduni inter se reges, non abnuẽte Cæ
sare pepigissent, afferebatur, ne pudendæ deditioni
interesset, relicta Ioãni Baptistę Spinello rerũ cura,
& remissis in agrũ Romanũ equitibus suis, ad Cęsa
rem in Germaniam contẽdit. Milites uerò trium e-
xercituum, quum perfecto bello magna ex parte di
mitterẽtur, & insperatam pacem ueluti egestatis i-
nitium ægerrimè ferrẽt, paulo pòst Francisci Mariæ
Rouerei auspicijs, qui Vrbino exactus fuerat, grauis
simum in Piceno atq; Vmbria põtifici maximo bel
lum intulerunt.

B

SVPPLEMENTI

LIBER IX.

Isdem tẽporibus, quibus Selymus
bellũ in Ægypto Tomumbeio ex-
tincto, gerit, qui fuit annus à Chri-
sto Deo nato M. D. XVII. Maxi-
miliano Austrio imperium tenen-
te, Martinus Lutherus Saxo Augu-
stinianus importunitate uenias pontificis Leonis
X. uendentium excitatus, cœpit contra eas pu-
blicè priuatimq; disputare, ac declamitare. Hac pa-
refacta fenestra, eò paulatim est progressus, ut doce
ret ecclesiam Romanam siue pontificiam, ab Chri-
sti Apostolorumq; eius doctrina & institutis, turpis
simè defecisse. Quo tempore idem apud Heluetios
Vldrichus Zuuinglius prædicabat. Quæ res tantas
ac tales per hosce quadraginta annos successus ha-
buit, ut tota penè Germania ab Romani pontificis
obedientia, decretisque discesserit: ac iam per uni-
uersam Europam ea opinio sit disseminata, adeò ut
nullis iam uiribus & conatibus, ad id adnitente Ma
ximiliano primùm, deinde Carolo imperatoribus,
alijs item regibus potuerit ab hominum animis e-
uelli. Sed Maximilianus Cæsar anno Virginei par-
tus M. D. XIX. apud Velsium Norici agri oppi-
dum, quum intempestiuè pharmacum incertæ po-
testatis aduersus morbum, quem sibi imminere pu
tarat, hausisset, mortuus est, uir præstantissimis cor
poris atque animi dotibus inclytus. Eius imperiũ
Carolus ex Philippo filio nepos excepit, Cæsarum
procul dubio potentissimus, propter regnorum am
plitudinem, Hispaniæ atque Neapolis hæreditate
adauctam. Is non multo pòst imperatorijs comitijs

in Germania de more habitis, competitorem ha- A
buit Franciscum Galliæ regem, suffragatorum quo
rundam fidei innixum, & propterea quòd Germa-
ni proceres animos nutantes ad patriæ publicum
decus reuocassent, repulsam ferentem. Quæ causa
fuit eius altè concepti odij, quod mox contracto
exitiali bello inter eos erupit. Præterea eius belli
initia refert, quod in Belgis gestum est à Cæsaria-
nis, Francisco Cecchingo tumultuario Germano-
rum militum duce, aduersus Robertum Marchium
in Eburonibus regulum præpotentem, Gallicæq;
factioni semper addictum: atque item Maseriã op-
pidum, quod ad Mosam flumen positum est, ma-
gnis Cecchingi copijs, & inusitatæ magnitudinis
tormentis acerrimo, sed irrito conatu quassatam,
Baiardo Gallorum duce impigro fortiter defendẽ-
te. Eodem anno Selymus Turcarum imperator a-
pud Ciurlium Thraciæ pagum, pestilenti circa re-
nes enato ulcere, mortuus est, quum regnasset an-
nis octo, & aduersum nos terra marique bellum il-
laturus crederetur: postquam Hysmaëlem Persarũ
regem grauissimè contudisset, & duobus Sulthа-
nis regibus deuictis atque interfectis, Ægyptum et
Syriam imperio adiecisset. Solymanus unicus ex
Bosphorana uxore filius, nemine obsistente æmu-
lo, tot regnorum hæreditatem adijt. Atque eodem
ferè mense, quo Carolus Cæsar est acclamatus, & i-
pse Solymanus paterno imperatoris titulo com-
pos est factus. Cæterùm audita Selymi morte, Ga-
zelles Syriæ præpositus rebellauit, ratus se sacra-
menti religione solutum, quòd Selymo tantum,
successori uerò minimè sacramentum dixisse præ-
caret: & proinde sibi decorum fore arbitraretur, si
coactis in unum Mamaluchorum reliquijs, Syriam
ad ueterem Sulthanorum imperij conditionem, eie
ctis Turcis, reuocare contenderet. Quando iam e-
gregia uoluntate incolæ Syri atq; Arabes in id con B
silium sibi probè consentirent, nec defuturum in oc
casione Cayerbeium arbitraretur, qui Ægypto præ-
esset, quin se ex præfecto regem & Sulthanum effi
ceret, postquam Memphiticus populus acerbo es-
set odio in Turcas, & in eius manu totius Ægypti
arma & opes sitæ uiderentur. Sed Gazelles trahen-
di in partes Cayerbeij spe depulsus, quòd hic certa
tutioraque consilia dubijs atque asperis præferret,
& Gazelli ueteri à superioribus temporibus inimi-
co, nihil planè confideret, ita Gazellis cohortatio-
nes reiecit, ut eius legatum supplicio afficeret, ne
Campsonianæ proditionis infamiam nouæ perfi-
diæ scelere cumularet. Misit etiam Gazelles lega-
tos Rhodum, ut inde tormenta atque arma aduer-
sus communes hostes Turcas impetraret. Per eum
modum, quòd serò Rhodius magister ferendæ o-
pis consilia explicaret, superuentu Frahatis Bassæ,
quem cum magnis copijs Solymanus è Cilicia in
Syriam transire, & initia rebellionis opprimere ius-
serat, impar uiribus, sed animo inuictus, Damascũ
se recepit, ea mente, ut cum his quas collegerat co-
pijs, quàm primum cum Frahate confligeret. Atq;
ita Damasco eductis signis, ut honestè concideret,
hostes inuasit, eo acerrimæ pugnæ exitu, ut ipse pe
ritissimè & constantissimè dimicans, cum suis om
nibus nihil de fuga cogitantibus interficeretur. Cæ
sar per Oceanum in Hispaniam deuectus, utriusq;
auiti regni hæreditatem adijt, magnoque confir-
matis antiquæ immunitatis legibus honorario u-
triusque prouinciæ munere ditatus est. Ipso ad Bel
gas redeunte, populi ingenti tumultu exorto ad
arma consternati, nec obscurè rebellantes ab au-
thoritate regiorum præsidum discesserunt, quòd im
modicè se expilari à præfectis Belgis quererentur.
Quoniã Carolus Ceurius Belga regis nutritꝰ, ad ar
bitriũ cuncta administrãs, aureę monetæ regię, quę
erat præstantis formę & puritatis, auidissimꝰ exti-

tiſſet.Seditioſæ multitudini duces ſe prębuerũt Io-
annes Padillia,Ioannes item Brauius, & Maldona-
tus.Atq; ita exarſit bellum,quo urbs Medina Cam-
pi nundinis clara,impetu Antonij Fonſecæ, qui re-
gias tuebatur partes,fortuito igne penè tota crema
ta ſit.Sed conſurgentibus cum regijs copijs Indico
Velaſco magiſtro equitum, & Henrico Ammirate,
qui erat in præfectura maris ſeditioſorũ copiæ ad
uillam Alariam oppugnatę deletæq; ſunt, capto Pa
dillia cum ſocijs, de quibus ſupplicium publicè eſt
deſumptum.Nec remiſerat animos ſeditioſi popu-
lares, quum Maria Paceca Tendilij Mendocij filia,
eruditi ingenij,& uirilis animi mulier, Padilliæ cõ-
iugis uexillũ,ne concitatę multitudini deeſſet dux,
gerẽdo bello ſuſtuliſſet. Ab ea Hiſpanici tumultus
fama, Franciſcus Galliæ rex excitus, recuperandi
Cantabriæ regni occaſionẽ arripuit: ſcilicet ut Hen
ricum Ioannis regis filium reduceret,quòd pater re
gno pulſus, in Gallia exul paulo antè deceſsiſſet.
Sed Galli à ſecundo rerum initio, Algrunium,quod
olim fuit Iuliobriga,uſq; progreſsi,cõſerto prælio,
à Velaſco & Henrico ſuperati ſunt,capto ipſorũ du
ce Aſparoto.Atq; ita priſtina tranquillitas perturba
tæ Hiſpaniæ reſtituta eſt,ſingulari prudẽtia Hadria
ni Florentij Belgæ Cardinalis, qui regia cum autho
ritate in procuratione utriuſq; Hiſpaniæ à Carolo
fuerat relictus. Eadem æſtate Franciſcus Galliæ &
Henricus Anglię reges,conſtituto in finibus Mori-
norum loco,ad certam diem in colloquium deue-
nerunt. Gallus qui cum ornatiſsimo totius Galliæ
procerum comitatu deſcenderat, ſumptuoſiſsimi
operis tabernacula,multiplicesq; papiliones paten
tibus in locis erexit. Britannus autem attulerat li-
gneam domum,ampliſsimæ regiæ inſtar,cum lucu
lentiſsimis ac ampliſsimis porticibus atq; cœnacu-
lis,quæ conſtabant ex materia miris modis elabo-
rata,picta ſimul atq; inaurata,tanto fabrorũ archite
ctorumq; ingenio,ut aptiſsimis iuncturis atq; uer-
tebris tota plicatilis membratim diuidi, & quũ lu-
beret, iucunda commutatione tolli aſportariq;, &
rurſus in uarias formas diſtingui atq; erigi poſſet.
Cęterũ eo colloquio nihil plus quo homines admi
ratione tenerentur,enituit,q̃ duorum maximè inſi-
gnium Europę principum, humaniter ſeſe comple
ctentium,aſpectus atq; maieſtas. Ambo namq; æta
te,opibus & uictorijs nuper partis, famaq; bellicæ
uirtutis florentes,id oris decus præferebant, ut ſpe
ctantes in admirationem adducerent: quando ex
his nemo qui adeſſet utriuſq; gentis ſpectator, uel
decore formæ,uel habitu proceri corporis,tractan-
dorumq; armorum peritia, cõparari poſſe uideret.
Nam præter equeſtria ſpectacula in gratiam illu-
ſtrium fœminarũ, quæ utrinq; cultiſsimis cœtibus
aduenerant,edita,& ſæpius inſtaurata,nihil plus a-
ctum fuiſſe apparuit, quàm ut uterq; ſeſe in mutuã
comparationem luxuriantis elegantiæ prolatis o-
pibus oſtentaret.Nec multo pòſt Cæſar, quòd iam
enata eſſent ſemina orientis belli inter ſe & Galliæ
regem,ab Hiſpania rediens in Britanniam diuertit,
nõ obſcura obtrectatione eius colloquij, ita ut tres
ſimul reges coire uoluiſſe crederentur.Sed uterque
præmoliens bellum,et iam arma parans,Britãnum
ſocium ſibi aſciſcere contendebat.Nam ille belli &
pacis arbiter exiſtimari cupiens, dudum animi ſui
argumentũ tam aptum q̃ inſolẽs,in foribus ligneæ
domus ſupra armatũ ingentem ſagittarium,habitu
Britannico ſcitè perpictum, prætulerat hoc titulo:
CVI ADHAEREO, PRAEEST. Eodẽ anno
Solymanus maiorũ diſciplinam ſequutus,poſtq̃ Sy
riam atq; Ægyptũ,interfecto Gazelle, uirtute Fra-
hatis pacatas didicit,in Pannoniam arma cõuertit:
adortusq; Belgradum, quod ad confluẽtes Sauum
atq; Danubium ſitum, egregium erat atq; firmiſsi-
mum totius Pannoniæ munimentũ, expugnauit:

Hungaris quidem,propter trophæa ibi fortiter at-
que feliciter Turcis erepta maximè decorum, Bar-
baris uerò,ſupra quàm dici poſſet funeſtum atque
ignominioſum.Nam ibi fruſtra tẽtata oppugnatio-
ne,Amurathes abauus,& proauus Mahometes,ma
gnis acceptis detrimentis inde repulſi, re infecta di
ſceſſerãt.Solymano igitur cum paratiſsimis copijs
aduentãti,neq; Hungari proceres, neq; Ludouicus
imbecillo ingenio rex iuuenis, neceſſaria præſidia
oppoſuerunt,quòd nihil inter ſe conſentirent, & à
priſtina inuictæ antea gentis uirtute & diſciplina
defeciſſent.Eo modo Belgradum ocioſe oppugna-
tum,turpiſsimeq; defenſum,in poteſtatem Barba-
rorum deuenit,ut porta inferendis maioribus no-
ſtris cladibus panderetur. Eodem tempore Caro-
lus Cæſar apud Vangiones Rheni accolas, conciliũ
Germaniæ procerum indixit,propter commotæ re
ligionis famam,Martino Luthero Saxone cuculla-
to, Romani pontificis authoritatem conuellente.
In eo conuentu, Martino licuit recitare cauſas, cur
iure Chriſtiano à Pontificis cenſura diſcedendũ iu-
dicaret:uel ob id præſertim,quòd auariſsimi è Ro-
mana aula in prouincias emiſſarij,defunctorum ani
mas in purgatorijs flammis criminum pœnas dan-
tes,precio uenditata Pontificis clementia, ſe erutu-
ros profiterentur. Sed initis & protractis ſupra id
negocium diſputationibus, nihil tamen diſcuſſum
eſt,ſic ut Cæſar in ea re compeſcenda pio animo ſa-
lubria decreta ad publicam ſalutem excogitanda
cenſeret,nec multo pòſt cum Leone pontifice per-
cuſſo fœdere iungeretur. Leò nanq; grauiſsimis de
cauſis extimulatus,Gallos Mediolanenſi principa-
tu extrudendos ſtatuerat, ut Franciſco Sfortiæ pa-
ternæ hæreditatis iure, communibus Cæſaris atq;
ipſius armis redderetur. Atq; ita bellũ quod apud
Belgas inchoatum fuerat, incrementaq; in Hiſpa-
nia ſumpſerat,in Italiam translatum eſt, diro pror-
ſus conſilio,quum inde Italia propè omnis,uetuſtũ
decus & priſtinam libertatem amiſerit. Cauſæque
item odiorum in Gallos Inſubrum,ex multa Lotre
chij ſuperbia,crudelitateq; Leſcuti fratris cõceptæ,
referuntur.Leſcutus,dum exules auidus perſequi-
tur, cum ala equitũ ad regij portam delatus, prior
pontifici bellum infert,Guicciardino uix tuente ur
bem.Ob id ratus põtifex arma expedit, delectusq;
imperator Proſper Columna cum Piſcario atq; An-
tonio Leua, ad oppugnandam Parmam mittitur.
Sed dimidia eius urbis parte capta, reliqua pars,
quæ cis amnem,à Gallis impigrè defenditur:Lotre
chio uerò cum magnis ſuis Venetorumq; auxilijs
appropinquante,Proſper ne cum duplici hoſte di-
micare cogeretur, ad Niceam amnẽ caſtra reducit.
Cuius irriti conatus fama permotus Leo,Iuliũ Me-
dicem Cardinalem patruelem ſuum, è Florentia in
caſtra contendere iubet. Is allata ingenti pecunia,
perterriti & ferè languentis exercitus uires inſtau-
rat,& ducibus animos reſtituit:ac mox alia ratione
gerendum bellum ratus,traiecto Pado atq; inde Ol
lio,ad Abduã peruenit,quòd erat auctus Heluetio-
rum nouis copijs, quas Sedunenſis Cardinalis ad-
duxerat, nuſquam Gallo acie confligere auſo. Per
hunc modum Lotrechius, quũ hoſtes ad Vaprium
uicum noctu ſcaphis Abduã tranſiſſent, tumultua-
ria ibi parum proſperè à Leſcuto fratre conſerta pu
gna,Mediolanũ ſe recipit.Nec inſequentibus hoſti
bus defuit fortuna:appropinquãte namq; Piſcario
Hiſpanorũ cohortes occultum nactæ aditum intra
munitiones irruperunt, apud quas Lotrechius in-
ter ſuburbana tecta cõſtiterat:tantusq; fuit tumul-
tus,ut Gallicæ undique,& Venetę ſimul copiæ,pro
pè ſine uulnere funderentur: caperetur autẽ Theo-
dorus Triuultius inermis Venetorum imperator.
Lotrechius tanto accepto detrimento,in Vrbem e-
quitatum omnẽ introduxit, paululumq; moratus
ad arcis

ad arcis aream,Comenſi uia in fugã ſe coniecit,nul-
lo hoſtium perſequente, qui ad mediam fermè no-
ctẽ,à Mediolanenſibus Ticinenſem portã aperien-
tibus,cum magna gratulatione uictores excepti e-
rant. Lotrechius Vandeneſio Paliciæ fratre præſi-
dio Comi impoſito cum uniuerſo equitatu Leucũ
cõtendit,ſuperatoq; ibi amne Abdua,in Cremonẽ-
ſem agrum deflexit,Cremonamq; nuper hoſti dedi
tam,priuſquã præſidio firmaretur, potitus eſt. Sed
demum nouis Bernẽſium & Sedunorum, qui ſunt
Heluetij nominis, legionibus confirmatus, Ticinũ
adortus: defendente Federico Gonzaga principe
Mantuano,expugnare non potuit, neq; obſeſſæ cir
cumuallatæq; arci opem ferre ualuit. quoniam ibi
M.Antonius Colũna ſummæ uirtutis dux, tormen
to maiore à Proſperi patrui munitionibus emiſſo,
fuerat interfectus.Intra paucos uerò dies, quũ Lo-
trechius urbem Mediolanũ, caſtris ad Sextum uicũ
poſitis,eſſet inuaſurus, eique Proſper & Franciſcus
Sfortia,cum omni Inſubrũ multitudine,egreſsi ur-
be ſeſe oppoſuiſſent, ad Bicoccam uicũ prælio cer-
tatum eſt,quo Gallis aduerſo, Albertus Petra Hel-
uetiorum dux,legionibus ſuis ſclopetorum procel
la obrutis,cecidit.Ab ea uictoria Proſper præeunte
Piſcario Laudem Pompeiam capit,& eodem men-
ſe curſuq; uictoriæ,Piſleonem ſupra Abduam oppi
dum expugnat,& mox Cremonam recipit, Leſcu-
to honeſta pactione urbem dedente: & demũ Ale-
xandria,excedente Gallorum præſidio, in poteſta-
tem redacta eſt.Dum hæc feliciter à Proſpero gere-
rentur,inexpectata mors Leonem ætatis atq; tem-
peraturæ robuſto uigore florentem oppreſsit,pau-
lo pòſt quàm de Mediolanenſi uictoria nunciũ acce
piſſet,atroci proculdubio toxici uiolẽtia abreptus.
In eius locũ ſuffectus Hadrianus Sextus,mira & cer
tè pudenda,ſi Italiæ decus reſpiceretur, ſenatorum
factioſorum ſuffragatione, quũ feſtinatis comitijs,
hominem apud Batauos extremi Oceani natum,et
tum in Hiſpania agentem,uirtutis nomine,cunctis
ſenatorij ordinis prætuliſſent.Galli per interregnũ
comitialesq; occupationes,rati ſe Parmam facilè re
cepturos,è Cremona aduolant,& à triplici loco tri-
bus uno tempore editis prælijs,ſcalis murũ tranſcẽ
dere conãtur.Sed inſigni Guicciardini præſidis ſtu
dio,& ſumma Parmenſiũ alacritate, quũ Salomon
Siculus,& Petrus Baccionius Ligur cohortiũ præ-
fecti,acerrimè propugnarent,hoſtes repellunt, pa-
riq; fortuna in Placentinũ effuſi agrum, & terrorẽ
Placentiæ inferentes, à Pontificio equitũ præſidio
ſuſtinentur.Sequenti anno, quòd Genuenſes Gal-
licum nomen Octauiano Fregoſio duce tuerentur,
Cæſariani duces, impetrãtibus Adurnijs exulibus,
ut reducerentur,ad Genuam caſtra faciũt, hinc Pro
ſper cum Germanis, illinc Piſcarius cum Hiſpanis.
Sed Piſcarius ab eo loco qui Faba Græca uocatur,
tormentis murum aperit,impetuq; facto, pulſis de
fenſoribus,urbe potitur:& dum uictor urbem per-
currit,nullo negocio Prætoriũ capit.Venere in po-
teſtatem ipſe Octauianus Fregoſius, & Petrus Na-
uarrus,qui dudum appulerat,ut non temerè timen
tium ciuium animos authoritate nominis ſui cõfir
maret.Eo modo Piſcarius urbẽ multis diuitijs opu
lentam diripuit, priuſquam Proſper ingrederetur.
Fliſci aũt Othobonus ac Sinibaldus peculiares Fre
goſiorũ hoſtes,propter fratris eorum cædem, pro-
bè uindictam exercuerunt: & Antoniotus & Hie-
ronymus Adurnij,poſtquam decem annos exulaſ-
ſent,in urbe principes conſtituti ſunt,à quibus non
multo pòſt Caſtelletti arx,quæ à Gallis defendeba
tur,maioribus tormentis expugnata eſt.Eadem æ-
ſtare,qua tanta urbs capta direptaq; fuerat,Hadria-
nus pontifex magnis precibus populi Romani, &
cohortatione ſenatus ad urbem euocatus, Genuã
applicuit,nulla ciuium recentẽ cladem ſuam lugen

tium lætitia exceptus:indeq; Liburnum nauigauit,
ubi à Iulio Medice Cardinale,legatisq; Florentino-
rum,& aliquot Hetruſcis cardinalibus expectabat.
Paucis inde horis Cardinales ſequi iuſsit, & felici
nauigatione Romã deuectus eſt.Per id tẽpus Rho-
dus à Solymano,qui in inſulã cum ducentis arma-
torum milibus traiecerat, oppugnabatur. Eam ue-
rò conſilij ingentis & perdifficilis belli occaſionem
audacter ſuſceperat Barbarus, quòd Chriſtianos re
ges inteſtinis occupatos bellis didicerat. Cupiebat
Hadrianus ferre opem,ſed pecuniæ inopia,quo mi
nus officio ſatis faceret,retardabatur. Nam quas ab
Hiſpania aduexerat peditũ copias, factioſorũ quo-
rundam hortatu,non Rhodum, ſed in Galliam Ci-
ſalpinam,quæ Cæſaris opes confirmarent, mitten-
das cenſuerat. Atq; ita Rhodus quintum poſt men-
ſem,admirandis operibus & cuniculis, ad deditio-
nem compulſa eſt,Philippo Liladamo militiæ ma
giſtro, deſperatis auxilijs, ad Solymanum egreſſo,
& certa pactione urbem atq; inſulam dedente.Idq;
tantũ uulnus Chriſtianæ reipub.illatũ eſt,inſanien-
tibus aut oſcitantibus noſtris regibus, apud quos
priuatæ ſpes augendi imperij totũ Chriſtianæ pie-
tatis decus extinxerant. Hadrianus Romanæ aulæ
rudis,& rerum Italicarum imperitus,ſerò detrimẽ-
tum intellexit:exortaq; eſt in Vrbe peſtilentię lues,
quæ quũ ſeueris legibus more noſtro Pontifici mi-
nimè coërcenda uideretur, contactu ægrorum ita
exarſit,ut multa funera in compitis uiſerentur, ap-
pareretq; uaſtari Vrbem, haud multo dierũ ſpacio,
niſi Græculus quidam nomine Demetrius Sparta-
nus,ſedandæ peſtilentiæ,fauente ei turba hominũ,
negocium ſuſcepiſſet, nemine ſuperſtitionem ue-
tare auſo.Nam ferum taurum,cui dimidium cornu
diſſecarat,magico carmine dextram in aurem pro-
lato,repentè ita manſuefactum reddiderat, ut inie-
cto tenui filo ad integrum cornu,quò uellet perdu-
cens,peſtilentiæ placando numini ad Amphithea-
trum immolaſſet. Nec credulæ multitudinis ſpem
ex toto fefellit,quum ab ea inanis ſacrificij proſpe-
ra litatione,miteſcere morbus cœpiſſet. Nec multo
pòſt euocato ad urbẽ Iulio Medice Cardinale, Fran
ciſcum Soderinũ Cardinalem cuſtodię tradit,quòd
maligni eius animi,& aduerſi in Cæſarẽ ſtudij indi
ces literas intercepiſſet.Nam Soderinus contra Iu-
lium,ut Florentia pelleretur, copias in Hetruriã mi
ſerat,Rentio Cerite duce,percuſſoribusq; itẽ in Iulij
cædem præparatis.Sed detecta coniuratione,non-
nulli ciues Florentini, concepti facinoris capite pœ
nas dederant,alij Iulio cõniuente profugerãt.Ren-
tius,qui exercitum Senas perduxerat, ut inde Flo-
rentia peteretur,inopia commeatus, & terrore Hel
uetij præſidij,qui Iulio aderat,adductus, fœdũ con
ſilij ſui exitum tulit:uel ob id etiam,quòd Feltrium
Vrbinatem,Malateſtamq; Baleonum,hic è Peruſia,
ille Vrbino, contractis uiribus ad uindicandas iniu
rias ſecum bellum Iulio illaturos credidiſſet. Pau-
cos uerò poſt menſes q̃ Soderinus cuſtodiæ tradi-
tus eſt,Hadrianus fato conceſsit, cui protractis ali-
quandiu comitijs conſpiratione iuniorũ, Iulius Me
dices,deſumpto Clemẽtis nomine ſubrogatus eſt,
qui ad tuendam nouæ dignitatis perſonam, egre-
giè ſe medium inter Cæſarem & Franciſcum regẽ
præſtare uidebatur. Moriente Hadriano, Guliel-
mus Gofferius,appellatus Ammiras,in Italiam de-
ſcendit,cum quadraginta peditum,& decem equi-
tum Gallorum milibus: & pulſo ad Ticinum am-
nem Cæſarianorum exercitu, poſitis ad Mediola-
num caſtris,urbem obſidere conſtituit. Ineunte an
no, Proſper Colũna morit, eiq; in imperio copiarũ
ſuccedũt Carolus Lanoius Belga,& Piſcarius. Inſu
bres ꝓ Frãciſco Sfortia egregiè Gallorũ uim, & bel
li detrimẽta ſuſtinẽt.Gofferius,multa niue cœlo im
portunè delapſa,à conſpectu urbis diſcedere cogit:
cum

cum parte copiarum Baiardum ad oppugnandam Cremonam mittit, irrito eius incœpto. Veneti copias suas, & ducem Feltrium Vrbinatem ex lege fœderis, Sfortiæ qui opem ferant, mittũt. Quibus iunctis exercitibus, Galli aliquot in locis per partes opprimuntur, nusquam iusto prælio contenditur. Cæsariani ponte Ticinum iungunt, Gofferius idem facere cogitur, ne quæ in tergo erant oppida ad Nouariam, inuadenda hostibus relinquat. Interim Ioannes Medices cum Sfortianis copijs Mediolanensium iuuentute auctus, Abiatum tormentis expugnat. Nec multo pòst, Ticinum transgressus, cõiunctusq; Feltrio, Garlascum oppidum aggreditur: & quanquam prælta esset in fossis aqua, uel cum interitu multorũ, id expugnat. Exinde Gofferius tot acceptis detrimentis, quum se reciperet, ad Sesithẽ amnẽ tumultuaria pugna, graui ictus uulnere funditur, biduoque pòst, dum tormenta defendere per Baiardum fortissimum ducem, atq; hostes acriter incumbentes sustinere conatur, Baiardo cadente, exuitur tormentis, & cum multa cæde Heluetiorũ terga tuentium, in fugam conijcitur: mirumq; uideri potuit, tantas Gallorum copias, ualidis Heluetiorum subsidijs firmatas, à Cæsarianis & Venetis sustineri atq; deleri potuisse. Aderat Cæsarianis Carolus Borbonius, qui paulo antè à studio sui regis malignè discedens, & sese priuato quodam Cæsari fœdere cõiungens, prodendi regis sui, impugnandęq; patriæ consilia agitarat: quibus detectis, è Gallia in Sequanos profugerat, declaratusque patriæ hostis, Cæsari operam nauabat, ita ut inuadendæ Galliæ consilium susciperet, Hispanis auidè se sequuturos profitentibus, quòd in Prouinciam opulentã regionem, ubi non defutura amicorum studia, auersa penitus à rege, & proceres quosdam ad rebellandum paratos, se inuenturum iactabat. Lanoius, quanquã id minimè probaret, permisit ut Piscarius cum Hispanorum, Germanorumq; cohortibus in Prouinciam penetraret. Sed Piscarius Massiliæ mœnibus frustra hærens, quòd ualidissimo Gallorũ præsidio teneretur, retrocedere coactus est: quum nemo Gallorum ad auctoritatẽ Borbonij nominis se conferret, & regiæ copiæ appropinquarent, & Borbonius cuncta opinione sua sibi infestiora, Gallo uerò fideliora reperiret. Quapropter reuersus est per maritimas Ligusticasq; alpes, cum copijs asperitate itinerum defessis, & his sæpe, ut sunt uiri dicaces, Borbonio consilij leuitatem exprobrantibus. Eo autẽ tempore rex Franciscus, ualido cõflato exercitu, ut Prouinciam tueretur, postquã re infecta hostes Prouinciæ finibus excesserant, consilium flexit ad occasionẽ repetendæ Italiæ, miraq; celeritate Pœninis, & Coctijs alpibus, in Taurinos descendit, progressusq; secundo cursu, ita Mediolano potitus est, ut Piscarius cum Hispanis Laudem Pompeiam se reciperet, & Antonius Leua cum Germanis defendendi Ticini munus susciperet. Atq; ita Veneti & Clemens, eius belli commutationem nequaquã ægerrimè tulerunt, quòd inuadendę Prouincię, & lacessendi Galli regis consilium, tam immodicum q̃ temeritati proximum improbassent, ob idq; Cæsariani exulis consilio innixi, belli q̃ pacis auidiores apparuissent. Rex Mediolano potitus, consilij anceps, Laudẽ Pompeiámne, ad opprimendos Hispanos, an Ticinum, debellandis Germanis aggrederetur: inauspicata belli ratione Ticinum prætulit, ubi nulla memorabili earum rerum, quæ tentassent, prosperè confecta, quartum iam circumsedens & hærens mensem, diductis primò, & mox reliquis senescentibus uiribus, quòd noua Cæsarianis auxilia, adducente Borbonio, superuenissent, prælio decertare coactus est, quo regijs aduerso, nobilissimi quique Gallorum ducum & procerũ, interfecti sunt: & rex ipse nauiter dimicando, sauciatus, prolabente mox equo, captus est, eo præsertim effusius Hispanis & Germanis parta uictoria lætantibus, quòd ipso Cæsaris natali die secundissimo euentu dimicassent, sicut de eijciendo Francisco Sfortia cogitarẽt, & totius Italię immodicis animis imperium affectare dicerentur: quando inusitato rerum successu elati, nequaquam alieno cõmodo, sed suo bellum fortiter gessisse uideri uellent. Franciscus ineunte æstate, à Genua in Hispaniã perducitur à Carolo Lanoio, qui ægro eius animo futuræ Cæsaris clementię spẽ iniecerat. Sed Cæsar multis de causis eum nequaq̃ uidere sustinuit. Qua offensione rex sua spe deceptus, in grauem incidit morbum, ita ut infortunij sui miserias morte finiturus uideret, nisi Cæsar perhumano colloquio afflictũ consolatus, eum se maturè dimissurum promisisset. Nec multo pòst, certo inito fœdere, Cæsar ei sororem in matrimonio collocauit. Ea Emanuelis Lusitaniæ regis uxor fuerat, & è tribus regis liberis, maiores natu duos pariter obsides tradidit, & in Aquitaniam abire permissus est. Ex eo fœdere ingens & atrox apud principes orta est suspicio, quòd inter se Franciscus & Cæsar, in perniciem quorundam coniurare dicerentur: sic ut ad regem libertati restitutum, undiq; legati gratulatum mitterentur, & Clemens & Veneti, adiuncto Britannię rege, ad mutuam securitatem noua fœdera percuterent. Quibus paratis undiq; copijs Cæsari totius Italiæ imperium affectanti, obuiam iretur. Nam quod iniquissimum fuisse iudicabant, Antonius Leua atq; Piscarius imperium Mediolanense Francisco Sfortiæ inuidentes, eum tanquam defectionis à Cæsare consilia agitantem, reum fecerant, grauissimoq; laborantẽ morbo in arce obsederant, & aliquot urbibus ereptis hostem declararant. Ea calũniæ uis cum summa malignitate Sfortiæ illata, Venetos & Pontificẽ mirum in modum pupugit, usqueadeò, ut consternati animis arma pararent, & Cęsarianos impotenter atq; superbè fœderis fidem fallentes, atq; impudenter sociorum existimationẽ contemnentes armis persequendos arbitrarentur: & Piscario interim morte subrepto, ad Mediolanũ arma proferrent, ut Sfortiam obsidionis, & uitæ periculo implicitum, matura ope allata liberarẽt. Sed tanta fuit Antonij, Alfonsiq; Vastij, qui Piscarij patruelis erat frater, militaris constantia, ut nõ modò oppugnantium hostium uim sustineret, sed Mediolanensibus metu cædis subactis, Sfortiam extremã perpessum inediam, ad deditionem compellerent. Eo modo Sfortia ad Cremonã calamitatis suæ iniquam sortem lugente, noua Germanorum auxilia Georgio Franispergo duce in Mantuanum agrũ descenderunt, & Vgo Moncata cum Pompeio Colũna Cardinale, Pontificẽ inducijs, quas dolosè concesserãt, ineptè confisum deceptumq;, repentina in urbem irruptione penè oppressêrunt, ita ut direpto Vaticano, & templo maximo fœdè profanato, perterritus Pontifex in arcem elaberetur: & Cęsariani, quòd nullus esset in arce commeatus, triduo eum in potestatẽ redacturi crederentur, nisi Vgo Moncata, tanti admissi sceleris pertæsus, uel contradicẽte Pompeio, & in extremam Clementis perniciẽ proclinato, obsidibus acceptis, in arcem uenissent, & certis conditionibus pacẽ cum pontifice confecissent. Iisdem diebus quibus Cæsar & Pontifex infestis animis inter se decertabãt, Solymanus in occasionem semper intentus, qua regni fines proferre, & Christianis maximè nocere posset, Pannoniæ bellũ infert, quòd regem iuuenẽ, non suo iure, sed precario propè turbidissimæ genti, nec iusto consensu unq̃ parenti dominantẽ, & bellicis artibus propter ætatem nequaq̃ satis instructũ, facilè opprimere se posse confidebat: uel ob id præsertim, quòd neq; Pannonici regni, neq; regis ipsius salutẽ proximis Germanis, neq; ipsis cõsanguineis regibus, Cæsari, Ferdinando, & Sigismundo Poloniæ regi, curæ futuram arbitrarẽt: quando neq; Germani per se segnes in aliena causa, neq; Austrię domus reges Italico occupati bello, neq; Polonus, ne ueteres inducias temerè abrumperet, ut se cõmouerent, adduci posse uiderentur. Ludouicus rex ingenio per se imbecilli, neq; salubri ratione confirmato, inexpectata aduentantis tanti hostis fama perculsus, missis undique legatis frustra opem implorat. Hungarorum tamen concilium indicit, id est, armatæ multitudinis, & Rhacos appellatur. In eo sacrati antistites de more stipendiarij, quas debebant in publicò periculo semiplenas equitum alas, & minorem quàm oporteret pecuniam in belli sumptum expediunt. Profani uerò iuris proceres, totaq; nobilitas, utpote qui ueteris disciplinę obliti, nunquam Othomanorum regum castra uiderant, sed minutis tantum prælijs per incursiones pugnare consuessent, ab innata superbis eorum animis arrogantia, Turcas ita contẽnebant, ut se, uel exiguo numero, ingentia Barbarorum agmina, consertis manibus, insolenter concisuros & deleturos iactarent. Sed unus maximè cuculati ordinis Paulus Tomoreus, archiepiscopus Colocensis, aliquando in excursione, subitario prælio cum Turcis dimicare solitus, tãta animi ferocia, tanq; speratæ uictoriæ fiducia stolidè pugnax efferebatur, ut sacras ad multitudinem militum haberet conciones: & ante alios proceres, studio religionis inflammatus, in aduersam Barbarorum aciem infesta hasta se impetum facturum polliceretur. Paulo antè ex Pontificia pecunia, Germanorum & Bohemorum cohortes conscripserant, quarũ præsidio stabiliri aciem equitum, & sustineri Barbarorum uim posse putabant. Neq; enim accuratè recensendo, peditum simul & equitum copię, uigintiquinq; milliũ summam efficiebant: sic ut ab omnibus peritis, ea Tomoræi audacia, & reliquorũ pugnam poscentiũ temeritas, magnopere damnaretur, quãdo ueteres milites miserrimũ esse dicerent, cum eo hoste cõsligere, qui octuplo ampliores copias in aciem esset productus. Propterea aliqui submouendum imminenti periculo regem iuuenẽ iudicabant, frustra consulente Stephano Verbetio, ut regis adolescentis persona ad publicam salutẽ, extra pugnæ discrimen, in utrunq; belli euentum, Budana in arce seruaretur. Sed obstrepebant efferri milites, nec se, nisi rege duce pugnaturos dicebant. Tomoræus dicta sententia peruicit, ut quàm primũ confligeretur, & rex generosus sub tutela Dei maximi, pugnæ signũ daturus, hosti obuiã ire pergeret. Itaq; uecordi impetu infausto q; consilio, Ludouicus ad Mugacium usq; signa promouit, quod est oppidulum medio fere itinere positum inter Budam atq; Belgradum. Iam aduentabant prima Turcarum agmina, quum supremo concilio à præfectis & ducibus est disputatum, an castra uallata curribus ad Danubij ripam essent tantisper collocanda, donec auxilia Transyluanorum aduenirẽt, quæ à Ioanne Sepusio prouinciæ præfecto, qui Vayuoda Hungariæ appellatur, iustis itineribus adduci ferebantur. Cæterùm Tomoræus, cui nouo superuenienti duci propter præfecturæ dignitatem parendum foret, ut imperij ius integrum ad spem uictoriæ retineret, omnem moræ causam improbans, & in sua fata præceps ruens, ita sanis consilijs obstitit, ut regem incautum, & per iniquũ pugnæ discrimen perduceret. Barbari nanque quaternas equitum acies præmiserant, quę distinctis inter se noctis atq; diei spacijs, perpetuò lacessentes regijs castris circumueherentur: quo persultante equitatu, usqueadeò arctè regia castra obsessa sunt, ut nemo lignatum aut pabulatum exire, aut in proximã Danubij ripam potandis equis progredi auderet, nisi magno periculo, & iniqua conditione, propter Barbarorũ multitudinẽ certaret. Qua necessitate impulsus Tomoræus, instruere aciẽ, & pro antiquo decore inuictæ antea gentis, dignitateq; regij nominis, prælio confligere coactus est. Aciei forma ferè simplex fuit, protensis scilicet peditum cohortibus in oblõgam seriem, ac intermixto idoneis in spacijs equitatu, ne Barbari numero superantes, uniuersam circumuenirent aciem, & Hungari penè in orbem pugnare cogerentur. Castra catenatis uallata curribus, leui præsidio impositio, ad dextram relinquebantur, quibus non absurdo consilio, Tomoræus alam unã lectissimorũ equitũ, uallũ propè contingentẽ apposuerat, ut ad incerta belli rex eius firmo atq; expedito præsidio protegeretur. Sed Hungarico nomini infaustus is dies, regiq; maximè inauspicatus, postremã eam seri consilij rationem euertit. Nam primo congressu concurrentes acies nostræ, tametsi nihil eis Barbarorũ tormenta altius librata nocerent: nullo tamen negocio pulsæ protritæq; sunt, cadente præsertim Tomoreo, & reliquis ad unũ ferè proceribus interfectis, & Vsaronibus, qui sunt Hungarorum leuis armaturæ equites, dispalatis & in fugam uersis, totoq; pariter equitatu fœdè concisо. In tanta rerũ asperitate, quũ Barbarorum globus ad diripienda castra cõuolasset, & ægrè à præsidio defenderentur, ea, quam diximus lectissimorũ equitum ala, quæ regi præsidio esse debuerat, cõtinere nequijt, quin opem castris afferés, in Turcas oppugnantes deferretur, eodemq; semihoræ momento, Ludouicus rex, prostratis undiq; copijs, nudatus eo quod sperarat, parauerat q; præsidio, sese eripiens, in proxima palude, reflectente se equo, sexquipalmis aquæ lutulento in gurgite suffocatus interijt: ita tamen, ut eum locum Cetrisicus armiger eius & cubicularius, genere Bohemus, notaret & effugeret, & post multos dies, decedentibus hostibus, integrum regis cadauer Cetrisici indicio reperiretur, & regio funere tumulandum ad Albã regalem deferretur. Ab ea uictoria, Solymanus non obscura admiratione ductus, risisse ferũ, quòd Hungari tanta essent animorum temeritate, tantaq; insania regis consiliarij essent occupati, ut alienis uiribus stultissima ratione æstimatis ipsorum copias quæ essent exiguæ, tanto exercitui obijcere, quàm regredi maluissent. Potitus Buda, inuisaq; arce, q̃ mirificè laudabat, nihil plus ad uictoriæ suę monumẽtum sustulit, quàm æneas statuas tres ingẽtes, quæ Matthiæ bello paceq; inclyti regis fuerant. eæ Byzantij in hippodromo collocatæ hodie uisunt. Clemens, quòd eius fama fœdè apud populũ proscinderet, nec ideo tantæ iniuriæ cõtumeliã animo sustineret, quoniã improuidè malignis hostibus credens, cõfidensq; dolosis inducijs, ut imperitus rerũ, tantã cùm publicæ, tum priuatæ existimationis, tũ Vaticanæ supellectilis quæ erat opulẽta, iacturã fecisset: abrupto tanq̃ indecoro fœdere, & spretis obsidibus, bellũ Cæsarianis inferendũ censet. Pompeiũ Columnã à senatu amouet, & tanq̃ sacrilegũ hostẽ aquæ & igni interdicit: accersitoq; à Gallia Valdemõtio Lotharingię reguli fratre, q, esset stirpis Andegauensium regũ, qui superiore seculo Neapoli regnassent, terra marię; Neapolitanis bellũ infert. Magnus terror Campaniæ inferẽ, capitur Salernũ, Valdemontius ad Neapolis portas cõpulso intra urbẽ Moncara, se ostentat, & in Latio Columniæ familię oppida à Pontificijs militibus, crudeli incẽdio passim excitato deformanẽ. Per eos dies Carolus Lanoius cum classe, sublatis Germanorũ ueteranis cohortibus, & Hispanorũ satis ualida tyronũ manu in Italiã traijcit. Inter Corsicã & Iluã insulas, Hispanica classis medio in pelago, à tribus triremium classibus tormentis oppugnatẽ. Duces erant Andreas Auria, Petrus Nauarrus, & Paulus Iustinianus Venetus. Sed aliquot nauibus magno impetu pilarũ inciditiũ pforatis, & una atq; altera demersis, Lanoius è sum-

è summo discrimine, obortæ tempestatis beneficio se eripuit, prouectusque rapido uento in Srephaniũ Hetruriæ portum, quod est in occidentali Argentarij promõtorij latere, se intulit, atq; inde circa Campaniæ litora milites exposuit. Eius aduentu Pompeius Columna cum Vespasiano atque Ascanio Columnijs proceribus conflato exercitu ad oppugnãdum Frusinonem in Hernicos pergunt. Sed mœnia tumultuarijs aggeribus permunita, fortissimorum militum manu defenduntur, qui erant ex cohortibus ueteranis, quas Ioannes Medices Insubribus Pontifici præsidio miserat. Nec multo pòst, quòd salus earum cohortium, & Hernicorum omnium cordi esset, iusto cum exercitu Rentius Ceres, & Vitellius Tiphernas instructa acie superuenerunt, à quibus soluta est obsidio, fusis & coniectis in fugã Cęsarianis, & his ægrè tormenta seruantibus. Exinde à quibusdam tota ea contentio ad falsam spem concordiæ reuocata est, quòd Pontifex pecuniæ pressus inopia, & magnis undique Cæsarianorum copijs circumuentus, nequaquam diu belli sumptum sustinere posse uideretur. Peroppurtunè ad eam rẽ conficiendam ab Hispania in urbem uenit Cęsar Feramusca Campanus, Cæsaris literas afferens, humanitatis & æquitatis, & quod intrerat ad flectendũ pontificem, religioſę excusationis plenissimas. Atque ita iterum Clemens aduenientẽ in Vrbem, obsidibus ei datis, Carolo Lanoio, in quo summa tum erat belli & pacis authoritas, Cæsari cõciliatur. Fœdus reipublicæ dirum percutitur, ea conditione, ut Lanoius in Hetruriam iret, Borbonium auerteret, qui cum Germanis & Hispanis, auctus undique factiosorum & perditorum hominum copijs, ad diripiendam Romam cõtendere ferebatur. Borbonius enim in spem diripiendæ opulentissimæ urbis animos sustulerat, quòd Germani paulo antè ad Mincium hostium copias, Feltrio duce, se transitu prohibere conantes submouissent, quũ fortuito tormenti ictu Ioannes Medices cecidisset: cuius fortissimi ducis impetum, extraordinarijs prælijs, grauia incendium agmina carpentem sternentemque, ægrè sustinuerant. Nec multum insequentium, Feltrij & Salassi, qui Venetas & Gallicas ductabant copias, uim pertimescendam putabant. Itaque Borbonio Apẽninum Aretinis iugis superanti, Lanoius occurrit. Sed abnuentium pacem militum clamoribus, dirempto colloquio, Borbonius proposito itineri ita institit, ut Pontificem, dimissis importunè copijs, inermem nudatumque præsidio, una celeritate facilè se opprimere posse sperareꝛ. Fauit fortuna facinorosis consilijs atq; impiæ fraudi, uti iampridem infesta urbi atque pontifici: intentissimo nanque cursu totius exercitus, Borbonius ad Vrbem peruenit, commeatus egens, & tormentorum expers, pridie nonas Maij: statimque scalis appositis, Clemente exterrito, neque ullum fugæ consilium explicante, ad eum locum, qui est cõtra obeliscum, humilia Leoninæ urbis mœnia superantur, frustraque ineptis armis, & trepidis animis obsistẽte urbana multitudine, Hispani atque Germani intrant, infinitam propè hominum frustra abiectis armis uitam petẽtium, multitudinem crudelissimè trucidant, sacrosanctum, & toto orbe uenerabile templum, direptis ornamẽtis, multo cruore ad singula altaria fuso, immaniter fœdant, atque omnia sacrata uasa deripiũt, elapsoque in arcem Pontifice, Vrbẽ semihora trãscensis inter Aureliam & Septimianam portam uetustate collapsis mœnibus irrumpunt, in eaque cuncta auaritiæ & immanitatis exempla, in miseros ciues edunt, arcem circumsident, & perductis fossis circumuallant, ne usquam Pontifici effugiũ pateat. Animus horret eas referre Barbarici cruciatus miserias, quas pertulit infelix populus, olim gentiũ omnium uictor. Hæc enim sine multis lachrymis, neq;

A referri, neque audiri possunt: ita ut sacrosancta ciuitas deos penitus auersos à salute sua existimare potuerit, nisi dij tutelares urbis, quanquã adinane solatium, præclaro suo ultrore numine, perfidiosi atq; immanissimi latronis hostiam, in ipso captæ urbis limine mactauissent. Cecidit nanque Borbonius, dum scalam funesta manu mœnibus admouet, per inguen dextri femoris glande traiectus, ne diræ uictoriæ suæ compos, tanto sacrilegio lætaretur.

SVPPLEMENTI
LIBER X.

AD famã, usqueadeò miserabili inexpectatoque euentu, captę Vrbis, ac obsessi in arce Pontificis, uni omnium in Italia Florentini effuse lætari uidebantur, quòd diu exoptatam reperendæ libertatis occasionem, sibi ex tuto oblatam perspicerent. Paulò enim antequã Borbonius Aretinas superaret alpes, & sese alienum ostenderet ab omni pacis conditione, repulso scilicet Carolo Lanoio, qui per ampla de compositione mandata detulisset: Florentinæ iuuentutis globus, paratissimis ad rebellandum animis, arma ceperat, factoque impetu prætorium occuparat. Eius audendi facinoris princeps fuit Petrus Saluiatus, multis propinquitatibus atque diuitijs potens. Huic nemo seniorum restiterat, quũ gratissimi ciuium eius facti consilijq; gnari essent: utpote qui dissimulando & conniuendo, auidis, uerũ suspensis animis, tantæ rei euentum expectare cernerẽtur. Erat in summo magistratu uexillifer, Aloysius Guicciardinus, multis quidem beneficijs Medi
B ceo nomini obstrictus: sed apud eum hominem ab antiquo maiorum suorum studio libertatis auidũ, cuncta facilè obliterarat præsens occasio admitten di maturandique facinoris: ea tamen animi specie, reprehendere detestariq; iuuentutis audaciam cœperat, ut in re dubia atque ancipiti, magistratus fidẽ syncerumque personæ munus tueretur. In ea uerborum contentione iuuentus, quæ iam planè rebellarat, curiaque potita, extremum decretum commutatæ reipublicæ deposcebat, fremere atque euibrare gladios cœpit ad deterrendos decuriones, è quibus Fẽdericus Riccius seuerè obiurgans, grauiter caput uulneratus est à Iacobo Alamanno præferoci iuuene: ac ipse uexillifer intentata fica penè uiolatus: quum etiam in conspectu eius Ioannem Franci schæum, loci & honoris decus obsistendo tueri conantẽ, attractum ad fenestram à seditiosis, ipso præsertim Alamanno impellente, in forum præcipitem dare niterentur. Iam in aream curiæ, singularum regionum signiferi, sublatis uexillis de more, contribules suos adduxerant, & patricij ordinis magna multitudo ad magistratus ascenderat. Nemo enim ferè fuit, uel ex ipsis amicissimis Mediceo nomini ciuibus, qui non properanter ascenderet, atq; pulcherrimi eius facti lætitia compleretur. Nam constabat signiferos regionum à uexillifero pridie admonitos fuisse, ut parati instructique armis, quum res posceret, exortique tumultus strepitum sentirent, ad curiam progrederentur. Antonius quoque Nerlius sacerdos factiosus in turrim curiæ, extortis à ianitore clauibus, ascendit, ut ad sonitum campani æris populus ad arma uocaretur. His rebus Decuriones exterriti, postulante iuuentute, adhortantibusque patricijs, decretum perscripserũt, pronunciandumque ad populum, publico præconi dederunt. Eo Medicei adolescentes, Hippolytus & Alexander, reipub. hostes declarati sunt, bonaque eorũ fisco addicta, & liberati nonnulli ciues, qui in custo

dia ser-

dia seruabantur, quòd hostilem animum in Mediceos, quos appellarent tyrannos, ostendissent. In promulgando autem decreto, quod minimè prætermittendũ uidetur, Cosmus Saxetus podagricus, nec insulsus Senator, uultu resupino & ferè oscitanti, sublata uoce interpellans præconẽ interrogauit, an ipse etiã Papa Clemẽs eadem qua gentiles eius, exilij & capitis pœna damnaretur: & id quum altioreuoce proboq; nutu præconis, par & æquum esse subderetur, Vos ergo, inquit, uideritis ciues, qui nihil libera patria carius habere uultis, an uobis ab hac mox iniuria sacris interdicti, familiari pane uestro satis piè uesci liceat? Quod falsè dictum uniuersę concioni risum commouit. Ab hac decreti acerbitate, quum optimates, qui aderant frequentes, de ordinanda republica disputarẽt, Frãciscus Felt rius Vrbinas, Veneti dux exercitus, & Michaël Salassius Regulus, Fœdericusq; Gonzaga cognomento Bozzolus, Gallorum duces urbem intrarũt, quibus ad secũdum lapidem dudum obuiam ierant honoris causa, Syluius Passerinus Cardinalis legatus, ipsique duo pariter Cardinales, Innocẽtius Cibous, & Nicolaus Ridulphus à Leone auunculo in senatum lecti. Cum his etiam aderat Hippolytus Medices adolescens, qui omnes inopinata ciuium rebellione perturbati, in urbem regredi maturarunt: primusq; omnium Petrus Honofrius Mõtedolius, Medicearum cohortiũ præfectus in forum aduolat, omniq; aditu regionum occupato, inuasis disiectisq; popularium manipulis, prętoriũ expugnare parat. Ipsi, quos diximus duces, citatis equis superueniũt, certaturq; missilibus ab obsessis atq; obsidentibus, in magnumq; metum atq; periculum imperiti hominesque, & ineptis instructi armis undiq; conijciuntur. Erat curia plena patritijs, atq; ea iuuentute, quæ primam uocem sustulerat, decretumq; arrepturæ libertatis in Mediceos ad plebẽ promulgari iusserat. Quibus omnibus quũm iusta ad defensionem arma deessent, neq; ullus esset in curia commeatus, ex conscientia admissi sceleris, extrema supplicia metuebant. Nam Honofrius eo studio ferebatur, ut curiæ fores incenderet, & tormenta proferret, quibus curia quateretur. Iam enim introductis in urbem maioribus copijs, pauidos seniorum imbelliumq; ciuium animos metus inuaserat, tanta trepidatione, ut nonnulli inusitato egressu dilabi festinarent, dolerentq; planè singuli uicem suam, quòd nimis celeriter & inconsultè, nondum maturæ libertatis munus expetissent. Sed tanta extitit in Syluio legato, adolescenteq; Hippolyto, & Mediceæ familiæ propinquis ciuibus clementia, tantumq; in Feltrio cæterisq; ducibus, æquitatis & tranquillitatis studiũ, ut pro conseruanda salute ciuitatis, seditiosis atque rebellibus, modò se dederẽt, integra fide parcendũ censerent. Atq; ita, quum iam Medicei in nõ dubiã spem recuperandæ curiæ uenissent, fieretq; armatorum concursus ad eorum domos defendendas, & in aream currulia tormẽta peruenirent, Fœdericus Bozzolus prodijt, pacatamq; dextram ostendens, cessantibus utrinq; telis, ad curiæ portam accessit, admissusq; ad decuriones, ita loquutus est: Non me præterit uiri Florentini, aliquanto audacius quæri quàm defendi libertatem, ab his præsertim hominibus, qui uitæ fortunarumq; suarum certam salutem dubijs belli casibus anteponunt, nec aliunde quàm ab incolumi patria, cuncta uitæ cõmoda atq; ornamenta expectant. Proinde uos hortor, fortasse propensius quàm deceat uirum militarem, ut iuuẽtuti noxam totius hodierni impetus remittere uelitis, modò ipsa uehementem illum, quo nõ dubiam gloriam appetisse uisa est, immodici ardoris studiũ remittat. Præclarè enim uideo iunioribus secus ac ætate proiectis, quàm odiosum sit pacificatoris nomen: & quàm deniq; ingratum atq; importunum

A militibus nostris, ac ipsis fortasse Mediceis, in ipso præsertim speratæ uictoriæ limine, sit futurũ, quãdo illi sua spe prædæ fraudentur: ij uerò quosdam fortasse uestri ordinis ulciscì, tãquam ingratos atq; æquo acerbius rebellantes, quàm in gratiam recipere malint. Vos itaq; in uestigio & deliberare, & decernere oportet, an beneficio nostro potius, quàm occulto aliquo munere fortunæ, quæ iam uos deserit, uti uelitis. Nos certè, si uobis hac in re dij immortales mentem non eripient, decreta pacis religiosa fide sanciemus, atque armis, si ita opus fuerit, pro dignitate nostri nominis saluteq; uestra, obnixè tuebimur. Ad ea uexillifer Guicciardinus, ita perplexo titubanticq; sermone respondit, ut fidelis ac opportuni consilij, & usq; adeò propensę uoluntatis erga ciuitatem, Fœderico gratias agere potius, quàm quid esset in causa probaturus, ostendere uideretur. Primores autẽ patritij, in queis eminebant Frãciscus Victorius, & Nicolaus Caponius, uti probos ueteresque senatores, & rerum egregiè peritos decebat, peroranti, ex ipsa arcti complexus, & pacati uultus significatione prorsus assentiri, multoque maximam primorum ordinum partem, eius consilia quę tam amicè quàm humaniter dedisset, dubiò procul amplexuram confirmare: ad id frementeiuuentute, & his superbè atq; indignãter succẽsente, tanquam parum fortibus, & iampridem longo & præpingui seruitio assuetis: quandoquidem aliena uirtute, alienoq; periculo partam libertatẽ, & ultro etiam inculcatam admittere tueriq; nescirẽt. Multi quoque de salute potius soliciti, quàm de libertate, quę iam conclamata uidebatur, anxiè requirebant, an ex tuto, rectèq;, publica omnium salus pontifici offensionem odia recondere solito, cõmitti posset. Quibus uocibus excitatis, Fœdericus, Ne timete inquit, uiri Florẽtini, hac in re: siquidem ego unus me
B pro omnibus locupletissimum uadem & sponsorẽ fore polliceor. Itaq; Fœdericus è curia ad suos reuersus, quum renunciaret, quos animos in obsessis ipsisque præsertim senioribus reperisset, nemo fuit qui non concordiæ studendum esse censeret: in id Syluio enixè proclinato, nec Feltrius & reliqui duces, ulla omnino mora distineri uellent, quo minus festinanter Borbonium magnis cõfectis itineribus antecedentẽ persequerentur. Per hunc modum fatagente cohortanteq; Francisco Guicciardino, qui de uexilliferi fratris propinquorumq; suorum salute solicitus, pacis conditiones dictauerat, prolatis tabulis, in proximam diui Michaëlis Horreo tabernam concesit, facileq; obtinuit, ut his Feltrius, Venetiq; legati, & cæteri duces subscriberent. Singularem enim his rerum difficultatibus explicandis, Guicciardinus authoritatem afferebat, utpote qui pontificijs copijs cum imperio præesset. Summa conditionum hæc fuit, ut obsessi in curia, atq; item reliqui omnes, admissi sceleris ueniam ferrent. Qua in re Feltrius, & legatus Syluius syncerę clementiæ fidem suam obligarent, obliuionemq; eius inconsultæ rebellionis ab ipso Clemente pontifice accuratis precibus impetrarent: Florentini uerò ciues redirent ad officium, pristinæq; fidei obsequiũ Mediceo nomini præstarent, atq; ijsdem suffragijs, inducto rescisso q; recenti decreto, nouum fideleq;, cõmutata probè uoluntate, conficerent: excederẽt extemplò curia, & rempublicam magistratibus administrandam relinquerent. Hæc mutuis assensibus transacta sunt, sexto Calendas Maias, sic ut eodem die, qui Veneri dicatus erat, intra pauciss imas horas, Clemens & amissæ & receptæ simul curiæ, pacateq; ciuitatis nuncium acciperet. Nec multo pòst Guicciardinus uexillifer, continuato cum octo uiris decurionibus magistratu, Calendis Maijs de more successori insignia tradidit, priuatusq; abijt domum. Creatus nanque est in eius locum Antonius

Fráciſcus Norius, Medicearum partium ſtudioſus, cuius pater ex Pactiana coniuratione cum Iuliano Medice in templo fuerat interfectus. Tum uerò Feltrius priuſquam ſeſe, & copias ad iter expediret, à decurionibus impetrauit, ut inexpugnabile caſtellũ ſancti Lei, Vmbrico amiſſum bello, attributumq; Florentinis, ſibi redderetur. Actum quoq; ſubinde eſt de renouando fœdere, in quo nuper Florentini ea lege fuerant adſcripti, ut nullum certum munus bellici oneris ipſis imponeretur, niſi ex arbitrio Clementis: idcirco legati Veneti, Aloyſius Piſanus, & Marcus Foſcarus ſeuerè poſtulabant, ut quid præſtare conferreq; uellent in id bellum, diſertè in tabulis exprimerẽt. Itaq; adſtipulantibus octo uiris, qui toti negocio belli & pacis cum ſumma authoritate præſunt, practiciq; ab ipſis uocantur, Florentini ſeparatim à pontifice, ubicunq; in Italia gerendũ bellum foret, ſocijs ſe daturos promiſerunt cataphractos equites ducẽtos & quinquaginta, leuis autem armaturæ equites galeatos bis totidem, atq; item integram delectorũ peditum legionem: iurauereq; inuicem ſe nũquam ſeparatim à ſocijs in amicitiam cum Cæſare ducibusq́ue eius eſſe redituros. Huius ineũdi fœderis eximiè aſtutus ſuaſor Feltrius fuit, ex ęquo in gratiam Veneti ſenatus, atq; odium Clementis, uti poſtea apparuit. Nam ab hoc fœdere Florentini pacti cum Gallo Venetoq; libertatẽ ſibi eorum auſpicijs incolumem futuram, ita pontificem offenderunt, ut is ſua ſpe repetẽdæ patrię deiectus, oblitusq; ſummæ eius acceptæ iniuriæ, ad ipſum Cęſarem inexpectata, & penè incredibili exulcerati animi conuerſione ſe contulerit, ut ipſo Cæſare in Italiam euocato, ingratorum ciuium perfidiam uindicaret. His confectis rebus, Feltrius educto exercitu, ſed nequaquam ea celeritate, qua opus eſſe uideretur, in eo Romanæ urbis diſcrimine, Romam eſt profectus: attonita adhuc ciuitate, quum nemo eſſet, qui reputatione præteriti periculi non magnopere terreret, & ex futuri, & inſtantis ſolicitudine, metuendum eſſe non duceret. Itaq; Florentini id unum expectabant, ut alicunde reſcirent, quorſum Cæſarianorum impetus euaderet. Poſtquam uerò pridie nonas Maias, urbem manu captam, Romanosq; omnes, aut trucidatos, aut acerbiſsimis tormentis excruciatos, ipſumq; Clementẽ in arce cum patribus circumuallari atq; obſideri nũciatum eſt, nullam ſibi moram attulerũt, quin eoſdem animos redintegrata ſeditione conſtanter erigerent. Breui nanque effectum eſt, ut frequentibus conciliabulis per coronas in foro paſsim habitis, multi patritij, ſed togati omnes prætorium intrarent, communicatisq; conſilijs ad Mediceam domũ contenderent, & legatum amiciſsimis hortarentur uerbis, ut poſtquam Romæ res eſſent perditæ, cogenti fortunæ cedere probè & ſapienter, & rempublicam ciuibus reddere uellet. Erat legatus graui mœrore ſaucius ex clade urbis, ualdeq́ue proſtratus: ſed multo grauiore perculſus metu, quum à Nicolao Caponio & nonnullis alijs, quos ſibi amiciores putabat, acerbiſsimum nuncium accepiſſet, ita ut uirilis conſilij inops, & de ſua tantum pecunia ſolicitus & tenax, cuncta in pręceps prolabi ſineret, ſibiq; maximè timendum arbitraretur, quòd pleriſque non temerè ab agreſtibus reſponſis & moribus, ſe inuiſum putaret: quanquam Octauianus Medices inconcuſſa fide, & nonnulli fideli ſtudio inſignes, nequaquam deſpondendos eſſe animos prædicarent, confirmãdaq; liberali ſtipendio militum præſidia iudicarẽt. Sed reperiri expediriq; pecunia non poterat, quòd eam Franciſcus Niger proquæſtor, malignè apud Laurentium Strozzam depoſuiſſet, atque extemplò Lucam profugiſſet. Eo fruſtra citato quæſitoq;, Mediceis & Honofrio militaris præſidij præfecto animus cõcidit. Hic egregiè pugnax & intrepidus, rẽ ad arma deducere cupiebat. Verùm Syluius tanquam iactato nauigio, & naufragium adeunti perſimilis, neque conſilium, neque pecuniam expedire potuit, uniſq; obiurgationibus inſultantis muliérculæ domo atque urbe cum adoleſcentibus Mediceis exturbatus eſt. Hæc erat Clarice Medices iunioris Laurẽtij ſoror, Philippo Strozzæ nupta, quæ tuta ſuo ſexu, & propinquitatis nomine, legatum coràm ruſticanum, adoleſcentes uerò ſpurios, obiterq; hæreditate Mediceæ familiæ indignos contumelioſis uerbis appellarat, & domo, & patria protinus excedere increpita mora iuſſerat: quanquam generoſe ei ab Hippolyto reſpõderetur, quum eam omnino inſanam eſſe diceret, quę oblita ſanguinis, potentiã principatus ad inimiciſsimos potius trãſferre, quàm cõſeruare in domo propria, in qua ipſa nata eſſet, malignè atq; peruerſe properaret. Verùm hæc fruſtra dicebantur, quum ad fœminam peracri iracundia flagrantem, etiam acceſsiſſet Nicolaus Ridulphus Cardinalis, miti quidem ingenio uir, ſed non obſcurè appetens libertatis, qui cedẽdum fortunę, & ſaluti maturè conſulendum eſſe diſſerebat. Id in Clarice excitarat odium Clemens, qui neque Petrum filium purpureo galero exornare uti promiſerat uoluiſſet, uirumq; ipſius Philippum pro obſide Cæſarianis Neapoli cuſtodiendum tradidiſſet. His uocibus peracerbisq; minis unà Syluius atque ipſi adoleſcentes exceſſere patria, in non dubium exilium: quanquam decuriones ad leniendam ſubitæ atrocitatis inuidiam, abeũtes benigniore decreto proſecuti ſint. Hoc erat, ut adoleſcentibus, Hippolyto atque Alexandro maneret ius integrum ciuitatis, ambobusq́ue locus eſſet in republica ad capiendos eos honores, quos per ætatẽ adipiſci poſſent, manerentq́ue eis incolumes totius Medicei patrimonij facultates. Eos autem, Philippus Strozza ex ſenatuſconſulto comes datus, Piſas deduceret, ut arx oblata, teſſera reciperetur. Cæterùm Strozza ex arcanis mandatis, ut eos retraheret, iubebatur, quibus tamen propter affinitatem, tanquam ab ætate tenera nihil tale meritis parcendum putarit. Conatus autem eſt Dantes Caſtellio ex Strozzæ comitatu, directo & penè incenſo ſclopeto, Hippolytum interimere. Verũ adoleſcentes ſubodorati uim ſibi parari, concitatis equis, inexpectatò Lucã prouolarunt. Lucenſes ex decreto publico eos amiciſsimè & lautiſsimè de more ciuitatis ſuſceperunt, & Florentinis per publicas literas ſibi eos dedi depoſcentibus, integra fide ſe illos cõſeruaturos reſponderunt. Per hunc modum Medicea domus, impotenti fortunæ ultro ceſsit, quum à reditu Ioannis Cardinalis, eiecto Soderino, quindecim annis patriæ præfuiſſet. Exinde noui creati ſunt magiſtratus, reuocata priore Soderini conſuetudine, Norioq́ue ſe ante exactum tempus abdicãte magiſtratu, renunciatus eſt uexillifer Nicolaus Caponius, ea cõditione, ut ipſe & decuriones, comitiale conſilium popularis multitudinis indicerent, ut ex æquo cuncti ciues receptæ libertatis fructu lętarentur. Secũdæ nanque & tertiæ claſsis turba poſtulabant, ut reipublicæ munera latius quàm antea diſpenſarentur, ne populus ſuæ ſtudioſus libertatis, pro uno tyranno plures ſimul ex nobilitate ſuperbos impotẽtesq́ue dominos eſſet perpeſſurus: ita ut iam planè patritios pœniteret recuperatæ libertatis, quam nequaquam ſuo ordini, ſed indignis plebeisq́ue hominibus, ſua magna cum inuidia, & tum demum iuſto cum dolore peperiſſe dicerentur. Nec multo pòſt Florentinis arcem Piſanam dedidit Paccionus Piſtorienſis cuſtos, quum pecuniam in ſtipendium cohortis cuſtodiæ, quæ aliter in fide atque officio contineri non poterat, expetenti obteſtantiq́ue Syluius Cardinalis ſubmittere noluiſſet. Is ſubſederat Lucæ cum adoleſcentibus Mediceis, animoq; deie-

cto, atq;

cto, atque auaritię labe oppreſſo, uerba pro auro, & inanem ſpem pro ſtipendio, Paccionianis nuncijs dabat. Qua rei indignitate atque offenſione permotus cuſtos, quum ſe malignè deſeri à Cardinale quereretur, nec quicquam proficeret, Antonio Frãciſco Albicio arcem dedidit: ea tamen integræ fidei erga Mediceos conſtantia, ut repudiatis præſentis pecuniæ muneribus, quæ Albicius protulerat, expers omnis præmij, ob idq́ue inops, ſolo incorruptæ fidei teſtimonio contentus, arce excederet. Eodem etiam curſu, ſed non eadem fidelis animi probitate, exemplum ſequutus Galletus Barga, accepto præmio, Liburni arcem tradidit. Interea Franciſcus & Henricus reges, ex ea direptę urbis, & capti pontificis execrabili fama uehementiſsimè commoti, ad quęrendum nouum decus arma parabant. Videbatur enim uterq; eorum peculiari officio obſtringi, quòd Franciſcus ſuum uetus ex præclaris ſuperiorum Galliæ regum meritis partum Chriſtianiſsimi cognomen ferret, & Henricus ab illuſtri ſuo ſtudio, quum Iulium ſecundum Ludouici armis oppugnatum protegeret, Pontificiæ libertatis defenſor ex ſenatuſconſulto fuiſſet appellatus. Hos quoque duo legati opportunè aduerſus Cæſarem concitabant, Saluiatus Cardinalis in Gallia, & Vbertus Gambara apud Britannos, qui utrobique accuratè referendo, quanta immanitate in Romanos nihil tale meritos eſſet ſęuitum, quantoq́ue ludibrio ſacrati epiſcopi in cathenis ad haſtam uenalis fuiſſent circumducti, & quot demum honeſti atq; inſontes ex aula, aut tormentis excruciati, aut in uinculis, deſperato redemptionis precio, trucidati perijſſent, piorum hominum animos inuſitatæ crudelitatis cogitatione ſuſpendebant: quando etiam per multos ante aram maximam ſummè uenerabilis templi, fruſtra à diuis tutelaribus ſalutem petentes, inundato cruore pauimento cædeq́ue polluto, cecidiſſe narrarent. His ſermonibus per coronas utriuſque aulæ diſſeminatis, uetera nouaq́ue utriuſque gentis odia, quæ uixdum in Cęſarem deferbuerant, ex atrocitate tanti facinoris refricabãtur, tanto altius, quòd Heluetij cum Gallo & Britanno, in idem ſtudium conſenſumq́ue acceſſerant, quos Ennius Philonardus uetus apud eam gentem pontificis legatus, crebris concionibus per ſingulos pagorum conuentus habitis, tanquã homines militares, diligenter admonebat, ut quam Iulio pontifici nuper circumuento & ferè oppreſſo, fortem felicemq́ue operam præſtitiſſent, eandem, & certè maiorem in liberando Clemente nauare uellent. Debere ipſos probè meminiſſe, in quam egregiæ uirtutis & probitatis exiſtimationem apud cunctas nationes, ex celeberrimi facti gloria peruenerint. Retuliſſe ſiquidẽ inde non opima modò ſtipendia, quibus honeſtè locupletes euaſiſſent: uerùm quod eſſet omni auro præſtantius, ad perpetuum gentis decus illum cunctis publicis anteferendum ornamentis piæ uirtutis titulum, quo Romani Pontificis defenſores, impiorumq; principum domitores appellarentur. Itaque Lotrechius cum iuſto exercitu, maioribus copijs ſubſequi iuſsis, in Alexandrinũ agrum deſcendit, magnaq́ue ui Boſcum oppidum adortus, deiecto inde Ludouico Lodronio, qui Germanorũ cohortibus præerat, oppidum cepit, caſtriſq́ue inde ad Alexandriam poſitis, eadem felicitate, quòd exiguo præſidio teneretur, ea opportuna urbe potitus eſt. Lotrechio quoque impigrè procedenti, acceſſere Venetorum copiæ cum iuſto tormentorum apparatu, coniunctisq́ue uiribus ad oppugnandum Ticinum proceſſerunt. Præfecerat urbi Cęſarianoq́ue præſidio Antonius Leua, quum Mediolano ſibi minimè excedendum, niſi grauiſsima de cauſa, ſtatuiſſet, Ludouicum Balbianũ, uirum egregiè fortem, & Sfortiano nomini inimiciſsimum, & quòd ei nõ magnopere ualidæ cohortes adeſſent, quibus Gallicam uim ſuſtineret, opem ſubmiſſo Hiſpanorum ſupplemento laturum promiſerat. Cæterùm Lotrechius animaduerſo urbis ſitu, edoctusq́ue de his munitionibus, quas Ticinẽſes periculoſa in parte mœnium oppugnaturis Gallis oppoſuiſſent, incredibile Balbiano Ticinenſibusq́ue oppugnationis cõſilium ſuſcepit. Conuerſis ſiquidem ad ipſam arcem omnibus tormentis, quæ ei ex Venetis caſtris collata erant, tanta ui turrim quadratam quatere eſt adortus, ut ea cum adiuncto arcis muro, qui ad portam ipſius arcis ad uiridaria educentem pertinet, adaperta perforataq́ue undiq́ue penè integra cõcideret, proruentibus unà in eandem ruinam annexis his cœnaculis amœniſsimi proſpectus, quæ Galeacius Vicecomes ante ducentos ferè annos admirandis ſumptuoſiſsimisq́ue picturis exornarat: cui ędificio propter incomparabilem ſtructuræ pulchritudinem omnino parcendum fuerit, niſi Lotrechius ad famam, celebre teſtimonium odij ſui atq; iracundiæ, Ticini relinquere uoluiſſet, quòd ante ſex annos ab ea parte urbis mœnia iuxta arcem fruſtra oppugnans à defenſoribus multa detrimenta è ſumma eadem turri tranſuerſe oppoſitus accepiſſet. Oderat quoque Ticini urbis nomen, deleti Gallici exercitus, & capti regis recenti abominabiliq; memoria, Gallis infauſtum & infame. Balbianus tantis ex improuiſo territus ruinis, auxilij atq; omnis cõſilij inops, quum ſeruare urbem non poſſet, luctuoſa Ticinẽſibus pactione ſe dedidit, eductusq́ue per ruinas ad Lotrechium, ſeſe impetrata ſalute conſeruauit. Tum uerò Galli milites, facto impetu per eaſdem ruinas, nullibi acriter reiecti, per arcem, quod nemo crediderat, in urbem irruperunt, miſerabilemq́ue in modum, cæſo magna ex parte præſidio, & ciuibus captis, uniuerſam diripuerunt, uſque adeò, ut nec templis, ſacratarumq; uirginum ſeptis parceretur: quanquam Lotrechio ſumma cura eſſet tuendi fœminei pudoris. Primùm qui audacter in arcem urbemq́ue irruperit, Hoſtaſium Rhauennatem militem fuiſſe conſtat. Is à Lotrechio in præmium nauatæ operę, æneam equeſtrem ſtatuã, quæ Antonini Cæſaris eſſe dicitur, impetrauit, quũ ea antiquitus Rhauẽnatium fuiſſet, ſed poſt Gothica tempora à Longobardis Rhauennam diripientibus, trophæi modo in ſignum uictoriæ abducta Ticinum fuerit, & in foro conſtituta. Eo modo Hoſtaſius decorum ſibi fore exiſtimãs, ſi uetus patriæ ſpolium recuperaret, in forum deſcendit, & permittente Lotrechio, cum manipularibus ſuis atque item fabris, deijcere ſtatuã ſede ſua conabatur. Quo ſpectaculo (id enim longè miſerrimum Ticinenſes iudicabant) uſque adeò tumultuoſus complorantis & deplorantis populi concurſus fuit, ut oblitus domeſticæ calamitatis, furioſe in forum decurreret, nullo modo paſſurus, ut patriæ, quæ fortunarum omnium, & publici decoris iacturam dudum fecerat, etiam nobiliſsimæ & uetuſtiſsimæ memoriæ monumentum eriperetur. Res eò erat perducta, ut cum armatis ab inermibus ex iurgio certandum foret. Verùm Rhauennate imperatoris Lotrechij diploma proferente, omnis ea Ticinenſium turba ſuo recenti mœrore & cultus deformitate miſerabilis, ad prætorium contendit, atque ibi unus patritij ordinis Franciſcus Boticella proiectus ad pedes, ita loquutus eſt, ut Lotrechij animum flexerit. Manabãt cunctis Ticinenſibus lachrymæ, quando eius ſtatuę iacturam inſtar ſummæ calamitatis atque miſeriæ, ſupra direptæ patrię aduerſam ſortem exiſtimarẽt. Itaq; Lotrechius ad miſericordiam uerſus, Rhauennatem ex aduerſo promiſſum muralis coronæ pręmium ex diplomate repetẽtem, blandis uerbis admonuit, ut præmium potius nauatæ fortiter operę ex ſua liberalitate oblatum accipere uellet, quàm

tanta acerbiſsimè direptæ ciuitatis miſeria lætari, ardereque demum inuidia aliquando ei & Rhauennatibus nocitura. Itaque uel indignabundus miles pro ænea ſtatua pecuniam à quæſtoribus accepit, quãtum ſatis eſt pro murali corona ex auro puro fabricanda, quæ in fidem uirtutis ſuæ, cum elogio Rhauẽnate in templo poneretur. Ticino capto, diuerſæ apud Lotrechium ſententiæ dicebantur. Sfortiani ante alios legati cunctantem atq; perplexum maximè urgebant, in queis erat Franciſcus Somalius inter Inſubres nobilitate atque opibus potens, Gallicæque peritus linguæ, quòd regijs in caſtris aliquandiu militaſſet. Is recenti utendũ uictoria, & Mediolano Antonioque Leuæ uim & terrorem admouendum diſſerebat, quòd Mediolanenſes, aduerſiſsima eſſent uoluntate in Antonium & Hiſpanos, à quibus ſæuiſsimę inſtar tyrannidis extrema rerum incommoda pertuliſſent. Attenuatas nanque eſſe Antonij cohortes Hiſpanorum uario diſceſſu, quos ipſe in præſidijs apud Comum, Leucum & Tricium, diſtribuiſſet, & flos ueteranorum Romana in præda detineretur, nec ipſe immiti podagra iactatus, & ſignatæ egens pecuniæ, tantum animi habiturus uideretur, ut tot aduentantiũ hoſtium uim, & grauiſsimis iniurijs exacerbati populi tumultũ, uno præſertim tempore ſuſtinere poſſet. Id probabat Piſanus Venetorum legatus, cùm æquo iure fœderis Franciſco Sfortiæ fauens, tum reipublicæ ſuæ commodo integræ uictoriæ ſecurũ finem ſpectans. Extrudendos ſiquidem Mediolano Cęſarianos, & finibus Venetis cauendum putabat: quoniam potentiſsimi Cæſaris uicinitas, Veneto nomini maximè grauis atque ſuſpecta foret, ex recenti ſcilicet memoria Bergomi, Brixiæ, Veronęque ereptarum urbium. Antonius quoque Franciſcus Albicius Florentinorum legatus, Veneto & Sfortiano præclarè aſſentiebatur: uel ob id præſertim, quòd Mediolanum, tanquam perennem præſentis pecuniæ theſaurum, aliquando Cæſarianis adimendum diceret. Ex aduerſo, duo cardinales Cibous atq; Ridulphus, qui clade urbis elapſi, ad Lotrechium uictorem peruenerant, & cum his Gregorius Caſalius Henrici Britanniæ regis legatus, uehementiſsimis precibus poſtulabant, ut liberandæ urbis Romæ eripiendique inde pontificis, potius quàm oppugnandi Leuę negocium ſuſciperet. Liberato nanque pontifice, priſtinam eius dignitatis atque potentiæ exiſtimationem ad fœderatos eſſe redituram, unde ulciſci acceptas clades, & reliquo metu atque ſæuitia hoſtium uictor Italiam ſumma cum laude liberaret. Cæterùm Lotrechij animum diuerſis diſtractum ſententijs, unus ſenatoriæ dignitatis uir Inſuber, aſtuta & propè maligna oratione perpulit, ut omnem inuadendi Antonij Leuæ curam in aliud tempus differret. Quo conſilio, non curſus modò paratæ uictorię interruptus eſt, ſed expedita conficiendi belli ſpes omnis intercidit. Is erat Ambroſius Florẽtius ex uetere factionis ſtudio Sfortiano nomini infenſus, utpote qui ſemper ſuperioribus temporibus Gallis adhæſiſſet. Ab hac perſuaſione, Lotrechius non ineptas conſilij cauſas apud legatos oſtendens, traiecto Pado Parmam ſe demiſit, atque inde modicis itineribus Bononiam profectus: ampliſsima ea in urbe & copioſiſsima hyemare conſtituit, quòd ſibi multò maxima uiriũ mole bellum geſturo, noua copiarum ſupplementa è Gallis expectanda prędicaret. Verùm quibuſdam ſociorum, eum proculdubio paratę dimiſſæque uictoriæ prouentum, Franciſco Sfortiæ inuidiſſe apparebat, atque ideò cunctantius & ſegnius, quàm plerique flagitarent, Romanis rebus opem ferre uidebatur. Nec deerant, qui non obſcurè exiſtimarẽt, ipſum probè regijs iuſsibus obſequentem, oſtentare bellum è longinquo, & multò armorum apparatu perſtrepere, quàm Cæſarianos aggredi atque laceſſere malle: ſcilicet, ne Cæſar grauiore iniuria atq; periculo exagitatus, animum in ipſo rerum diſcrimine, aduerſus metum facilè peruicacem, à ſpe pacis atq; concordiæ longius abduceret: quoniam ea eſſet ingenij Cęſaris uis atque natura, ut placari precibus, & ratione flecti, quàm ui & armis, ad id quod ſponte nollet, cogi poſſe conſtaret. Id unum ſiquidem rex Franciſcus ex arcano eo belli motu petebat, ut Cæſar multis rerũ adductus difficultatibus, ab ſe regios adoleſcentes obſides datos, oblato auro redimi pateretur. Sed poſtquam ea ſpes recipiendorum obſidum fruſtra tentata, in irritum ceſsit, ab omnibus ad eaſdem belli cogitationes recurſum eſt. His rebus cognitis, Cæſar ſiue tactus religione, ſiue permotus infamia, aut graui rerum ſuarum periculo adductus, pontificem cuſtodia & tot ærumnis liberare conſtituit, Franciſcumq; Angelium cucullatum Franciſcani ordinis principem, pietatis & probitatis nomine, expiandis criminibus ſibi delectum, cum Verreio cubiculario ab Hiſpania Romã miſit, deditque ei literas ſuper ea re ducibus perferendas, quibus ſignificabat Philiberto Aurantio, Vgonique Moncatæ, atque item Ferdinando Alarconi, ſibi æquum piumque uideri pontificem dimittere, atque eum cum omni honore uerborum in priſtinam aſſerere libertatem, ſubindeq; ſacroſanctam eius dignitatem obnixè defendi colique oportere, modò alicunde pecunia pararetur, qua militibus merita ſtipendia perſoluerent, ut quum tempus poſceret, Germanorũ legiones urbe Roma aduerſus hoſtes educerentur: ſedulò autem cauerent certis obſidibus ne pontifex, ſi fortè iniurię nondum oblitus, hoſtilem animum indueret, ipſis non magnopere nocere poſſet. Erant hæc pontifici in aliena poteſtate cõſtituto longè grauiſsima, quum nulla omnino tuta ratio cogendæ repræſentandæque pecuniæ reperiretur, quòd infirmiſsima fide eſſet pontifex apud creditores, uti captiuus & mãceps factus, neque ulla in eo niſi dubia & anceps uigeret authoritas, ſic ut de promiſsis firmiter cauere non facilè poſſet. Res autem eò deducta eſt, ut Clemẽs longè cariſsimos atq; honeſtiſsimos ex familiaribus qui ſecum erant, repræſentandæ pecuniæ obſides, frementibus depoſcentibusque Germanis, tradere ſit coactus. Hi fuere Ioannes Maria Montanus, Archiepiſcopus Sipontinus, & Honofrius Bartholinus, Piſanus Archiepiſcopus: epiſcopi uerò Antonius Puccius Piſtorienſis, & Ioannes Matthæus Gibertus Veronenſis. His acceſſere, uti pecunioſi nobileſque & arcta propinquitate pontifici coniuncti, Iacobus Saluiatus, Ioannis cardinalis pater, & Laurẽtius Ridulphus, Nicolai cardinalis frater germanus. Horũ manibus illico cathenas iniecerunt, & ad exprimendum aurum terruerunt. Per hunc modum miſerè pallentes, & extremo ſupplicij metu perfuſi, terq; in concionem producti, pręclara ope magni numinis ſeruati ſunt. Siquidem paulo pòſt, in carcere, cuſtodibus ex inſtitutæ cœnæ crapula, multoq; Falerno conſopitis, cathenas exuerunt, & per uaporariũ foci tubum in ſumma Riariæ domus tecta extracti, funibus euaſerũt: tanta felicitate, ut pedibus egreſſi urbem, ad Vrbinatis caſtra, quæ tum erant in Vmbriæ finibus, confugerent: ubi non diu miſeri, tanquam illudente fortuna, in aliud propè diſcrimen incidere, quum eos Laurentius Martellius Florentinis præpoſitus copijs comprehendendos ueſana temeritate cenſuiſſet. Sed huius hominis amentiã, Feltrius, & Bozzolus ſeueriſsimis uerbis retuderunt. Horum obſidum inexpectata atque admirabilis fuga, pontifici deſtinatam libertatem proculdubio maturauit. Nam põtifex ſemper ad noua parandę libertatis conſilia ſolertiſsimè cõuerſus propoſitis uenalibus ſenatorijs aliquot galeris, qui cõ-

ſenſu militum non obſcura licitatione, amiciſsimis Cæſarianarum partium ad eum honorem aſpirantibus, præſenti pecunia uenderentur, breui tantam uim ſignati auri, uel infami collatione coactam collegerit, & militibus numerarit, ut quum aduerſi rumores de ſecundis Lotrechij ſucceſsibus ſenſim in crebreſcerẽt, milites in uniuerſum Hiſpani Germanique nequaquam ægerrimè pacarentur, & ſeſe dum imperijs & dicto audientes futuros dicerent. Pontifex quoque, ad declarandum fidelis amiciq; animi ſtudium, quinque ſenatores, quos Cæſariani delegerant, obſides dederat: Piſanum ſcilicet Venetum, eius Aloyſij, qui in ſocialibus Feltrij caſtris legati munere fungebatur, filium: & Triuultium Mediolanenſem, Gallicæ factioni ſemper addictum, Gaddiumque item Florentinum, pecunioſi publicani fratrem. Hi Neapolim perducti, in arceq; noua cuſtoditi ſunt: Pompeius uerò Colũna pro reliquis duobus, qui fuere Franciottus Vrſinus, & Paulus Cæſius, uadem ſe præbuit, & ſecum poſtea eos ad Sublaqueanũ peramœnæ ſalubritatis ſeceſſum humaniter perduxit. Nec multo pòſt in componenda tranſactione liberandi pontificis, ſtrenuè ſatagentibus Põpeio Colũna, & Hieronymo Morono (hos enim certis liberalibuſque promiſsis recõciliatos, & pijs emollitos precibus, ita in partes traduxerat, ut Cæſaris decreto, quod Angelius cucullatus adduxerat, mirificè fauerent) res appoſitè cõfecta eſt, eoque facilius, quòd Vgo Moncata & Verreius, incerti & ſæpè tranſuerſi conſilij homines, Neapolim conceſsiſſent, & Aurantius apud Galeriam uicum hyemaret: utpote qui ſuopte ingenio captuque mutabili, & ſemper ſuſpicioſe perplexo nouas difficultates negocio allaturus eſſe crederetur. Itaque poſt ſeptimum carceris menſem, pontifex Cæſarianorũ Alarconiſque præſertim iudicio dimittendus, decreto uixdum perſcripto, quum ſe exiturum poſtri die dixiſſet, intempeſta nocte euaſit, nihil prohibẽtibus portæ cuſtodibus, quum petaſatus, & penulatus, ſubductaque & uelata barba, ſe diſpenſatoris miniſtrum ignobili eo habitu mentiretur. Diſpenſator enim ſe præparandis alimentis exituro pontifici, ad ſingulas Caſsiæ uiæ mãſiones præcurſurum dixerat. Euaſit autem urbe occulta porta, quę eſt in Vaticani uiridarij extremo ad turrem rotundã angulo, cuius clauem ab olitore paulò anteà pontifex impetrarat: atque eo modo eluſis cuſtodibus, Hiſpanico militari equo uectus, quẽ ei dederat Aloyſius Gonzaga, cognomine Rodomontes, cuius fratrem adoleſcentem nomine Pyrrhum pontifex in his ærumnis propẽſiſsimè legerat in ſenatum, ad iter ſeſe extendit, ſubterque Cæſianum uicum & Baccaniam ſyluam, Capranicę paulùm moratus, ad Orbitum oppidum naturali circumambientis uallis ſaxea orbita permunitum contendit: admirante moram, & ſemidecepto Alarcone, qui, ut põtificem ad quotidiana ſacra è cubiculo prodeuntem ſalutaret, in multam diem expectarat, non ſemel increpita apud cubicularios ſurgendi tarditate, quum pontifex, uel obdormiſcens excitandus ad iter uideretur, quòd ægrè, uti longum & lutulentum, his brumalibus præſertim diebus obeundum foret. Cærerùm nihil ſe commouere milites, quanquam nonnulli de animo fideque pontificis malè ſuſpicarentur, qui ex repentino diſceſſu, quoſdam duces, militumq; primores, ipſum honoris cauſa comitari paratos, antecaptis intempeſtæ noctis tenebris, parũ pudenter eluſiſſet. At Florentini, ubi certius didicere Clementem cuſtodia emiſſum, Orbiti tutiſsimo Tuſciæ oppido conſtitiſſe, atque eum frequenti hominum concurſu, qui undique gratulatum coibãt, itemque multis principum & ciuitatum legationibus coli, rediuiuaq; authoritate, quotidie ſupplicibus libellis ſubſcribendo, ſenatum habendo, & ſacerdotia conferendo, integri & probè coaleſcentis pontificatus munia obire, metu atque inuidia creſcentibus, in omnes partes legatos mittere, & certa armorũ præſidia nouæ libertati tuendæ parare cœperunt. Sedebat tum ad clauum reipublicę idem Nicolaus Caponius, quem pulſis Mediceis Franciſco Norio ſuffectum docuimus. Is uti erat multarum rerum experiens, optimusq; ciuis, & patrię libertatis amantiſsimus, in unum pro ſalute publica conſiliũ incumbebat, ut proceres ciuitatis ex uetere ſtudio Mediceæ familiæ addictos complecteretur, à popularium iniurijs defenderet, in partemque reipublicæ cõmunicatis honoribus ſuſciperet. Sic enim inueteratæ factionis obliuiſci poſſe iudicabat, atq; honeſtiſsimo & tutiſsimo conſenſu cęteris ciuibus coniungi, ut iuſtum & bene ſanum noui ſtatus robur, in affecta & ægrè coaleſcente republica pararetur: quo parto, nihil intus ex omnium ordinũ concordia, uel foris hoſtile eſſet metuendum. Eo ſiquidem tempore inualeſcebat antiqua factio mediocrium atq; infimorum ciuium, nata ad conturbandam reipublicæ tranquillitatem. Hæc nanq; turba tam ſuperbè quàm temerè, uti ſuperioribus ſeculis, recentibusque Soderini temporibus conſueuerãt, nullum bonum ciuem eſſe putabat, niſi qui Mediceum nomen maximè & acerbiſsimè odiſſet, quòd à Mediceis diu ſe in adminiſtranda republica prætermiſſos atq; neglectos meminiſſent, ac ſimul honores omnes ciuitatis, unis optimatibus & nobilitati, iniqua ratione tributos quererẽtur. Ab hoc improbo minorum ciuium ordine, quaſſata primò eſt noua libertas, quam fata pepererant: & demum uniuerſę ciuitatis miſerè diſsidentis, opes attritæ cõuulſæq; ſunt. His popularibus importunisq; ciuibus ſigniferũ ſeſe præbuerat Balthaſar Carduccius, uetuſta potius quàm nobili ortus familia, qui Patauij ius ciuile profitendo claruerat, odiumq; ſibi pontificis acre parauerat, quum tanquam exul deplorando ſtatum ſeruientis patrię, Patauij & Venetijs, Mediceos appellans tyrannos, eorum famam contumelioſe lacerare cõſueuiſſet. Is fortunarum egẽs, & parum Florentiæ cognitus, inani immodicoq; iudicio ad ſummum uexilliferatus honorẽ, unde clareſcere & ditari poſſet, inſolenter aſpirabat: uixque liuido animo ferebat magiſtratum ex publico decreto in tres annos Caponio deſignatum, quà in ſede honoris æquo diutius regnare Caponium, nonnullos etiam patritios ægris animis pati intelligebat. Erant hi Thomas Soderinus, quem fraterni uexilliferatus memoria grata popularibus mirificè cõmẽdabat, & Alfonſus Strozza, ex uetere perpetuaq; ſimultate, pertinaci ſtudio, Mediceo nomini ſemper aduerſus. Propterea Balthaſari Carduccio ex turbidi atque pręcipitis ingenij uecordia res nouas molienti, atque item concitanti iuuentutem, aſtutè adulabant. Itaq; Carduccius intẽperanter & criminoſe Clementis dignitatẽ, & totius optimatiũ ordinis decus ꝓſcindebat, ſecus ac cuperet ipſe Caponius, qui eũ ordinẽ, ſtabiliendæ libertatis cauſa, nequaq̃ contumelijs exagitandum, ſed aſciſcendum ultro in curiam, & ſyncera ciuilique honorum communicatione complectendum arbitrabatur, ut obliterari ſenſim poſſet ueterum beneficiorum memoria, quæ adhuc apud non ingratos ciuium animos uigeret. Erat ſiquidem amenti propè ingenio truculentus, proptereaque ei obuenerat moribus eius aptum Scimitarræ cognomentũ, quæ uox incurui atq; terribilis barbarici gladij genus ſignificat, unde turbida atq; inſolens iuuentus in foro ſpaciantis latera ſtipare conſueſſet, ut eo authore, cõceſsionem geſtandorum armorum, & cuſtodiẽdæ curiæ munus, uti euenit, impetraret. Poſtulante nanq; & acerrimè contendente Carduccio, id impetratum eſt: quanquam decuriones nihil neceſſe eſſe reſpon-

derent,ut armati curiam custodirent,quando nulla A uis, uel intus uel foris à quoquam extimescenda uideretur. Ea uerò efflagitantium iuuenum procacitas fuit,ut uel nolēs Caponius decreto assentiri cogeretur, eoq; properantius, quòd seditiosos quosdam absque periculo dignitatis, oratione coherceri posse desperaret. Per hunc modū impetratis armis, iuuentus per se audax & effrenis, ab ea licentia æquo feruidior atque insolentior aduersus optimates effecta est. In uestibulo nanq;, ipsoque atrio curiæ, prætoriæ cohortis more stationem delecti conuiratiq́ue iuuenes habere cœperunt, tanta animorum ferocia, ut obsidere decuriones potius, & magistratuū dicta factaque malignè obseruare, quàm curiæ limen tueri censerentur. Suspectus enim qui busdam popularibus Caponius euaserat, quòd stu diosius quàm oporteret, propinquos ueteresq; amicos Mediceæ familiæ complecteretur, quos ipsi maximè odissent, scilicet ut Caponio authore, non popularis quidem status, uti omnes expeterēt, in ciuitate, sed optimatium aristocratia conderetur. Proinde quidam è plebeio ordine antea insolenter Caponio dixerat, tam improbè quàm falsè, quum Medicei pellerentur: Tu inquit Caponi tabernæ uinariæ frondis signum, non prioris dolij uinum mutare contendis, quod nunquam à te fieri patiemur. quasi diceret, sublatis Mediceis ipsum quidem tyrannidis nomen tolli, sed ueteres eius ministros & fautores, nimio Caponij & optimatium studio conseruari, qui demum multorum instar tyrannorum, uti antea consuessent, populo superbè atque auarè dominarentur. Sed uir ciuili prudentia insignis, modò publicæ saluti prospiceret, hosce aduersos de se rumores facilè contemnebat, dabatq́; assiduè operam, ut pontifex atque propinqui eius, nullis uerborum contumelijs afficerentur, & quibusdam tenuibus officijs, quæ libertati cœptæ nihil officerent, B pontificis iracundia molliretur. Dixerat enim sæpè Clemens, quum tanto obrutus infortunio, & diuturna fereq́ue lethali correptus febre decumberet, se totas perpessæ calamitatis, & torquentis morbi pœnas, tot peccaris suis ac erroribus debitas, etiam si Deus sibi miseræ uitæ finem adduceret, equo animo laturum: neq; aliud ab ingratis ciuibus Florentinis postulaturum, quàm ut in propinquos ueteresq́ue amicos familiæ Mediceæ grassari desineret, hisq; aditus ciuili æquitate ad honores pręberetur, redderentq́; item sibi Catharinam neptem, quam ad Vestales uirgines depositissent: paternarum quoque possessionum fructibus potiri liceret, quando torius patrimonij uectigal ciuilis oneris ærario publico esset soluturus. Quantum uerò ad pōtificiam maiestatem pertineret, hoc obnixè petebat, nullas nisi ex pontificia authoritate sacerdotijs decumas imponerēt. Hæc erant suprema languentis, nec adhuc planè restituti pōtificis decreta, quibus per mercatores idoneosq́ue homines Florentiæ significatis, Caponius indulgēdum existimabat: utpote qui prudentissimi uiri uim, & iam tum reuiuiscēte eius dignitate, minimè exagitandam, sed spacio & leui obtemperantia, his præsertim in rebus, quæ publico uoto nihil officerent, leniendam censeret, hac in re certissimus uates futurus: quandoquidem sæpè, & etiam ante magistratum prædicaret, libertatem apud proteruos citò perituram, nisi respublica moderatis consilijs regeretur: quoniam his omnibus imperiti rerum pleriq; ciues, aut importunis distenti odijs arrogantius quàm deceret, tumultuosè miscerentur. Nec in hoc salubris sententiæ instituto, Caponius inuidiam facilè sustinebat, quum iuuenes, qui ceptis armis insolescebant, à Scimitarra malo publico concitati, eum nonnunquam Venetum ducem, solis optimatiū utentem suffragijs, ad conflandam inuidiam periocum appellarent, & ciues, qui parum populares uideri possent, toruis atque minacibus oculis intuerentur, usque adeò arrogan ter, ut Iacobus Alamannus præcipitis audacię iuuenis, in Leonardum Ginorium honestū ciuem, quòd modestiam in iuuētute requirere uideretur, in ipso curiæ limine ferrum distringeret, quo in leco, lege lata, nefas esset arma aduersus quenquam nudare, aut tumultuari. Id factum, quum summi magistratus maiestatem læsisse censeretur, nec ille amens, curiæ area excedere uellet, captus in superiore curiæ tabulato, capitali supplicio affectus est. Ab hac festi nata Alamāni damnatione, quum caput eius è summa curiæ corona populo decisum ostenderetur, audacia non mediocriter apud iuuentutem refrixit, & Carduccij uis temerè exardens grauiter imminuta est. Paucis enim antè diebus, ita excreuerat, cūm huius concionantis, tum furentium iuuenum licentia, ut globo facto ascenderent ad summum magistratum, & uexillum depoſcerent. Ea uerò expostulatio superba atque intempestiua patribus uisa est. Quum uerò aliquandiu diuersis sententijs esset decertatum, hunc ea contentio habuit exitum, ut decuriones quod negare ex tuto non poterant, moderata atque seuera conditione concederent, lata scilicet salutari lege, qua cautum est, ut id datum uexillum intra curiam ad columnam porticus defixum sisteretur, capitaleq; esset his qui iniussu summi magistratus reuelliſſent, & extra curiæ limen extulissent. Eo temperamento Caponius insolentem turbam opportunè pacasse, & publicę saluti cauisse uisus est. Armata siquidem iuuentus, quæ suopte conſilio effreniq́ue libidine furere grassariq́ue cœperat, nisi seueris edictis ac imperijs contineri non posse censebatur. Nam paulò antea iuuenum globus tumultuose in templum Deiparæ Virginis Nunciatæ irrumpens, ut studiū suū erga libertatē, & ingens in Mediceos odiū ostēderet, statuas Leonis & Clemē/ tis lanceis trāsfodiendo deiecerāt ac deformarāt. Quas inanes iniurias stultæ animorum truculentię indices, Caponius grauiter fuerat detestatus. Eodē quoque uesano impetu concitata iuuentus, è scutis Mediceæ familiæ puniceas pilas passim deleuerat, usque adeò prouecta licentia, ut Laurentianum ingressa templum, è sepulchro magni Cosmi, titulū, quo pater patriæ decreto publico fuerat appellatus, scalpellis abraderet. In id quoque consilium nō multo pòst callidis seniorum & optimatium artibus, frenandæ iuuentuti remedium, periculosum certè, sed euentu ciuitati salutare, repertum est: scilicet ut in uniuersum ciuitati capiēdorum armorum iura traderentur, & descriptis à militari ætate ad quinquagesimum annum cunctis ciuibus, cohortes sub uexillis instituerentur, quæ diuisæ per quatuor tribus, collegiorum signiferis præsto essent. Erant hi signiferi numero sexdecim, quum urbs diuisa in quatuor regiones, quæ singulæ quaternos haberent signiferos, peculiaribus uexillorum insignibus eleganti diuersarum imaginum uarietate figuratis, distingueretur. Per hunc modum Caponius communicatione armorum, quæ non obscurè feruidæ uiolentæque iuuentutis animos compesceret, populares que modestiæ ciuilis admoneret, ciuitatem in officio continebat. Pari quoque prudentia turbulentos ciues legationis nomine abegauit: Carduccium scilicet in Galliam, nihil unquam pro sano cogitantem: & Galeottum Iunium apud Alfonsum Atestinum, qui & ipse iurisconsultus indomitæ feritatis & pertinaciæ ciuis inter populares habebatur. Eadem quoque de causa Franciscus Portinarius, elegantibus literis instructus, & Bartholomæus Gualterottus, quanquam ingenij inefficacis iureconsultus, quòd æquo acrius factioni popularium fauerent, hic Venetias, ille in Britanniam missi sunt. Cæterùm ordinatim

dinatim centuriatæ cohortes maximè lætum urbi spectaculum præbuerunt, quum inter duo augustiora urbis templa, erectis altaribus traduceren tur, iurarentque singuli se patrię libertatem, contēpto omni periculo defensuros, neque his usuros armis, nisi aduersus hostem reipublicę seruiturem afferentem. Hoc sacramento usqueadeò deuotis animis circiter quatuor milia hominū consociata sunt, ut fideli concordia, diligentiq́; armorum exercitatione coalescentes, magno usui patriæ fuerint, magnoque terrori nō hostibus modò, qui obsessuri erant urbem, forent: sed externo ascititioque militū præsidio, quod mercede ad tutelam urbis conduxissent, ne militari licentia compositæ & tranquillę urbis disciplina turbaretur, quum armati uindices præstò essent, qui paulo insolentioris facti cōtumeliam ulcisci possent. Inter eas quoq; Lotrechij moras, Veneti intēriore cura melioreq; spe copias undique cōducebant, quòd post elapsum carcere pontificem, Cæsarianos cadaueroſa in urbe, & magis ac magis pestilenti, multis utique absumptis, multisq; profundo luxu diffluentibus, facilè superari posse crederent: & quas in Apulia, & Salentinis urbes antea possedissent, debellatis Cæsarianis, ex fœdere se recepturos arbitrarētur. Florentini quoq; eandem quā cum Gallis & Venetis, ante cladem Vrbis (uti memoratum est) societatem inierant, secuti ante omnia Herculem Alfonsi Ferrariensis principis filiū, copijs suis cum summo imperij stipendijque honore præfecerant. Is tum nuptias cum Renata Ludouici regis filia Ferrariæ celebrarat: ex qua affinitate & ipse Alfonsus pater, commutato studio, in eundē belli consilium ueniebat. Videbatur autem id fœdus tot principum arma consociantium, nō æquissimo tantū, sed longè etiam honestissimo iure percussum, quòd salute libertatemq́; Pontificis ab initio respexisse censeretur: uerùm hos omnes Cæsarianorum arrogantia uehementer angebat & inflāmabat, quum se dira uastatione & crudelibus flammis, nobilissimas Italiæ urbes deleturos minarentur. Erat enim edita in uulgus fama, eos conuersis signis, post absumptam & dirutam urbem, pari truculentia ad euertendam Florentiam ascensuros, facilè inuitante opulentissimæ urbis præda: incitantibus maximè eos duobus è consilio Neapolitano senatoribus, Ludouico Montalto Siculo, & Antonio Venafrano, quibus sacri imperij decus maximè erat odiosum, scilicet ut effrenem militum sociorū colluuiem, longè à Neapolitanis mœnibus auerterent. Quibus adductos rumoribus Florentinos, de renouando arq; arctius confirmando fœdere, consilia maturasse constat. Ingentibus tamen sententijs de eo fœdere ineundo Florentiæ certatum est, quū ciuitas in diuersa studia, promptis maximeq; facundis ad differendum ciuiū ingenijs scinderetur. Mouebant ciuitatem, ut Gallorum potius quàm Cæsaris fortunam sequeretur, amplissimæ Francisci regis opes, gratuis & excellens Veneti senatus authoritas, mirumq́; locupletissimi Britanniæ regis studium, & Lotrechij præsentis res secundæ. Nam & tum Genua peropportunè eiectis Adurnijs, qui Cęsari fauebant, in partes traducta fuerat: Antonijque Leuæ pertenues in sustinendo bello uires, & auxiliorum spes infirmæ uiderentur. Quæ res Florentinorum animos per se in Gallicum nomen procliues, ita impellebant, ut magna pars populi priuatis addicta lucris, quę satis opima ex negociatione Lugdunensis mercaturæ prouenirent, Gallici fœderis decreto paratis suffragijs assentiretur. In tabulis autem differtè perscriptum est, ut descensuro ad liberandam urbem Romam, inuadendamq́; Neapolim, Lotrechio Hetruscæ iuuenturis legionem adiunge rent: ex aduerso ipse Lotrechius, regis uiribus & copijs, Florentinę ciuitatis libertatem conseruandam ab omni iniuria, defendendamque susciperet. Atque ita à Gallo rege missus est Florētiam Claudius Velleius legatus, & à Venetis Antonius Surianus, qui fœderatæ ciuitatis consilijs adessent. Non probarant id fœdus Caponius ipse dictator, & optimatium atque prudentium penè totus ordo: utpote qui ei parti, cui Pontifex adhæsisset, omnino adhærendum censerent, & cum Pontifice honesta conditione, quæ incolumem liberæ ciuitatis statum conseruaret, paciſci oportere dissererent. Prouidebant enim usu rerum periti, Clementem indomito spiritu ad pristinum patriæ dominatum aspirantem, facilè obliuiſci posse recentis acceptæ cladis, tanquam non suæ, sed publicæ omnium calamitatis: & Cæsari renouata amicitia rursus coniungi, ut illatam à ciuibus peculiarem contumeliam uindicaret, ipsiusque Cæsaris felicibus armis in patriam reduceretur. Cuius rei uerissimus uates Caponius extitit, quum multorum imperitorum numerata suffragia, aduersus paucos rectissimè sentientes, uti plerunque fit, maximè ualuissent. His rebus cognitis, Clemens seipso amarior factus, grauiter angebatur: quanquam ad eum Vicontius Turenius à Francisco rege missus, ea quę iam transacta essent, eleuare mollireque & subtilius interpretari contenderet: sic tamen lenire offensum non poterat, quin ille noui consilij curam coquere putaretur: suspenso nanque animo ex rerum successu, in complexum Cæsaris se dare, fortunamq́; eius sequi statuebat. At Lotrechius tota ferè hyeme Bononiæ absumpta, communicatis cum Veneto Florentinoque senatu consilijs, & cōstitutis itineribus per Æmyliam atque Flaminiam, in Picenum duxit. Iam enim quas expectabat, copiæ Heluetiorum & Germanorum, atque item Vasconum, alæque postremæ equitum aduenerant, & Pisanus cum Veneto exercitu antecedens, conducto Valerio Vrsino, ad Truentum amnem properabat. Valerius clade Romana elapsus, Firmum peruenerat, ubi præpotētes habebat propinquos Brancadoræ factionis, cum Guerreria familia de principatu contendentes, cuius princeps erat Federicus Cæsarianæ factionis. Is Firmanorum castella inuadebat, nec Cariato antisti Pontificis nomine Piceni præfecto parebat. Quibus de causis Cariatus Valerium sibi adiungit, & per eum, qui alam ueteranorum equitum conflauerat, Guerrerium interficit. Valerius quoque quosdā Cæsarianos in Camertium iugis adortus, Orpheo Ausidio duce cæso, profligarat, opulentaque exuerat præda. Nam Sarra Columna ab urbe Camerinum profectus, Varaniæ familiæ regulos, uetere atque legitimo dominatu depulerat: direpta urbe, & Catharina Ciboa, quæ Ioannis Mariæ uxor fuerat, omnibus ornamentis perfidiosè spoliata, & ad Ridulphum Varanium spurium, cui ipse sororem denupsisset, dominatum ciuitatis detulerat. Ex ea Ausidiana præda, Valerius, coëmptis undique equis insignem alam auctam uiris fortibus exornarat: qua fretus cohortante Pisano ad Aternum amnem contendit, nulloque negocio, citeriore nauigio atque ulteriore turre potitus, tumultuarium pontem effecit. Hoc nuncio Pisanus uehementer exhilaratus est, utpote qui neque amnis ripam defensoribus uacuam, neque profluentem submersi olim magni Sfortiæ miserabili interitu nobilitatum, facilè transiri posse existimarat. Itaque promotis copijs, Valerius eadem celeritatis felicitate, Sulmonenses, & Præcutini, Pelignique nominis gentes, in potestatem sine uulnere redegit: quòd Cæsariani duces, eius regionis oppida, nullo militari præsidio muniuissent, rati Lotrechium non illac facturum iter, sed per Flaminiam ad urbem Romam rectà perrecturum. Non uidetur hoc loco prætermittendum, quid Ve-

netis cohortibus,præeunte eorum equitatu, à Sulmone iter habentibus acciderit. Hunc locum incolæ Peligni,quinque milium planum appellant. Nam abditi introrsus specus,conceptū naturali terræ habitu spiritū,ex illis inflectentium inter se mōtium anfractibus uiolenter expuant, certo semper exitio deprehensorum,nisi intentō cursu celerrimè faucibus elabantur. Periere in eo turbine trecēti ferè pedites,repertiq; sunt rigentibus membris enecti,dormientibus planè similes, quum repentinæ procellæ tempestas decessisset. Cognito Valerij Pisaniq; progressu,qui Aterni amnis transitu potiti essent,pontemq; in eo nullo prohibente constructissent,Lotrechius,qui adhuc erat circa Firmum,incertus, an transuersis itineribus in Campaniam signa uerteret,celeritatem sibi adhibuit,& Venetas consecutus copias,tormentis Aternum amnem antè parato ponte transuectis,in Apuliam penetrauit. Petrus quoq; Pisaurius apud Lotrechium legatus, & Camillus Vrsinus cum reliqua parte exercitus Veneti sese Pisano & Gallis coniunxerunt. Constabāt Venetæ copiæ mille fermè leuis armaturæ equitibus,in queis erant Epirotici & Græci generis pileati peltatiq; circiter quingenti, Andrea Cibranio duce. Reliqui Italico more galeati, thoracatiq; erant, inter quos armis splendidior, & Thracibus equis ualidior,Valerij ala censebatur. His adiunctæ erant aliquot cataphractorum turmæ,ipsaque præsertim Alfonsi Ferrariensis principis ala,Francisco Cantelmo nobili duce ad Lotrechium iure fœderis missa. Peditatus autem constabat Germanicis cohortib⁹ octo,mercede conductis,quibus præerat Petrus Auogarius nobilis Brixianus. Reliquæ cohortes erāt ex delectu Italico,apud quas Gabriel Ripa ueteranus summam obtinebat authoritatem. Eodē quoque tempore Gallicis sese castris adiunxit Petrus Nauarrus,qui commeatibus cauens,& locorum no B titia adductus,cum Vasconibus suis & Cantabris, per Sabinorum & Aquilanorum fines Fucinumq; lacum,Capistrano oppido ex itinere expugnato, iter confecerat,Luceriamq; peruenerat. Atq; ita Lotrechius,positis ad sanctū Seuerum castris, nusquā conspecto hoste,copias recensuit, quæ & specie,& numero,roboreq; firmissimarum gentium,triginta ferè milium numerum implebant. Valdemontius Lothoringiæ reguli frater, qui superioribus annis ea spe Neapolim penetrarat,& Salernum manu ceperat,ut regno quod antiquitus Andegauensiū regum fuisset (horum enim ipse legitimæ stirpis erat hæres) adiudicante Clemente potiretur, legiones duas Germanorum ductabat. Præerat Heluetiæ legioni Tendanus Comes, Bastardi Sabaudij filius, quibus addebantur subsidiariæ sclopetariorū Italicæ cohortes. Equitatus autem Gallicus peramplus erat & illustris,cui Gherlindanus Britannus ab Hērico rege missus peculiarem alam adiunxerat. Hac procedentis Lotrechij fama permoti Aurantius & Vastius,operam dabant,ut Germanos & Hispanos hærentes prædæ reliquijs,& de cōstituenda in Vrbe colonia cogitantes educerent. exuisse enim usq; adeò ueterem ferociam,turpiq; ocio emarcuisse uidebantur,ut nisi ægrè multaq; comminatione seueri imperij,signa sequi uelle crederentur. Sed illatus ab infenso ualidoq; hoste metus,& salutis & decoris cura, uel segnes animos ad iter erexit. Atq; ita, uacua relicta urbe,Latina uia profecti,ex itinere Vastius Vallemontonium Latij oppidum,quòd Baptista è Comitum familia nobilis adolescens, neq; portas aperiret,neq; commeatum præberet,tormentis expugnauit: cruenta irruptione direpto oppido, quòd in ingressu nonnulli uiri fortes, & in his Beltrandus Rubsius, nobilis Parmensis, & Gallindus Hispanus cohortis præfectus, Vastioque familiaris, cecidissent. Exinde per Hernica oppida in Campaniam iere,ad lęuamque deflectentes,per Sidicinos, Externinos atque Alifanos fines,& per Serram demum, quam uocant Capreolam, ex qua facilis est ab Apennino in Apuliam descensus, Troiam peruenere. Hęc urbs ex ueterum Harporum ruinis, cuius agri pars nomen adhuc retinet, ædificata dicitur, magnamque habet celebritatem,quòd edito in colle posita, subiectæ Apuliæ campos Garganumque montem,& Hadriatici maris litora prospectet. Lotrechius ubi hostes ad Troiam cōstitisse didicit, Luceriam ad Nauarrum est profectus: sequentique nocte Valerium,quòd firmis & expeditis turmis uteretur,& ipse alacri ingenio nauandæ operæ esset auidus,Troiana uia exploratum misit, ut aliquo excepto,de hostium consilijs numeroque, ac eorum sede & castrorum ordine,certius cognosceret. Inter Luceriam & Troiam, medio fermè itinere, flumen exiguum,uerùm cauis admodum ripis decurrit, in queis pari explorandi studio, Vastius Hispanorum ualidam manum condiderat. Inalbescente itaque cœlo,Valerius ad amnem perueniens, quum paucos equites ab amne in ulteriorem ripam euadere iussisset,hostes in insidijs occultatos deprehendit. Illico quid repererit (quòd ita facere iussus erat) Lotrechium docet,petitque ut sibi liceat transire amnem,& cum hoste manum conserere. Id seuerè negat imperator,sed mox alacrium iuuenum globus è Gallicis alis Valerium subsecutus, conspecto hoste,quin pertransiret, uel obtestante obsistenteque Valerio,retineri non potuit. Accensum est leue primò prelium,sed sensim acrius & ardentius: quoniā multo frequentiores quàm putassent, Hispani pedites & equites ex depressis locis prodibant. Pugna autem eò deducta est,ut Galli, quanquam summa alacritate depugnarent, in magnum discrimen perducti uiderentur: quorum permotus periculo Valerius,uel contra Lotrechij imperium,opem ferendam statuit,ne in primo cōgressu ad omen uniuersi belli aliquod detrimentum uel dedecus acciperetur: quando ea Gallorum manus ex equitibus primæ nobilitatis constaret,cui se ducem præbuerat Griffeius,cùm regis gratia,tum suo bellico trigore præstans iuuenis. Nec mora, suo procursu Valerius, iam planè circumuentos & perturbatos Gallos confirmauit,opportuneque summotis hostibus citra amnem reduxit. Nam aliæ atque alię hostium turmæ & peditum cohortes,eo consilio ex accliuibus locis se demittebant,ut aucto numero renouatoque impetu,pulsos in amnem, præruptumq; cauæ ripæ alueum præcipites darent. Succensuit Valerio Lotrechius, quòd suo iniussu amnem transisset,quasi eum puniturus,nisi Griffeius cum suis defensus & proculdubio seruatus, resque peropportunè & fortiter gesta,seueri alioqui ducis iracundiā mitigassent. Postero die Lotrechius motis castris, ad hostes rectà contendit,in subiectisq; Troiæ campis,equestri prælio summa utrinque alacritate certatum est, nullis quidem interpositis sclopetarijs, ita ut leui cum periculo, quantum quisque eques lancea gladioque ualeret, ex cristis ac insignibus nosceretur. Captus est in eo congressu Martius Columna, impiger adolescens, quem Pompeius Cardinalis patruus, paulo pòst pecunia redemit. Cæsariani duces accliuibus in locis castrametati, distinctis atque ordinatis copijs sub Troia constiterant, posteroque die Lotrechius sese in conspectum dedit, ita aciem flectens, & copias ostentans, ut multo tubarum clangore hostes è propinquo ad committendum prælium prouocaret, & proiectis in gyrum curulibus tormentis, in aduersos ea disploderet. Sed pilæ in erectos per accliuia hostes minimum inferebant detrimentum, quòd terreno statim haustæ, uix uno aut altero interfecto, nec subsilirent, nec confertis aciebus inciderent, sic,

sic,ut uni tantum signifero Christophoro Ario cum uexillo dextra manus falconis ictu abriperetur. Apta uideri poterat occasio conserendæ pugnæ quibusdam audacibus,quòd insolentissimi hostis conspectum,tamdiu minimè ferendum putarent,eundemq; ducem atq; eosdem hostes sæpius uictos, acri concursu propelli & profligari posse arbitrarentur. Sed Vastius & Dorbinus,Aurantij feruidos impetus moderari soliti, Gallos mora & cunctatione eludendos, refrigerataq; demum earum gentium, quę impetu ualerent, dimicandi cupiditate, sine uulnere,uti sępe aliàs,debellandos differebant: ob idq; præsertim,quòd tum omni tormentorū copia careret apparatu,& cataphractorum alas,Garzia Manrico, & Ludonio ducibus,Neapoli profectas, atq; itē quorundam procerum Neapolitanorū auxilia,ipsumq; præsertim cum suis cohortibus Fabritiū Maramaldum expectarent: ne priusquam bene exploratā uictoria,non de regno modò Neapolitano,sed de Mediolanensi quoq; imperio unius prælij alea dimicaret. Id uerò unum eos ad confligendum hortari poterat,quòd nondū Horatius Baleonus cum Hetrusca legione Lotrechij castris applicuisset: propereaq;, si pugnam differrent, hostem non nouis, sed exercitatissimis sclopetariorum cohortibus firmiorem se postea inuenturos intelligerent. Constabat enim ea Baleoni legio magna ex parte ueteranis,quum sub Ioanne Medice ad summam bellicæ uirtutis opinionē peruenissent. Verùm ut postea ab ipso Vastio Dorbinoq; audiui, Hispani & Germani nequaquam pristinam eo die animorum alacritatē ostenderunt,quum multorum mensium desidia & luxu captæ Vrbis eneruati, onustique præda omni decori & laudi,quæ periculo parari possent, uitam anteferre,& partis diuitijs atq; ocio frui uelle uiderentur. Per hunc modum Lotrechius frustra prouocato lacessitoq; hoste,ea copiarum & pugnæ ostentatione lætus, quòd hostes aliàs pugnacissimi oblato prælio defuissent,copias suas reduxit in castra,& septē ferè sequentibus diebus, quid consilij agitaret hostis,expectauit: quū ppetuò in eadē planicie,inter duo castra quotidiana exercitatione, minutis & diuersis equestrib. prælijs certaretur, decoro potius quàm cruento spectaculo, quum ingens utrinq; equitum multitudo,nihil intermixtis sclopetarijs,raro lethali uulnere dimicaret. Cecidit tamen è Cæsarianis Teias Aghillarius,leuis armaturę equitum prefectus,quum aurato insignis sagulo in aciē prodijsset, & hostes eum ab illo splendido ornatu Aurantium esse existimantes,certatim adorirētur. Hic est ille Teias immanis sæuitiæ Hispanus, qui capto in Vrbe Laurentio Granio Signino episcopo,Romana florenti eloquentia,quum ille egēs pecuniæ,& direpta domo, redemptionis precium ægrè expediret, sacratum caput insolenti uulnere propè discidit. Interceptus quoque est Ferdinandi Gonzagæ ala equitum Campegius signifer cum uexillo, quum frumentatoribus præsidio missus, in Gallos equites incidisset. Tum uerò Cæsariani cognito Baleoni aduentu, qui nō procul inde aberat, mouenda castra statuunt,& rectà Neapolim multis de causis contendendum censent; utibi certiore spe commeatus,& maioribus præsidijs bellum gerere tur. Sergianū uerò Caracciolum cum sua cataphractorum ala,duabusq; Hispanorum & quatuor Italorum cohortibus, Melphim ipsius Sergiani ditionis urbem,ut præsidio sit, dimittunt, multisq; relictis ignibus, crassiore matutina aura tecti, deceptis Gallis,& præmissis impedimentis, peditatuq; omni, nouissimū agmen ualidi equitatus præsidio firmant,& per Creppacorij iuga, quæ sunt arctæ fauces, è Samnio in Campaniam descendunt, serò persequentibus Gallis, qui in ea exortæ nebulæ caligine, de discessu hostium nihil pro certo explorare potuerant. Nec multo pòst Horatio Baleono obuiam missis equitibus, eius legione ab apparatu speciēq; militum cumulatè laudatam, cum mutua gratulatione in castra receperunt. Tum uerò apud Lotrechium in consilio disputatū est, an hostē prælio decertare non ausum, & ex ignobili discessu in nō dubiam cōuersum fugam, uti credebant, persequi prestaret: an expediendis commeatibus, nihil in tergo, nisi pacatum omniq; metu uacuū relinquere. Guidoni Rangono, qui multi usus dux habebat, ipsiq; item Valdemontio, & præfectis alarum ferè singulis, uniq; præsertim Valerio Vrsino magnoperè placebat instare abeuntium tergis, & proculdubio à clandestino turpiq; receptu perterritos, & dissūctis agminibus diuersa itinera capientes, toto equitatu consectari: fore enim, ut insigne detrimentū nouissimis inferretur. Si uerò hostium equitatus ora conuerteret, ut postremi agminis terga tueretur, eum per sclopetarios, Hetruscæ præsertim legionis, qui essent summæ pernicitatis atq; peritiæ, facilè sustineri atq; propelli, & si fugam intenderent, exui impedimentis: quo euentu nihil ipsis Romana prædæ onustis grauius, nostro uerò militi lætius, & ad opinionem speratæ uictoriæ confirmandam atq; attollendā, utilius & speciosius accidere posset. His Nauarrus (si uniuersi belli exitus spectetur) fatali sibi & Lotrechio, cæterisq; ducibus & copijs maximè funesto consilio contradixit: ueterem secutus belli rationem, ne si feruidis animis abeūtibus hostibus incumberent, ea omnis, qua tum potirentur, adipiscendi commeatus facultas amitteretur. Neq; enim sperare debere, ut uicos & oppida cōmeatibus plena, per quæ antecedens & prædabundus hostis transiret, diffugientibus metu incolis reperirēt. Relinqui siquidem in tergo Melphim opulētam urbē, militari præsidio, & peculiaribus Sergiani reguli uirib, confirmatā, unde frequentibus eorū eruptionibus impediri atq; intercludi subuectiones frumentarias posse, nemo belli regionisq; peritus non dubitaret. Itaq; sibi Melphim omnino aggrediendam expugnandamq; uideri, & circūiecta oppida in potestatē redigi debere, ut nihil hostile retrò metuāt, & deficientium ab hoste eius tractus populorum fama aucti, ex tuto Neapolim usq; penetrent. Hæc apud Lotrechium sententia uicit, quum nec fugientes & perturbatos propè Cæsarianos fortuna desereret. Nec mora, Nauarrus cū iusto tormentorū apparatu Melphim cōtendit, eisq; prolatis magnū in muro hiatū fecit: sed nequaq; usqueadeò latū, ut nō plus q̄ bini aut terni milites irrūpere posse apparet. Subiere tamē temerè atq; audacius q̄ expediret Hetrusca uexilla, quæ quū per ardua enitterentur, & difficiliorē opinione aditum reperirent, multis interfectis & uulneratis, retrouersa sunt egregiè propugnante Sergiano. Cæterùm Vascones & Cantabri Hetruscis successere, magnaq; ui ad deiecti muri aditū dimicatum est, maiore oppugnantium cæde atq; periculo: quoniam Nauarrus, ut cōglobatis cohortibus latiorē ingressum pararet, tormenta in eam partē continēter ita adigi iubebat, ut multi qui primi ascenderant, tergis pilas excipient, & miserabilis sociorum strages ederetur. Sed his incōmodis atq; uulneribus accensi pariter Vascones & Hetrusci, ui facta in urbem perruperunt: neq; quisquā ferè ex Hispanis & Italis, qui erant in præsidio, irati uictoris sæuitiē effugit: manauitq; ea cædes ad oppidanos, tanta rabie, ut infantibus & fœminis ægrè parcerēt, & uictores inter se de captiuis & præda rixantes, cateruatim manus conferrent, quæ res cęsorum stragē accumulauit: nam à Nauarro circiter quingenti omnis generis milites desiderati sunt, ex oppidanis autē & præsidiarijs cohortibus & turmis, supra tria hominum milia cecidisse referuntur. Captus est ipse Sergianus Caracciolus, qui constan-

ſtantiſsimè, uti debebat, ſuam urbem defenderat. A Melphi expugnata, Venuſini Gallis deditionem fecerunt: quorum exemplum ſecuta ſunt pleraq; oppida Lucaniæ & Apuliæ, apud quæ non ingratum erat ex ueteribus ſtudijs Gallicum nomen. Atq; eo modo Nauarrus, quũ nulla hoſtium manus occurreret, ad Lotrechium reuerſus eſt. At Cæſariani ex itinere Arriano oppido direpto, quòd Arrianenſes ex uetere factione Gallorum aduentum expectare uiderentur, præter Auellinum & Montefuſculũ lacteis ſigulinis nobile, tripartito agmine quum Aurantius cum Germanis præcederet, Gonzaga cum equitatu latè diffuſo, q, nemo inſtaret hoſtis, ſubſequeretur, & Vaſtius cum Hiſpanis Nolam peteret, paucis diebus uno fermè tempore Neapolim contenderunt. Cæterùm Hiſpani ad Nolam more ſuo ſtipendia flagitantes, uix cõcionantis Vaſtij cohortatione, ad ſeditionem conſternati, in officio continueri potuerunt: increpita ſcilicet malignitate atque ſtultitia eorum, qui præda diuites, inſtante tergis hoſte ſtipendia uel merita, importuniſsimo tempore poſtularent. Ad id impudentiæ facinus milites Dorbini opera incitatos, Salſedus eximiæ uirtutis ueteranus dictitabat, non obſcura dignitatis obtrectatione, quando is ad honorem magiſterij caſtrorum, quo Dorbinus fungebatur, uehementer aſpiraret. Qua de cauſa Dorbinus, ut calumniam dilueret, capitale auſus facinus, ſpectãte Vaſtio, in Salſedum enſem diſtrinxit, eiq; brachium diſcidit. Eius atrocis & inſolentis facti conſpectu acriter permotus Vaſtius, in Dorbinũ irruit, ſua manu Salſedi iniuriam, & percuſſoris temeritatẽ uindicaturus. Quo animaduerſo Dorbinus ex irati ducis oculis uitæ ſuæ periculo, in genua procumbens, gladij cuſpide comprehenſi capulum duci porrigens: Hoc, inquit, in meam necem utere imperator, qui iracundè potius quàm iniquè, nominis tui offenſa maieſtate de B liquerim. Tanta enim erat erga Vaſtium uetus Dorbini reuerẽtia, ut effugere metu mortis diſputaret. Hic demiſsi & ſupplicis, nec mortem deprecãtis habitus, paratam ſemper in Vaſtio generoſi animi clementiam facilè exciuit: eiq; nõ modò pepercit, ſed priſtinum honorem, qui erat ſummus in exercitu, etiam conſeruauit: quòd ſtrenuiſsimi uiri, eo graui bello uirtutem magno ſibi uſui futuram iudicaret. Sed Salſedus nequaquã mortiferi uulneris, ſed implacabilis animi dolore, multos poſt dies Neapoli exceſsit è uita. Quũ Cæſariani duces ad Neapolim cõiunctis copijs perueniſſent, & Vaſtius orantibus Neapolitanis, & ſeſe omnes affatim cõmeatus ſuppeditaturos pollicentibus, caſtra idoneo loco extra urbem ponenda cenſeret, Vgonis Moncatæ, & Alarconis ſententia prælata eſt, qui introducendum in urbem exercitum contendebant: quoniam dilabentibus & in fidem nutantibus quibuſdam Andegauenſis factionis regulis, populum ab inſita leuitate, nouis rebus & regibus ſemper ſtudentem, defectu rum crederent, quum primùm Gallica ſigna conſpiceret. Contineri enim in officio & fide facilè poſſe, præſentibus, & portas & mœnia tuentibus militũ præſidijs: quando paratus eſſet in urbe & in arcis horreis, fruméti & cõmeatus omnis generis copia. Hanc reliqui duces Aurantius & Gonzaga, militibus id expetentibus fauere ſoliti, ſententiã approbarunt, uel grauiter reclamante Vaſtio, qui eo conſilio urbem miſerè & propè hoſtiliter à ſocijs direptam iri, intromiſſo exercitu prædicabat. Sed nihil eius antè prouiſæ calamitatis detrimentũ, externorum ducum animos permouebat: utpote qui neglecto omni ciuium incõmodo, uni tantum defenſioni urbis, publicæq; militum ſaluti proſpicerẽt. Atq; ita fruſtra lugentibus Neapolitanis, per idonea urbis loca exercitus regionatim eſt diſtributus. Nec multo pòſt Lotrechius cum omnibus copijs in conſpectũ ſe dedit, caſtrametatusq; editis in collibus, & perductis perpetuis munitionibus, quæ ad mare uſq; pertingerẽt, præaltis atq; admirandis aggeribus ſe circumlepſit, ipſeq; in Aragonij Montalti uilla prætorium fixit, quæ exeuntibus ab urbe, Campana uia ad dextram relinquitur. Nauarrus autem diuerſis conſtitit in iugis, qui ad læuam ultra diui Martini collem uergunt, & Ianuariæ portæ imminent: & in Ioannis Roſcij uilla munitiſsima caſtra conſtituit, eo conſilio, ut longam obſidionem terra mariq; inſtituerẽt, & uicinas Neapoli urbes, Capuã, Auerſam, Puteolos & Nolam, quas occuparant, prę fidijs obtinerent. Tum uerò Gallorum antecurſores atq; admixtę aliquot ſclopetariorum cohortes, ab æde diui Antonij ad Campanam uſq; portã decurrerunt, in quas Cęſarianorum globus erupit, certatumq; eſt tumultuaria pugna, ſed paucis utrinq; interfectis: quum Galli aucto numero uehementer urgerent, Cæſariani, cadente Verreio, intra portam compulſi ſunt. Exinde cunctis ferè diebus leuia certamina ſerebantur, quum Galli audacter procurrerent, & Cæſariani erumpentes, noui hoſtis ferociã egregiè ſuſtinerent. His minutis prælijs nonnulli utrinq; ceciderunt, quòd intermixti equitibus ſclopetarij rem gererent, & eos diſperſos Hiſpani leuis armaturę equites turmatim aggrederentur. Per hunc præliandi morem, Roſcinius Ciarius nobilis atque fortiſsimus inter Hetruſcos iuuenis, quum ſuos diſpalatos recipere conaretur, ab equitibus eſt interfectus. Interim Neapolitani inexpectata ab Hiſpanis atq; Germanis domeſticarũ rerum detrimenta perpeſsi, & duriora indies expectãtes, ſeſe priuatis obſidionis ærumnis periculoq; publico eripere cœperunt: atq; inde nauigãtes in proximas Capreas, Ænariam, Prochitam, & Surrentini litoris tuta ab hoſte atq; ſalubria loca ſe conferebant. E proceribus quoq; Neapolitanis, plerique dilapſi ſunt, & in his murata fide, multo maxima pars Andegauenſis factionis ad Gallos tranſijt, primusq; omnium Vincentius Carrafa, Montis ſacrę arcis oppidi regulus, Cæſarianis diffidens rebus, ad Lotrechium ſe contulit. Huius uiri iudiciũ, quòd exactę militaris prudẽtiæ haberetur, multi ſunt temerè ſubſecuti, quòd à tanto uiro, conſilium anceps, niſi graui cum ratione ſuſceptum non exiſtimarent. Ex his fuere Caracciolus Murconij comes, Ferdinandus è Pandona familia, Bouiani regulus, Federicus Caietanus, Franciſcus Aquinas, Quadratæ in Apulia regulus, qui demum finito bello aut ſecuri percuſsi, aut bonis multati, pœnas dederũt. Sergianus quoq; Caracciolus qui animo tam forti quàm fideli apud Melphim captus fuerat, quum aliquandiu ſummis precibus ab Aurantio, ut redimeretur, impetrare nequiuiſſet, ab hac contumelia indignabundus Lotrechio liberanti ſeſe addixit: dicto q; ſacramento, à rege alę equitũ præfecturam promeruit, & decora ſacri ordinis nobilium procerum torque donatus eſt. Interea Neapoli, quanquam magna fruméti copia ſuppetereret, conficiendi panis difficultate uſqueadeò laborari cœptum eſt, ut Germani præſertim frumento cacabis excocto ueſcerentur. Nam & frumentariæ molæ, quæ ſunt ad Sebethum fluuiolum, & aliæ, quæ ſunt in Glani amne ad Acerras atq; Sueſſulã, in poteſtate hoſtium erant: cui incommodo ſolerter occurrebatur ab Hiſpanis & Italis, qui paruas è lapide ſuburbano molas manu ductiles confecerant, quibus triticum egregiè, ſed nequaquam affatim molebatur. Nec uini iam tanta ſupererat copia, quæ ſatis eſſet Germanis, aquæ potum, tanquã uiſceribus noxium abominantibus. Eius quidem deſiderio tanquam æquum & debitum poſtulantes, uniuerſas propè urbis cellas cum fremitu ſcrutabantur, ſicut Daualam ipſius Vaſtij domum uiolare non ueriti, aliquot Græci uini dolia, ſubter hortum manu fa-

ctis ſcrobibus recondita ex indicio infidelis fabri A detegerent: factoq; totius exercitus concurſu, perpotando galeis, & aquarijs cupis aſportando ocyſſimè exhaurirent. Interea accitus à Lotrechio è Genua Philippus Auria, Andreæ Aurię Gallicæ claſsis præfecti legatus, cum octo triremibus circa Neapolim uenit, cuius aduẽtu propè omnis aduentitij cõmeatus ſpes hoſtibus intercluſa uidebatur: eoq; arctius, quòd ſupra Liguſticam claſſem, Venetorum quoq; triremes circiter uiginti, ſuperato Meſſanæ freto, ad inuadenda obtinendaq; litora, propediem uenturæ nunciabantur. Qua rerũ fama adducti Cæſariani duces, priuſquam Venetæ triremes Siciliæ fretum tranſirent, cum Philippo confligere ſtatuerunt. Habebant Cæſariani ſex tantum triremes, biremesq; duas, confiſi; uirtuti militum, & quatuor magnarũ nauium ſcaphis, quas ſcloperarijs impleuerant, & reliquis pari ratione minoribus nauigijs, quæ frahatæ uocantur, concurrere roſtris, manusq; conſerere minimè dubitabant. Erat enim cum Vaſtio, qui cum Vgone Moncata prætoriam conſcenderat, delectorum flos militum: nam Dorbinus accuratè fortiſsimum quemq; & Cantabrico mari aſſuetum uiritim delegerat, & in his promptiſsimos centuriones atque ſigniferos, quos nihil maris nauſea atq; iactatione perturbari conſueſſe didiciſſet. Conſcendit quoque & ipſe magiſter equitum Aſcanius Columna, & pleriq; alij uiri inſignes ſua ſponte, nihil de uictoria dubitantes: & ne Germani quicquam Hiſpanis de uirtute concederẽt, Conradino Glornio duce, circiter ducenti, duas triremes compleuerũt, magnaq; alacritate, è Pauſilypo ſoluentes ad inſulam Capreas cõtenderunt, atq; ibi iuxta fontes ex iucundiore mora largius epulati, Conſaluo etiam Barectę Luſitano cucullato, qui religioſæ ſolitudinis cauſa illis in rupibus tugurium cõdiderat, concinonanti aures præbuerunt. Is uehementiſsimè B cohortatus duces ſingulos obteſtabatur, ut priſtina uirtute uti, pietatis q; patriæ memores, crudeles ulciſci Ligures, atq; eos acri maximè impetu inuadere ad non dubiam uictoriam uellent: ſcilicet, ut tot miſeros Hiſpanici generis uiros longè fortiſsimos, quos illi pro ſeruis remigibus cathenatos, ad tranſtra detinerent, ærumnoſa atq; infami ſeruitute liberarent. Dum prolixè atq; inflammatè Barecta cõcionaretur, Biordus Agneſius Neapolitanus, non tam Gallicæ factioni addictus, quàm Hiſpanorũ arrogantiæ infenſus, in aduerſum inſulæ litus ſe demiſit, & ueloci uectus nauicula ad Philippum aduolauit, primusq; certũ nuncium tulit de numero apparatuq; & ducibus Cæſarianæ claſsis. Quo cognito, Philippus ſupplementum unius centuriæ ſclopetariorum à Lotrechio poſtulauit, & accepit. Nec diu poſt Cæſariana claſsis pluribus expanſis uexillis conſpicua, à Capreis diſcedens in conſpectũ hoſtium ſe dedit. Erat tum Philippus oram legens Salernitani litoris ad Concham ſtationem, quã, promontorium tenue, Vrſi caput à nautis appellatum, ſuo obiectu efficit. Id abeſt non magno ſpacio à prominentiore Campaniæ promontorio, quod Athenæum antiquitus dictum, hodie Campanellam incolæ uocant. Ea ſpecies ornatiſsimæ hoſtiũ claſsis, non mediocriter Ligures commouiſſe uiſa eſt: ſed rei naualis periti eam mox non ineptè contempſerunt, tanquam ſecus ac diſciplina flagitaret, nullas ad mali ſummitatem caueolas, quas gattos uocant, habentem. Eæ caueæ ſummis alligatæ malis, ſingulos ſpeculatores, ſimul & propugnatores continẽt, ſicuti in carchheſijs onerariarum nauium fieri uidemus, è quibus deni, & ſæpe pro nauigij magnitudine uiceni homines, ſaxis atque miſsilibus propugnant. Tum uerò Philippus aduocatis in prætoriã nauem trierarchis, his ferè uerbis eos allocutus eſt, digito aduentantẽ hoſtium claſſem oſtendens: Viri, inquit generoſi, inuictæq; uirtutis ciues optimi, magnum hodie nobis (uti uideo) ex certa propè uictoria decus proponitur, quum numero triremium cunctis q; rebus bellici appaꝛatus, & fortitudine animorum, peritiaq; rei naualis præſtemus. Itaq; quũ nihil de receptu nobis ſit cogitandum, & ne dedecus admittatur, omnino ſit cum oblato hoſte confligendum, exiſtimate ueterum maiorum q; noſtrorũ gloriam, tot proſperis naualibus prælijs partam, in dextris ueſtris atque peritia eſſe repoſitam. Hanc uti reor quiſq; optimus ciuis, non conſeruare modò, ſed augere plurimum debet, ne degeneres atq; obliti diſciplinæ, à ſocijs pariter atq; hoſtibus exiſtimemur. Ipſum uerò Andream Auriam imperatorẽ noſtrum præſentem adeſſe putatote, & uirtutis ac ignauiæ futurum teſtem ut fortibus digna præmia, aut æquo iure ignauis ignominiam paret. Trierarchi uocem ſuſtulerunt, quam alacres & pugnæ auidi edere ſolent, paucis q; uerbis de excipiendi atq; inuadendi hoſtis ordine inter ſe conſtituentes, ut quæ in rem opus forent aprè pararent, ad triremes ſuas continuò redierunt. Summa expediti decreti fuit, ut Philippus quinq; roſtratis ſuis in hoſtẽ inueheretur: cum reliquis uerò tribus Nicolaus Lomellinus in altum euadens, ubi cœptum foret prælium, capto circuitu, reflexoq; oppottunè remigio, in puppes lateraq; hoſtilium nauium, prætoria præcipuè petita, audacter incurreret. Itaque Philippus è promontorio in apertum mare progrediens, ſeſe ad pugnam obtulit: nequc Vgo uel ob id eam detrectare auſus eſt, quòd tres quas diximus Lomellini triremes cõcepto metu aufugere crederet, & iniqua cõditione quinas Aurianas ſecum concurſuras arbitraretur. Vbi appropinquatum eſt, ambæq; prætoriæ ad mutuum concurſum proras dirigerent, Vaſtius ſalubri ratione Vgonem hortabatur, ut prior maius tormentum emittere properaret, ut extorta fumi caligine, hoſti certior ictus eriperetur. Sed Vgo, qui rei naualis peritiſsimus exiſtimari uolebat, & dudum cunctis ueteribus trierarchis ad Capreas pugnæ aleam minimè ſubeundam differentibus, ignauia increpita contradixerat, tamdiu diſplodere tormentum diſtulit, ut Philippus in id ſedulò intentus, atq; aptè collimans, ſuum ingens tormentum, quod Baſiliſcum appellabat, in hoſtem emitteret. Huius immanis pila perfractis ſupra roſtrum craſsioribus pluteis, qui Rambattæ uocant, cũ horribili ſtrage hominũ per foros à prora in puppẽ peruoluit, tanta uiolentia, ut diſcerptis ſupra triginta partim militibus, partim nualis officij magiſtris & remigib⁹, etiã in ipſa puppe multos inſignes diſceperet, & in his Petrũ Cardonium Siculũ, Vaſtij propinquũ, qui geminos fratres Valpergas Maſinij regulos, obtrectatione amatoria apud Mediolanũ interfecerat: & Leonẽ Taſsinũ Ferrariẽſem, à quo Guarrę Potentiani reguli filius, ex ſimultate Vaſtij cũ patre cõcepta, magnæ ſpei adoleſcẽs, inſons nuper fuerat confoſſus. His acceſsit Guſmanus Hiſpanus miræ dulcedinis citharœdus, qui ioci cauſa (uti fata trahebant) conſcenſis iam principibus & oram ſoluentibus, in prætoriã per remos prorepſerat, ſic ut horũ cruore atq; uiſceribus Vaſtius & Vgo fœdarẽtur. At Vgoniani libratores, ita ſuũ ingens tormentum in Philippi prætoriã direxerunt, ut præpedientę hoſtili fumo, non magnũ inferret detrimentum: quoniã Ligures ſecus ac Hiſpani, nõ per foros expoſiti ictibus, ſed ad ſcalmorũ proiecturas quas poſticios uocant, intra circũſeptas ſolidis aſſeribus ſpondas proclinati, inter remiges conſiſtebant, & per ſe neſtellas tanquam è mœnibus, craſsioribus ſclopetis rem gerebant. Interim diſpari fortuna Cæſarianæ tres, cõcitato remigio Aurianas duas, adactis roſtris inuaſerũt, uehementiq; edito certamine in eas Hiſpani milites egregio auſu tranſilierũt. His cõſpe-

ctis rebus, Lomellinus opportunè ex ſuo flexu con A uerſis proris, uti conſtitutum imperatumque fuerat, ad nauandam operam aduolauit, trinoque impetu in hoſtilem prætoriam inuectus eſt, eo ordine, ut uno tempore tria maiora torméta in hoſtem diſploderentur. Nec mora, eæ tres conuerſis remis iam ab hoſte captis, maturè opem tulerunt. Deſperata itaque uictoria, quòd ſtratum uiderent prætoriæ uexillum, duæ triremes ſeſe in fugam dedere. Ab hac duarum triremium fuga, extemplò conceſſa eſt Philippo uictoria: nam Vgo, qui rotundo protectus ſcuto, nudatoque enſe paululum à puppe diſceſſerat, dextrum glande brachium, coxamque ſini ſtrâ parui falconis pila ictus, eciderat. Vaſtius quoque in ceruice iuxta aurem fictili globo incendiarij pulueris grauiter uulneratus, crebriſque lapidum è gattis iaculationibus contuſa galea malè mulctatus, & Aſcanius Columna dextra & altero pede debilitatus, Lomellino deditionem fecerant. Philippo autem in paranda uictoria magno uſui fuerunt, Mauri Turcæque remiges, quos promiſſa libertate, exutisque compedibus, & diſtributis armis ad prelium accenderat, tanquam ueteres Hiſpanorum hoſtes, Vgonisq; preſertim nomini infeſtos. Hi nanq; longè fortiſsimè atque audaciſsimè dimicantes, in hoſtiles triremes tranſcendere nudi prorſus, & gladijs ſcutisque contenti non dubitarunt: mortuoq; Vgoni barbarico fremitu aliquandiu illuſerunt, cadauer circumſiſtentes, & cum riſu interrogantes, num ad inuadenda Africæ litora eſſet reuerſurus. Per hunc modum ad Vrſi caput Amalphitani litoris, nauali prælio, quo nullum ætate noſtra cruentius fuit, decertatum eſt: nam ſeptingéti circiter ueterani milites Hiſpani præter totidem remiges & nautas Cæſarianæ claſsis, aut trucidati, aut demerſi periere, & Philippus uictor in uniuerſum epibatas & remiges ad quingentos, & in his aliquot peritos B gubernatores & nautas, atque unum omnino triearchum deſiderauit. Ex hoſtilibus duas triremes, & ad has biremẽ, & aliquot ſcaphas: mioparonéq; unum, quem brigantinum uocãt, demerſit, binisq; in altum, ut diximus, fugientibus, reliquas duas, in quibus erat prætoria, manu cepit: quibus ſuarũ, quę tormentis quaſſatæ fatiſcebant, numerum ſupplet. Præter Vgonem & Feramuſcam, fortiſsimi cohortiũ præfecti, interfecti ſunt, Macinius Daia Cantaber, Ioannes Biſcainus, Zambronius atque Baredus. In poteſtaté uerò uiui deuenere præter ipſum Vaſtium, & Aſcanium Columnam, Franciſcus Hicardus trierarchus, Ludouici arcis Neapolitanę prefecti germanus frater, cui pugnanti grauioris tormenti pila ab ima nate pulpoſum femoris torum horribili, ſed nõ mortifero ictu, quòd habitus eſſet præpinguis, abripuit. Philippus item Cerbellio ſine uulnere, & Ioannes Caietanus, Vaurius Belga, Acogna Gallus Borbonij profugi ſatelles, & Seronius Hiſpanus Neapolitani ſenatus ſcriba, illuſtresque equites Camillus Columna, & Annibal Genarius, Vgonis amicitia clari. Reliqui centuriones atque ſigniferi, militesque qui non eſſent uulneribus debilitati, iniectis cathenis, ad remũ translati ſunt, ut in locum demortuorum, & Barbarorum, qui edita forti opera, libertaté meruiſſent, opportunè ſuccederent. Superuenit Ioachimus Leuantius Ligur à Lotrechio miſſus, qui depoſceret captiuos: ſed ille negauit ſe daturũ, quando eos ad ipſum Andreã Auriam ammirantem deducendos eſſe iudicaret. Vgonis uerò cadauer, ut illudentium Barbarorum contumelijs eriperetur, ad Amalphim urbem delatum eſt, in ædeque Andreæ apoſtoli, tumultuarijs exequijs tumulatum. In hac urbe citriorum & medicorum odoratis nemoribus æquè peramœna & celebri, magnetis uſum nauigantibus hodie familiarem & neceſſarium, adinuentũ fuiſſe incolę aſſe- A runt. Ferunt Clementem, ubi ex literis de euentu eius naualis pugnæ certius didicit, uel ob id magnopere fuiſſe lætatum, quòd ipſe Vgo Moncata, & Cæſar Feramuſca præcipuè cecidiſſent, quorum ille, occupato Vaticano, & ſacrarijs auguſtiſsimi tẽpli direptis, primum intulerit uulnus: hicuerò ab Hiſpania pro legato Romam miſſus, nequaquam ſynceræ Cæſaris uoluntatis ad traducendum falſus uades extiterit.

SVPPLEMENTI
LIBER XI.

SEcundum aduerſam naualem pugnam, Cæſariani duces nihil ſeſe animis demiſerũt, tametſi exuti claſſe, ueteranorum militum longè fortiſsimos amiſiſſent, & iam Philippo uictrici ſua claſſe captiuos in Liguriam perducente, Petrus Landus, qui poſtea Venetæ reipublicæ effectus eſt princeps, cum uiginti roſtratis nauibus à Meſſanæ freto in Campaniam perueniſſet. Superioribus namque diebus Corcyrã delatus, aſcito ſibi cum aliquot triremibus Ioanne Moro Hadriatici ſinus prętecto, Apulię oppida proſperè tentans, Molam, Polygnanum atque Monopolim, quòd hæ urbes iampridem moderato Venetorum imperio aſſuetæ, ab Hiſpanis cupidiſsimè rebellarent, in deditionem acceperat: & quum Brundiſini ei portas aperuiſſent, alteram, quæ à terra eſt urbis arcem oppugnare parabat, eo belli ſucceſſu, ut omnibus Apuliæ & Calabriæ, Salentinorumq; oppidis potiturus eſſe crederetur, niſi acceptis à ſenatu literis, ſuperare Siciliæ fretum iuſſus, interrupto uictoriæ curſu, ad Tyrrhena deflectens litora, Neapolim uela direxiſſet. Itaque Landus aduentu ſuo legendo oram ab Athenæo Mineruæ promontorio uſque Miſenum mare intercluſerat, ne ullum omnino nauigium, quo importari commeatus poſſet, Neapolitanum in portum prouueheretur, perpetuisque cuſtodijs à Cumano litore, uſque ad Formias & Caietam extendebatur, & turrem, quæ eſt ad oſtium Lyris amnis, tormentis aliquandiu quaſſarat, molisque ſubinde frumentarijs, quæ ſunt ad Scauros potitus, minoribus etiam nauiculis, quæ moliti tritici, & recentem pomorum achortenſiũ rerum copiam obſeſsis experitam adueherét, commeandi facultatem eripuerat, tanta ſeueritate, ut quoſdam bis captos, laqueis in antenna ſuſpendi iuberet. Sed is terror nequaquam erat tantus, ut ſpem lucri in quibuſdá minueret, nauicularijs ſcilicet hominib. ſæpe uelociſsimo intercurſu triremiũ ſtationes eludentibus, quum ab Ænaria & Capreis, Prochytaque & Surrentinis uicis ſoluentes, felici audacia ſeſe Neapolim inferrent. Quotidianę quoque exercitationes maioris & minoris pecoris præda ex hoſtico rapta, opportunè panis inopiã ſubleuabat. Sed unus in Cãpania famoſus latro, qui Verticillus appellabatur, quum exul præteriti maleficij ueniam ab Aurantio per Fabritium Maramaldum impetraſſet, obſeſſos inuecto multo pecore mirificè adiuuabat. Ei ſiquidem ſaltuoſis & nemoroſis locis aſſueto, notiſsimi erãt obliqui tramites, quibus Campania, ſuburbanaque preſertim ad incertũ iter obſita eſt: eratq; ita familiaris uicis atque oppidis, ut quot boum iugis ager araretur, in numerato haberet, ſolertiſsimeque inſidioſus, unde maximè nocere cuperet, quam uolebat prædam abigeret, uſqueadeò feliciter uitatis aut deceptis Gallis, ut una nocte ſupra centum boues Neapolim perduceret, & uſque ad belli exitum nihil induſtriam ſuam, uti pollicitus fuerat, uſquam remittens, ſæpe iuxta hoſtium

ſtiũ caſtra impunè prædaretur, ſic, ut Gallis fruſtra A indignantibus magno detrimento foret, & Cæſarianis ſingulare commodũ attuliſſe diceretur. Sed is cõfecto demum bello, ita inexpectatum eius beneficij præmium tulit, ut à prætore Capuæ, uiro Hiſpano, & ut plerunq; fit eius ſpolijs inhiante, comprehenſus, in furca ſuſpenderetur. Iuſta quidem ueteris maleficij pœna, ſed omnino iniqua, ſi recentis publici beneficij memoria ſpectaretur. His Cæſarianorum terra mariq; obſeſſorum incommodis, permoti aliquot Neapolitani proceres, ne inclinatæ uictorię euentum cunctantius expectare uiderentur, in oppidis ſuæ ditionis Gallica uexilla ſuſtulerunt. Nouum etiam in Brutijs aduerſus Cæſarianos excitatum eſt bellum, quum plerię; circa Coſentiã Andegauenſis factionis nomẽ, ex prioris belli memoria libentiſsimè complecterentur: cohortante eos ad rebellandum Simone Thebaldio Romano duce impigro, qui in eas regiones cum ala equitum, tumultuarijsq; cohortibus (ex itinere ſiquidem milites conſcribebat) à Lotrechio fuerat miſſus. Iam ęſtas à ſolſtitio in autumnũ inclinarat, & tertius obſidionis menſis agebatur, quum Ferdinandus Gonzaga ſibi aliquid grauiore eruptione tentandum ratus, Puteolana uia per cryptã perforati olim à Cocceio Pauſilypi montis, ualidam equitum & peditũ manum eduxit, eo cõſilio, ut hoſtes ab Auerſa atq; Puteolis excurrẽtes, in inſidias, uti euenit, præmiſſis Epirotis equitibus, pertraheret. Fauit aſtuto cõſilio fortuna. nam quum Zucerus Epirota & Ianni tius Hiſpanus ſeſe oſtendiſſent, non continuere ſe Galli equites, in quibus erant Scotorum cataphractorum turmæ, quin patefactis Auerſæ portis, in cõſpectos ſtatim hoſtes erumperent. In quos Gonzaga, qui depreſſo in loco iuxta regiam Beluederij uillam conſederat, ex inſidijs opportunè conſurgens, magnam eorũ partem à leui armatura circumuentam, facto uehementiore impetu fudit, & quòd eſſent grauioribus protecti armis, & ſegnibus utentes equis, intercepit, uſque adeò grauí cum dolore damnoq; Lotrechij, ut Auerſani præſidij curam, duplicato amiſſorum equitum numero, confirmaret, quòd hoſtium audaciam, qui illuc uſq; inſolenter excurrere atq; prædari conſueuiſſent, iuſto aliquo certamine uindicandam, pariq; aſtu acceptum incommodum omnino ſarciẽdum eſſe iudicaret. Nec multos poſt dies, Gonzaga, qui de Auerſano equitatu adaucto didicerat, auidus rei gerendæ, in eadé loca ampliores copias quæ frumentatoribus præſidio forent, eduxit. Nam tum demeſſæ ſegetis pleniſsimus erat ager, quæ res, agaſones & pabulandi ſimul & frumentandi cupidos uehementer alliciebat. Gonzaga conſtituto ad tẽdendas inſidias hoc ordine procedebat: cohortes Germanorũ idoneo in loco collocantur (agminis enim frontem obtinebãt) ipſe caua in ualle, quam latrocinijs infamem, Pecoream incolæ uocant, cum equitatu leuis armaturæ, & cohorte una Hiſpanorum ſe cõdidit: quum antea Garziæ Manrico, ut cum ſua cataphractorum ala in poſtremo agmine frumentatoribus præſidio foret, præcepiſſet. Theodorum uerò Bocalum Spartanum ſenem, inclytæ uirtutis ducem cum ſuis alarijs præcurrere, & ſeſe ad Auerſam hoſtibus oſtendere iuſſit, ut inde excitos præproperos natura homines, ſimulata fuga in inſidias eliceret. Sed Galli recenti ſuo malo edocti, non iam turmatim diſſipati, uerùm denſato agmine, in quo erant equites galeati amplius mille, & pluribus expeditis ſclopetarijs unà deſumptis, uſq; adeò grauí impetu retro ſe uertentem (uti à Gonzaga præceptum fuerat) Bocalum inuaſere, ut quum fugientẽ acriter perſeque rentur, ei inſtitutum iter præciderent: ſic ut Græci equites cataphractorum metu, ipſeq; Theodorus, alia quàm putarat uia per campos patétiores effuſe profugere ſit coactus, & Gõzaga, quòd ille ſecus ac præceperat tamdiu tardaret, ſuſpenſe miraretur. Itaq; expectabundo & circunſpectanti inexpectati hoſtes ſuperueniũt: diſpalantur Greci equites, frumentatoribus perturbatis, præſidium cataphractorum improuiſo inuadentium Gallorũ impetu propellitur, & in fugam conijcitur: ipſe Gonzaga multitudine celeritateq; hoſtiũ ferè oppreſſus, magnũ ſalutis diſcrimẽ ſubijt, quum ſeſe è loco ad inſidias tegendas idoneo, ſed inuoſe anfractuoſo, celeriter explicare nõ poſſet, & ut manus hoſtium effugeret, dimiſſo equo in pedes deſilire, & ab alta præruptæ uallis crepidine ſe deijcere cogeretur: ut id faceret ſuadente Franciſco Ario equitum præfecto, atq; eo modo per medios hoſtium ſclopetarios, qui ab accliuibus locis imminebant, elapſus, cõſcenſo ignobili equo, quẽ tubicen obtulerat, periculo ſe explicuit. Galli qui cataphractos fuderat, Garzięq; Manrici legatum alæ Suatium ceperant, ipſoq; alæ uexillo fuerant potiti, in Germanos iniquo in loco malè conglobatos ſe conuerterunt, & equorum impetu perturbatos, quanquam acerrimè reſiſtẽtes, magna ex parte trucidarunt. Reliqui terga dare coacti, permixtique equitibus, per tenebrolum cryptæ iter amiſſo uexillifero, qui ſignum ſeruare fruſtra fuerat conatus inter infeſtas equorũ proculcationes, Neapolim euaſere. Neq; poſtea niſi cautius à Cęſarianis frumentatum in eam regionem eſt itum: neq; à Gallis uſquã temerè procurſum, quòd alterno ſucceſſu par utrinq; audacia ſatis repreſſa & caſtigata uidere tur. Sub id tempus, quum Lotrechiani agaſones, & hippagij pueri perducendis potum iumentis ad Sebethum amniculum, qui frumentarias agit molas, & ad Podium, quem ab Alfonſi regis uilla, Regale appellant, uberrimis fontibus inſigne, quotidiana conſuetudine aquarentur, & Hiſpani agiles inſidiſq; milites manipulatim Carmelitana porta exirẽt, deiectisq; agaſonibus equos eriperẽt: Nauarrus ea offenſus contumelia, nouam munitionem erigebat, comprehenſa caſa, quæ erat inter Podium ſtabulaq; regia, quæ ſunt ad Magdalenæ templum: ratus ſe ei latrocinio obuiam iturum, ſi ei loco permunito, perpetuæ cuſtodię ſtationem imponeret. Hac re cognita Cæſariani duces, ualidam manum, quæ opus diſturbaret, feruidiſsima diei hora emiſerunt. In his fuere Ioannes ipſe Dorbinus, Ripalta, Baracanes, atq; Baredus, qui lectiſsimas habebãt cohortes. Stabat Nauarrus ſub ſole, linteo protectus umbraculo, perficiendo operi intentus: certo tamen parato præſidio, ne quicquam incommodi à repentinis hoſtium incurſionibus acciperet. Itaq; ingruẽte Dorbino, excitata eſt tumultuaria pugna, & caſa egregiè à Nauarro defenſa, quũ multi è maioribus caſtris eò decurriſſent, & ante alios Etruſcæ cohortis perniciſsimi ſclopetariorum. Iamque Dorbinus irrito conatu regredi parabat: quum Horatius Baleonus, fatali temeritate, longius à ſua munitione progreſſus, ut ſuos ægrè ad tympani ſonitum parentes, ſua uoce compelleret atq; reduceret, inermis à Cantabro gregario milite, qui ſeſe recipienti incumbebat, adacta in tergũ alabardę cuſpide, quum à nemine noſceretur, interfectus eſt: uir impęſe audax, & ęquè fortis, ſed natura ſanguinarius, utpote qui ſemper cędib. propter factiones à puericia ſtuduiſſet. Cæterùm Dorbinus expugnandæ caſæ fruſtra hærens, è ſuperioribus Vaſconum caſtris, quæ erãt ad Ianuariam, ut diximus, portam, tormentis petiit cœpit. Atq; ita paucis utrinque occiſis aut uulneratis, ignarus, an ille eſſet Baleonus, quem Cantaber occidiſſet, uitato tormentorum periculo in urbem eſt reuerſus. In demortui Baleoni locũ, Lotrechius Etruſcis cohortibus prefecit Vgonem Pepulum, egregię nobilitatis notęq; uirtutis uirũ, quem legati Florẽtini Marcus Nerius & T. Soderinus multis de

causis comprobarunt. Nec multo pòst noui duces, nunquam intermissa erumpendi atq; inuadendi hostis consuetudine, quod interdiu Dorbinus facere nequiuisset, noctu perficere posse rati, expugnandæ casæ, inuadendæq; munitionis negocium susceperunt. Eorum princeps fuit Ioannes Almeda, qui socios sibi ascíuerat Cornegium & Sácium Vargam. Hi cohortium suarum milites albentes tunicas superinduere iusserunt, sicuti sæpè aliàs factũ fuisse à Piscario, Vastioq; meminimus, ut insolito cultu hostes perterrerent, & inter se per tenebras perspicuè dinoscerentur. Magno silentio eductum est agmen, & ad casam munitionem q; pleno gradu peruentũ. Sed impetu facto, cuncta apud hostes, quàm crediderant, intentis excubijs paratiora atq; instructiora repererunt. Nam Lotrechius unam præsertim à milite suo excubandi diligétiam exigere erat solitus, parata scilicet utrinq; pœna, & propositis præmijs summa disciplinæ seueritate fideq;. Quam ob rem Vascones atque his intermixti Etrusci ac Heluetij, qui de tertia uigilia in statione erant, conspectis hostibus, sese celeriter erexerunt, expeditisq; armis in munitione promptissimè constiterunt, Hispanosq; adrepere & conscendere conantes, omni telorũ genere obrutos ita propulerunt, ut aceruis candentiũ fossa compleretur, multiq; in ea sclopetorũ glandibus traiecti, aut grauibus alabardis & lanceis uulnerati occumberẽt. In queis fuit dux ipse Almeda, mucrone per os recepto in fossam præceps deiectus. Itaq; Cornegius & Vargas strenuè reiecti, desperata expugnatione munitionis, sese recipere cœperunt: uerùm in abeuntes & perturbatos subita eruptione facta Lotrechiani impetũ fecerunt, tanta ui, ut Hispani debilitatos uulneribus relinquere cogerentur: eiusq; noctis uictoria, quanquam non magna, singulare tamen gaudium Lotrechio afferret. Neq; postea Hispani, aut eãdem casam oppugnare, aut munitiones aggredi, aut quicquam ab ea parte aduersus hostes iustis uiribus tentare ausi sunt. Sed duces in id unum gerendi belli consilium incubuere, ut nocturnis expeditionibus, nõ modò suburbanos uicos, sed remotiora etiam oppida inuaderent: raptoq; passim commeatu, & collecta præda, reuersi socios recrearent, adhortarenturq; ad perferenda non diu duraturæ obsidionis incommoda, quando iam Gallorum hostium animi uiresq; labascere inciperent, & propiores obsessis quàm obsidentibus uideri possent, & iam affecta tetro castrorum odore militum corpora, aut longis, aut mortiferis morbis tentarentur. Nam prœterquá quòd Galli Heluetijq; præsertim pomorum omnis generis, matureſcente uindemia, erant auidissimi, quarũ rerum intemperanti ingluuie facile febres erumperent: ipse etiam aër subiectę regionis, à putri depressorum camporũ halitu factus insalubris, eos cõtagiosis ferè morbis infecerat. Quoniam Lotrechius ab initio quorundam exulum Neapolitanorum monitu tam importuno quàm postea exitiali, aquæ perennis aquæ ductum concidisset, ut obsessis copiosissimorum fontium, qui multis per urbem locis siphonibus largiter lymphas fundunt, commoditatem eriperet. Necessariò nanq; tota ea aquæ uis multifariam corriuata, per subiectam planiciem ita spargebatur, ut sensim exundante & mox subsidente humore, eorum camporũ gleba putrefceret, orireturq; inde crassior nebula, excitata quidem, sed semper indomita solibus, quæ ideò febres progigneret, & totis castris euulgaret. Ferebant etiam tum nonnulli (quod uix credibile uidetur) quosdam impiæ malignitatis milites, cùm ex ipsis Hispanis, qui Maurorũ stirpis essent, tum ex Germanis Iudaicæ sectæ, uirosis herbarum succis, multoque lini semine indito, superiectisq; ité corrupti tritici quisquilijs, uicinos castris hostiũ puteos, & cisternas fermè singulas infecisse: propterea q; inde potantium uentres intumescere, turgescẽtibusq; cruribus, ora hominũ usq; adeò lurida macie pallescere cœpisse, ut deformato habitu uix inter se noti cõmilitones noscerẽtur, rariq; iam & segnes custodiarũ munia obirent. Quibus rebus diligenter exploratis, constat Giahennam Bæthicũ equitum præfectum, qui unus omniũ prædæ erat auidissimus & solertissimus, opportunis horis circueũdo Gallorũ castra speculando q;, non semel intra munitiones irrupisse, aliquot rapuisse equos, & arma in tabernaculis expósita, è focisq; etiá infixa uerubus obsonia in urbem retulisse: quum stationũ milites humi stratos, neq; in pedes se erigere, inualidisq; lacertis expedire & sustinere arma non posse, ad socios nunciaret. Qua furtiui incommodi contumelia Lotrechius grauiter commotus, intẽtiorem custodiã munitionibus imposuit, eo euentu, ut Giahenna nõ diu sua temeritate felix, interceptus sit, & in carcerem Auersanæ arcis perductus. Hæc, quam diximus, morborũ labes, ab Idibus Iulij castra irrepsit, & præter uulgus militum, primores exercitus inuasit. Quam ob rem pleriq; ducũ de salute sua soliciti, relictis castris, in proxima oppida secedebant. Per eos dies Barbesius, nouus Gallicæ classis prefectus, qui propterea ab Armorico Oceano fuerat euocatus, quòd Andreas Auria à regijs stipendijs grauí de causa discedens, uti suo loco narrabimus, ad Cæsarianas partes sese cum peculiari sua duodecim triremium classe cõtulisset: Lando se cõiunxit, & ultra Sebethum ad pontem, quem uocãt Ricciardum, noxiorum suspẽdijs infamem, proras adegit, & quas adduxerat copias in terram exposuit. Aduehebat enim Rentiũ Ceritem, & quæstores Gallos, qui ad persoluenda militi stipendia, depoſcente Lotrechio, pecuniam attulerant. Eius appulsæ classis conspectu Gonzaga permotus, qui tum erat in hortis regijs sub Campana arce, repẽtè dari tuba signũ iubet: ad urbis portam progreditur, efferriq; sibi arma præcipit, eaq; celeriter induit, & cũ primis equitum turmis, quæ dispersim & properanter exibãt, contra hostes contendit. Hunc etiam equitatũ, expeditæ peditum cohortes subsequuntur, quos omnes Gonzaga cohortatur, ut hostes descẽsionem facientes, impeditosq; sarcinis facto uehementiore impetu inuadãt. Parẽt milites & tumultuosissima statim pugna ediẽ, eoq; acrior, quòd Lotrechius ualidam equitũ & peditum manum, quę descẽdentes in litus exciperet, præsidioq; foret, ad mare præmiserat. Terrebãt Cæsarianos, tardabantq; ipsa tormẽta Gallicis & Venetis triremibus in aduersum litus emissa. Sed Hispani, diuerso atq; audaci flexu eam munitionẽ, quam ad mare à Gallis perductam diximus, trãscendentes, tanta ui in hostes procurrerũt, ut perruptis Lotrechiani pręsidij turmis, & cohortibus repulsis, expósita iam pecunia propè potirẽtur: ac nisi Vgo Pepulus cõglobatis turmis, Hispanorũ audaciam repressisset, proculdubio ea omnis pecunia ad Cæsarianorũ manus peruenisset. Verùm ardente prælio, & fortissimè depugnãtibus Hispanis, Vgo ipse uel impigrè resistẽs uulneratur & capitur. Candalius quoq; regiæ nobilitatis iuuenis, Lotrechij propinquus, & inter Vasconũ duces facile princeps, glande humerum traijcitur, & circumuentus intercipitur. Quum eo modo periculosissimũ certamen esset cõtractum, Lotrechius nouas turmas, & ante alios Valerium Vrsinum laborãtibus subsidio misit, cuius superuentu pugna iterũ restituta accensaq; est, & Hispanorũ impetus uehementer est retardatus. Itaq; redintegrato prælio, Valerius, mirifica uirtute cõfirmatis Gallorũ animis, Hispanos equites fundit, proterit pedites, & duos lõgè pugnacissimos Hispanorũ equitũ præfectos, Ariũ & Mirãdã circumsistit, & capit. Ab Heluetia etiã cohorte, quæ graui facta impressione hostiũ pedites loco pepulerat, his

rat, his permixtus tertius equitum præfectus, cognomento Pratæus, confosso eius equo, captus est. Hi tres postea æqua permutatione cum Vgone atque Candalio, uel tum ex uulnere moribũdo, utrinque restituti sunt. Neq; demum usquá ad belli usq; exitum periculosius & grauius dimicatum est. Cæterùm Lotrechius tantæ classis appulsu, aliquanto minore quàm sperarat, signatæ copia pecuniæ subleuatus est, quum paulo pòst uix dum persoluto uetere stipendio, noui exoluendi stata dies instaret: id iam expectante & flagitante milite, & iratè uociferantibus præfectis, unde exhausto castrensi ærario, auri egens imperator à quibusdam prefectis, ditioribusq; alarum legatis, oppignorata fide, mutuo pecuniam accipere, & quando hæc quoq; deficeret, ali quot leuis armaturæ equitum turmas exauctorare atq; dimittere cogeretur. Cuius infausti consilij rationem uel extrema necessitate expressam, ita uetères improbabant milites, ut ea parte uirium hostes omnino superiores euasuros dictitarẽt, atq; obiter graue prorsus detrimẽtum se accepturos malè omi narentur. Horum erat princeps Nauarrus, qui à Lotrechio nunquam planè dissentire ausus, perseuerãdum in obsidione minutis q; prælijs, & crebris excursionibus, in queis leuis armaturæ equestris maximè ualeret, premendum hostem esse differebat, quando rem ad summæ apertæq; pugnæ casum deduci posse desperaret. Rẽtius uerò Ceres per castra à Valerio spectatum deductus, quòd cohortes morbis & prælijs attenuatas, & semiplenas turmas, enataque in tabernaculis gramina notasset, detestatus loci insalubritatem, atq; improbans laxiorem munitionis & aggerũ formam, suadere conabatur, ut contraheret castra, eaq; in editiora loca subduceret, & remotum obsidionis genus, occupatis circumiectis urbibus & oppidis, in queis diuisa forent præsidia, instituendum esse iudicabat, ut salubriore cœlo atq; opportunis commeatus copijs ægri fessiq; milites recrearentur, nec quicquam inde obsessis hostibus supportari sinerent. Quibus rerum difficultatibus compulsus, & diuersis distractus sentẽtijs, secus ac antea fecerat, minores duces & uetereș signiferos cõsultandi causa in prætoriũ aduocauit. Nam post ipsius discessum à Troia, in eam usq; diẽ, nunquam uniuersis ducibus in unũ coactis, sed per partes à singulis sententias rogitans, tanti belli cõsilia communicasse ferebatur. Itaq; eius consilij exitus fuit, ut imperator natura obstinatus & pertinax, è uetere sua sententia ullo modo dejci aut dimoueri nequierit: quando iam pro constanti sibi esset compertum, aduersariorum animos auxilij desperatione magnopere frangi, crescenteq; inedia, maioribus quàm ipsos affici incommodis: & ob id præcipuè, quòd Germanos cum Hispanis sæpè rixari, seditionesq; miscere didicisset: ita ut de matura hostium deditione minimè dubitaret, modò ueteris suæ constantiæ meminisset, qua tot urbes egregia cum laude superioribus bellis expugnasset. Erant uera hęc, sed ualde intempestiua, atq; omnium consutata sententijs, meliora scilicet consilia preuertente fato, quod ad destinatam cladem, cùm ipsi Lotrechio, tum Gallico nomini properanter imminebat. Igitur Lotrechius irrito incepto minimè absceden dum ratus, eam tantum cõsilij partem probauit & arripuit, quæ reparãdas copias nouis delectibus, & suorum animos recenti pręsidio confirmandos existimabat. Quam ob rem Rentius Ceres Aquilã continuò mittitur, qui quatuor milia peditum ex agro Piceno conscribat, persoluendisq; stipendijs pecuniam à Quęstore Aquilano, qui id facere perscriptis literis iubebatur, accipiat, transuersisq; montiũ tramitibus in Appiam uiam descẽdere maturet, ut per Fũdanos Sueſſanosq; fines prętergressus, Calenum & Campanum agros, ab Auersa demum urbe, rectà ad se in castra perueniat. Erat Rentius, quanquam infaustus urbis patriæq; suę defensor nuper extitisse uideri poterat, peritus tamẽ belli, & una maximè probata fide, singularíq; inuicti animi constantia insignis, & quòd suscepti negocij plurimũ interesset, Gallicæ factionis apprimè studiosus. Hoc supremi cõsilij decretum ratioq;, uel ob id facilè quibusdam probari posse uidebatur, quòd Lotrechius dedenti urbem Aurantio, uel retenta arce, Cęsarianis omnibus incolumitatem, & nauigia, quibus Hispani aut in Siciliam, aut in Hispaniam, uti mallent, aduehere tur, obtulisset, & Germanis mẽstruum stipendium, quo se domum redeuntes alerẽt, per suos eiusdem gentis milites, qui apud se militarant, sæpè promisisset. Sed tanta erat alacritas Hispanorum, Germanorumq; constantia, ut se potius inedia perire paratos esse, quàm Gallis se dedere, quos antea toties uicissent, quotidie prædicarent: subindeq; eadẽ signiferis significando per manipulos sublatis dextris, quod erat subitarium sacramenti genus, se præstituros iurarent usq; adeò pręclarè, ut dubios nonnunquam ducum animos confirmare censerentur, & omnis iampridem de tanto hoste cõceptus timor, Neapolitanis decederet. Per eos dies uir è Mõrella Samnij oppido, se Gallicarum partium militem ab ipso albæ crucis symbolo tesseraq; mentitus, atq; in insidias excurrentium Hispanorũ ultro datus, quũ Neapolim perduceretur, se magnæ atque instructæ proditionis cõsilium detecturum pollicitus est, unde non misionis modò, sed multæ etiam pecuniæ pręmium sperare posset. Itaq; uti oportebat, ad imperatorem producentibus Hispanis, qui eum ceperant, Fabritium Maramaldum cogitatæ nefarię proditionis reum fecit, quòd is ad eam urbis partem, quæ Campanam & Carmelitanã portã interiacet, cum suis cohortibus stationem obtineret, & portã Lotrechio proditurum promisisset. Ea re subitis auribus accepta, & ad suspicacem animum trãsmissa, Aurantius uocatum Fabritiũ, & deponere gladium iussum, custodiæ tradit. Tum uerò Neapolitani ex singulis tribubus consurgunt, & rei incredibilis fama uehementer offenduntur, quòd præciaræ & antiquæ stirpis ciuis, spectatæ uirtutis dux, & per omnem uitam Cæsariani nominis studiosus, ab agresti & nemini penè cognito homine delatore, in discrimen salutis & famæ uocaretur. Propterea orabant summis precibus, ne præcipiti iudicio, sed accurata cunctatione, eius accusationis cognitionẽ susciperet, & ille latronũ more, inanis & procul dubiò falsissimæ conjecturæ iudicium, seuera in quæstione prius perpurgaret, quàm Maramaldus ad refellendam calumniã uti æqua iura, in dispari probo atq; pernobili reo cauerent, tormentorum cruciatibus admoueretur. Indulsit hoc Fabritio nequaquá ęgrè imperator Aurantius, alioqui in grauibus rerũ mométis facilè suspicax atq; prœproperus, quum reum peropportunè Victoria columna tanquam Piscarij coniugis sui alumnum efficacissimis literis commendasset. Nec multo pòst accusator in quæstione diu & grauiter tortus, quum torméta secus ac ante periculũ crediderat, acerbiora ferre nequiuisset, se pecunia corruptum, subornatumq; fuisse ab inimicis Maramaldi cõfessus est. Atq; ita ille sceleſtus calumniator, tanta infamia Fabritium liberauit, & talionis pœnas in frusta dissectus dedit, statimq; Aurantius pristinæ dignitatis atq; custodiæ locum, unde iam cohortes dimouerat, Maramaldo cũ multa uerborum prefatione restituit. At Gallicis in castris usq; adeò lentæ, atq; tabificę febres ab Idibus Iulijs ad nonas Augustas inualuerãt, ut tabernacula funeribus complerentur, & languentes passim milites, aut irritis, aut desperatis medelæ subsidijs, fame sitiq; enecti passim interirent, sepultorumq; tumuli frequentes iuxta munitionum aggeres conspicerentur.

rentur. Quapropter pleriq; ducum, aut tentati mor A
bo, aut instante mortis periculo perculsi, impetrato
discessu per causam curandæ uel auertendæ ualetu
dinis, in proximas urbes castella quæ secesserant, sci
licet, ut mitioris cœli faciem quæritarent. Veneti le
gati in primis freti classe ad urbē Castellimaris, quę
est ad ueteres Strabias concessere, conceptoque iam
morbo, Vgo Pepulus Cápuá, Valerius Vrsinus No-
lam, Grifficius ad Grannianum Nucerię propinquū
dimissi sunt. Ipse uerò Valdemontius ad Vicū Sur-
rentini litoris urbem paulo antè se contulerat. Re-
mansérant cum Lotrechio, frigentibus iam cōsilijs
pariter & uiribus Nauarrus, Michaël Salassus, Gui-
do Rangonus, & nonnulli togati generis homines.
Cæterùm in Nauarro ueterem infracti & efficacis
spiritus uigorem, multiplicata militum funera, &
expectatæ cladis non temerè ingruens metus, fer-
mè totum eliserant, sic ut propemodum mussare in
terrogatus, aut respondēs delirare crederetur: ipse
autem Lotrechius attonito similis, dissimulato ani
mi dolore, ferociam suam & imperij uim, iusis edi
ctisq; retinens, obrepente morbo iaceret, atq; eo cō
tumacius, quòd legatos Venetos, Pisanū in primis
obsidis cardinalis patrem, & secundum eum Petrū
Pisaurium, Griffeium quę mortuos esse, Valdemōn
tium autem supremo iactatum morbo, fatalem ho
ram, quæ iam aderat, expectare didicisset. Nec Val-
demontius, uel ipso uirium & peregregij habitus
uigore prędalidus, diu uim morbi sustinere potuit,
qui in spem regni triennio antea tumultuarijs uiri-
bus fretus, ad Neapolitanam portam sese ostētarat,
cùm ciuium uoluntatis, tum fortunæ suæ, quæ stir-
pi regię inniteretur, periculum facturus. Eius mors
Neapoli nunciata, sicuti ingrata quibusdam Ande-
gauensium partiū, sic maximè læta Cęsarianis fuis-
se uisa est. Quoniam constabat, quicquid antiqui iu
ris uigēret in Carolo primo, qui Māfredum regem B
occidit, & regno potitus est, id totum per Andega-
uenses prouinciæ reges, recta hæreditatis serie ad
Lothoringię regulos recidisse. Nam Valdemontius
genitus erat eo Renato Lothoringiæ principe, qui
Carolum Burgundiæ regem commisso prælio ad
Nansim interfecerat. Maiore itaque animo diligen-
tiaq; intentiore, Aurantius & Gonzaga, perspectis
decumbentis Lotrechij difficultatibus, non modò
lacessendos hostes, perpetuisq; uigilijs conficiēdos
existimabāt: uerùm etiam iustis, in proxima oppi-
da, ubi hostes æstiuare didicissent, susceptis expedi
tionibus, eos adoriēdos. Paulo siquidem antè Gon
zaga noctu cōfecto itinere, ad Summam oppidum,
quod est Vesuio mōti subiectum, cataphractorum
alam oppressérat, & Nolana item uia Heluetiorum
cohortem, quæ commeatibus præsidio ierat, occul
tatus in insidijs subsidijs sub Vesuio secunda expe
ditione trucidarat, mirabili casu, quum sub aurorā
iuxta nemus delitescens, fulmine ala equitum ex
terribili tonitru tacta, aliquot tantum equos uapo-
re exanimatos, nemine è sessoribus læso, amisisset.
Iisdem etiam diebus, Bélmares equitum prefectus,
adiunctis sibi expeditis sclopetariorum manipulis,
aliam Gallorum equitū manum Matalonio in op-
pido, quod est ad Tifata montem, in conspectu Ca-
puæ urbis, expugnata statione deleuerat. Saiauedra
quoque natione Bæthicus, diligens equitum præ-
fectus, recepta in prædæ societatem peditum co-
horte, usque Auelinum nocturna profectione con-
tendit, improuisoq; in oppidum irrumpens, oppi-
danosque diripiens, Maternianum Insubrem eius
urbis episcopum cepit, captiuumq; Neapolim per-
ducens, ad contumeliam diuulsis testibus, ut maio-
rem à captiuo pecuniam exprimeret, diu torsit, uix-
que postea Aurantij clementia & Vastij precibus, è
manibus impijs Saiauedræ ereptus est. Hæc paucis
diebus accepta incommoda, quanquam uetanti-
bus medicis Lotrechio languenti nunciari non po
terant: emanabat tamen aduersarum rerum nō ob-
scura fama, sic, ut ipsi ægro intentis semper auribus
atque oculis astantium & inuisentium facies explo
ranti, multa uel nō integra delatione proderentur.
Seuerè siquidem scisciabatur à pueris, an quicquā
noui de hostibus audirēt: nec mendacio erat locus,
utpote, qui si audita reticerent, flagella ad pœnam
subire uererētur. Cognitis per hunc modum rebus
prosperè per suos gestis, necesse erat bilem com-
moueri, atque augeri morbum, eoque modo quum
bis incisa uena sanguinem minuere frustra esset co-
natus, postridie Idus Augusti indignabundus ex-
cessit è uita: uir certè bello egregiè fortis & pace, ę-
qui pariter & iusti usque adeò tenax, ut seuerus &
inexorabilis haberetur. Sed elatior quibusdam ui-
deri poterat, quū aspectu austeræ frontis, rarò quen
quam familiaribus oculis intueretur. Erat ei facies
digna prorsus imperio militari, quòd honestas nec
deformes cicatrices Rhauēnate in prælio acceptas
ostentaret, & toroso habitu ualidi corporis, quan-
quam mediocris esset staturæ, certum & constanté
integræ ætatis uigorem exprimeret. Subtractus est
omni apparatu funebris pompæ, & in eadem uilla
Aragonij Montalti, ubi prætorium fixerat, cumulo
arenæ tumulatus. Qui optimo iure ætate nostra, si
cæteros duces eius gentis recta æstimatione repu-
temus, peculiari cum laude expugnator urbium sit
appellatus, repetito quidem cognomento, quod
olim Demetrio Macedoni obuenisse constat. Mor-
tuo Lotrechio, ad neminem summi imperij cura
peruenit: sed reliqui duces in unum coacti, quæ po
terant afflictis rebus remedia castrensis diligentiæ
comparabant, ante omnia à Rentio Cerite supple-
menta copiarum expectātes. At Rentius Aquilam
profectus, quum copias scribere, & euocare quos-
que Vrsinæ factioni, Gallicisque obiter partibus
addictos cogere properaret, tota potiundæ pecu-
niæ spe decidit, quòd quæstorem Gallum, & Ca-
millum Vrsinum cognomento Pardum, qui Aqui-
lanis Præcutinæque prouinciæ præerat, non ex-
haustos modò pecunia, sed publicè oberatos etiam
reperisset. Itaque ad Neapoleonem Vrsinum se con
uertit, atq; ab eo magnis persuasionibus cohortes
impetrauit. Erat tum Neapoleo recuperandis aui-
tæ hæreditatis oppidis intentus, quę post mortem
Virginij aui, Fabritio Columnæ Ferdinandi regis
concessione obuenerāt. Nam per eos dies propter
eandem antiquę literis controuersiam cum Scipione
Colūna Reatino episcopo, collatis signis apud Man
lianum extremis Marsorum finibus consixerat, ca-
denteque in acie Scipione, ea oppida uictor cepe-
rat, quæ sunt ad Fucinum lacum. Hic Neapoleo pu-
blicā patriæ iniuriam uindicare se uelle professus,
infestis armis Cæsarianos, quos in urbe uel in agro
Romano deprehendere poterat, cruenta manu per
sequebatur: cupiebatque Galli regis auspicia sequi,
& eadem stipendia promereri, quę & Iordanes pa-
ter, & auus Virginius maiores sui meruissent. Ad
has Neapoleonis cohortes, alias è Piceno agro, Spo
letoque in primis euocatas adiunxit, primasque ea
rum Rentius uti statuerat in Campaniam præmi-
sit. Iamque Paulus Petrus Ceruarius cum sua cohor
te Capuam peruenerat, & reliquæ antecedentem
cum Rentio consequebantur, quum Ceruarius de
Lotrechij morte cognoscit: nec propter eam famā,
qui erant Capuæ, uenienti & postulanti ingressum,
portā aperiunt. Nam Iulius Capuanæ familię prin-
ceps, & Fabritius Maramaldus, ad recipiendam Ca
puam aduentare ferebātur. Qua denunciatione de
muro facta, ut se periculo eriperet, Ceruarius ad Rē
tium est reuersus. Lotrechij morte Neapoli nuncia
ta, Cæsariani duces nequaquam oppugnanda ca-
stra censentes, obequitando castris, intercipiendo
commea-

commeatum, & se munitionem inuasuros ostēn- A
tando, bellum gerebant, quòd sine suo periculo, &
sine uulnere hostem pestilentia absumi prospice-
rent. Auster namque uentus per eos dies perflare,
& mortiferum crassioris nebulæ uaporem ex palu
stri ortum uligine per castra dissipare & circumfer
re ita cœperat, ut alijs ex causis conceptæ febres, in
contagiosum propè morbum uerterentur. Itaq; Gō
zaga consuetudine quotidiana partiendo per uices
equitatum, & sclopetarios pedites, quibus expedi-
tę celeritatis causa ignobiles equos attribuerat, tur
mis admiscendo circuibat castra, & per tubicines
pugnam ciendo hostes morbis atque inedia debi-
litatos orbatosque imperatore, & præfectis magna
ex parte ægris, aut morte absumptis, assiduè exagi-
tandos fuisceperat. Cæterùm Aurantius ipse cum
Gonzaga per exploratores edoctus, numerosum
hostium equitatum, suscepta nocturna profectio-
ne, è castris Nolana uia iter intendere, cōtinuò cum
expedita parte exercitus in eos erumpit, à medioq;
itinere abeuntes consecutus, nullo negocio fundit,
impedimentis exuit, & ferè omnibus aut cæsis aut
captis, cum magna præda Neapolim reuertitur. In-
terea Galli duces asperrimis rerum omnium incō-
modis conflictati, & de salute publica desperantes,
ad unum id consilium, quod antea Lotrechius ma-
lesana obstinatione repudiarat, ex communi om-
nium sententia recurrunt, damnatisque castris effu
giendum cēsent: mensq; omnibus una est, ut Auer-
sam se recipiāt, dum aliquæ uires supersint: ne cun-
ctis, si fortè castris se tenere, eaque pertinacius tueri
uelint, inhonestè atque miserrimè sit pereundum.
Itaque more militiæ tres acies, triaque agmina in-
stituunt, quibus singulis præsidij causa minores ter
nos falcones adiungunt, & equitatum æqua diui-
sione partiuntur. Primi agminis cura Salasso regu-
lo, Guidonique Rangono attribuitur, secunda Na- B
uarro. In tertia Pomperanus Gallus, Paulus Camil-
lus Triuultius, & Palicia cognomento Nigra, singu
larum alarum præfecti constituuntur: & sub auro-
ram composita agmina silentio castris educunt, de
sertis muralibus tormentis, & relicto omni grauio
re castrensis apparatus instrumentō, taciti quidem
& sine tuba tympanique strepitu euadentes, atque
eo tectius, quòd densissimus imber, crebris fulge-
tris, & multo tonitru procellosus ingruerat, aptus
hercle auertendo hosti, qui nec satis explorare, nec
opportunè persequi, nec quicquā grauius per eam
turbidissimam tempestatem tentare posse uidere-
tur. Cæsariani namque duces, qui pridie eius diei
(is fuit quarto calendas Septembris) consilio habi-
to, quòd nōnulli militum per Gallicas munitiones
infrequentem & segnem stationem morbo atque
inedia propè enectorū hostium se deprendisse nun
ciassent, ea ratione copias partiti fuerant, ut Dorbi
nus cum Hispanis adiūcto sibi Cōrado Hessio cum
quatuor cohortibus, Vasconum castra, quæ erant,
ut diximus, ad Campum uererem supra Ianuariam
portam, oppugnaret. Ipsi uerò Aurantius & Gonza
ga cum reliqua parte exercitus, admotis tormētis,
castrorum hostilium aggeres aggrederētur. Sed de-
cedente pluuia, quum tātisper reserenasset, allatum
est Gallos desertis castris ad Auersam se proripere
cœpisse. Qua re cognita, propè totus in abeuntes e-
quitatus est effusus: quòd ad certam prædæ spem,
quisque sibi uel iniussus properandum existimaret,
nullo propè subsequente peditatu: quoniam Dor-
binus & Hessius in oppugnādis Vasconum castris,
sub eam horam uehementer essent occupati, & Va
scones & Cantabri Agramontio duce suos aggeres
acerrimè & constantissimè defenderent. Erant in
nouissimo abeuntium Gallorum agmine sclopeta-
rij, partim ex nigra Etruscorum legione, partim ex
cohortibus, quę à colore uexillorum albæ uocaban- B
tur; hisque præerat Cæsar Scotus Placentinus. Ea
manus primum aduentantium & irruentium equi
tum egregiè impetum sustinuit: sed sclopetis semel
displosis, usque adeò acriter equites inuecti sunt, ut
uniuersos ad secundos ictus sese instruentes pertur
barent, quòd uiæ eius itineris cauæ, & prælta sa-
xeaque crepidine utrinque munitæ, omnem discur
rendi atq; explicandi sese facultatem eriperent, ma
gnoq; Cæsarianis usui esset equorū impetus, quan-
do in depressa & perangusta uia à paucis uel forti-
ter conglobatis sustineri nequiret. Per hunc modū
perrupto & fœdè profligato Gallorum nouissimo
agmine, grauis illico tumultus ad medium agmen
peruenit, parique sorte: quum frustra à primo agmi
ne subsidia expeterentur, quòd id plenis passibus
anteibat, ab eodē uictore equitatu fusum, & parua
cum cędę, armis & sarcinis uexillisque militaribus
& tormentis exutum est. Quandoquidem ægra mi
litum corpora languentibus dextris uix hastas in-
tentarent; aut gladios distringere auderent contra
uictores, qui in deditos, humique proiectos & salu
tem deprecantes, contenti præda, à cædibus facilè
temperabant. Nauarrus ipse, qui uti erat æger, lecti
ca sæpè uehebatur: & tum festinandi causa humilē
mulam conscenderat, obliquos uiæ tramites quæ-
rens, ab Epirotis Græcisque equitibus interceptus
est, Neapolimque perductus. Salassus uerò & Ran-
gonus expeditum nacti iter ad Auersam intacti per
uenerunt. Sed eorum copiæ usq; adeò angusta por-
tula receptæ sunt, ut amplius tribus horis, quū sin-
guli introirent, uictores iam adesse arbitratæ, diu in
fossa trepidanter, ut admitterētur, expectarint. Qui
bus tandem intra mœnia receptis, & paululum re-
creatis, quum duces in arcem de urbis defensione
consultarent, Hispani pedites agminatim superue-
nere. Primis Hispanorum cohortibus in conspectū
Auersæ se dantibus, reliqui manipulatim se aggre- B
gabant, & quòd perterritos atq; imparatos hostes
existimarent, adiuti paucis scalis, quas in suburba-
nis casis repererant, alij hastis innixi, alij commili-
tonum humeris subleuati, erepere in muri coronā
cœperunt, cohortantibus Saiauedra & Ioanne Gae
tano, qui nauali prælio captus dimissusque fuerat.
Hi primi omniū conscenderant, plenaque iam Cæ-
sarianis muri corona, quòd hostes metu præpediti
nequaquā alacriter arma expedire uiderentur, in ur
bem sese uel temerè demittere non dubitarūt. Sed
eorum paucitas Gallis animos ita erexit, ut Guido-
ne Salassoq; ante alios prodeuntibus & acriter inua
dentibus, Hispani, quibusdam fuorum interfectis,
aut captis, rursus subire coronam, atque inde se de-
mittere cogerentur: sicut nonnulli religatis ad pin
nas sclopetorum funiculis, per eos uel abrasis ma-
nibus defilirent, aut periculoso saltu præcipites in
fossam se darēt. Ab eo irrito conatu, Hispani, quòd
iam frequentes armatos, & tormenta displodentes
Gallos in mœnibus conspicerēt, Aurantio & Gon-
zagæ, quid rei gereretur, significarunt, postulantes,
ut tormenta muralia atque ampliores copias sum-
mittere properarent: quandoquidem hostes iam
confirmatis animis de deditione colloqui recusa-
rent, proindeque iuxtà ui expugnandos appareret.
Itaque duces, perterritis, nullum quo animos colli
gerent, aut uires alicunde resumerent, spacium mo-
ræ dandum rati, tormenta ad Auersam peruehi ius-
serunt, quo temporis interuallo, castra Gallica nul-
lo iam defendente inuasa direptaque sunt, magna
prædantium admiratione, quum præter arma tor-
mentaq; magnitudine & numero amplissima suis
locis reperta, ægri etiam moribundiq; milites pas-
sim iacerent, & quod erat acceptæ cladis argumen
tum, in ornatissimis tabernaculis enata gramina cō
spicerentur. Erat ea forma castrorum situ munitio-
neque memorabilis, & prorsus stupenda, sic, ut ple-
riq;

rique Cæsarianorum ducum nusquam peritius & accuratius à quoquam hac ætate castrametatum fuisse faterentur, magnam partem eius disciplinæ à Nauarri ingenio profectam dicerent. Postero die Salassus, ubi tormenta, quæ ex Gallicis castris adueta fuerant, promoueri uidet, suos componit, & distributis per idonea loca præsidijs, hostium uim expectare constituit, quòd propugnando resistendoque, generosa ortum stirpe armatum uti deceret occumbere, quàm nullo fortunæ aut uirtutis suæ facto periculo turpiter se dedere honestius putaret. Eiusdem animi erant Rangonus & Pomperanus, pariqué alacritate & confirmatione animorum ueteres milites defendendis mœnibus opportuna tela comparabát. Sed postquam ab Aurantio adactis maioribus tormentis uerberari murus, & mox aperiri cœpit, & introrsus repetiti pilarum ingentium ictus, nequaquam diu sustineri posse censerentur, eadem infestæ fortunæ uiolentia in genu Salassus grauissimè uulneratur, resiliéte scilicet perfracti tormento lapidis fragmine, quo ex acie in domum relato, magnopere imminutus est paulo antè resumptus uigor: & eo quidem grauius, quòd infelicibus nũcijs allatum fuerat, hostes Capuam recepisse, ad quam dubijs & aduersis suis rebus Galli confugere posse sperauissent. Nam (ut suprà diximus) Maramaldus cum suis cohortibus ad tentandum Capuá proficisci iussus, siniſtrorsum capto itinere, loco idoneo sibiqué noto non procul ab urbe confederat, & cum Iulio è Capuá familia Cæsarianarum partium, qui alæ equitum præerat, Campanos ad defectionem solicitabat. Erant Capuæ Vgo Pepulus æger, supremum exhalans spiritum, & Iulianus Strozza (is cum nigris cohortibus præsidio Puteolis nuper fuerat) præterea ingens ægrorum multitudo omnis generis. Nam Capuæ cunctis qui morbo tentarentur in castris, certus atque salubris erat receptus. Itaque Campani moriente Pepulo, Maramaldi aduentum timentes, & de Gallorum uictoria nequaquam temerè desperantes, dissimulato cõsilio, eam militum multitudinem adhortãtur, ut delectis his qui uiribus ualerent, aut qui iam ex longa ualetudine uires recepissent, facto equitum & peditum firmiore globo, exire prædatum uellent, quòd nihil iam Capuæ pecoris superesset, qua excursione aliquã pinguioris obsonij copiam relaturos, & quo successu à suis pariter atque hostibus bellum Neapoli gereretur, certius exploraturos. Probatur id consilium ab omnibus, quod callidum & non obscuræ perfidiæ plenum Campani obtulerunt, sicut magna manus armis & equis se instrueret, & sub uexillo statim portis egrederetur. Sed Campani egressis, & non multo pòst redeuntibus portas occludunt, eadem fermè hora, qua Ceruarium, ut dixi mus, cum Rentiana cohorte uenientem excluserãt. Ob id desperato ingressu, ea manus, uti cuique libuit, dilapsa est, & Maramaldus ab auersa porta in urbem est introductus: accumulata ægris Gallis miseria, quando omni armorum & uestis instrumento expoliati captiq; essent, ipsiqué Vgoni iam mortuo, & in æde sacra feretro impositi, inter nænias sacrificulorum, ornamenta equestris cultus detraherentur. Erat enim ex eo procerũ ordine, qui conchyliatum torquem Gallię regis munere eximij honoris causa gestare consueuerunt. Maramaldi siquidem cohortes è rapacissimo genere hominum, Lucanis & Brutijs constabant, quæ ex Gallia Cisalpina Etruriaq; ingentes egerant prædas, Romæque præsertim auarissimè graſſatæ fuerant. Strozza autem, qui cum pecunia Florẽtini quæstoris in arcem temerè munitam confugerat, certa pactione se dedidit. Ea Campanorum defectione Auersæ peruulgata, nec cessantibus Cęsarianorum tormẽtis, Auersani metu instantis cladis perterriti, iacentem Salassum adeunt, orantqué suppliciter, ne pertinacia sua fidelem miserrimamq; urbem in extremum salutis discrimen adducere uelit, maturaque deditione, plorantibus tot matronis & pueris subueniat, postquam cuncta sese defendere conantes defecerent. Salassus mortifero ictus uulnere, atque extremo dolore compulsus, animum ad pietatem reuocat, & Guidonem Rangonum ad Aurantium mittit, qui de deditione quã honestis possit cõditionibus transigat. Is uti debebat, in id consilium niteba tur, ut cunctis incolumibus, saluisque uexillis, & ciuitate conseruata paciscereturSed uictor Aurantij animus nõnulla superbè repudiabat. Per hunc modum aliquandiu re disputata, quòd interim tormẽta nullo quidem temporis puncto cessarent, & iam perruptus ad grandem hiatum murus coronaque pinnis nudata conspiceretur, nec Rangonus re confecta maturè uti sperarat rediret, Salassus militum quorundam precibus, & Auersanorum lachrymis fatigatus, per idoneum hominem ad arbitrium uictoris indecoram deditionem fecit. Eam uerò fœdæ pactionis conditionem, uel miseris & uictis indignã putauit Guido, qui adhuc cum Aurantio condi tionibus subtilissimè contendebat: quum transactę deditionis tabulæ proferrentur, usque adeò eas Rangonus est auersatus, ut testaretur se æquo iure esse liberum, nec pudendis statuum legibus, quando eius præscriptæ legis beneficio uti nollet. Hac lite cœpta Cæsariani interim recepti in urbem, quos pecunia redimere se posse uidebant, ad unum omnes cepere. Ferunt Pomperanum in ea tantæ calamitatis cogitatione defixis in cœlum oculis obstupescentem, acerbissimoque dolore perculsum, in uestigio concidisse, quum rigerent adhuc oculi, nec ullis fomentis ei exanimato, uita subito deliquio erepta, restitui posset. Hic est ille, qui Carolo Borbonio proditionis damnato totius exilij comes fuit, & eius postea admissi sceleris pertæsus, à clementia Francisci regis, alæ præfecturam promeruit. Illo etiam triduo quòd multis fortium uirorum funeribus, Gallis maximè luctuosum fuit, mortuus est ignobili & fœdo in loco, Ambrosius ille Florẽtius Insuber, qui mali aut certè fatalis consilij dirus author, Lotrechiũ, ut diximus, ab oppugnatione Mediolani Neapolim pertraxerat, ob idque meritas factioſæ malignitatis suæ pœnas dedisse uidebatur. Eum quoq; altero tantũ die anteceſsit Petrus Paulus Crescẽtius Romanus, Clemẽtis legatus: & Paulus Camillus Triuultius, prefectus equitũ in eadem pestilẽtis doloris miseria excesit è uita, qui omnes, uti erant nobilitate clarissimi sepulturę honore caruerunt. Pridie quàm Galli Auersana in uia funderẽtur, atq; eorũ Cæsariani potirentur castris, Andreas Auria ipsos captiuos Alfonsum Vastiũ, & Ascaniũ Columnam, quòd Cæsaris stipendio sese cõmutata uoluntate addixisset, in Ænaria insula, ubi illorũ erant uxores, lætos exposuit. Nec multas post horas Vastius Neapolim est profectus, ut ducũ cõsilijs interesset. Is, quòd suæ perpetuę benignitatis munus uidebatur, Salassum Neapolim perductũ, omni humanitatis & munificentiæ officio cõplexus est. Sed ille nõ multo pòst, internecino uulneris dolore mœrore q; animi cõfectus, ultro propè accersita morte, uitæ suæ finem imposuit. Vastius quoq; Rangonũ, cum Hispanis, an iure militiæ captiuus dici posset, prolixè disputantem, lata super ea remitiore sententia, liberauit, & cum quibusdam notæ uirtutis præfectis, actuario nauigio impositum in Æneriam abire iussit, ut inde Romam, uti probè à fidelissimis nautis factum est, adueheretur. At Nauarrus cui miserè capto quidam milites Hispani bina malesani atque infelicis decreti transfugia obiectabant, in eundem pristinæ, & tum supremæ calamitatis carcerem coniectus est: ea tamen Hicardi custodis

stodis indulgẽtia atq; humanitate, ut extrui sibi in foco uaporarium camini tubum, quo algens calefieret, impetrarit: sed aliquãto pòst uel æger & senex, quum eum, sicuti alios, qui eo bello defecissent, Cæsar perscriptis ab Hispania literis, capite plectendũ esse censuisset, exanimatus in culcitra repertus est. Nec defuere qui crederent eum superiniectę multiplicis stragulæ uestis pondere pressum, ultrò necatum fuisse, quòd Hicardus existimatione fortissimi ducis permotus, eum qui illam eandem arcẽ aliquando cepisset, reuocata rerum fortiter gestarum memoria, extra Cæsaris inuidiam, carnificis manibus subtrahere uoluerit. Per eos etiam dies ambo Florentinorum legati, Marcus Nerius, & T. Soderinus, Auersę capti, apud Hispanos Neapoli uitã cum morte commutarunt, quum Nerius pecuniã, quam pepigerat pro redemptione, tardius expediret, & Soderinus auri tenax, & uitæ prodigus, impositum tanquam æquo grauius pecuniæ precium, se perso luturum obstinatè pernegasset. Verùm nihil in eo belli exitu, quàm infimæ multitudinis, deformius atq; miserius spectaculum fuit, quũ semineces umbris hominum pares, pecorum modo, ad stabula regia, quæ sunt ad Magdalenã, truderentur. Nam hoc pietatis officium à senatu Neapolitano, ducibus ita iubentibus, ut ibi alerẽtur curarenturq;, impensum est. Verùm corpora cuncta, cœli, uigiliarum, & militaris laboris incõmoda per quinq; menses perpessa, usqueadeò aceruatim communicatis morbis à contagiosa illuuie peribãt, ut pauci superessent, qui in Galliam atq; Germaniam remigrarent, atque ex eorum calamitate atrox pestilentia Neapoli relinqueretur. Ab hac inexpectata multis uictoria, felicitateq; Cæsaris, & portentosa Gallorum clade, fortuna nequaquam adhuc suo in eam gentem exaturato plenissimè odio, tam insolens quàm atrox, in ipsum Lotrechij cadauer sæuitiam exercuit, ut diuturni ludibrij uicto mortuoq; cõtumeliam accumularet. Id enim Hispanus quidam impiæ atq; impudentis argutiæ rapax, fabulo erutum è castris in Vrbem retulit, & in regione, quam Sellariam uocant, recondidit subterranea in cella, ut uenalitium cadauer, aliquem è Gallia pietate & reuerẽtia insignem emptorem reperiret, qui redemptum repenso multo auro in Galliam ad Fusiæ gentis sepulchra referendum arbitraretur. Sed nemo unquã uel propinquorum, qui sepulturæ iacturam magnifaceret, aurumq; rependeret, comparauit, ita ut ualde mirum uideri posset, quòd in nemine apud Neapolim uel ducum uel procerum, in eo flagitio inusitatæ impietatis & iniuriæ generosus pudor humanitatem expresserit, quum in cella uinaria tanti nominis imperator inhumatus iaceret, secus ac Valdemontio acciderat, qui sacratarum uirginum, quæ in diuæ Claræ claustris degunt, mirifica pietate, honestissimo templi in loco collocari meruisset: quoniam id templum Andegauenses reges Valdemontij progenitores, pia liberalitq; magnificentia condidissent. Cæterùm Lotrechij mors, sicuti militibus importuna, ita, supra quàm credibile sit, ciuibus Romanis ingrata luctuosaq; extitit: utpote quæ singularem Vrbi tristitiã attulerit, usqueadeò, ut Populus Senatusq; Romanus in Capitolio non obscura summi doloris significatione, è cunctis tribubus atra in ueste coGeretur, & ei quem Vrbis liberatorem appellabat, quòd Cæsarianos supremę labis excidium communi gentium omnium patriæ immaniter afferentes, detraxisset, iusti honoris causa parentalia decerneret, quæ eo ipso die quo nunciata mors eius est, instauratis regio cultu splendidissimi funeris exequijs, Laterano in templo quotannis celebrarentur. Id decretum religiosæ pietatis usqueadeò ad diuturnam memoriam Lotrechio gloriosum uideri potuit, ut non dubium uictoribus, qui mortuo se pulturam inuidissent, prædurę & propè infamis inclementiæ pudorem exprimeret. Sub ipsam quoq; Auersæ deditionem, Agramõtius publicę labis fortunam agnoscens, & reliqui cum eo Vasconum duces, necessaria potius quàm æqua conditione se dediderunt, sic ut multa inermium & egentium agmina, quæ se Romana uia ad iter expedirent, cernerentur. Iisdem etiam diebus post Lotrechij mortẽ, Sanseuerinus Salernitanus regulus, & Hieronymus Tutauilla Sarnensis comes, ab Aurantio Nolam proficisci, & Valerium Vrsinum obsidere iussi, eum uix dum se ab aduersa ualetudine nouis uiribus confirmantem, in arcem se recipere, & postremò ea conditione deditionem facere compulerunt, ut cum præsidio ad castra Gallica deduceretur, quòd is erat paruo cum præsidio, attenuataq; equitũ suorum ala, & Nolanorum animi, ut ad pristinam Cęsarianorũ ducum fidem redirent, ad arma parati essent. Sed in iti nere cognitum est, Gallorum castra nulla iam esse: quapropter Hispani equites eum iure captiuũ esse dictitantes, exutum armis & sarcinis Neapolim perduxerunt. Ibi de militari iure aliquandiu in ea controuersia disputatum est. Verùm commendatione multorum, ipsius q; præsertim Mirandæ precibus, quem paulo antè ab ipso Valerio captum, humaniterq; dimissum diximus, ab Aurantio propter uirtutem sæpius spectatam, & generis nobilitatẽ, ut Romam enauigaret, impetrauit. Quum eo modo res Gallica passim urgente fortuna fœdè concideret, Gallicæ Veneræ q; classis prefecti, inuadendi oppri mendiq; Andreæ Auriæ consilium ceperunt. Erant enim ei uehementer infensi, quòd is à Gallo rege discedens, totius Italiæ causam importunè deseruisse, & peruersa ratione nequaquã iusta de causa sese Cæsarianis partibus applicasse uideretur. Itaq; proceuntes ex Prochytano freto, Auriam sub Iscla stationem habentem, ubi pridie Vastium & Ascanium exposuerat, conspicati, in eum tormenta maiora in spacio uiginti ferè stadiorum emittere cœperunt. Ipse molitur anchoras, aquilam q; triremem omniu uelocissimam præmittit, ut hostilis classis numerum certius explorẽt: expediriq; armamẽta omnia, tormenta q; dirigi in hostem præcipit, ea mente ut cum suis duodecim tantũ triremibus, uel cum multo maiore hostilium numero, contempto omni periculo, audacter cõgressurus crederetur. Sed quum hostiles multitudine essent superiores, utpote quæ triginta quinque numerum, quæ iam freto excessissent, facilè excederent, Andreas prælium non temerè uitandum putauit, & in eadem statione substitit, quæ erat tutissima. Nam urbs Iscla quæ antiquitus Pythacusæ à figulinis, & non à simijs dicebatur, sterili in colle collocata, in summo uertice munitissimam habet arcem, unde ei è uulgari Græco nomen est Ischia, siquidem munitissimum locum Græcè exprimit. Hæc latè maria prospectat, tormentisque maioribus in hostilem classem directis, & prægrandibus pilis in eam, uel ad incertos ictus frequentissimè cõtortis, Venetas simul & Gallicas triremes ab accessu facilè deterrebat, ea conditione, ut è longinquo tantum crebris & innoxijs tormentis certaretur, & Auria lunato in loco rupium obiecta mole protectus consisteret. Arx enim ad septentrionem, directis in subiectum mare cautibus inaccessa est, quum in meridiem extensæ per gradus urbi immineat. Iungitur porrò hic collis Ænariæ insulæ oblongo ponte lapideo, sic ut urbs scopulo imposita, & ponte annexa insulæ, nauibus circumnauigari nequeat. Circumuolitabant tamen ex longinquo Venetæ triremes, & uno atque altero ingenti tormento, quod Basiliscum uocabãt, inanibus ictibus terrorem inferre, & nostros in altum elicere conabãtur, quòd subire arcem nec ex propinquo conferre triremes, sine certo discri-

mine atq; exitio, ſe poſſe prouidebant. Itaq; quum
aliquandiu irrito conatu detrimentum inferre con
tendiſſent, intra fretum Prochytanũ unde exierant,
ſe receperunt. Eo die tum primum Auria ſtudium
ſuum nudauit, aurataq; lilia, quæ erant Galliæ regis
inſignia, & in extrema puppe ſpectabantur, iracun-
dè perfregit atque decuſsit, paucisſimosq; poſt dies
Gallicam claſſem Neapolitano excedentem litore,
& quòd iam Veneta fractis & deletis partium uiri
bus ad Meſſanæ fretum contendiſſet, intentiſsimo
curſu ſuæ claſsis perſecutus eſt, tanta celeritate, ut
quædam nauigia, militaribus equis & precioſo ca-
ſtrenſium rerum apparatu onuſta conſequeretur &
caperet, nec inde quicquam intermiſſa perpetui cur
ſus diligentia, ſegniores & longa nauigatione debi
litatas quaſdam nouiſsimi hoſtium agminis trire-
mes interciperet, & uix Tendanus regulus, quem
præfuiſſe Heluetijs diximus, è manibus elaberetur.
Locus admonet, ut de alienatione Auriæ, & Ligu-
ſtici belli cauſis, ſeriatim enarrem. Itaq; operæpre-
cium erit, paulo altius repetere à rebus geſtis ſupe-
rioris anni, qui toti Italiæ non modò ab atroci terri
bilique armorum ſtrepitu, ſed ab inuſitata frugum
penuria, & peſtilenti cœli atque aëris inclementia,
ſupra omnes, quorum patres noſtri meminiſſent,
maximè dirus & pernicioſisſimus fuit. Erat is uige
ſimus ſeptimus ſupra quingenteſimum & milleſi-
mũ à partu Virginis nefanda Vrbis clade inſignis.
Igitur ſub id tempus, quo Lotrechius tranſgreſſus
Alpes, eo modo, quo diximus Boſcum, Alexandriã,
atque Ticinum expugnauit, Franciſcus Galliæ rex
uiginti duarum triremium claſſem, Andrea Auria
præfecto, Maſsilienſi portu emiſit. Eum nuper ho-
norificentiſsimo maritimæ præfecturæ titulo, Ami
rantem mediterranei maris appellarat. Is Genuam
obſidere iuſſus, ſuperiora inferioraque Ligurię lito
ra percurrebat, idque unum iniunctum diligenter
obibat munus, ut frumentarias inuectiones impe-
diret. Nam tum Genuæ frumenti inopia uehemen-
ter laborabatur, & peſtilentia ſæuire in ciues cœpe
rat, nec ſatis firma aderat claſsis Antoniotto Adur-
nio, urbis & Cæſarianarum partium principi, qua
Gallicæ claſsi obſiſti poſſet. Hæc dudum onerarias
duas, Ferrariam & Rapallinam, proſpero deſtitutas
uento, apud Florentium Corſicæ portum perſequu
ta, ſeſe in litus eijcere compulerat, euadentibusque
nautis atque uictoribus, incenderat. Quam ob rem
fiebat, ut Genuenſes onerarias naues ad coëmendũ
frumentum in omnes partes dimitterent, & quoti
die effuſa in portum eſuriẽtis populi multitudine,
aduentum nauium expectarent. Earum forte duæ
frumento Siculo onuſtæ, ſeſe in Delphini portum
intulerant, ut inde expectata idonea tempeſtate, e-
luſa Aurianarum triremium cuſtodia, ad urbem per
ueheretur. Qua de cauſa ſuperioribus diebus, apud
portus fauces, Adurnius munitionem erigi, inædi-
ficariq; propugnaculum, & præſidium imponi iuſ-
ſerat, ut ibi ab alto intrantia nauigia tutam haberẽt
ſtationem, & ne à Gallicis triremibus oppugnaren
tur, terreſtri cohortium præſidio defendi poſſent.
His Adurnij cõſilijs diligenter exploratis, Andreas
claſſe peruectus, idoneo in loco circiter quatuor mi
lia peditum expoſuit, ut à terra portũ & uicum oc-
cuparet, allectus ſpe totius hoſtium opprimendæ
claſsis. In ipſo nanque Delphini portu, præter ali-
quot Liguſticas naues frumento & mercimonijs
onuſtas, ſeptem aderant partim Adurniæ, partim
Cæſarianæ triremes, quarũ prouiſo periculo, Adur
nius ferendæ opis conſilium cepit, Auguſtinumq;
Spinulam prætorij præfectum cum multa maxima
parte prætorianorum, eò terreſtri itinere proficiſci
iubet. Is nauiter iuſſa faciens per montana aſpera-
que itinera contendẽs, ad uicum, quem incolæ Bra
ma panem uocant, ſub auroram peruenit. Tum ue-
A rò exoriente ſole, ab hoſtibus, qui in litus deſcende
rant, Spinula conſpicitur, adeò præclarè, ut quum
per deruptos & anguſtos tramites ſe demitteret,
militum numerus facilè receſeretur, & Auriani am-
pliore numero ſuo confirmati, obuiam deſcenden-
tibus eundum cenſerent. Erat modica planicies nõ
longè à fano diui Michaëlis, trecẽtorum fermè paſ-
ſuum. Eam Auriani duces Antonius & Philippus
prouecti præoccupant, & Viſcontem Cicadam no-
bilem ſigniferum, qui præfecti Auriæ geſtabat ue-
xillum, cum ualida ſclopetariorum manu anteire
iubent: ipſi mediam aciem excepturam deſcenden
tium impetum, ex aduerſo inſtruunt. Viſcontes na
ctus in his rupibus duos ingẽtes ſcopulos, poſt eos
ſuam manum collocat, & primos deſcendentium
hoſtes, effuſa glandium procella, tranſitu arcere co-
natur. Tum uerò Spinula coniectus in locum, unde
ſe eripere ſine ignominia grauiq; ſuorum detrimen
to non poſſet, quanquam numero hoſtium terrere
tur, breui oratione militum animos confirmat, do-
cetque hoſtes facilè inuadi ſuperarique poſſe, ſi ſe
prætorianos eſſe meminiſſent, quorum neque uir-
tutem, neque impetum, aut Galli noui milites, aut
Auriani ſemiremiges laturi uiderentur. Nec mora,
æquiſsimo loco ſe demittẽs, Viſcontis ſclopetarios
è ſcopulis deijcit. Hi pulſi mediam aciem ex tumul
tuaria ſua fuga perturbant: certatur tamen magna
ui collato pede, ſed uel paucorum hoſtium Auriani
iniquo decliuique in loco impetum non diu ſuſti-
nent, continuò dant terga, & ſe in fugam per con-
fragoſam uiam præcipites conijciunt. Spinula pul-
ſis atq; perterritis, capto Philippo Auria, inſtat. Ab
Adurnijs uictoriæ clamor attollitur, Galliq; & Au-
riani timore occupati, adeò perturbatè ad litus de-
ſcendere conantur, ut pauci apprehenſis remis in
triremes euaderent, reliqui cæſi, aut capti ſint, aut
B per auias & inacceſſas rupes effugerent, quum mul
tò plures eorum præcipiti ſaltu ſe eripientes, pro-
fundo mari mergerentur. Parta uictoria, admirabi-
li caſu accidit, ut eo ipſo die Spinula ab Adurnio ad
urbem reuocaretur, quòd Cęſar Fregoſius à Lotre-
chio Genuam cum delecta manu peditum & equi-
tum miſſus, in Pociferam uallem ſe demiſiſſe, & iã
adeſſe nunciaretur. Quibus iuſsis Spinula paren-
dum cenſens, ſuſpicatus quod futurum uidebatur,
ut ſe diſcedente, Auria claſſem inuaderet: Trierar-
chos admonuit, ut ſe compararent ad prælium, &
nudatas propugnatoribus hoſtium triremes aggre
derentur. Quòd ſi id facere præſtareque, uti opor-
tebat, non poſſent, in altũ ſe proriperent, & in quos
fortuna uel Liguriæ uel Etruriæ portus offerret,
properè confugerent. Cæterùm uel terreſtri uicto-
ria adiuti, nihil egregium aut fortibus uiris dignũ
tentare auſi ſunt, quòd defenſores pariter & remi-
ges ad prædam incitati, conſpecto hoſtium aduer-
ſo ſucceſſu, in triremibus contineri nequiuiſſent.
Secundum uerò complexi conſilium, quum enaui-
gare cœpiſſent, nec ullo prorſus uento iuuarentur,
feſsis remigibus, animos ita deſponderunt, ut in
tutum euadere poſſe deſperarent, & continuò in
eundem Delphinum portum redirent. Affuit occa-
ſioni ſuæ intentus Auria, & inuectus in hoſtes, tri-
remes præter unam omnes cepit. Hæc fuit Iuſtinia
na, cognomento Gibba, reliquæ fuere in poteſtate
hoſtium, eo facilius, quòd nexi, ſeruique omnes ad
trãſtra cathenati, ſublata uoce libertatem inuocaſ-
ſent, & propugnatores epibatæque omnes undiq;
deſcenſione facta dilaberẽtur. Captę ſunt ante alias
duæ Genuẽſes, quibus pręerat Iulianus Ripa, Adur
nij cliens. Alię fuerunt partim Siculę, partim Hiſpa
nicæ. Capta quoq; eſt & direpta precioſi mercimo-
nij plena nauis oneraria, cognomento Iuſtiniana,
quæ dudũ è Chio Oriẽtis inſula in Delphini portũ
peruenerat. Hæc res geſta eſt ſub Idus Auguſti, ita
alternan-

alternante uices ſuas fortuna, ut qui terreſtri pugna
uictores fuerãt, mari uicti & mox debellati fuerint.
Cæſar nanq; Fregoſius ad diui Petri fanum, quod
uocatur ad Arenam, poſitis caſtris, caduceatorẽ re-
gium in urbem præmiſit, qui Genuenſes ad dedi-
tionem hortaretur, & ſi id facere abnuerent, omnia
infeſti belli detrimenta & uillarum incendia denũ-
ciaret. Adurnius, qui paucis antè diebus ægra ſpe re
rum ſuarum permotus, decurionibus permiſerat,
ut legatum ad Lotrechium de concordia mitterẽt,
caduceatorem repulit. Id autem legationis munus
ſuſceperat Vincentius Pallauicinus, æquiſsimasq;
conditiones à Lotrechio retulerat, præter id unum
quod à Genuenſibus enixè petebatur, ut ſcilicet Sa
uonam urbem ademptam populo Genuenſi reddi-
turum polliceretur. Eam namq; urbem, Memoran-
tium regis gratia ualidum, ſibi impetraſſe, & præfe
ctum nomine Moretum impoſuiſſe ferebãt, eo con
ſilio, ut Sauonenſi portu, quòd eſſet Galliæ Ciſalpi-
næ opportuniſsimus, poſtquam Genua alienæ eſ-
ſet ditionis, ad omnes belli cõmoditates uteretur.
Ea re Genuenſes nihil grauius ſibi accidere poſſe ra
ti, ꝙ ut Sauona tot ſeculis ciuitati contributa ſubtra
heretur: repentè commutatis animis, à priore dedi
tionis conſilio diſceſſerunt, ita ut Adurnius nõ ob-
ſcuram ſpem retinendi principatus reſumeret. Im-
poſuerat Cæſar cum præſidio unius cohortis Bor-
rachinum præfectum in æde ſancti Benigni, ea eſt
in ſupercilio montis, qui imminet ei turri, quam à
lychno nocturni luminis Pharum uocant: deſpe-
ctatq; dextrorſum ſubiectam maris plagam, in qua,
ut diximus, ad Arenæ templum Fregoſius conſede
rat. Cognito hoſtium aduentu, Adurnij, & paucita-
te copiarum eius cõtempta, eos inuadendos decer
nunt, & poſt intempeſtam noctem, eductis præto-
rianis, rectà ad eos proficiſcuntur, adeò ſilenti agmi
ne, ut apud Lazariam ueterem portam Borrachini
excubias parum intentè ſpeculantes opprimerent.
Ab his, ubi ſit Borrachinus, & ubi conſiſtat Cæſar
diſcunt, continuoq; dorſum eius promontorij con-
ſcendentes, Borrachinum ſemiſopitum, confiſumq;
ſuis excubijs capiunt, præſidiumq; eius paucis cæ-
ſis, & nonnullis uulneratis fugatur, & per exterio-
rem rupis partem deijcitur. Fregoſius audito ſtrepi
tu, & iam inalbeſcente cœlo, conſpecta ſuorum fu-
ga, appropinquanteq; hoſte ſeſe colligẽs, munimen
tum quod ſors obtulit, irruentibus opponit. In ea
namque parte litoris ædificabatur oneraria ingens
nauis, cui Grimaldiæ nomen fuit. Itaq; eo nauigio
pro munitione uſus, ſclopetarios opportunè diſpo
nit, & glandibus coniectis hoſtes ab acceſſu arcet.
Ii bifariam diuiſi, pars dextrorſum ad Fregoſianas
copias, ubi erant equites nonnulli Martinengo du-
ce defertur, altera contra Cæſarem procedit. Sed fa
ctum eſt egregia fortitudine Cæſaris, ut qui in na-
uigio erant, hoſtes loco pellerent. Nam Cæſar & à
puppe, & à prora cum ſuis proſiliens in ipſos Spi-
nulanos parum conſtanter oppugnantes, & metu
ſclopetariorum perturbatos erupit: & reliqui Fre-
goſiani Martinengum in congreſſu ita repulerunt,
ut circumuentus in medio caperetur, Spinulaq; ipſe
deueniret in poteſtatem, & Sinibaldus Fliſcus, qui
cum clientum manu aderat, paruo temporis & lo-
ci ſpacio ex hoſtium manibus eriperetur. Eo modo
Cæſar ſemihorę momento, in ipſa propè rerum de-
ſperatione uictoria potitus, pleno paſſu ad urbẽ cõ-
tendit, & inter ſuburbana tecta uiæ militaris, quã
Faſciolam uocãt, iuxta Theodori templum, tumul-
tuariam Hiſpanorum manum, quæ ſubſidio mitte-
batur, magno impetu fundit, & ad Diui Thomæ por-
tam prouehitur. Nec diu pòſt ciues excitati Frego-
ſij uictoria, uti antè ſtatuerant, neq; poſtea impleue
rant, Galliæ regis imperio ſe dedere decernũt: miſ-
ſisq; Ferrario & Lomellino legatis (hi enim erant
A Fregoſianæ factioni addicti) qui portam aperirent,
& Cæſarem exciperent, uictores introduxerunt.
Ipſe princeps Adurnius, qui ad tumultum adcurre-
rat, ubi introductos in urbem hoſtes ex populari ac
clamatione audijt, conuerſo equo in arcem prope-
rè confugit, paululumq; moratus, ad nouiſsimũ cõ-
ſilium, quod erat ciuilis potius pietatis quàm belli-
cæ uirtutis, deſcendit. Neq; enim eum animi uigo-
rem, quem Hieronymus frater aduerſis in rebus tu
lerat, Antoniottus, uti erat remiſsiore ingenio, & po
dagræ uitijs correptus, ferebat. Statim ſiquidẽ Phi
lippum Auriam, quem in arce captiuum habebat, li
beraliter dimittit: orat ut operam æternæ laudis pa
triæ pręſtare uelit, ne neceſſe ſit in ea mutatiõe prin
cipatus, cædibus certare, quibus inteſtinis malis ci
uitas omnino lacerari atq; deleri poſſe uideatur. Si-
bi quoq; in eam publicæ ſalutis curam intento, ni-
hil fore honeſtius arbitrari, ꝙ excedere arce, ut urba
nis rebus tranquillitatẽ adueheret. Cum his manda
tis Philippus æquè fidus & alacer ab arce in aream
Aurianã deſcendit, aduocat contribules & pleroſq;
alios ciues, appoſitaq; oratione perſuadet, ut Gallię
regis imperium lubentibus animis ſuſcipiant, uete
rum odiorum & factionũ obliuiſci, & ab omni con
tentione diſcedere uelint. Ea Philippi oratione per
moti ciues, ad cõprimendum plebis & militum tu-
multum, per urbem diſcurrunt: ſedaturq; illico mo
deratione Fregoſij & ciuium precibus, armorũ ſtre-
pitus, tanto parendi obſequio, ut nulla domus, prę
ter decurionum prætorium concurſu plebis diripe
retur: ſic ut admirabile uideri potuerit, quòd in tan
ta perturbatione nullo propè effuſo ciuili ſanguine,
urbanæ res fuerint cõpoſitæ. Quòd ſi Aurianæ Gal
licæq; triremes, quæ tum aberant, eo die portũ te-
nuiſſent, rebantur ciues nauales turmas uti prædæ
auidas non facilè coërceri potuiſſe, quin effuſiſsimè
B graſſarẽtur. Itaq; ſingulares à ſenatu atq; omnibus
ordinibus Cæſari gratiæ ſunt actæ, quòd Galliæ re
gis commodo ꝙ propriæ dignitati atq; amplitudi-
ni, quã armatus arripere poterat, ſtudere maluerit.
Erat enim Cæſar Iano patre genitus, qui tum Vene
tis in caſtris militabat, Genuæq; principatus fortu-
na aliquandiu, ut ſuo loco diximus, fuerat potitus.
Data ſunt ei uirtutis & clementiæ nomine præmia
ſignatæ pecuniæ, & certiſsimi annui redditus ali-
menta, quæ ad poſteros tranſirent, è ſenatuſconſul-
to cõſtituta. Nec multo pòſt pari ciuilis animi pro-
penſione, Adurnius arcem ciuibus reddidit, & cum
præſidio clientium ſuorum patriæ & principatu ce
dens, ad paterna caſtella ſe recepit: paucisque pòſt
menſibus, quũ ad Antoniũ Leuam eſſet profectus,
apud Mediolanũ ſine prole fato cõceſsit. Non mul
tos aũt poſt dies Genuam uenit Theodorus Triuul
tius, qui deductus in ſenatũ, conſenſu ciuiũ, ſatagẽ-
teq; in eam rem ipſo Auria, Decuriones in uerba re
gis ſacramento adegit, quum paulo antè Cęſar Fre-
goſius ad Lotrechiũ in caſtra redijſſet. Eius diri an-
ni inclinãte autũno, quo hæc in Liguria geſta ſunt,
& Lotrechius reiecto oppugnandi Antonij Leuæ
conſilio, totas Franciſci Sfortiæ pręſentis atq; obni
xè orantis ſpes eludens, poſt eas urbes, quas dixi-
mus manu captas, ad oppugnandam Neapolim ire
properabat: Landus Venetæ claſsis præfectus in Si
ciliã nauigauit, atq; ingreſſus capaciſsimũ Auguſtæ
portũ, poſtulauit à pręfecto arcis, ut ſibi pręſenti pe
cunia coëmere frumentũ liceret: quod quũ præfe-
ctus ſponte ſe conceſſurũ Venetis ex profeſſo Cæ-
ſaris hoſtibus pernegaſſet, Lãdus refractis horreis,
quantũ ſibi opus eſſe iudicabat, frumenti copiã na-
uibus impoſuit, ea æquitate, ut preciũ Siculis egre-
gia fide perſolueret. Ab Auguſta aũt digreſſus, quæ
eſt inter Pachynũ promontoriũ & Siracuſas, ſupera
to Meſſanæ freto, ad Æolias inſulas cõtendit, circa
quas triduo tẽpeſtate iactatus, & perflantib. demũ,
modò

modò Euro, modò Subsolano, secundissima nauigatione in Puteolanum sinum se intulit. Ibi quum tormẽtis peteretur, è superiore Baiana arce, quæ est ad Baulos, in eo loco, ubi olim Hortensij oratoris uilla fuit, longius secedens, directis proris atq; tormentis oppugnare urbem Puteolos cœpit, ad quẽ classis locum, Baianæ arcis tormenta peruenire nõ poterant. Ea namq; arx in supercilio montis posita est, qui duo diuersa maria despicit, Puteolanum scilicet sinum, & Baianum portum, qui antiquitus Misenensis fuit. Romanorum nauale tutissimum. Mare siquidem Miseni scopulo illisum, per arctas fauces ad læuam influit, & concluſum efficit pelagus, quod hodie perpetuæ tranquillitatis nomine Mare mortuum appellatur, habetq; iuxta ad certam æquationem fornicati operis piscinam, quæ ab incolis Admirabilis uocatur. Cęterùm Landus nihil tẽtata per milites expugnatione, ex condicto iussuq; senatus, ut Gallicæ classi iungeretur, Tyrrheno pro uectus mari, ad portũ Herculis, quod est ad Argentarium Senensis agri promontorium, Auriam obuium habuit, communicatisq; cõsilijs in Corsicam primò, atq; inde per fretum, quod utramq; insulam dirimit, in Sardiniam traiectum est: & copiæ, quas Rentius Ceres elapsus clade Vrbis, Gallica pecunia scripserat, in terram expositæ sunt. Primum quod occurrit, fuit oppidum nomine Genuense Castellũ. Ibi promotis proris, tripartito munere tres classes uno tempore diuersis in locis murum uerberare cœperunt, satisq; magna parte mœnium quassata & diruta, Castellanorum res: quanquam egregiè, sagittis præsertim atq; lapidibus se defenderent, graue in discrimen adductæ uidebantur. Quo permoti periculo oppidani, Rentio significarunt, se certa conditione postero die dedituros. Is enim suos in acie continebat, ut cuncta, quæ superuenire possent Sardorum auxilia, cõtinuò arceret, ne naualibus socijs oppugnatione occupatis, ulla exterioris hostis ui noceretur. Sed in eo metu deditionis q; consilio uersantibus, oborta fortè tempestas turbuléta, qua ab importuoso litore classibus erat discedendum, salutem attulit. Nam repentè sublatis anchoris, intento usus remigio Auria, ad Herculis insulam, quæ olim Diabata, hodie Asinaria dicitur, contendit: cursumq; eius obseruãtes Venetæ Gallicæq; triremes, in eundem portum concesserunt. Is est fidissimi recessus, & obiectum contrà respicit Falconis promõtorium, ab antiquis Gorditanum appellatũ. Dum classes decedente tempestate idoneam maris tranquillitatem expectarent, qua freti ad expugnandũ Castellum Genuense reuerterẽtur, Rentius eos admonuit, ne renouato impetu de expugnatione oppidi cogitarent, per causam obtinẽdi commeatus: quoniam ipse cum terrestribus copijs proximũ oppidum nomine Sursam occupasset, quod erat ab incolis desertum, atq; omni cõmeatus copia plenissimum, unde per multos menses uniuersa classis ali posse cõstaret. Interea Rentio interiora insulæ peruadẽti, nunciatũ est, Sardorum equitum alam cum ingenti sagittariorum peditum agrestium numero aduentare, quibus excipiendis Rentius expeditam sclopetariorum manum, loco inter uepres & arbusta ad insidias idoneo, collocauit: primoq; impetu incautè pręcurrentes hostium equites fudit, & auertit, quum in primo agmine nonnulli glandibus traiecti cecidissent, & ante alios eorum dux cum signifero Bartholus cognomento Florentinus, usqueadeò perturbatis reliquis, ut ea ala equitum fermè quingentorum refugiens, agmina sagittariorũ perturbaret atq; proculcaret. Neq; postea ullo in loco amplior Sardorum manus sese ostendit. Itaq; classibus Sursanæ prædæ & commeatus ingenti copia affatim repletis, Rentius ad Saxerim urbem, præfecti totius insulæ sede, & Sardorum conuentu claram, accessit, & quòd præfectus munitiorem quærens locum, Caralim aufugisset, eam urbem copijs suis occupauit, quò etiam appulit classis. Tanta uerò omnis generis annonę copia reperta est, cùm frumenti & uini, tum etiam ad opima militum & remigum salitę carnis & casei, numerosiq; maioris & minoris pecoris multitudo, ut multa ingluuie earũ rerum, paulo antè esurientia corpora morbis tentarentur, nec secus ac in pestilẽtia accidit, magnus numerus ægrorum interiret. Nam supra intemperiem Sardoi cœli, quæ uel hyeme etiam erat grauissima, ea copia cibariorum, & multiplex recentium præsertim carnium esus, deficiente pane, affectis & paratis ad mortem corporibus accesserat, usqueadeò miserabiliter, ut non modò in milites & remiges, sed ad aliquot nobiles trierarchos ea contagiosa labes permanaret, & dimidia pars hominum absumeretur, reliqua lethaliter lãgueret, & ea clades aduersos prælio maior censeretur. Exinde ab infami litore discedentes, Liburni portum tenuere, quem antiquitus Ciceroni Labronem fuisse constat, hodieque apud incolas priscum id nomen retinet. Instabat iam aduentus ciconiarum, prima non dubij ueris signa afferentium, qui incidit in idus Februarias: atq; ita aperiente se mari, Ioannes Morus primus omnium cum sua classe profectus, Siculum transiuit fretum, Corcyramque peruenit, quem non multo pòst subsecutus est præfectus Landus, Gallicæ uerò triremes reliquias Rentianarũ cohortium sustulerunt. Ipse autem Auria ea conditione Genuam est reuersus, ut cum octo triremibus Aurianis, Philippum Auriam propinquum legatumque suum, cuius uirturi plurimum confidebat, nõ multo pòst ad Lotrechium Neapolim obsidentẽ mitteret. Initio autẽ æstatis (ut diximus) Philippus nauali prælio prope Salernum cum Vgone Moncata commissis classibus conflixit, partaque uictoria Alfonsum Vastium, & Ascanium Columnam eo prælio captos ad Auriam perduxit. Hi pro redemptione æquum precium pollicentes, Auriam demississimis precibus orabant, ne se regi Gallo ad diuturni carceris miseriam tradere properaret. Repetebat enim eos rex multis de causis, quòd lege militari & suis auspicijs capti, tradendi censerentur. Sed id Auria ex priuatis stipendij sui conditionibus se facturũ pernegabat, quòd longè molestissimum magnanimo regi cupidissimoq; ostentandæ liberalitatis atque clemẽtiæ in captiuos dolorẽ afferebat, usqueadeò, ut iracundia correptus, Auriæ responsa tanquã insolentiæ & nõ obscurę auaritiæ plena cõtumelioſe detestareť. Dicebat enim Auria nuper expetẽti regi Philibertũ Aurantium ab se mari captũ, & prægrandem pecuniã pollicentẽ, liberaliter concessisse, neq; postea regem, uti promisisset, iuraq; militiæ postulabant, pro captiuo ullam omnino pecuniam rependisse, eumq; pro accepto munere, aliam non reddere gratiam, q̃ ut ipsum meritorum stipendiorũ spe & longa expectatione frustraretur. Sed Auriã sicuti didicimus, ut duriorem se æquo regijs postulatis inexorabilemq; præstaret, nequaq̃ pecuniæ cupiditas, sed ingens amor erga patriã impellebat. Hoc siquidem publico dolore Auriam uehementer angi Vastius conspiciens, eius animum pertentare aussus, eò iam ægrum & nutantem perpulit, ut commutata uoluntate, conuersoque studio, repudiataque regis amicitia, Cæsaris auspicia sequeretur, à quo certissima præmia expectari possent, quæ spes omnes de liberalitate regis cõceptas, magnitudine honoris atq; stipendij superarent. Clemens pontifex, causis Aurianæ alienationis compertis, per Saluiatum legatum, regem amicissimè permonebat, ut operam daret, ne Auria causam deprauati animi, discessusq; sui nancisci posset, quòd uir ille possessione maris potens, omnino in officio atq; amicitia reti-

retinendus esse uideretur, ne si labasceret, atq; desiceret ad hostem, spes omnis exploratę propè uictoriæ corumperetur. Proinde imponendos esse iracundiæ frenos, ne publicis rebus officeret, si pertinacius uel iusto dolori indulgendum arbitraretur. Misit etiam Clemens ad Auriam T. Sangam ab epistolis, qui eum leniret, & ne quid properè transigeret, hortaretur, quando perpetuum eius studium fidesque ueteris constantiæ, ab omnibus fœderatis exigeretur. Cæterùm Auria, quum audisset à Barbesio Gallicarum triremium prefecto, sibi insidias tendi, opportunè sibi cauendum censuit, atque omnino Cæsaris amicitiam & militiam tanquam uberiorem certioremque complectendam ratus, è Genua ad Erycem, quod est oppidum iuxta Lunense promontorium positum, cum reliquis suis triremibus se contulit: dimisitque sub fide Vastium ad Antonium Leuam, ut cum eo communicatis consilijs, de conditionibus ageretur, quæ deferri ad Cæsarẽ in Hispaniam deberent. Atque ita non multo pòst, Aurea torquem conchyliatum, quem honoris causa ab rege delatũ acceperat, ad eum remisit, ab eaq; de more ceremonia, sacramẽto militari se absoluit. Rex enim exactis stipendijs hominem retinere conatus, multa per Ioachimum Leuantium Ligurem, quem Lotrechij iussu, ab nauali statim uictoria, captiuos à Philippo postulasse memorauimus, atque item per Petrum Franciscum Pontremulanum frustra egit, quum iam seræ pœnitentiæ tempus incidisset. Per hunc modum Auria singulari cum offensione regis, magnoque eius incommodo, cum Cæsare transegit, & uti diximus, cum duodecim triremibus, ad Ænariam liberatos proceres Vastium & Ascaniũ retulit, deletisque iam Gallis ad Auersam, & castris eorum captis, cõsectabundus Gallicas naues, Genuam est reuersus, eo infensi animi consilio, ut Gallos urbe depelleret: neq; tamẽ nouũ, aut Fregosij nominis, cui ipse antea enixè studuisset, aut Adurnij, quod multis de causis iampridem odisse uidebatur, principatum induceret, sed ut omni externo dominatu repudiato, patria intestinis malis diu afflicta oppressaque, nunquam deficientibus tỹrannis, in libertatem suis auspicijs assereretur. Hãc enim Genuenses in uniuersum multis annis exoptasse potius quàm speraſſe uideri poterant, quòd eorum ingenia nunquã satis pacata, nouis semper studeant rebus, & mutatione principatus tumultuque urbano magnopere gaudeãt, parata semper plebe ad excitãdas seditiones suopte instinctu, impulsuque procerum, qui diuersas alere factiones, ostentare potentiam, & modò his, modò illis, prout repentina libido tulerit, partibus adesse consueuerũt. Igitur sub aduentum Auriæ, Genuenses animos à pristinis dissensionibus ad concordiam reuocantes de constituendo oblatæ libertatis statu, cõsilia inire cœperunt. Multa tum senatorum omnisque generis ciuium capita, eius damnati anni pestilentia sustulerat. Non deerant tamẽ in quibus uigeret studium complectendæ libertatis: propterea paulo antè nunciata Gallorum clade, quæ ad Neapolim Lotrechio acciderat, de abolendis ueteribus factionũ odijs, parandaque fideli concordia, per coronas sermones serere cœperunt, quos, quanquam non obscuræ rebellionis initia uiderentur, Theodorus Triuultius urbi præpositus minimè uetabat, utpote qui Italicæ probitatis, & Christianæ disciplinæ putaret nihil pace & consensu ciuili melius, nihilque factionum, quæ sæpe cruentæ extitissent, obliuione tutius atque salubrius. Andreas itaque iuxta urbem ei litori, quod Sarzanium uocant, cum tredecim triremib. noctu appulsus, notos sibi ciues quosdam euocauit, roſtratarumque singularum scaphas militibus compleuit, iusitque ut exploratum intra molem pręcederent. Orabant ciues, ut nihil bellica ui tentare properaret, ne urbs fœdæ direptionis periculo obijceretur. Idcirco Philippum Auriã, Christophorumq; Pallauicinum in Auriam adoptatum familiam, cum manu militũ misit, qui per notos sibi aditus urbem intrarent, & quid facto opus foret explorarent. Interea Galli trierarchi, cognito Auriæ aduentu, nihil sibi moræ attulerunt, quin sublatis anchoris ad prælium se compararent, & è portu in altum se proucherent. Eo casu Auria scaphas suas reuocat, recipit milites, & ad pugnã compositis armamentis procedit. Sed nox adeò obscura erat, ut classes inter se conspici nequirent, momẽtaneisque tantum, quum tormenta incenderẽtur, relucentibus flammis spectarentur. Quamobrẽ Auria non temerè tenebras detestatus, quòd Gallos procursu suo prælium appetere, & congredi uelle appareret, expectandam lucem esse constituit. Qua mora, ei renunciatum est ab his quos miserat, urbẽ esse in potestate. nã Philippus porta arcis potitus, & Pallauicinus per Giaretam, quam uocant portã, iuxta natialia ingressus, pulsis ex itinere Gallorum excubijs, in forum peruenerant, coniunctisque uiribus ipsum prætorium, depulsa Heluetiorum prætoria cohorte, sine uulnere occuparunt: & quum libertatis ingeminatum nomen undique audiretur, Theodoro arce se tenẽte ciuitas oblita Gallici principatus libertatem complexa est. Inalbescente uerò die, quum speculatorium nauigium Auriæ renũciasset, duas triremes è Sauona recta nauigationẽ urbem petentes, ignaras earum rerum quę accidissent, aduentare, Auria ad eas opprimendas contendit. Earum altera in alto comprehensa, alteram conicitatam in litus, quod Cogoretæ plagæ est, suis cathenatis remigibus plenã, euadentibus propugnatoribus cepit. Nec multo pòst sublato Cęsariano uexillo, quo Vgonis Moncatæ prætoria capta fuerat, ad urbem suburbani litoris loco, qui Malpaga uocatur, classem appulit: exindeque urbem in potestate esse certior factus, Gallicas duas itẽ triremes, quas consternati ad arma aduersus trierarchos nexi remiges occuparant, propugnatoribus ad arcem confugientibus, cepit, acclamanteque ei populo tanquã uictori assertorique libertatis, ad paternam domũ ire contendit. Ibi concionatus ad ciues, sui consilij causas aperuit, & suum erga patriam adductæ libertatis beneficium, ut agnoscerent, conseruareque studerent, admonuit. Ipsi ciues præ gaudio plorantes, certatim gratias agentes, receperunt se fortibus animis, eo usuros beneficio, quod optimus ciuis & patronus omnium fortissimus præstaret. Creatus est subinde, aduocato in consilium populo constituendæ reipublicæ, Decemuiralis magistratus, qui ordinaret ciuitatis statum: atque item alter, qui belli & pacis munia tractaret, quòd plerique conscribendũ exercitum censerent, quem descendenti in Pociferam uallem Francisco Borbonio Sancti Pauli regulo opponerent. Tantum porrò fuit in plerisque ciuibus tuendæ libertatis studium, ut ingentem pecuniam in ærarium liberaliter conferrent. Sed Borbonius retro rebus desperatis, reuersus in Galliam cisalpinam unde uenerat, facilè effecit, ut Theodorus Triuultius honestissima pactione reddita arce sibi consuleret, & humanissimè dimissus, ad tuta Gallorum pręsidia proficisceretur. Nec multo pòst ijsdem copijs, quæ contra Borbonium comparatæ erant, Sauonam in potestatem redegerunt, Nouiumque item oppidum, & Vadum castellum, quod est ad Vada Sabatia, Antonij triumuiri ex Mutinensi prælio fugientis, receptu clarum. Verùm multo iracundiæ studio incitati Genuenses, ut bene mulctatos Sauonenses relinquerent, in eorum portu duo magna nauigia plena ingentibus saxis demerserunt, scilicet ut uictis & æmulis, omnem eius portus opportunitatem adimerent: impositа grauiore etiam

pœna

pœna si portum repurgare ullo unquã tempore ten
tauissent. Pari quoque lætitia Castelleti arcem dese
rentibus Gallis receptam, funditus euerterunt, ne
ulla extaret arx, quę reponendo seruitutis iugo, uel
ciuibus tyrannis, uel externis regibus occasionem
afferre posse censeretur. Ferunt ipsum Auriam co-
hortantibus quibusdam ciuium primatibus, ut do-
minatum ciuitatis, quem bona sors offerebat, susci-
pere uellet, eius rei peramplum munus mira animi
integritate atq; constantia renuisse, quum diceret,
sibi exactæ propè ætatis seni, & satis opulento, nul
lisque innixo liberis, ineptum fore principatus no-
men: sariusque omnino esse & multo gloriosius, id
donum patriæ dedicare, quàm inde à quoquam pri
uato ciue uel externo principe, qui sua ope ad impe
rium prouehi posset, amicitiam & gratiam prome-
reri: quando nihil ad ueram laudem uberius, uel ad
dignitatem honestius, uel denique ad reliquæ uitæ
felicitatem firmius atque splendidius fore iudica-
ret, quàm æternæ suæ erga patriam munificentiæ
trophæum, post excussum ipsius auspicijs diuturnę
seruitutis iugum, in foro memoriaque hominum, li
beratæ à se patriæ statuisse. Nec multo pòst popu-
lus uniuersus, præclara, ideoq; perenni gratissimo-
rum animorum testificatione, legem rogauit, quam
decuriones cunctis suffragijs sanxerunt, ut Auriæ,
statua Colosseæ magnitudinis è Lunensi marmore
decerneretur, locareturque redemptoribus, cuius
basi his uerbis titulus inscriberetur: ANDREAE
AVRIAE CIVI OPT. FOELICISS. Q.
VINDICI ATQ. AVTORI PVBLICAE
LIBERTATIS, SENATVS, POPVLVSQ.
GENVENSIS POS. Paulo antequam Ligu-
res tam uaria publici status commutatione agitati,
inexpectato libertatis munere pacarentur, Cæsar
nutantem partium suarum fortunam, nouis copia-
rum uiribus confirmandam ratus, è media Germa-
nia, Saxonumque finibus Henricum Brunsuicęsem
regulum in Italiam euocauit. Hunc Brunsuici do-
minãtem (quæ urbs eruditioribus Germanis olim
Tulisurgium, iuxta Visurgim amnem positum fuis-
se existimatur) Ferdinandus rex Cęsaris frater, ob-
latis stipendijs, propositisq; uberioribus præmijs,
ætate florentem & bellicę auidum laudis, facilè ac-
cenderat, ut ad quærendum nouum decus domo
proficisceretur. Coëgit is paruo temporis spacio ua
lidissimas peditum legiones duas, armatorumque
equitum ingentem manum: descenditque Triden-
tinis alpibus iusto tormentorum apparatu instru-
ctus, secum adducens carros uehiculaque Germani
ci generis, quibus non modò commeatus magnam
uim, sed clibanos etiam minorum instar furnorum
cõuehebat, ut Cererem expeditè uel in hostili solo
percoquere, atque inde se alere exercitus posset. Ad
famam Henrici descendentis, Veneti de salute op-
pidorum ac urbium suarum solliciti, continuò Fel-
trium imperatorem suum, qui post amissam feren-
dæ opis occasionem, quam Clemens in arce obses-
sus frustra expectasset, in Piceno atque Vmbria cõ-
federat, reuocandum censuerunt, ut eo Germanis
oppositо, suę ditionis fines ab iniuria defenderent.
Sed is peritus belli, neque Germanicę uirtutis igna
rus, suasit senatui, ut uitandum omnino ualidi ho-
stis impetum decerneret, nullum pugnæ discrimen
subiret, & suas tantum urbes atque oppida confir-
mata præsidijs tueretur: quando ipse neque Italicis
peditibus campestri in pugna confideret, aduersus
præsertim eas gentes, quæ ab statario ordine acie-
rum insuperabiles uiderentur: neque leuis ipsorum
armatura equestris, nisi temerè committenda fo-
ret Germanis equitibus, qui essent cataphracti, ro-
bustorumque equorum constantia atque impetu
maximè ualerent. Itaque eas quoque copias, quæ
Sforzianis coniunctæ, cum Antonio Leua bellum
ad Mediolanum gerebant, trans Abduam retro ca-
uit, ualidoque præsertim præsidio urbem Bergo-
mũ permuniuit, quòd fama esset illac hostes transi-
turos, tanquã Bergomatium prædæ inhiantes. An-
tonius porrò Leua cognito Brunsuici aduentu, Ab-
duam traiecit, atque unà colloquutus, eum multis
de causis ad oppugnandum Laudem Pompeiã per
duxit. Ea enim urbs, quæ prima omnium eo bello
à Cæsarianis defecisset, Sforziæ detrahenda iudica-
batur. Nam Leua captum à Lotrechio Ticinũ, igna
uia Veneti Sforzianique præsidij, cui præerant Pe-
trus Longena Brixianus, & Annibal Picenardus
Cremonensis, pessimè postea custoditum, inopina-
ta hosti inuasione receperat, ita ut ea regione, quæ
est inter Ticinum & Abduam, prædabundi Cæsa-
riani impunè percurrerent. Quibus rerum pericu-
lis ex noui hostis aduentu cumulatis, Sforzia Brixiã
suadentibus Venetis se recepit, Paulumque Sforziã
ex patre Ludouico germanum fratrem præstanti
uirtute uirum Laudi Pompeiæ præsidio imposuit,
confirmatum aliquot Sforziani nominis cohortiũ
prefectis longè fortissimis. Brunsuicus Brixianum
& Bergomatem agros effuse populatus, & sæuis e-
tiam incendijs bellum gerens: deducente Antonio
Leua, Laudem Pompeiam, superato Abdua, perue
nit, admotisque tormentis oppugnare constituit:
quoniam Paulus Sforzia, deposcenti Antonio Le-
uæ, ut urbem Cęsari per insidias ereptam continuò
redderet, nisi cuncta aspera & sæua experiri uel-
let, generose respondebat, Se à fratre legitimo urbis
principe custodiæ impositum, neque fidem, neque
spem de uirtute sua conceptam fallere decreuisse:
neque his terriculis & minis terreri, quibus ipse Le
ua, quo minus acriter strenueque Ticinum aduer-
sus Gallum regem defenderet, minimè succubuis-
set. Itaque, uti luberet, mœnia tentarent: sperare e-
nim urbem Dei maximi, diuorumq;, qui iustæ cau-
sæ nunquam deessent, beneficio & uirtute militum
suorum prosperè posse defendi. Nec multo pòst ex-
plorato urbis situ, duobus in locis, quibus mœnia
infirmissima uisebãtur, triduò perpetua quassatio-
ne murum perforauit, strauitque summam pinna-
rum coronam, usqueadeò lato hiatu edito, ut faci-
lè inuadi urbem, & capi posse promptissimi Hispa-
norum iactarent. Brunsuicus enim, Germanis tan-
quam parum ad id munus expeditis, primum præ-
lij decus Hispanis concesserat. Neque defuit alacri-
tas atque audacia ingens, commendante Leua, His-
panorũ cohortibus, quæ primæ Remiro duce sub-
ire murum cœperunt. Ii per arduum & accliuẽ mœ
nium aggerem conscendentes, scuta prætendebãt.
Sed Sforziani, crebra glandium procella, appropin-
quantes & subeuntes primò perfuderunt, occisisq;
aliquot signiferis, qui intrare per ruinas ausi fuerãt,
lanceis & alabardis in fossam cruento impulsu præ
cipites deturbabant, sic, ut præ timore incommo-
doq; accepto, instaurare prælium dubitarent, quan
quam eos Antonius ignauiam increpitans, ut ani-
mos resumerent, rursusque irrumperent, uehemen
ter adhortaretur: Brunsuicus uerò, ut desinerent,
iniquissimo loco pugnam ciere, Leuam admone-
ret. Atque ita Antonius receptui cecinit, quum oc-
culto dolore angeretur, quòd uiri fortissimi aut ce-
cidissent in fossa, aut lethiferis uulneribus debilita-
ti sibi detraherentur, quorum desiderio extenuari
sua præsidia, & difficiliorem defendendi Mediola-
ni facultatem sibi futuram prospiceret. Paulus, de-
pulso fortiter periculo, pro concione milites lauda
uit, honestauitque muneribus eos prefectos, qui in
muro & periculosa ea contentione singulari prom
ptitudine dimicassent. Fuere hi Baptista, cognomẽ
to Mactus, & Manara, ambo Cremonenses, Pelaca-
nes item Bononienses. Henricus qui eo consilio in
Italiam uenisse meminerat, ut ad ferẽdam obsessis
opem

opem Neapolim contenderet, postquam initia cœ-
pte oppugnationis aduersa funestaq; prouenerant;
nec instaurato apparatu munitissima urbs iterum
tentanda uideretur, consilij inops, circa Mediolanũ
æstiuare, nouaq; belli ratione Cæsari operam præ-
stare cogitauit, quòd eadem à Mediolanẽsibus, quę
Antonius imperare atq; exigere consuesset, gratuita
alimenta atq; stipendia se consecuturum confide
ret. Id ueritus Antonius, astuta simulatione, Germa
no Italicarũ rerum ignaro, facilè persuasit, ut id con
silium abijceret, & in Germaniam omnino redeun
dum arbitraretur, quoniam pestilentia ualde atrox
iam in legiones Germanicas grassari cœpisset. Nam
eo infami anno pestilẽtis morbi lues diffusa per om
nes Italię regiones, tertiam ferè mortalium partem
absumpsisse ferebatur: deficienteq; passim annona,
quæ immenso precio cunctis in urbibus creuisset,
multi inopes que præsertim insolitis utentes cibis,
contracta tabe sensim interirent. Qua de causa Ger
mani, uel sua consuetudine, pestilentiæ pericula cõ
temnere soliti, conspectis suorum funeribus, mor-
tem ita timere cœperant, ut stipendiorum certa spe
destituti, ac urgentis inediæ metu adducti, perosiq;
externum tãquam insalubre cœlum, manipulatim
domum redire properarent. Neq; enim petere Nea
polim, aut tutò proficisci se posse prouidebant, quũ
per infesta hostium itinera esset transeundum, uel
si in Etruriam, aut per Togatam Galliam iter habe-
rent, quando hinc Florentinos, illinc uerò Ferrarien
ses Æmiliã attingentes uiam, pro infensissimis hõ-
stibus habituri dicerẽtur: appareretq; ipsum sancti
Pauli regulum, qui cum nouo Gallorũ exercitu nu
per in Italiam descendisset, occasionem minimè prę
termissurum, quin iunctis cum Feltrio copijs, pro-
ficiscentiũ uestigijs insisteret, & iniquo aliquo eius
ram longi itineris loco, graue detrimentum nouis-
simis inferret. Hæc Antonius suo præditus astu, pro
lixè & libentissimè differebat, utpote qui collegam
præpotẽtem sibi ascisцere nollet, ne eneruatam opi
bus Insubrum ciuitatem, magno suo incommodo,
delendam truculentiæ Germanorum uolens trade
ret. Ferunt Henricũ grauissimè de malignitate An-
tonij apud suos conquestum, quòd importunis per
uersisq; eius cõsilijs se deceptum fuisse prædicaret,
quibus ab instituto itinere petendæ Neapolis retra
ctus, totum munus sibi ex consilio Cęsaris impos-
tum, quũ tempus appeteret, obire nequiuisset: atq;
ita iratum, consternato animo per Rheticas Alpes
Larium lacum & Grisonum fines in Germaniã re-
dijsse, magna parte bellici apparatus, quem attule-
rat, relicta, & multis equis paruo precio diuenditis,
quòd plerique eorum prægrandium & grauium, at
tritis ungulis, intumescentibusque talis debilitati
claudicarent. At Philibertus Aurantius, nõ sine cer
to numine Gallis aduerso, tãta potitus uictoria, pri
mum omnium seuera lege præscripta, citatos, nec
comparentes proceres, qui rebellassent, aut dubiæ
fidei indicia prębuissent, erecto tribunali, condem-
nauit, bonaque eorum, edito in milites ingenti do-
natiuo, profuse distribuit, ea ratione, ut ex merito
spectatæ uirtutis, pro dignitate ducum & prefecto
rum, redacta in fiscum oppida benemeritis adiudi-
caret. Ipse contentus Asculo Apula urbe, Montis sa
cri oppidum, quod in Samnio Vincentius Carrafa
possederat, Vastio attribuit, Ferdinando Gonzagæ
Arrianum T. Carrafæ exulis oppidum, Alarconi Cę
ciliane uallis, quæ in Præcutinis est oppida, quæ
Camilli Pardi fuerant, addixit. Turmarũ uerò præ-
fectis, & singulis propè pedestris ordinis centurio-
nibus atque signiferis, Aquilanorum castella largi-
tus est, & in his Epirotarum præfecto nomine Sac-
calo Naupliẽsi, qui Nauarrum ceperat, castellum in
Salentinis dono dedit, Philippoque Belgæ Caroli
Lanoij filio, Venafrum, quod Ferdinandi Pandonij

fuerat, Beurioque item Belgæ Quadratam in Apu-
lia, quæ Aquinatis familiæ reguli fuerat, concessit:
quam largitionem eo animo ratam habuit Cæsar,
ut Aurantium ea desygnatione præoccupasse suæ li
beralitatis decus quereretur, eumque ex alieno fa-
cilè immodicum largitorem extitisse diceret. Cæte
rùm magna uis pecuniæ ab his extorta est, qui nu-
tasse in fide, afflatique defectionis suspicione, para-
tis in eam rem delatoribus accusarẽtur. Cuius clas-
sis fuere Ferdinandus Vrsinus Grauinæ regulus, &
Bonifacius Oriæ oppidi in Salẽtinis dominus, Dra
goneti Iepidissimi poëtæ pater, antiquæ simplicita
tis senex. Bouiani autem & Venafri regulo, & Fœ-
derico Gaetano, qui intẽpestiuè nihil de Lotrechij
uictoria dubitantes, arma ceperant, & cum his Al-
tomari Auersano ciui in foro ceruices abscissę sunt.
Incredibile dictu est, quantam pecuniæ uim ex ua-
rijs criminationibus eo anno fiscus acceperit, in eã
rem seueræ inquisitionis diligentiã exercente Hie-
ronymo Morono, quę pro captiuo à Borbonio Ro-
mam perductum, in liberando pontifice tam piam
quàm necessariam efficacis consilij operam præsti-
tisse memorauimus. Non toto uertente biennio ab
urbe capta, quo Genuenses toties mutato rerũ sta-
tu, libertatem præstantissimo Auriæ ciuis munere
receperunt, & Brunsuicus rebus infectis in Germa-
niam est reuersus, Lotrechianæque demum copiæ
accedente pestilentia deletę sunt, nouum in Apulia
bellũ exarsit, Venetis (ut suprà diximus) urbes pri-
stinii sui imperij repetentibus, & nonnullis Gallicæ
factionis ducibus sese his in belli societatem aggre
ganibus. Nam ut memorauimus, à Veneta classe
Monopoli capta undique milites confluebant, &
tum Camillus Vrsinus, quem à Troia in Apuliam
à legato Venero missum fuisse constat, coactis circi
ter quatuor milibus hominum Manfredoniam ob-
sidebat, quam Cæsariani nominis cohortes, duce
Petro Aloysio Farnesio, tuebãtur. Cum Farnesio au
tem aderant cohortes, præter suas peculiares, non-
nullæ etiam aliæ quæ Petri Mariа Rusij, atque Ale
xandri Vitellij absentium uexilla sequebantur. Hi
namque post desperatas pontificias res, impetrata
missione, Cęsarianis adhęserunt: iussuque Aurantij
Farnesio se coniunxerant, qui ab initio secutus Cę-
saris nomen, cladi urbis interfuerat. Gerebãt Rus-
sij atque Vitellij uices, duo peditum præfecti, Car-
lottus Parmensis cognomento Eques, & Alexius
Lascares uir Græcus, quibus uno consensu urbem
defendentibus, frustra Camillus oppugnare atque
obsidere contendebat: quan quã turrim castris suis
infestam, quę erat extra urbem, igne cuniculis sup-
põsito, totam ferè cum clade defensorum, suisque
aliquot incendiarijs artificibus excidisset. Eo tem-
pore Veneti terra marique impigrè bellum gere-
bant, nam præter classem, quæ magno sibi usui &
terrestribus copijs erat, mirifica etiam Græcorum
equitũ opera utebantur, qui non solùm circa Man-
fredoniam, sed tota quoque Apulia & in Salẽtinis,
Gallicis admixti copijs uolitabant. Conduxerant
namq; fortissimorum hominum turmas, qui exosi
Turcarum iugum, è Peloponneso reliquaque Græ-
cia inuitati stipendijs, in Italiam transire cœperant.
In his fuere, quorum nomina silentio minimè prę-
termittenda duximus, ut præclarè constet, non om
nino exoleuisse equestris militiæ disciplinam tan-
topere apud eas gentes antiquis scriptoribus cele-
bratam: Demetrius Maurusius Ætolus, & Ioãnes
Palæologus Byzantius, duoque item Spartani Ni-
colaus Rhalla, & Emanuel Cladaus, & è Nauplio
Petrus Frosina, eo genitus Theodoro, quem Bri-
xiæ cecidisse docuimus, Ioannes quoq; Coroneus,
cognomento Vasco, & è Zacyntho Lusius dignita-
te equestri, Theodorusque Rhenes Epidaurius, ut
Cæsarianos hoc loco minimè nominemus, apud

quos militare liquet inclytæ uirtutis duces, Theodorum Bucalum Lacedęmonium, Demetrium Capuzzimadium è Nauplio, & Zucerum Epirotica ortum stirpe, Megalopolitanum ciuem, quę urbs hodie Londarium uocatur, in centro Peloponnesi, loco ualde campestri posita. Sed apud Venetæ militiæ Græcos, à multis stipendijs præclaraque laude supra cęteros eminebat Georgius Boschius, eo Dominico, qui Patauino bello longè clarissimus fuit, genitus. Simon quoq; Romanus, qui in Brutijs ab initio profectus, eius regionis populos ad defectionem copulerat, magnasq; res gesturus uidebatur, postremò ad montē Aureum, non procul à Cosentia à Pignatello Borellio acie superatus, per Lucaniam in Apuliam peruenerat, & auctus copijs, quas ad eū Fœdericus Carrafa perducere serò fuerat conatus, Barolum ingressus, bellum Cæsarianis inferre cœperat. Quibus nuncijs permotus Aurantius, ut Apulię rebus opem ferret, Ferdinandum Gonzagam cum dimidia parte equitatus, qui Quadratæ consisteret, in Apuliam misit: reliqua enim pars hyematum circa Aquilā dimissa fuerat. Camillus quoque Vrsinus de Lotrechij obitu certior factus, desperata expugnatione Manfredoniæ, cum suis copijs Tranium occupauit, propensissima Tranensiū usus uoluntate, qui à memoria pristini Venetorum imperij, moderatum grauissimæ gentis dominatū expetebāt. Ex aduerso Borellius Simonem Romanum ab se in Brutijs fusum, & Fœdericū Carrafam in Apuliam se recipientes persecutus, cum his quas habebat copijs, apud Andriam posuit castra, tumultuarijsque excursionibus cum Cæsarianis iunctus bellum gerere cœpit, iniqua conditione: quoniam eius equites magna ex parte Siculi, ineptis atq; ueteribus armis instructi, & planè rudes, nequaquam Epirotis equitibus, arte sua per gyros hostem eludere solitis, pares euadebant. Quo mirifico equitatu fretus Simon, cum Fœderico Aufidum trāsgressus, incursionem faciens repentinam in regiones Canusio & Cerenniolæ, quæ Castellum Geryonis olim fuit, subiectas, magnam utriusque pecoris prædam abduxit: initoque cum ueteribus præfectis consilio, de munienda urbe cogitauit. Sub id quoq; tempus, Rentius Ceres, qui uti memorauimus, circa Aquilam Picenique fines cohortes coëgerat, ut opem Lotrechio laturus Neapolim ire maturaret, audita Lotrechij morte, desperatisque partim rebus, cum his quas habebat copijs (nā magna pars militū fuerat dilapsa) ad mare descendens, & ad Senogalliam naues nactus, in Apuliam peruenit: & quod reliquum ante eum duces statuerant, muniendæ urbis Baroli consilium suscepit, tanta cura, tantaque sæuitia, ut eam urbem dirutis omnibus ad unum suburbanis ædificijs, euastatisque ciuium possessionibus atque delicijs, nec delubris sacrosanctis ueteribusque cœnobijs parcens, luctuosum in modum deformaret, tanquam longè omnium grauissima obsidio expectanda putaretur. Ijsdem ferè diebus, Landus qui è Campania in Hadriaticum mare redierat, conjuncto sibi Ioanne Moro Ionij sinus præfecto, tota classe admota, Melfictam urbem fortiter expugnauit, quum à terra uno tempore Simon Romanus & Fœdericus Carrafa suas copias admouissent. Muralis uerò coronę decus ad Dominicum Bembum nobilem trierarchum peruenit, qui per antennas muro appositas, primus pinnas apprehenderat. Fœdericus autem Carrafa, qui refrigerandi causa æstuans galeā fortè detraxerat, lapide caput ictus occubuit. His de causis Aurantius, quòd in Apuliam hostium copias augeri, insigniq; classis beneficio bellum in Salentinos etiam extendi prouidebat, aperiente se anno, maioribus uiribus bellum gerendum conficiendumque esse iudicans, nouos duces suis subsidio misit, Alarconemque præsertim, qui Borellio le thali febre absumpto successerat, ipsumq; Vastium cum tota mole peditatus, apparatuque tormentorum, ut Monopolim oppugnaret. Qua re prouisa, Camillus eductis Barolo lectissimis militum suorum, atque his, triremibus impositis, Monopolim est profectus, magnisque operibus atque omni telorum genere ita se permuniuit, ut Vastij impetum cuniculis murum subruere conantis aliquandiu ludificatus, irrito incœpto abscedere cogeret: quum ibi iuxta eum magno periculo Pomponius cubicularius tormento tuisset interfectus, ita ut cruento discerpti eius uiscere Vastius cōspergeretur, & Mēdanius Hispanus cohortis præfectus, glande frontem penetrante occubuisset. Is ille est Mendanius, qui sub arce Molis Hadriani uetulam olitoris uxorem impijs manibus laqueo pro ianua suspendit, quòd illa expetenti pontifici binas lactucas in fossam opera pueri funiculo alligandas, & sursum extrahendas proiecisset, sic ut testabili eius suspendij spectaculo, prospectantis pontificis oculi grauissimè per sex dies offenderentur. Cæterùm eius Apuli belli nulla re præclarè gesta memorabili, quòd latrocinijs & excursionibus, uastatione que urbium utrinque certaretur, eum habuit exitum, ut pace inter Cæsarem & Franciscum regem confecta, finiretur. Nam rex in eam curam totus incumbebat, ut liberos quos obsides dederat, redimeret: Cæsarque petendæ Italię cupidissimus, ut de more, sicuti obtulerat pontifex, honore diadematis ornaretur, facilè obsides ab se redimi passus est, quum ei ducentæ aureæ monetæ myriades pro redemptione numerarentur. Hac pace uel muliebribus ingenijs tracta ta atque confecta, nihil regi felicius, socijs uerò fœderatis molestius atque damnosius fuit. Ludouica namq; mater regis, cum Heleonora regina nuru in Belgarum fines ad Cameracum contenderat, ut ibi celebri conuentu habito cū Margarita Cęsaris amita, de pacis conditionibus ex arbitrio, excluſa omni uel legatorum externorum, uel iureconsultorū disceptatione, statuerent: adeò occultatis consilijs, ut Balthasar Carduccius uesano propè sermone reipublicæ suæ dignitatem atque salutem iniquè proditam quereretur, & Veneti non obscurè suspicarentur, ea de causa id percussum esse fœdus, ut ipsi urbibus, quas recepissent in Apulia, decedere cogerentur. Qua in re Nicolaus Campanus antistes Cęsarem monuisse ferebatur, ut quæ armis non facilè recipi possent, eius æquissimi fœderis beneficio recuperanda censeret: satagente in eam rem Clemente pontifice, qui Rhauennam & Ceruiā sibi ereptas aliquando ex illa conspiratione duorum regum, sibi repetendas arbitrabatur. Itaq; ad pacis confectæ nuncium, Gallicarum partium duces, Apulię urbes tradiderunt: ultimusque omnium eo bello Romanus Simon tormēto est interfectus, quum Brundusinam arcem oppugnare pararet, & se incautius spectasabundus hostibus obiecisset: Veneti tamen aliquanto tardius sua præsidia deduxerunt. Accidit autem, ut his propè diebus in agro Insubrum, sancti Pauli Regulus ab Antonio Leua acie funderetur & caperetur, quo nuncio Franciscum regem apparuit opportunè pacem petiuisse, quum eam omnino deteriorem accepturus uideretur, si Cæsariani de Antonij Leuæ uictoria tempestiuè diuinassent. Itaque Galli sese cum Venetis & Sforzianis copijs coniunxerunt, ut Antonium Leuam arctius obsiderent: egregiaque simulatione speciem præbentes inuadēdi Mediolani, Ticinum continuò deflexerūt, quòd ibi non multum ualidas in præsidio copias esse didicissent. Quorū profectione cognita, Antonius paruo temporis spacio deceptus, uti cupiebat, Ticinensibus opem ferre non potuit. Erant in præsidio Petrus Bragus Insuber, eque strenuus & nobilis equitum præfectus, & Petrus Botticella patritius Ticinensis,

nensis, Apontesque Hispanus, cuius uirtuti Antonius multum tribuere erat solitus. Hi circiter duo milia hominum partim Italici & Hispanici, partim Germanici generis coëgerant, quibus addebantur promptissimi quique Ticinensium, qui pro patria supremum uirtutis conatum edere decreuerat. Sed bipartita oppugnatione, quū Galli paulo infrà Perticariam portam oppugnare adorti essent, Feltrius summa felicique industria traductis ultra Ticinum maioribus tormentis, intercedente amne naualia quatere cœpit. Nam ab ea parte mœnium angulus prominebat, qui defensores in corona constitutos protegere uidebatur: quo angulo celeriter decusso, latera propugnatorum momento temporis nudata sunt, sic ut pilis coronam per longitudinem deter gentibus, in muro consisteret nemo, qui subeuntes hostes detruderet. Magno namque conatu Gallos simul & Feltrianos atque Sfortianos, ut subirent & irrumperent, ingens cadentis muri ruina inuitabat: nec propugnatores, uel multis cadentibus retardabantur, quin pari constantia dimicarent. Verùm Birago & Botticella cadentibus, & defensoribus eorum morte perculsis, uis irruētium diu sustineri nō potuit. Atque ita Aponte ipso cum expeditis Hispanis & Germanis in arcem se recipiente, urbs cum multa cæde capta est. Nam quum se reciperent Germani, atque hostes obuertentibus nonnunquam ora & repugnantibus instarent, toto spacio per regiones urbis usque ad arcem atrociter est dimicatū, sic ut hæc nobilissima Longobardorum regum olim regia, & nulli in Italia urbium fœcūditate agri, & opportunitate omnium, ędificiorum magnificētia inferior, accumulatis tot cladibus, funditus pro pè euersa cęseretur. Hac expugnatione Feltrius singularem peritiæ militaris, & efficacis industrię laudem omnium iudicio adeptus est, quòd opportunè transuectis ultra Ticinū tormentis, hostes decepisset, & secus quàm illi credidissent, ex obliquo murum feriens, latum ad irruptionem suorum aditum patefecisset. Ea die tamen nonnullos uiros fortes amisit, & in his Paulum Manfronum, inclyti nominis equitum præfectum, qui quum esset octogenarius, & indomito corporis uigore flueretur, nunquam è militiæ laboribus atque periculis discesserat. Malatesta quoque Cesennas nobilissimæ stirpis, dum circa uineas uersaretur, glande caput ictus occubuit. Quo pacto autem hic Franciscus Borbonius, cognomento sancti Pauli Regulus in Antonij Leuæ potestatem deuenerit, operæpreciū esse reor paucis enarrare. Igitur per id tempus, quo Andreas Auria à stipendijs atque amicitia Francisci regis discedens, atque obiter se Cæsari applicans, cum incomparabili uerę laudis præconio patriam in libertatem asseruit: Borbonius, quòd eius facti contumelia detrimentoque regem ipsum uehementer angi perspiceret, totus grauī incensus odio in Auriam & Genuēses, demissis in Pociferam uallem copijs, ferebatur. Sed postquam insidiæ nihil processerāt, & Genuenses opinione sua diligentiores parationesque reperissent, retro Alexandriam se recepit: capraque Mortaria, & pulsis Nouaria Cęsarianis, cum Venetis & Sfortianis copijs se cōiunxit, eo cōsilio, ut nouis auxilijs (erāt ea peditum duorum circiter milium Hispanorum, quę à Barchinone in Italiam peruenerāt) iter præcideret. Cęsar enim, quòd urbs Genua Gallis esset detracta, magnopere gauisus: Genuenses fouendos subleuandosque opibus atq; auxilijs existimabat, quòd Gallo hosti ereptam Ligustici maris nauigationem suo insigni commodo prouideret. Verùm Genuenses ea Hispanorum auxilia, decedente iam periculo, in urbem minimè suscipienda censuerunt, quando sibi satis præsidij in concordia ciuium fore putarent, & externa, eiusq; præsertim gentis præsidia odissent. Erant hi tyrones à fœda corporum illuuie, & longa maris nausea, deforme militum genus: utpote qui essent dudum necessario potius quàm accurato delectu conscripti, magna ex parte non inermes modò, sed pro pemodum nudi, ut qui uili pullaque tunica, & carbatinis sparteisq; calciamentis uterentur. Hos milites, postquam non recipiebantur à Liguribus, Antonius Leua, misso ad eos Ludouico Balbiano, ad se perducendos curauit. Hic enim superiore anno Ticini captus, & Genuæ aliquandiu in arce custoditus, Gallorum manus euaserat. Is uti erat uir impiger, quum eas copias recto itinere perducere non posset, ne hostibus facilè delendas obijceret, eas per transuersos Apennini tramites, asperrimasque ualles, difficili ærumnosoq; itinere in Placentinorum fines perduxit. Nam hostiles copiæ inter Padum & Apenninū constiterant, ut transire ausos circa Derthonam & Vicum Iriæ inuaderent, transituque prohiberent. In aduerso autem Apennini latere descendentibus, pacata amicaque omnia proponebantur, quòd eæ regiones pontificiæ essent ditionis. Cęterùm Balbianus tertiam ferè partem suorum, sæuitia montanorum Ligurum abrupti eius itineris saltus insidentium, amisit. In fessos siquidem & fame propè enectos è superioribus locis transeuntes, sagittas & iacula suo more scutati iaciebāt: & quum hæ deficerent, ingentia saxa obruēdis Hispanis prouoluebant, tanta locorum & armorum iniquitate, ut Hispanorum acerui profundis in uallibus præcipites dati spectarentur, & passim quòd eripi nequirent, à socijs desererentur. Induerant siquidem Ligures sæua odia in Hispanicum nomē, quòd ab his Genuam Ligurię caput rapacissimè direptam meminissent. His superatis difficultatibus, opportuneque deceptis hostibus, Balbianus paulo infra confluentes Padum & Ticinum cōtra oppidum suum, cui Bello Iocoso que nomen est, lintribus copias traiecit, eamque manum insperatò incolumem Antonius Mediolani recreandam uestiendamque suscepit. Is tyronum Hispanorum aduentus, Insubrum calamitates accumulauit. nam præterquam quòd & stipendia prębere, & domi liberaliter alere uererēs Germanos atque Hispanos cogebātur, tyrones etiam seminudos, & ab extrema inedia famelicos suis larib. accipere, & domesticis copijs tueri oportebat. Hæc longè grauissima ciuibus, Antonius, ut militi præstaret, diræ cladis uectigal excogitarat, quo omnium pecunias abraderet, & singularum familiarum fortunas euerteret. Seuero namque edicto uir imperiosus & sæuus, à quo quam ciue Cererem coqui uetuerat, quū uenalis tantum panis ederetur, cōstitutis eius Monopolij tabernis, unde esurientes magno precio panem coëmerent, tanta edicti atrocitate, ut plerique inopes laquei metu fame pasim interirent. Molendi utiq; tritici, percoquendique panis uetantes leges, pauidum uulgus perhorrebat, ita ut Antonius clarissimam paulo antè atque opulentissimam Italiæ ciuitatem, importato ingenti luctu, lōgè omnium miserrimam redderet. Tanta scilicet acerbitate atque ęquitia crudelissimę legis authoritatem tuebatur, ut uel ab egentibus mulierculis, quę desiderio panis subcinericias conficerent offulas, & in sartagine placentas oleo suffrixissent, contusoque in pila tritico farinam exprimere conarentur, prægraues pœnas exigeret: sicut nō infacetè, quanquam amarissimè Marcus Antonius Canicula quæstorij ordinis ciuis, in corona diceret, Peramplam uti reor ciuis hic noster Antonius à Cæsare gratiā proculdubio referet, quādo ei supra torclara cognomina summæ maiestatis, nouæ nobilitatis ergò, Furnarij titulum adiecerit. Nam & tabernæ furnariæ, & uenales panes Cæsareæ aquilæ no-

ta ſignati, uulgò imperiales uocabantur. Quibus re
bus fiebat, ut Antonius ſtudio militum firmior fa-
ctus, & numero eorum auctior, quando illis cuncta
ad prædam obijceret, hoſtes facilè contemnebat.
Nam neque Venetus imperator, ita operam exigen
te ſenatu, pugnax erat, ut qui periclitari uires nollet
(tenues autem erant Sforcianæ copiæ) neque apud
Borbonium aut firmæ uires, aut expedita conſilia
uidebantur, quibus uim admouere, uel coniunctis
caſtris, & cominus congredi auderent. Itaque com
municatis conſilijs, & abiecta oppugnandi Medio-
lani cogitatione, optimum factu cenſuerũt, ut hoc
modo Antonius lenta & longinqua belli ratione
obſideretur, Feltrius in uetera ſua caſtra concedens
ad Caſsianum ſupra Abduam, ubi amne ponte con
ſtrato, ex Veneta regione commeatibus & copijs
iuuari poſſet, id ſe præſturũ pollicebatur, ne quic-
quam per Martianam regionem, quæ erat refertiſ-
ſima omnibus rerum copijs, ad obſeſſos importare
tur: à diuerſa uerò parte Borbonius ad Abiatum cõ
ſiſteret, omnesque inde, quæ ſubuehi Ticini emiſſa
rio poſſent, cõmeatus interciperet. Sperabant enim
hoſtes, poſtquam ui ſubigi non poterant, diuturnæ
obſidionis incõmodis minimè ſuffecturos. His cõ-
ſtitutis apud Landrianum uicum, qui eſt ad decí-
mum lapidem ab urbe, Feltrius caſtra mouens, ſi-
gna ad Caſsianum dirigi iuſsit, Borbonium admo-
nens, ut pari digreſſu ad Abiatum iter intenderet.
Sed Borbonius inclinante die nequaquam motu-
rum caſtra, ſed poſtridie Ticinum ſe iturum dixit,
quòd ibi grauiora quædam tormenta, impedimen-
taque deponere ſtatuiſſet. At Leua, qui diligentiſsi
mè in eam excubabat curam, ut ex occaſione alicun
de hoſtibus noceretur, ubi didicit Feltrium concla
matis uaſis à Borbonio diſceſsiſſe, ſuſpicatus id fu-
turum, quod uſu euenit, ut Galli nequaquam matu
rè proficiſcerentur: præfectos omnes aduocauit, in- B
ſtructisque militibus, paratos ad profectionem de
ſecunda uigilia ſibi adeſſe iuſsit, cohortatusq; eos,
ut alacri ſtudio ſecum expeditionem ſuſciperent,
pollicitus eſt poſt exortum ſolem uictos eis ad præ-
dam Gallos ſe daturum. Quòd ſi, inquit, ut non pla
nè reor, feſtinantius effugerint, poſtremum certè eo
rum agmen certiſsimæ prædæ uobis cedet. Milites
ſublata uoce reſponderunt, ut fortia conſilia digna
ſuperioribus uictorijs, ingenti animo agitare perge
ret: ſe namque quod imperaſſet periculoſæ profec-
tionis, dubiæque alæ munus alacribus & impaui-
dis animis eſſe ſubituros. Nec mora, quãquam ipſe
cunctis propè membris articulorum dolore capere
tur, fulgentia arma induit, præmittit equitatum, du
plicique inſtructa acie, hinc Germanis, illinc Hiſpa-
nis latera cingentibus: Italicis uerò cohortibus tor
mentorum præſidio conſtitutis, ad hoſtes contendit,
quos nondum profectos & expediendis impe-
dimentis intentos deprehendit. Borbonius qui ni
hil minus putarat, quã Antonium inſtructis copijs
ſibi ad iter parato ſuperuenturũ, quum oriente iam
ſole linteata de more hoſtium agmina conſpexiſ-
ſet, obſtupuit, grauique metu, uti deprehenſis acci-
dere ſolet, nequaquam temerè correptus eſt: ob id-
que præſertim, quòd ab heſterno conſilio Guido-
nem Rangonum primo præpoſitum agmini Tici-
num præire, atque ibi hoſpitia parare iuſsiſſet. Im-
paratus itaque & multo ſpacio à prima acie diſiun-
ctus, tanta perturbatione medij poſtremique agmi
nis circumuentus eſt, ut tumultuoſiſsimè aciem in
ſtruere, & repugnare fruſtra cogeretur, & ui celeri-
tateque incumbentis hoſtis, animo concideret. Præ
buit Antonio fortuna ſpacium parandæ uictoriæ
ab inopinato caſu: nam quũ maioris tormenti cur-

A rus, perfractis rotæ axibus, media lutulenta in uia
cõcidiſſet, uel ob id magno fuit incommodo, quòd
Galli etiam nobiliſsimi equites, id ſubleuare atque
reficere conati, in pedes diſilijſſent. Vetere ſiquidẽ
ſuo inſtituto turpe ducunt, tormenta ex itinere oc-
cupanda hoſtibus reliquiſſe. Hac mora, ſicuti Ran-
gonus iuſto feſtinãtius quàm ita facere eſſet iuſſus,
tantum anteeundo confecit itineris, ut neque reuo
cari, neque admoneri de repentino aduentu hoſtiũ,
opportunè puterit: neque obiter Antonio produ-
cendi peditatus defuerit tempus, qua pedeſtri acie
promora, & equitatu audaciſsimè dimicãte, media
Borbonij acies, cui ſe cõiunxerat poſtrema, puncto
temporis terga uertere cœperit, quum Antonius in
ſella fulgentibus protectus armis criſtisque conſpi
cuus, ſuccollãtibus baiulis in aciem ſeſe inferri iuſ-
ſiſſet. omnium namque oculos in ſe conuerterat,
quum aperta galea adhortaretur ſuos uoce terribi
li, & peracri oculorum obtutu Gallos terreret. Inte
rim Germani, qui Gallis militabãt, quod nunquam
ferè aliãs acciderat, turpiſsimè terga uerterunt. Ger
manos Galli pedites, & ſecũdum eos Italicæ etiam
cohortes, nulla dedecoris cura, ſubſecutæ ſunt: par-
uaque ideò cædes edita eſt, quòd neque à ſclopeta-
rijs inter confuſos permixtosq; ordines opera exi-
gi potuit, neq; tormenta niſi pari periculo diſplodi
potuerint. Ipſe Borbonius latam foſſam periculoſo
equi ſaltu ſuperare conatus, ab equitib. captus eſt.
Nec longè ab eo, eandem ſorte tulit Claudius Ran-
gonus, uir impiger, qui poſtremæ aciei præfuerat.
Stephanus quoq; Columna in foſſam præceps da-
tus, concidente equo, magnum ſaluti diſcrimen
adijt, quum galeatus in lacuna ferè ſubmerſus ægrè
ſeſe manibus hoſtium eripuiſſet. Leua potius om-
nibus tormentis atque uexillis, & duce capto, ab e-
ius rei geſtæ fama uſque adeò inclaruit, ut nemo e-
B ius ætatis dux, uel in cõſilio capiendo ſolertior, uel
in exequendo acutior & efficacior haberetur: Hiſpa
niáque eum, ſi proſpera uteretur ualetudine, Magno
Conſaluo eius magiſtro parem euaſurum dicerent.
Cæterũm Galli de Guidone Rangono non obſcurè
conquerebantur, quòd eos deſeruiſſe præpropera
eius feſtinatione prædicarent: quanquam ille ita
imperanti Borbonio iure militiæ obſecutum fuiſ-
ſe teſtaretur. Sed eam impoſitæ contumeliæ con-
troverſiam, quæ Guidone indignante & prouocan
te obtrectatores Gallos, ſingulare certamen poſtu-
labat, Feltrius familiari ſermone ita diremit, ut &
Borbonium & Guidonem pari propè errore à diſci
plina diſceſsiſſe iudicaret: approbantibus ipſo Le-
ua & Vaſtio, qui unà Mantuæ tres clariſsimi noſtri
ſeculi duces fortè coiuerant, apud Hippolytum Me
dicem, qui tum è Pannonia legatus redibat, ab Her
cule Gonzaga cardinale hoſpitio domi ſuſceptum.
Dictis namque ſententijs, è diſciplina rationeque
bellica diſſeruerunt, ſingulorum ducum eſſe mune-
ris, qui diſtinctis agminibus in itinere faciũdo præ-
ſint, per diſpoſitos equites mutua diligentia emen-
ſi itineris ſpacia metiri, nihil extra conſpectum ſi-
gna præire ſinere, anteriores medios, medij poſte-
riores, quibus paſsibus eant obſeruare, ut una
quæque acies ad ſubitos hoſtium incur-
ſus ex propinquo parata ſit, quę cir-
cumuentæ opem ferat, & uni-
uerſis coactis uiribus con
fligat.

SVP-

SVPPLEMENTI
LIBER XII.

DIctatore Caponio, Florentini recenti
ſuo incommodo, & tot aduerſis Gal
lorum caſibus perculſi, in eam curã
incumbebant, ut Clementis conſilia
diligenter explorarent, opportunaq;
aduerſus imminẽtis propè belli uim
præſidia compararẽt. Caponius non ignarus, quàm
grauiter offenſus eſſet Cæſar, qui nullam ſibi à Flo-
rentinis iniuriam inferri debere exiſtimãs, eo Etru-
ſcæ legionis auxilio, ſuos duces oppugnatos atque
obſeſſos fuiſſe didiciſſet: pontificẽ non iniqua quę-
dam à ciuitate poſtulantem, molliendum potius æ-
quiſsimis reſponſis, quàm acerba negatione exagi-
tandũ putabat, ne Cæſari fœdere iungeretur. Erant
enim grauia & moleſtiſsima eius animo, quę ad ſu-
gillandam maieſtatem, minuendamq; nominis exi
ſtimationem perſcripta fuerant, his fœderibus, qui
bus ſe obſeſſo captoq; in arce, Alfonſus Ferrarien ſis
princeps Cæſari opportunè detractus uideretur, &
Veneti noua conditione in fœdus Gallicum eſſent
recepti, quorum ille Mutinam pontificio imperio
diu poſſeſſam per occaſionẽ peſsimè à fortuna mul
ctati pontificis recepiſſet, ij uerò Rhauennã & Cer-
uiam occupaſſent. Quæ omnia, quanquam ex au-
thoritate Innocentij legati, atq; aſſenſu aliquot Car
dinalium tranſacta eſſent, pontifex niſi planè inſa-
nus, & ſuæ dignitati ineptus hoſtis foret, rata habe
re non poterat: utpote qui de recuperanda potius
amiſſa ditione, quàm de uindicanda iniuria ſibi co-
gitandum eſſe cenſeret. Iam enim per Antoniũ Mu
ſetulam, ſenatorem Neapolitanum, quem Viterbiũ
accerſiuerat, legati Cęſaris uices implentem, & qua
erat mirifica ſolertis ingenij induſtria præditus, Cæ B
ſarem pontifici reconciliare maturante, de concor-
dia agere cœperat, adeò feliciter, ut propenſiſsimis
utrinque auribus ea res tentaretur, nec multos poſt
dies bene auſpicato ſolẽnibus tabulis conficeretur.
Quod ut crederent Florentini, in uniuerſum addu-
ci nõ poterant, ut qui pontificem inexpiabilis eius
recẽdis iniuriæ, ſi generoſi ſpiritus foret, obliuiſci
non poſſe prædicarent: quorum opinionem ob id
falſam eſſe euentus docuit, quoniã in pontifice tan
ta erat ereptæ ab ciuibus patriæ repetendę cupidi-
tas, ut omnem recentiſsimæ calamitatis acceptæ
memoriam, ipſo nouæ ſpei pondere ſuperaret. Eo-
dem rerum conſiliorumq; ſucceſſu, miſſus eſt cum
præſcriptis mandatis Hieronymus, Vaſionenſis an
tiſtes, pontificiæ familiæ diſpenſator, qui apud Bar
chinonem Cæſarem conuenit, atq; his fermè legi-
bus cum eo fœdus percuſsit. Pontifex Chriſtianæ
pietatis titulum prætendens, miſeratusq; quaſſatæ
diro bello Italiæ uaſtitatem, finceram, deterſis ſupe
rioribus odijs, uoluntatem atq; amicitiam Cæſari
offerebat: pollicebaturq; ſe de more capiti eius im-
peratorij diadematis coronam impoſiturum, ſi Cę-
ſarianis uiribus in patriam reduceret, unde ſua cum
iniuria, propinquis ipſius expulſis, ampliſsima ciui
tas Florentia fœda atq; acerbiſsima popularium im
peritorumq; hominum tyrãnide premeretur: opti-
matibus ſcilicet contumelioſe atq; arroganter eie-
ctis, antiquisq; ritibus diuinarum humanarumque
rerum uſq; adeò impiè atq; inſolenter perturbatis,
ut in florentiſsima dudum urbe, publica ſalus, de-
ſperata concordia, cõclamata uideretur. Adiectum
eſt, ut poſtquam Florentini aduerſus Cæſarem, con
fiſi incertæ Gallorum uictoriæ, arma tuliſſent, maie
ſtatis rei facti, libertate & antiquis ſuperiorum Cę-
ſarum conceſsis immunitatibus ſeuerè priuarẽtur:
obiterque ciuitati principem Alexandrum adole-
ſcentem imponeret, cui ipſe Cæſar ad confirmanda

A fœdera, augendamque Alexandri dignitatem, Mar
garitam filiam ſe cœlibe ſuſceptam, in matrimoniũ
deſponderet. Dum hæc per idoneos homines trã-
ctarentur, tumultus inuſitatę perturbationis atque
periculi apud Florẽtinos in curia exortus eſt, unius
malè ſani atque efferati ciuis inſolentia. Hic erat Ia-
cobus Gerardus, contumaci fronte popularis, qui
nõ in Mediceos modò, ſed in patritios omnes liuo-
re atque odio percitus ferebatur: ob id tum ſe ipſo
turbidior atq; arrogantior factus, quòd per id tem-
pus federet inter octo uiros, decuriones ſupremæ
poteſtatis, qui dictatori cõſultandi gratia perpetuò
in curia aſsiſtunt. Is literas à quodam Ioachino Ser
ralio, Iacobi Saluiati apud pontificem toti ſummæ
conſiliorum præpoſiti cliente, ad Caponium per-
ſcriptas, delapſasque eius ſinu, maligne collegerat:
nactuſque materiam calumniandi obiurgandique
dictatoris, eò rem turbulenta nociferatione dedu-
xit, ut dictator perfidiæ reus fieret, accuſatusq; con
curſu in curiam turbulentæ iuuentutis inſultantis,
& propemodum uim inferentis uitę diſcrimẽ ſubi-
ret, quum nonnulli è feneſtra illico præcipitem dan
dum dicerent, qui aliena à ſalute liberrateq; patriæ
cum pũrifice infenſiſsimo hoſte cõſilia agitaret. ne-
fandumque profectò facinus in necem optimi &
probatiſsimi ciuis editum fuiſſet, qui optima fide
magiſtratum gereret, niſi Laurentius Sennius, qui
erat octouir è decurionum numero, iuuenis æqui-
tate & conſtantia animi præſtantiſsimus, ſuperbiã
& atrocitatem imperitorum petulãtiumq; ciuium
deteſtatus, corpus ſuum furentibus oppoſuiſſet, ab
ductumque in ſuam cellam dictatorẽ, extremo pal
lentem metu conſeruaſſet. Poſtero die coactis in cõ
ſilium octoginta uiri, atque ij ſimul, qui ex reliquis
magiſtratibus atque collegijs publica conſuetudi-
ne adiungi ſolent, abrogatus eſt Caponio magiſtra
tus: atque is honor biduo pòſt delatus ad Franci-
ſcum Carduccium, quem nemo candidatum fore
putauiſſet. Ita ut Soderinus & Strozza ſua ſpe deie
cti, ex conſcientia animi, pudoreque repulſę, peruer
ſa miſeræ ciuitatis comitia damnarent, & plerique
irriderent, quòd homo in Hiſpania dudũ decoctor,
& paucis in republica notus, tenuioris fortunę, nec
præclari, quanquam uetuſti generis, ab incondito
populi ſtudio clariſsimos ciues anteiſſet. Valebat
Carduccius ſolertis ingenij firmitate & perurbana
eloquentia: ſed qui obliquo oculo & pallida facie,
nequaquam decerem, aut parem tanto honori habi
tum præferret. Sequenti die Caponius nihil ægrè
ferens, quòd magiſtratu excidiſſet: ſed de ſalute ſo-
licitus, quanquam, ut ſeſe animo confirmarer & ti-
mere deſineret, amiciſsimi & magna pars ſenatus
cohortarentur, in pallio atro & ciuili capitis inte-
gumento, ad dicendam cauſam paratus uenit in ſe-
natum: ſereniore utique uultu, pacatioreq; animo
quàm pridie, quum tum coccineam familiarem to-
gam ſumens, pro ſe pauca Petrique filij ſalute præ-
fatus, cauſam ſuam demiſsiſsimè magiſtratibus cõ
mendaſſet, uſque adeò ſuppliciter, ut innocentiam
ſuam in dubium reuocaſſe amicorum propenſiſsi-
mi iudicarent. Erat enim Caponius natura lenis,
nunquam ulla in re iratus aut feruidus: utpote, qui
patientia & moderatione cuncta aſpera ferri, & ſu-
perari debere prædicaret. Protulit Gerardus immi-
tis accuſator exemplum earum literarũ, quas ſolo
ſuſtulerat, lectiratumq; in ſenatu eſt. Cuius ſenten-
tia talis fuit: Ioachinus Serralius Caponio dictato-
ri ſalutem. Quoniam nõ ſemper tuta mihi offertur
occaſio ſcribendi, præſentem nactus nuncium no-
lui differre, quin te facerem de inſtituto negocio
certiorẽ, de quo probè ſcis ex arcano me agere cum
graui illo, quem noſti homine, maximeque familia
ri pontificis. Is mihi retulit, Clementem ſatis pro-
ſperè & firmiter conualeſcentem eo eſſe animi de-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

creto, ut ſe honeſta conditione cum ciuitate conciliet, & belli conſilia penitus abijciat: neque ægerrimè ſit laturus, quòd populus perpetuò rempub. adminiſtret, & parta libertatis iura tueatur, modò per æquas conditiones, ciuili more, propinquorũ ſuorum ratio apud magiſtratus habeatur. Sed quoniã plura ſcribere non licet, à te uehementer petimus, ut ad condictum locum extra urbem, colloquendi cauſa Petrum filium ad me mittas. Ab eo enim cuncta fideliter exprimente præclarè cognoſces, quę in negocio conficiendo opus ſint. Vale. Hæc quæ ex literis recitabantur, apud ſuſpicioſos homines ita animos commouebant, ut pleriq; maligno per ſubſellia murmure oborto, cuncta peruerſe interpretarentur, & magna tamen ſenatus pars communicatis ſermonibus, cum proximo aſsidentium ordine ſubmiſſe deliberando, eius rei culpam à toto læſæ maieſtatis crimine ſuſpicioneq; remouendam cenſeret. Inter eos qui mirificè Caponio fauerunt, extitit Petrus Victorius, eius contribulis, qui tum erat ſexdecim uir collegiorum ordinis, ciuis honeſtiſsimus, & de optimis literarum ſtudijs egregiè meritus. Tum uerò Caponius à dictatore cauſam dicere iuſſus, in hanc ſententiam conſtanti uultu, miroq́ue omnium ſilentio loquutus eſt: Sequutus morem & diſciplinam maiorum meorum ampliſsime dictator, prudentiſsimiq́ue cauſæ meæ iudices, nihil unquam carius libera patria, nihil unquam præclara rectæ conſcientiæ laude honeſtius duxi: quandoquidem rempub. uti probè nouiſtis, pluris ſemper fecerim, quàm priuata commoda. Pudebat enim ea expectare ferreque præmia, quę turpi obſequio uel adulatione facilè pararentur, ab his qui ex uſu dominatus pro libidine cuncta dare atque eripere poterant. Hoc inſtituto animi ingreſſus curiam ad obeunda munia ciuitatis, per quinquaginta annos ita faui ſemper, proſpexiq; exoptatæ, nec unquam deſperatæ libertati, ut in utraque reipub. fortuna, modò fortem, modò incorruptum, nec unquã demiſſum animum ferrem: quippe qui uitæ innocentia, & domeſticæ frugalitatis laude cõtentus, quæ duę uirtutes (abſit inuidia) domui noſtræ ſemper peculiares fuere, opportunitates temporum expectandas atq; omnino maturè captandas arbitrabar, quo excitari, ingentibusq́ue ciuium animis conſtitui, ſine perturbatione labeq́ue ciuitatis, ſecura libertas poſſet. Affuere ita que dij immortales non irritis uotis ciuium uti piè cõceptis, & libertatem intermortuam inſperatò excitarunt, ciuitatiq́ue nullo effuſo ſanguine, quod ipſorum miræ benignitatis fuit, largiti ſunt. Hanc ego ante alios flagrantiſsimo ſtudio complexus, ut diu apud nos uigeret atque floreret, omnibus conſiliorum artibus adnitebar: prouidebamq́ue, ne infirmas eius radices ulla aduerſa tempeſtas reuelleret, primumq; omnium Clementem ipſum, nobis, his præſertim lenimentis & officijs, quæ libertati noſtræ nihil officeret, pacandum, aut omnino ſpe & mora diſtinendum exiſtimabam, ne accumulatis iniurijs irritatus, alicunde nobis inſidias atq; arma moliatur, uti quis non imprudens, ominari facilè poteſt. Probè ſiquidem agnoſcimus, quos ſpiritus gerat, quo angore animi torqueatur, quòd patrię dominatum, horribilis ruinæ caſu oppreſſus, amiſerit: qua demum machinatione bellici conatus eum recipere cupiat, & ulciſci odia in illos, qui dignitatem eius pudendis contumelijs obtriuerint. Hæc eius exagitaræ mentis conſilia, ut à nobis auerterem, ægro blandimenta afferenda, iuſtasq́ue iras mitigandas rebar, ſpe iniecta non iniquæ conditionis, ſi nos æquitate rerum potius, quàm importuna libidine, uoluntates noſtras moderemur. Quamobrem per Iacobum Saluiatum, quem non plus de uita pontificis propinqui ſui, quàm de ſalute libertateq; patriæ, ſolicitum eſſe comperio ſcioq́;

A operam dabam, Serralio internuncio, ut cum pontifice de compoſitione ageretur. Verebar enim ne fœdere Gallico, quo illigati ſumus, uehementer offenſus, deſperato meliore conſilio, uel inuitus ad Cęſarem uerteretur, quod nobis magnopere cauẽdum timendumq́ue hodie magis ac magis exiſtimo. Proinde iam ab initio, ne properè cum Gallo fœdus percuteremus, enixè contendebam, niſi eidem fœderi pontifex iungeretur: ſcilicet, ut eo honeſta utrinque cautione conciliato, ualidiora certioraque præſidia aduerſus inuictas adhuc Cæſaris copias pro communi ſalute pararentur. Sed in ancipiti deliberationis negocio, intempeſtiua, uti pernoſcere fas eſt, uicit plurimorum ſententia, atq; ita elapſi ſalubris conſilij rationem omnẽ intercidiſſe, quod dolet, agnoſcimus. Quæ huiuſmodi fuere, ut huius officij pro ſecuritate publica ſuſcepti, nõ contumeliam, quæ mihi graui cum periculo paratur, ſed gratiam omnino expectãdam à uobis putarim. Quinque ille à nobis hæc poſtulabat: ut patrimonij fructibus, uectigali æqua oneris lege perſoluto, potiri liceret: ſibi puella neptis redderetur: propinquis eius aditus ſecundum leges in rempub. petendis honoribus daretur: & quod ad tuendam pontificij nominis authoritatem pertinet, Florentini à decumandis ſacerdotijs abſtineant, & ſacroſancta templorum donaria ſuo iniuſſu auara manu non attrectent: poſtremò etiã, ut deiectas gentilitijs inſignibus pilas, priuatis ſaltem familiæ ædibus, aut templis maiorum ſuorum pia liberalitate ædificatis, reſtitui pateremur. Hæc rerum capita, q̃uiſſimi ciues, ſi diligenter conſiderem, nec improbè expendam, uel ſi cumulatè & exactè cuncta concedantur, facilè fatebor me non uidere, quid incommodi aut detrimenti reipub. afferri poſſit: quum iam pridem ejectis adoleſcentibus Mediceis, quòd ſponte nobis tantum hortantibus dominatu exceſsiſſent, ius ciuitatis ex decreto publico reliqueritis, nec ideò ex fide ueſtra ſit, dignitateq́ue ſenatus id decretum ſuſtuliſſe. Bono itaque iure repeti, quod publica obligetur fide, iudicare poteſtis: niſi aliquot ciuilium prædiorum redditu augeri publicas opes, & ſarciri bellicos ſumptus ineptè exiſtimet ea ciuitas, quę per ſexdecim annos inexhauſtis opibus, perpetuũ cum Piſanis bellum geſſerit, & me teſte atque adiutore cõfecerit. Nunquam enim pecunias huic urbi alendo & ſuſtinendo bello defecturas crediderim, ſi ſit firmum apud ciues, quod rectè optare facilius quàm ſperare poſſumus, communis concordiæ ſtudium. Nec item ſatis prouideo, quid nobis officere poſſit puella nouennis patruo, ſacrorum principi depoſcenti benignè reddita. Nam præterquam, quòd eam & ſexus, & ætas tutam ab omni contumelia reddant, cauere etiam oportet, ne hac in re, dum pontifici nocere quàm morem gerere malumus, Galliæ regis fœderati maieſtatem offendamus, ſi regio ortam ſanguine, & nihil tale merentem, diutius in Veſtalium uirginum ſeptis adſeruãdam iudicemus. Tantum uerò abeſt, ut complectendo ciues uniuerſos, atque his honores ęqua lege partiendo reipublicæ noceatur, ut hac ciuili benignitate eam firmiorem florentioremq́ue euaſuram arbitrer. Amantes ſiquidem patriæ & conſtiturę libertatis ſtudioſos, ueroq́ue bono tranquillæ pacis gaudentes, una maximè concordia lætari decet, obliuiſciq́; item omnis priuatæ iniuriæ, publicæq́; ſimultatis. Inſuperabilem nanque ciuitatem, non arma, non pecuniæ, ſed unus publici decoris conſenſus efficit. Porrò quod quarto loco petitur, ita mihi, & bono cuique ciui æquum uideri poteſt, ut nihil fœdius & inuidioſius accidere poſſe exiſtimem, quàm ſi ſpreta & uiolata ſummi pontificis authoritate, tanquam diro ſacrilegij piaculo polluti, infami prorſus auaritiæ nomine aqua & igni

B interdicamur. Poſtremò autem, ut deiecta inſignia & tituli reponantur, ſumma ratione indulgendum putauerim, ne gloriæ noſtræ communibusq́ue ornamentis ſtultiſsimè inuidere uideamur. Nam etſi quicunq; Medicei nominis principatu potiti ſunt, re nomineq́; fuerint tyranni: in ciuitate tamen, ſi nõ uerè libera, non intolerandis certè compedibus uincta, quàm plura, quod fateri licet, glorioſæ laudis monumenta condiderunt, quæ homines elegantię ſtudio ſi plurimum admirantur, aduenæ peregrinique ſuſpiciunt, & noſtri ciues æquè iuſta atque difficili imitatione æmulentur. Quod uerò ad deformatum Coſmi ſepulchrum pertinet, non eſt quod quicquam aliud ineptius & inanius factum fuiſſe iudicem: quando quidem ea derafi tituli iniuria, cui cunque non inſulſo ridenda ſit. Illius nanque ingenioſiſsimi uiri oſſa, ad perennem memoriam nõ an guſto quidem loculo, ſed luculentiſsima incompa rabilis templi teſtudine continentur, quæ ſine inexpiabili & propè impia totius humani generis inuidia excindi deleriq; non poſſint: ut hic prætereamus literarum ſempiternæ famæ præſidia, quibus Medicei ferè omnes tam aſtuta, quàm liberali diſciplina impenſiſsimè ſemper fauerint. Ea nanque uel nobis inuitis perpetuò durabunt, niſi putemus totius Europæ gentes, ad quas hiſtoriæ manarint, ad iracundiæ noſtræ libidinem, cunctos annales, quibus eorum nomina cum laude inſerta ſint, inuſitata conſpiratione crematuras. Vos itaq; qui Romanæ uirtutis exempla æmulari honeſtiſsimum ducitis, meminiſſe oportet, præclaram uirtutẽ, uel ſummis adumbratam uicijs, tantam habere in ſe uim ac admirationem, ut Pop. Rom. diri hoſtis Pœni Annibalis ſtatuam in foro cunctis perpetuò ſpectandam collocaſſe maximè decorum exiſtimarit. Hæc ſunt crimina, quibus feciſſe aduerſus rempub. accuſor, unde me nonnulli feruidiore tuendæ publicæ exiſtimationis ſtudio prouecti, improbo aut certè illoto ore, patriæ proditorem appellare non erubuerint: uel ob id præſertim, quòd huiuſmodi conſilia ex arbitrio meo ſubtilius & rectius concepta, decẽuirali o ctouiraliq́ue collegijs communicanda non exiſtimauerim: cuius obiecti nomen facilè diluitur, quando hi ante alios, Laurentius Segnius & Iacobus Morellius, optimi ciues, ac nonnulli alij ex hoc ordine, me ſecum de hac re loquutum fuiſſe, & has ipſas literas, quæ mihi ſinu exciderint, oſtendiſſe, præclari teſtes eſſe poſſint. Neque propterea, quòd non omnibus hæc communicanda iudicarim, parum ſincero animo, parumq́ue integra fide, conſilia, quæ ad ſummam rerum pertineant, agitaſſe exiſtimari debeo. Verebar enim, ne diſſeminata apud ſuſpicioſos & imperitos, uti ſæpè accidit, latius efferrentur, atque inde eo, quem optabam, ſperareq́; licebat, ſucceſſu carerent. Neq; enim uſqueadeò anguſtæ & circumſcriptæ poteſtatis dictatorem eſſe putabam, ut ei, quæ cogitet & coquat, ſilentio tegere non liceat, quum eius ſit muneris & officij, uigilando & penſitando id unum reſpicere, quo plurimũ reipub. prodeſſe poſſit. Hoc animi inſtituto, ſicuti ſupremi honoris ratio poſtulabat, dictaturã ueſtro inſigni beneficio mihi delatam prorogatãq;, priuato meo tantum, non publico periculo geſſi. Itaq; ſi peccaui, dare pœnas uel indigna morte paratus ſũ. Sed apud uos, obſecro, id moderandis ſententijs ferendoq; ſuffragio ualeat, totius uitæ meæ curſus, in quo nuſquam improbè fefelli: ualeat patris mei memoria, qui pro patria pugnans, Piſano bello occubuit: ualeat, ut maximè opto, priſtini iudicij ueſtri teſtimonium, quo me nihil ambientem, minimeq; prehenſantem, hoc ſummo honore digniſsimum exiſtimaſtis, quũ recẽs recepta libertas, neq; impotuno, neq; rerũ imperito rectore egere cenſereꝝ. Nemo quidem repentè fit malus, quod de me ſuſpica-

A ri homines nolim, quũ idem ſim, qui ſemper apud uos, integer uitæ omnisq́; expers ſceleris, ſexaginta ætatis annos exegerim. Nec ideo deprecor integrimi iudicij ueſtri ſeueritatẽ, quã obtrectatores mei accuſatoresq́; longè maximam atq; acerbiſsimã requirunt, ut apud uos certa clementiæ laus paretur. Exiſtimato re ſiquidem uos non de dignitate uitaq́; & fortunis meis in ſuffragium ituros: ſed facturos iudicium de publica ſalute, quã ita ſuperi incolumẽ ſeruent, ſicuti me à uobis benigniore decreto cõſeruatum iri & ſpero & opto. Caponio perorante, ſecedente q́; in interius cuſtodiæ cubiculũ, eo modo liberis ſuffragijs iudicium eſt factũ, ut magno aſſenſu cunctis ferè ſententijs abſolueretur. Mouebat enim populum uiri grauis maieſtas, acrioribus calumnijs circumuẽta: magnoq́; eius diu ſpectatæ uirtutis & integritatis argumento curia excedentem, omnes optimatiũ ordines domum deduxerunt, tanta frequentia, ut quum ad paternæ domus limen, trans Arnũ agendis gratijs ſubſtitiſſet, nouiſſimi agminis pars grauior & honorator, præ turba, ad curiæ limen adhuc hæreret: & multi ex his, qui eum dam natum uoluerant, aſtuta diſſimulatione comitanti bus admiſcerẽtur: inſtarq́; magni triũphi ea frequẽtiæ pompa, intermixto lachrymis gaudio, Caponij gentiles & propinqui probiq́; ciues maximè lætarenẽ. Tantũ uerò abfuit, ut quicquã priſtinæ exiſtimationis in ipſo, ex tanta ſummi honoris iactura, deperiret, ut ſuperata inimicorum acerbitate, noua quadã incorrupti conſtantisq́; animi gloria adaugeri & reſloreſcere cenſereꝝ. Verum eam ſplendidiſsimi comitatus frequentiã facilè inde oriens inuidia corripuit, quũ poſtridie manè, duo ſummæ authoritatis legati, Claudius Velleius Gallus, & Antonius Surianus Venetus, eũ domi humaniter inuiſiſſent. Quamobrẽ Caponius grauioré apud populares inuidiam ueritus, amicis admonentibus, in agrũ ſuũ clàm ſeceſsit. His cognitis rebus, Clemẽs uehementer aduerſus Florentinos exacerbatus eſt, quòd in omnibus eorũ actionibus atrox contra ſe odiũ emineret, nec ſe quicq̃ uera aut ſimulata lenitate apud corruptas cunctorũ ferè ordinum uoluntates profi cere poſſe perſpiceret: nec deeſſent, quod maximè impiũ & contumelioſum putabaꝝ, qui eum ſine ulla honoris aut ſanctitatis prę fatione nominare, Clementemq́; nudo nomine appellare, & tanq̃ ſpuriũ, neq; ideo ritè Pontificem creatum dicere conſueſſent, & in patritios, ipſosq́ue præſertim Mediceorum neceſſarios, qui ueteris illorum erga ſe beneficentiæ memoriam retinerent, nec apertè ſtudium ſuum pro repub. nudare uellent, perpetuò graſſarẽtur. Amoto nanq; Caponio, reipub. facies immutata uidebatur, quum ius & æquum, ciuilisq́; humanitas nuſquam uigerent. Ipſe ſiquidem Carduccius ea mente rempublicam fuerat complexus, ut eam his artibus, quæ maximè populo placerent, adminiſtrandam exiſtimaret. Id enim ſibi ex eo magiſtratu decus petebat, ut ſide inclytus, incorruptus pecunia, & pro factione inexpugnabilis & inuictus propugnator euaderet. Quæ tamen non incertæ uirtutes in ipſo ita elucebant, ut turpiſsimis inuſitatæ malignitatis maculis fœdarentur. Nam impio erga patriam conſilio, literas, quas è Gallica legatione Balthaſar gentilis eius ad ſenatum perſcribebat, aut ſupprimere, aut notarijs peruerſe interpretandas dare conabatur, ut populus commentitijs fabulis deceptus, in conſilio reipub. deterrimo diſtineretur. Nam quũ è Gallia nihil propenſum à rege, nullumq́; ab eo efficax præſidium, ad ſalutẽ ſeruandæ ciuitatis, Carduccij literis afferretur, inani ſpe auxiliorum animos imperitorum ſuſtentabat. Nec quiſquam tamen optimus ciuis & à factione ſemotus reperiebatur, qui in Gallo rege iam planè Cæſari conciliato, quicquam ſpei impetrandę opis

reponendũ censeret, quòd ille ante omnia, uel cum
sociorum detrimento liberos obsides recipere ma-
turaret. Accesit ad hoc infame prorsus nequissimi
facinoris factum, quod uehementer ipsius Carduc-
cij existimationem læsisse uideri potuit. Nam amœ
nissimas, quæ ornamento urbi erant, Mediceorum
& Iacobi Saluiati uillas, intemperantis & turbidæ
iuuentutis impetu, incendijs absumendas iusserat:
quanquam id non imperasse, sed dissimulanter de-
lendas obiecisse fateretur, scilicet, ut ex tam horri-
bili fœdoque maleficio, nunquam ueniam impetra
ri posse different, quando id scelus promiscuæ iu
uentutis, ad omnes ferè ciuitatis familias pertine-
ret: edicto quoq; inusitato, xenodochiorum, hospi-
taliumque domorum & templorum prædia confis-
canda uenundandaq; proposuerat: & non compa-
rẽtibus emptoribus, ea locupletibus, sub pœna ma-
iestatis coëmunda addixerat, quæ impotenter de-
creta, cum certa labe priuatorum, fortunas ad exci-
dium redigebant. Verùm Carduccius, lugentes sua
incommoda specie pietatis admonebat, ut patriæ
securitatem priuatis diuitijs anteponere uellent,
quando incolumi patria, optima fide pecunia reddi
posset. Quòd si contumacius cessarent, officioq; pa
triæ deesse nt, fore ut improbi consilij pœnas darẽt:
paulo pòst extremam cladem, aut ab hostibus bar-
baris, aut ab impijs tyrannis extra pœnitentiæ lo-
cum laturi essent. In eandem quoque sententiã pau
lo antè Carduccius, quum esset decemuir, mention-
nem primus intulerat, cum de cogenda pecunia a-
geret, ut donaria templis religiosissimè dicata tol-
lerentur: quòd ea non tam ad ornamentum pacis,
quàm ad belli subsidia collata existimari debere ma
gnificè prædicaret. Ociosas scilicet opes, & nihil
profuturas, ad salutem patriæ impendi transferriq;
debere, sicuri charitate patriæ ducti boni ciues, si sa
lus publica quæreretur, posthabendas iudicarent.
Quum de his Carduccij imperijs nõnulli ciues mœ
sto liberoque sermone in corona differerent, quod
minimè prætermittendum uiderur, Antonius Al-
bertus, uir honestissimus & perurbanus, non infa-
cetè dixit: Non est optimi ciues, quòd quicquam à
dictatore cõmodius & mitius expectetis: nam post
quàm decoctori rempub. commisistis, necesse futu
rum esse prouideo, ut nos omnes cum ipsa repub.
decoquamus. Sed tum, quum hostes longè ab urbe
abessent, neque adhuc appropinquantis belli incõ
moda sentirentur, de ea re à Carduccio decretũ fie-
ri non potuit. Præbuit ansam turpi consilio exequẽ
do, quum matronas nuptialibus ornamentis, singu
lasque familias uetere argenti atque auri supellecti
le spoliandas censuisset, ueterum Romanorũ exem
plo, quum extremis Punici belli casibus matronæ
dites generosa propensione omne aurum & argen-
tum ex suo mundo, ut pecunia cuderetur, in ærariũ
detulissent. Carduccius quoque, quum ad mœnia
hostem expectaret, tam fortem quàm inexorabilẽ
dictatorem gessit, quum proxima mœnibus ædifi-
cia, uel summæ amœnitatis dirui iussisset, ne uentu
ro hosti munitam sedem præberent. Acerbissimè
autem imperauit, ut quæ possent usui hostibus es-
se, omnis generis commeatus, pabulicq; præsertim
in urbem conueherentur, & quæ transferri nequi-
rent, ultrò incendijs corrumperẽtur. Qua edicti se-
ueritate, lugentibus sua detrimenta minoribus præ
sertim ciuibus, exardente inuidia, ingens contraxit
odium: quanquam id futuri belli dira conditio fla-
gitaret, & cunctis ciuibus patriæ salutem priuatis
opibus anteponendam censeret. Adiecit quoq; ani
mũ muniendæ urbi, ita ut si quid uetere in muro ui
tij aut ineptæ defensionis foret, ea omnia nouis ar-
tificijs emendarenr: institutisq; operibus, & curato
rum collegio opportunè creato, præpositus est, qui
hęc omnia ex disciplina bellicorũ operum impleret
atq; perficeret, Franciscus Sangallius architectus, ci
uis bonus & industrius. Is præcepta & documenta
ducum & militũ sequutus, portis noua propugna-
cula imposuit. Sub id enim tempus Florentini Ma-
latestam Baleonum certis de causis diductũ à Pon-
tifice, neq; ei qui Paulum patrẽ capitali supplicio af-
feciisset, satis fidentẽ, ex authoritate Francisci regis
conductum ducẽ crearant, Stephanumq; Columnã
dispartitis muneribus urbanæ militiæ præfecerãt,
minoresq; aliquot duces, & in his Mariũ Neapoleo
nemq; Vrsinos, & Georgiũ Sanctacrucium Roma-
nos, stipendijs suis addixerant: quibus pari studio
satagẽtibus, egregiè muniri urbs cœpta est, magno
operarũ ardore, quæ ex agro excitæ, opus facere co
gebant. Iam enim Pontifex ad urbem acciuerat Phi
libertum Aurantiũ, Cæsariani exercitus imperato-
rem: & cum eo de inferendo Florentinis bello con
silia inierat, confectoq; bello Apulo, & Alfonsus Va
stius cum Hispanorum cohortibus, & Ferdinandus
Gonzaga cum equitatu in Vmbriam peruadebant,
ut inde in Hetruriam descenderent. Increbuerat e-
tiam fama, Cæsarẽ ab Hispania citeriore, propediẽ
Auriana atq; Hispanica classe Genuam esse peruen-
turum: ad quẽ Pontifex tres summæ dignitatis le-
gatos misisset, ut honoris causa illum quò iret, de-
ducerẽt. Hi fuere Alexander Farnesius, senatus prin
ceps, & Franciscus Angelius Hispanus, cuius dili-
gentia Pontificẽ carcere eductũ, ob idq; summę pie
tatis officium, purpureo galero donatũ fuisse dixi-
mus, & Hippolytus Medices Iuliano pontificis fra-
tre patrueli genitus, & cum eo Alexander Medices
Cæsaris gener designatus. Aduentabãt quoq; è Ger
mania noui duces cum ualidis equitũ & peditũ co-
pijs, Philippus Arescotus Belga, & Felix Vitember
gus è Sueuia, qui ut Cæsari præsidio adessent, Tri-
dentinis alpibus sese demittebant. Ipse quoq; Pon
tifex cum uniuerso cœtu Cardinalium minorumq;
præsulum, id iter per Flamminiã uiam, ut Bononia
peteret, ibiq; Cęsarẽ operiretur, sese accingebat. qui
bus de causis Carduccius permotus, in senatu retu-
lit, Cęsarem missa legatione excolendum mollien-
dumq; sibi uideri, & eum quibusuis conditionibus
oblatis, ne hostis foret, præoccupandũ: utpote qui
eius inuicti imperatoris uim potius per conditio-
nes, q̃ armis auertendam putaret: ratus hoc facilè
posse impetrari, quòd iam latè fama ingrueret, Soly
manum ab Hadrianopoli profectũ, cum innumera
bilibus copijs in Pannoniam peruasisse, eo consilio,
ut regnũ ab se iure belli partũ, Ioannicq; Sepusio be-
neficiario iure concessum, ijsdem uictricibus armis
repeteret, eumq; Ferdinandi armis Pannonia pul-
sum reduceret. Nec barbarus tãtis instructis armis
cõquieturus esse crederet, nisi partẽ Norici Austria-
nicq; principatus Budano imperio adiungeret, & cu
mulatè iniuriam acceptã uindicaret. Quibus de cau
sis Cæsarem tanq̃ domestico terrore atq; periculo
adductũ, flectere consilia, ideoq; ab Hetrusco bello
abstinere posse crederetur: quoniam Italiæ uiribus
barbaro hosti formidolosissimo opportunè esset re
sistendũ. Quibus gerendis rebus Cæsarẽ apparebat
una omnino pecuniæ inopia laboraturũ, si Germa-
niæ robora propositis stipendijs euocata, barbaris
opponenda statueret. Itaque consentientibus pa-
trum sententijs, delecti sunt quatuor legati, qui ad
Cæsarem ire maturarent, summæ authoritatis atq;
prudentiæ ciues: ipseque in primis quod magnæ
gloriæ ei fuit, Nicolaus Caponius è rure, tanquam
ab exilio in urbem reuocatus, & cum eo Tho
mas Soderinus, Matthęus Strozza, & Raphaël Hie
ronymus, iamprìdem Cæsari notus, quòd in His-
pania legationis munus obiuisset. His uerò profici-
sci iussis, actitatum est in senatu, an Pontifex pa-
ri legatione ad spem pacis flectendus, aut certè ex-
ploratis eius cõsilijs pertentandus foret. Quod cũ à
plerisq;

plerisque tanquam æquum & planè pium probare
tur, tanta fuit peruersi dictatoris astutia, tantaq; po
pularium superbia, ut nullo modo uel adeundum,
uel excolendum decerneret: quoniam eius cõgres-
su, à quo nihil è republica impetrari posse confirma
rent, contagione non obscura constantia liberæ ci-
uitatis fœdari posse putaretur. Superabant tamen
cogitatio periculi atq; imminentis belli metus, om
nem deprauatorum ciuium pertinaciam, ita ut pu-
dore per subsellia oborto, Petrus Franciscus Porti-
narius, qui è legatione Britannica redierat, ad Pon-
tificem legatus destinaretur, cui adessent duo me-
diocris existimationis collegæ. Cæterùm opera
Carduccij, nequaquam mandata publica proficis-
cendi data sunt, quòd ea decẽuiri in itinere se sub-
missuros mentiendo pollicerentur. Quamobrẽ ne-
cesse erat, ut ea legatio, quæ certis mandatis nõ ini-
teretur, inanis foret. Hæc res Pontificis animum
uehementissimè pupugit, quum ciuium usqueadeò
aucto acerbitatis furore, insanabiles animos ar
mis omnino perdomandos censeret. Interea Cæsar
Barchinone oram soluẽs, Auriana prætoria uectus,
comitante Portundo, qui Hispanicæ classi præerat,
Genuam peruenit, præstoque ei fuerunt Pontificis
legati. Cæsar autem in ædibus prætorianis susce-
ptus est, excepereque ciues eius comitatum pro-
prijs penatibus, impetrante hoc officij genus An-
drea Auria à singulis familijs, quòd ægrè Genuen-
ses in uniuersum susceputi Hispanos hospites ui-
derentur, propter recentem adhuc memoriam, ab
ea præsertim gente, direptæ ciuitatis. Cæsar ipse,
secus ac crediderant homines, faciem prętulit lenis
clementisque animi indicem, ipsoq; iuuentæ flore
maximè decoram, quam honestabant mores ciuili
modestia conditi, & eloquia benignæ comitatis, sic
ut famam conceptæ apud Italos ferocitatis extingue
ret: quandoquidem nequaquam eius imperio, sed
dira atque immani ducum suorum acerbitate, quæ
perpessi essent summæ calamitatis incommoda, il-
lata fuisse crederentur. Nec multum inde Florenti-
norum legatos admisit, qui ab eius æquitate cle-
mentiaque demisse postularunt, ut ciuitati parcen-
dum duceret, si quid fatali coacti bello, maiestatem
eius læsisse uideretur: paratam quidem esse cuncta
facere quæ imperaret, modò eam uetere consuetu-
dine liberam, sua qua potiti essent libertate, frui pa
teretur, pro qua omnino conseruanda tuendaq; po
pulus uniuersus, non urbium modò sibi subiectarũ
opes, sed liberos & coniuges, delubraque & fortu-
nas omnes, contempto omni belli periculo, deuo-
uisset. Propterea maximè decorum fore, si ciuitas,
quæ esset totius Italiæ longè pulcherrima, & ad i-
psius Cæsaris authoritatem ultrò se conferret, libe-
ra atque integra seruaretur. Ad ea Cæsar paucis re-
spondit, Florentinos iniquè arroganterque fecisse,
qui nulla lacessiti iniuria, Gallis hostibus suis adhę
sissent, fœdereque icto, Hetrusca auxilia oppugnan-
dis ipsius ducibus Neapolim misissent. Quo inex-
piabili delicto superiorum Cæsarum concessas li-
bertatis immunitates, uel ingratè, uel perfidiosè cor
rupissent. Hæc tametsi uti maximè fœda, omnino
armis uindicanda conferentur, se tamen noxam, &
totum eorum maiestatis crimen pro sua humanita
te magnitudineque animi remissurum, si sacrosan-
ctum Pontificem, eundemque ciuem suum eximiæ
moderationis, quem impudenter patria eiecissent,
conuersis uoluntatibus reciperent. Hanc unam si-
quidem ipsis relinqui uiam parandę pacis, quando
nullo alio auspice, sequestróue eam impetrare pos-
sent. Neque enim aliter se fidei præstitæ, neque offi
cio suo, quod percussi fœderis legibus esset obstri-
ctum, satisfacere posse, nisi sacrorum principi & ci-
ui de Florentina repub. optimè merito, sua patria
redderetur. Ab his prægrauibus Cæsaris responsis,
legati diuerso animorum habitu ab Genua disces-
serunt. Caponius & Strozza, prouisis asperrimi bel
li difficultatibus, uel non æquas, & præsenti reipu-
blicę incommodas certæ pacis conditiones, dubio
bello facilè præferebant. Soderinus autem ita hor-
rebat bellum, ut animi anceps pacem improbaret,
quòd ea, propter gentilitias simultates, nisi redu-
ctis Mediceis, parari posse uideretur. Raphaël au-
tem occulta correptus ambitione, popularis factio
nis studium susc epit: astuta quidem ratione, ut quũ
esset patritius, & multis nominibus Mediceo nomi
ni obstrictus, utriusque ordinis uoluntates prome-
reret, petitionique suæ, quam animo agitaret, certa
suffragia compararet. Itaque Soderino per causam
ualetudinis Pisis subsistente, quòd Caponium a-
pud Castrum nouum Calphurniani saltus ex mor-
bo perisse: Strozzam uerò, qui ei comes affuisset,
metu belli & turbulentæ popularium factionis tę-
dio Venetias abisse didicisset, magna festinatione
Florentiam contendit, ita ut intento cursu in curiã
ire pergeret, & penulatus petasatusque, ad præoc-
cupanda hominum studia, ad dictatorem & decu-
riones ascenderet. Eius aduentu frequens factus
est in curiam hominum concursus, quum quisque,
quod à Cæsare relatum esset, noscere percuperet:
Ante omnia Raphaël Carduccium arctè comple-
xus, cohortatusque, ut eundem quem maximè for
tem pro salute patria animum induisset, generosè
confirmaret: causas namque uel timoris, uel peri-
culi aliquanto minores esse quàm putarent, post-
quam Cæsarem, explorátis & expensis consiliorum
eius explicandorum difficultatibus, adijssent, & ex
colloquio, inanis contumaciæ responsa, iustis ipso-
rum postulatis aliena retulissent. Itaque uiris forti-
bus, & pro patria aduersus tyrannos pugnaturis,
non defuturum uictoriæ successum, nisi intempe-
stiuè desperarent: quandoquidem satis magna ha-
bituri essent præsidia, cùm externorum militum,
tum ciuium ipsorum, quibus egregię firmitatis mœ
nia proculdubio defenderent: neque defuturam in
stipendia pecuniam, tanta liberalitate singulorum
ordinum substantiam omnem pro libertate patriæ
conferentium, postquam summæ charitatis studiũ
pro salute publica susc epissent. Hæc & alia magni-
ficè differendo, & Cæsaris & Pontificis apparatus,
qui erant amplissimi, inanibus uerbis eleuando Ra
phaël boni ciuis, optimique populariis nomen ita
consecutus est, ut priuatæ libidini incumbens, sibi
ad petitionem dictaturæ, uel exitiosis artibus uiam
præmuniret, unusque ipse malo publico priuatoq;
exitio suo, proclinatas iam ad pacem ciuium uolun
tates peruertisse diceretur. Itaque Carduccio ad ar
ma paranda uehementer inflammato, constantissi-
meque pro popularibus rempublicam adminis trã-
te, quæ excogitari poterant pro defensione ciuita-
tis, accuratissimè aduersus hostes parabantur. In-
terea Cæsar è Genua Placentiam contendit: ei ad-
uentanti tres Pontificis legati præstò fuerunt, ut
eum Pontificiæ ditionis fines intrantem, sacra-
mento adigerent, quo de more iurare cogebatur,
nunquam se pontificiæ libertati uim allaturum.
Sed Cæsar sui imperatorij iuris appositè memor, ita
iurauit, ut se de iure suo nihil decessurum testare-
tur. Placẽtiam siquidem & Parmam urbes tanquã
Mediolanensi imperio antiquitus attributas, quo-
niam id Cæsarum beneficiarium semper fuisset, nõ
obscuro nec intermisso iure repetere uidebatur. An
tonius quoq; Leua ad inuisendum edocendumq;
Cæsarem Placentiam descendit. Is Cæsari aulæque
proceribus, cum mutua gratulatione, dux mirus
& incomparabilis est uisus: uel ob id præsertim,
quòd tantis rebus gestis, totque partis uictoriis,
uel occupante totos artus miserabili morbo, ani-
mo pariter & corpore indomitus, nunquam à mu-

nere

nere militari diſceſsiſſet: ita ut ſi proſpera uteretur ualetudine,non ſuæ modò,ſed ſuperioris etiã ætatis duces, fama & laude ſupergreſſurus crederetur. Is diſſertè atq; appoſitè quæ geſsiſſet, & quæ geſturus foret differens,pacem è cogitationibus Cæſaris excutere conabatur,quòd uir belli gerendi cõficiendi; auidus,unde ſibi certum decus,immenſasq; diuitias pararet,omnia ſibi facilia ad pleniorem uictoriam de hoſtibus parandam,obuentura prædicaret: eo quidem fortaſſe iactantius,quàm prudentẽ deceret ducẽ, quòd Sfortianas pariter tanquã exiguas, Venetas uerò copias tanquam parum efficaces, & pro alieno commodo nunquam aſperioris pugnæ aleam ſubire ſolitas,facilè deſpiceret: eoq; præſertim contemptius & tutius, quoniam Venetos deſcendentibus Germanis,ad oppidorum ſuorũ præſidia, Feltrium ducem ipſum, & cohortes quas ad Abduam haberent,reuocaturos diuinaret. His Leuæ ſermonibus fiebat,ut Cæſar magnopere gauderet,neq; tamen ab inſtituto parandæ pacis conſilio ſe deijci,aut longè abduci pateretur: quòd ea quæ Clementi promiſerat,rata facere ſuæ dignitatis eſſe ſtatuiſſet, ut tandem ipſo imperatorij diadematis honore compos fieret, medereturq; afflictæ Italiæ incommodis,& propterea pacem pararet, ut fratri Ferdinando Turcarum circumuento armis,matura præſidia digna ipſo,traductis in Germaniam Hiſpanicis copijs,præberentur. Clemens enim,ad quem unum ſalutis ſuæ cauſa Franciſcus Sfortia confugiebat, ratus Hetruſcum bellum nequaquam confici poſſe,niſi cõpoſitis Galliæ Ciſalpinæ rebus,id præcipuè,ſicuti ſemper aliàs,à Cæſare poſtulabat, ut ipſum Sfortiam,quem inſontem criminis exiſtimare fas eſſet,in gratiam reciperet, & in regnum paternæ hæreditatis reſtitueret,ex cuius facti glorioſa liberalitate,ſtudia hominum ſibi eſſet conciliaturus, poſtquam undiq; uictori, principiq; magnanimo, nihil potius appetendum foret, quàm eximiæ moderationis decus,quòd maximè ſpecioſum atq; honeſtiſsimum eſſet. His Põtificijs adhortationibus, quãquam Cæſar omnino obſequendum ſtatueret, magnopere tamen dulcedine maximi pulcherrimiq; imperij potiundi diſtinebatur,uſqueadeò, ut à pleriſq; commutata uoluntate in conſilio reſtituendi Sfortiæ nutare crederetur:ob idq; præcipuè,quoniam dum hæc per legatos tractarentur, Antonius Leua nullam gerendi belli occaſionem prætermittendam ratus, Ticinum urbem rurſus occuparat,ingenti celeritate admotis caſtris, præfecto Annibale Picenardo turpiſsimè ſe dedente, ut ſeſe incolumem cum præda omni,quam undiq; coëgerat opulentam,ex pactione cõſeruaret. Sed eius facti ignominia non multo pòſt uſqueadeò atrociter laborauit,ut uituperantibus cunctis,ad mortem uſq; inſania corriperetur.Pari quoq; felicitate Antonius Caſtellum Sancti Angeli Laudenſi uia ad Lambrũ amnem poſitum, in poteſtatem redegit, miſſo in eam expeditionẽ Ludouico Balbiano,cum delecta parte copiarum.Is uti erat impiger,Sfortianoq; nomini maximè infenſus,ita oppidum adortus eſt, ut nactus noctem pleniſsimo imbre turbulentam, Sfortianis & Venetis præſidiarijs fruſtra repugnantibus,muri corona potiretur, quum imber omnẽ penitus ſclopetorum uſum,extinctis funiculis, defenſoribus eripuiſſet. Edita eſt non parua cædes, iniqua propugnatorum conditione.Id oppidum inexpectato amiſſum,tanto dolore Sfortiam affeciſſe uiſum eſt,ut geminatis cladibus, tota ſpe impetrandæ pacis decideret, & Clemens longè grauiſsimè perturbaretur,ueritus ſcilicet,ne Cæſar noua ſecundarum rerum fiducia impulſus,uti à familiaribus factioſis; deprauatus,ad bellum ſpreta pace trahere tur.Sed ea fuit in ipſo animi conſtantia, ut ullo pacto flecti nequiret,quòd conceptæ atque propoſitæ pacis ſpem, eluſo Pontifice minimè corrumpendã arbitraretur.Id uerò ut ſtatueret, grauiter adducebatur,propter Turcas quos in Noricum effuſos eſſe didicerat,ſummo Viennenſium periculo, cladeque regionis,quandoquidem cuncta cædibus & incendijs permiſcerent: Sub id quoq; tempus,Rodericus Portundus,Hiſpanicæ præfectus claſsis,Barchinonem reuerti iuſſus,ſummum fœdæ calamitatis infortunium ſubijt:commiſſo nanq; nauali prælio cum Turcis prædonibus,claſſe exutus eſt,atque interfectus,tam ſua exitiali, quàm reipub.damnoſa temeritate. Quomodo autem res geſta ſit, paucis enarrare lubet, ut noſtri homines nuſquam ſuperbia efferri, nec barbaros, qui pertinacibus animis nullo mortis metu ferrum in noſtros exercent, deſpicere condiſcant.Portundus ex itinere prædones ſe adepturum ratus,qui tum Balearico in mari uagabantur, quum ad Ebuſum inſulam perueniſſet, ibi didicit prædonum quindecim nauigia, quæ remis agerentur,ad Colubrariam inſulam conſediſſe. Ea abeſt ab Ebuſo decem milibus paſſuum,Frumentariaque à nautis appellatur. Itaque euectus in ſpem opprimendæ piraticæ claſsis,ex quindecim ſuis triremibus,ualidiſsimas octo deligit, easque cæterarum remigibus & epibatis complet: impetratáque à prætore Ebuſano centum circiter & quinquaginta notę uirtutis propugnatores,quos in triremes diſpertit.Hoc auctus numero, confirmatoq; ſuorum præſidio,non dubitat, quin cum barbaris omnino ſit confligendum,compoſitisq; armamentis de tertia uigilia ab Ebuſo ſoluit, & ad Colubrariam progreditur.Barbari à medio pelagi ſpacio aduentantes triremes conſpiciunt,celeriterq; è litore ſe expedientes, nauigia conſcendunt, atque arma parant. Portundus, quum Ioannes eius filius iam inalbeſcente cœlo, hoſtilium nauigiorum claſſem numeraſſet,ideoq; admoneret patrem,ne properaret congredi numero impar: uehementer eum acerbeque ignauia increpita obiurgauit, uſqueadeò inſoleſcens, ut diceret eum non eſſe ipſius Portundi filium, qui hoſtem reformidaret,biremibus tantum ex ſpeculatorijs mioparonibus inſtructum,quando ipſe uel ſua tantum prætoria trireme, cuncta ea barbarorũ leuiora nauigia eſſet demerſurus. Tũ filius qui cùm uirtutis,tum prudẽtiæ præcellentis erat, Dij faxint pater,inquit,ut nos concepti timoris diſpudeat potius quàm doleat. Eo modo Portundus ſuæ prætoriæ ita curſum intendit, ut reliquas quæ remigio minus ualebant, anteiret, & reſpiciens remos tolli iubere cogeretur: ſcilicet, ut conſequendi ſpacium præberet,quæ ad æquandam frontem, cùm uoce, tum maritima ſignificatione,ut accelerarent,accerſebantur.Haidynus Smyrnæus archipirata,cui Cacciadiabolo cognomen fuit, ubi inæqualem hoſtiũ curſum deprehendit, quòd longa & interciſa ſerie nullam conſerturi frontem cum prætoria uidebantur,aduocatis commilitonibus nauigiorumq; magiſtris (ita enim barbari trierarchos appellant) hoc conſilij expedita deliberatione ſuſcepit: ita diuiſis pugnæ muneribus,ut ualidiores biremes hoſtilem claſſem rectà ferirent,leuiores autem ſingulas binæ à lateribus aggrederentur. Fauit fortuna prædonibus æqua: nam Aſſanes Celebinus, & Solymanus audaciſsimi omnium & pugnaciſsimi, uno tẽpore, hic à latere, ille rectiſsimè à prora in prætoriam inuecti, priuſquam ſuccurri poſſet, Portundum capta prætoria, cum ſuis omnibus propugnatoribus trucidarunt, ita, ut uexillum repentè, quod magnopere cæterorum animos imminuit, ſterneretur: pariq; celeritate Haidynus ipſe triremem ſuccedentem Ioannis Cantabri, conſcendit, & Cantabrum cum uniuerſis naualibus ſocijs interfecit. Eodem puncto temporis, Salecus Derthuſenſem triremem, in qua erat Ioannes Cinereſ trierarchus, proximamq; huic Ioannis Portundi filij,magno impetu adortus,interfecto Ciuerio, & Ioanne capto, propugnatoribusq; omnibus trucidatis,occupauit.Eodem quoq; ſemihoræ ſpacio, Mathæus Sances,à Saba prædone,expugnata trireme, interfectus eſt.Maggalis uerò poſtremas,& conueſis puppibus aufugientes uſqueadeò acriter eſt conſectatus, ut alteram, in qua erat Martinus Ariegus, uelis & remis proſperè antecedentem amitteret: alteram uerò in qua erat Ioannes Corduba, ſcopulis ſeſe illidere cogeret, quæ effugientibus omnibus, cum ſolo trierarcho, qui ſupereſſe fœdę cladi noluerat, capta eſt, Turcis ex uictrice claſſe, deſcenſione in litus facta,effugientes ex trireme ita conſectantibus,ut multò plures quàm euaderent, integri caperentur.Haidynus tanta parta uictoria tridui quietem remigibus conceſsit,atq; inde ad Barbaruſſam cum ſeptem captiuis triremibus,Algerium traiecit, cuius aduentu uictoriaq; maximè lætatum ferunt Barbaruſſam,qui ex eius uictoriæ fama,apud Solymanum imperatorem plurimum inclaruit, quũ ei Byzantium uſq; dono miſiſſet ſplendidiora eius uictoriæ ſpolia,ipſumq; in primis Portundi prætoriũ uexillum,& ſumptuoſi operis puppis integumentum.Cæterùm Barbaruſſa acceſsione tot triremiũ captiuarum,torq; noſtris hominibus ad tranſtra cathenatis,inſtructior atq; ualidior factus,maiora animo agitare cœpit:aſciſcereq; ſibi nouas uires,atque arridentis fortunæ ſecundas uices experiri conſtituit.Iam enim fraterni imperij cõpos, Hariadenus uocari uolebat,ad differẽtiam Horuccij fratris, qui primò idem ab ęnea barba cognomentum tuliſſet, cuius cognominis & fortunæ hæres multis rebus in Africa fortiter atq; feliciter geſtis, terra mariq; rex metuẽdus euaſerat. Igitur ante omnia miſſo ad Mœnicem inſulam,quam Gerbim uocãt, Tabacco trierarcho Synam Smyrnęum cognomento Iudẽũ, ſummæ prudentiæ,uti conſtat,archipiratam, certo fœdere ſibi cõiungit. Is uiginti quatuor biremibus imperabat,uniq; triremi,quam Gallis ereptam cognomine Nigrã appellarat: cui Halicolam Corſum à pueritia alumnum pro trierarcho præfecerat, qui & ſuo nomine expeditam triremem cognomento Calabram trahebat. Synas quum ſubduci & refici claſſem iuſsiſſet,interea Tunetum contendit, ibiq; repertum inſignem prædonem è Cilicia, qui Halicotus uocabatur,æqua conditione tranſigit, ut ſecum ad Barbaruſſam enauiget, atq; ei operam præſtet. Halicotus quatuor habebat biremes, & triremes duas,quæ Neapolitanæ fuerant: ad Argentarium montem captæ,quum fortè tormentarij pulueris & pilarum certam copiam ad Cæſarianos Florentiam oppugnantes,iumentis deportandam expoſuiſſent. Altera fuit Iuſtiniana Gibba,quę in litus effugientibus remigibus pariter atque uectoribus, uacua in poteſtatem deuenerat. At altera fuit Aloyſij Iſpalenſis,qui expugnata trireme interfectus eſt. Horum omnium uiribus in unum coactis, Barbaruſſa ad Algerium claſſem luſtrauit ſexaginta nauigiorum militariter ornatorum:initaq; deliberatione cum ſocijs,urbem Gades in freto, propter opulentiſsimi emporij famam adoriri conſtituit. Dum propoſito conſilio Barbaruſſa diligenter incumbit, Halicotus cum dimidia ferè claſsis parte Algerium mittitur,ut ibi magnam uim frumenti nactus,nautici panis,quem biſcotum uocant, ampliorem copiam paret, & reliqui commeatus iuſto numero ſe inſtruat,armamentaq; pluteos & torméta coaptet. Hæc quum Algerij Cercelliq; impigrè atq; auidè parantur,Andreas Auria uehementer offenſus incommodo cædeq; Portundi,uetereq; ſuo contra prædones odio incenſus,quòd publicam iniuriam uindicandam rebatur, ualidiſsimam noſtratarum nauiũ claſſem Genua eduxit,cui ſe Gallicę triremes adiũ-

xerant: quoniam rex Franciſcus maximè piũ, ſibiq; decorum exiſtimabat armis perſequi piratas, communes humani generis hoſtes, obliuiſciq; in dudũ conciliati Cæſaris gratiam totius ſimultatis quę ſibi cum Auria nuper interceſsiſſet. Auria ad Baleares inſulas curſum tenuit,ibiq; didicit piraticę claſſis alteram manum eſſe Algerij, alteram ſedere ad Cercellum.Id circo conſilium expedit,alteramq; earum priuſquam in unum coniungantur,inuadendã cenſet,apertoq; mari rectà in Africam Cercellũ uerſus curſum intendit. Erant ei triginta octo roſtratę omnes triremes: has aduenientes Mauri è ſpeculà promontorij olim Carapulæ,quod nos Battalium, Pœni uerò Gyra Flumar appellãt,facilè conſpiciũt; Id uerò quod uidiſſent referentes, Halicoto ſe Barbaruſſæ claſſem quum deciperentur,aduentare cõfirmabant:ſed ut id crederet Halicotus,uel ea ratione adduci non potuit, quoniam ea aduentans claſſis parem nauigiorum magnitudinem certa ſpecie referret,quæ proculdubio eſſet externa atq; inimica,poſtquam nulla inter eam minora apparerẽt nauigia,ſicuti neceſſe eſſet in Barbaruſſæ claſſe, quum maiores minoresque biremes,& paruos mioparones ſpeculatorios ex ſua conſuetudine eſſet adducturus.Iam ſenſim appropinquantes Aurianæ triremes,quales eſſent,ſeſe intuentium oculis præclarè oſtendebant.Propterea Halicotus raptus in id conſilium,quod inopinata neceſsitas afferebat, ſingulari celeritate Chriſtianis remigibus cathenas detrahit, qui erant numero circiter octingenti, eosq; in ſubterraneum carcerem detrudit, partem triremiũ perforata carina,ne his potiatur hoſtis,in portu demergit,Turcas omnes ſecum adducendo, arcem intrare iubet,præcipitq; Mauris ut oppidũ relinquant,& ad euocandos proximæ uiciniæ Numidas,& montanos agreſtes,bellicoſosq; homines in auxilium accerſant. Dum hæc turbatè adminiſtrantur, Auria adactis proris portum atq; oppidum occupat,treſq; cohortes ſub uexillo ad quærendũ carcerem,liberandosque Chriſtianos ſeruos dimittit. Nec mora,certo indicio ergaſtula omnia reſignãtur, & cum magna gratulatione ſerui è ſumma miſeria beati repentè facti,per triremes diſtribuuntur.Cæterùm nauales ſocij per oppidum diſcurrunt, cunctasq; domos diripientes per uarias regiones diſſipantur, nec reclamante reuocanteq; ad tubæ cantũ Auria ſe recipiunt. Id diſſolutæ diſciplinæ factum, ab arce Halicotus deprehendens, ſubita eruptione diſperſos inuadit:opportuneq; ſuperueniunt auxilia Numidarũ,qui equato peditũ atq; equitũ curſu, inopinantibus noſtris aduolarãt. Cõmiſſa eſt atrox cædes in noſtros potius q̃ pugna,quòd nemo præpeditus cõplexu prædæ, & inopinato pauore perturbatus uſquã conſiſteret,aut uiriliter repugnaret: nam quiſq; ad repetendã claſſem cõcitatus à pluribus trucidabatur.Eam uerò fugæ ignominiam iratus Auria,ut aliquo remedio ſiſteret,poſtq̃ nemo impe rijs ſuis parebat,paululum è litore triremes abduci iuſsit,ut ſpe inſiliendi erepta,milites ad pugnã,ſalutis metu arma atq; animos conuerterent. Sed tanta erat impreſsio Barbarorũ nemini parcentiũ,Turcarumq; præſertim qui grauibus ſuis incuruis gladijs rem gerebãt,ut plures natandi imperiti,& malignè propter id dedecus à claſsiarijs adiuti, fœdiſsimo in teritu mergerentur:ſic ut paulo minus quadringẽtos Auria deſiderarit, quũ uix ſexaginta cum Georgio Pallauicino,nobili ſignifero uiui in poteſtatem hoſtium ueniſſent.Hac re geſta proculdubio Gadibus ſalutẽ attulerũt: nam Barbaruſſa ea ſpe deiectus ad minora latrocinia deſcendit.Iam Cæſar(ut ad hiſtoriæ ſeriẽ reuertamur) circiter duos menſes Placentię Parmæq; exegerat,quũ optatiſsimũ à Ferdinando fratre nuncium accepit,Turcas, qui per multos dies irrito conatu Viennam obſediſſent, & cuniculis

lis oppugnaſſent, deſperata expugnatiõe retrò abijſſe. Hac ſingulari lætitia perfuſus Cæſar, rectà Bononiã contendit, quo iam paulo ante Calendas Nouembres Clemens peruenerat. Excipitur ergo triũphali pompa ſummis honoribus, incredibili omnium lætitia, ipſe paludatus, & militaribus armis, una dempta galea, undique protectus, albo inſigni equo regio ſumptu phalerato, à Mutinenſi porta in forum prouehitur. Præceſſerant quaterna uexilla, cùm leuis, tum grauis armaturæ Belgarum equitũ, ſagulis, criſtis, & colorũ uarietate ita inter ſe diſtinctis turmis, ut quorum ducum eſſent, ab ipſo inſignium & ueſtitus argumento facilè noſcerentur. Succeſſit inde peditatus toties uictor, non tam opimis hoſtium ſpolijs exornatus, quàm armorũ fulgore ac aſpectus feritate terribilis, ad trucem tympanorum ſonitum, & graues tibiarũ modulos, gradu ſuperbè compoſito, ſub ſignis introductus. Quadraram umbellam auro purpuraq́ue diſtinctã, gymnaſiarchæ, & celeberrimi bonarum artium profeſſores in togis ſericis præferebant. Latus Cæſaris à decora Bononienſium iuuentute, non cuſtodię, ſed honoris cauſa cingebatur. Prætor urbanus, & decuriones cum uexillifero, & è quadraginta uirali magiſtratu, primoribus q́; patritijs ſplendidiſſimi ſuccedebant. Conſtitit in medio foro Antonius Leua, æger pedibus, ſed uiuacibus oculis pugnaciſſimi ducis habitum præ ſe ferens, ac, ut magis ob recentem bellicæ conſtantiæ & rerum geſtarum gloriã, omnium oculis offerretur, in ſublimi ſella geſtatus, hinc ueterana Germanorum legione, illinc Hiſpanorũ cõhortibus, ita prædenſa acie directis aut obuerſis, & tormentis in fronte collocatis, ut exercitus concurſurus eſſe uideretur. Erant iuxta Cæſarẽ illuſtres reguli, auro in lacinijs uel ſolido bracteato, uel acu pingente inducto, uel ad luxuriem conciſo, itemq́ue exquiſitis armorum & equorũ ornamentis maximè ſuperbi. Secundum eos prælata eſt Romana Aquila aureo in uexillo picta, ac item candidum aliud uexillum purpurea cruce diſtinctũ, ſub quibus totius aulę familia ex flore gentium omniũ delecta, & nobiliſſimi Hiſpanię ſacrati religione equites, Cæſaris ueſtigia ſequebantur. Prætorianus miles cuſtodię corporis aſſuetus, diuerſis ſub ſignis Hiſpanus, Belga, Germanus, in croceis ſagis agmen extremũ clauſit, & quicquid in foro ſpacij reliquũ fuerat, occupauit. Erat erectus in Petroniani templi ueſtibulo, peramplus ligneus ſuggeſtus, periſtromatis & aulæis, ad loci dignitatem undique protectus, in quo Cardinales & epiſcopi, cęteriq́ue minores ſacerdotes purpurati, ſuo quiſque ordine conſederant. In medio autem prælta in ſede, mitratus Pontifex Cæſarem expectabat. Ille itaque nobilioribus tantum regulis, principumq́ue legatis ſibi aſcitis, equo deſcendit, ſubeuntem per gradus Cardinales duo deduxere. Tum uerò ut prodijt, omniũ oculi in eum ſunt conijecti. Erat eius uultus argẽteo & grato quodam pallore dilucidus, oculi cærulei, ſuaues, nulla acri ſeueritate formidabiles, & ij quidem ad ingenuum pudorem uirilemq́ue modeſtiã inſtituti. Naſus à medio clemẽter aſſurgebat, quòd magnitudinis animi ſignum in Perſarum etiam regibus ab antiquis fuit obſeruatum: mentum erat ad exiguam uenuſtioris iniuriam paulò prominentius, & quod grauitatis ſpeciem addebat, ſubcriſpa, & flauenti barba conueſtitũ: capillum uerò fulgore pallentis auri, more Romanorum Cæſarum, circumtonſum oſtendebat. Porrò ſtatura corporis, ut in ipſo ætatis integræ flore & proſperrima ualetudine, non ab inerti ſucco, ſed à ualido neruorum nexu longè firmiſſima, peramplæ item robuſtæq́; manus, ad ſtringendum ferrum idoneæ: crura autẽ uenuſtiſſimè extantibus toris, trunci proportione directa, quod tum maximè apparebat, quum equo ue A heretur. Tanta enim ei inerat cum dignitate equitandi peritia, ut nullus eo armato atque equum incitante & in gyrum reflectente, uel pulchrior, uel ui uidior, uel in ferendo armorum pondere patientior eques reperiri poſſe uideretur. Cæterùm ad pontificis pedes flexo genu prouolutus, ac mox dextra læti arridentis q́ue pontificis erectus, ad oſculũ Hiſpanica oratione: Veni, inquit, ſanctiſſime pater ad pedes tuos, quod ſummo uoto ſemper expetiui, ut feſsis Chriſtianæ reipub. rebus communi conſilio ſuccurramus: oro Deum opt. max. qui me huius uoti compotem fecit, ut noſtris conſilijs adſit, atq; hic aduentus meus Chriſtianis omnibus ſit ſalutaris. Tum pontifex: Certè hoc ipſo cõgreſſu, inquit, ſicuti Deus immortalis, & ſancti cœlites certiſsimi ſunt teſtes, mihi nihil unquã fuit antiquius, & iam ſuperis gratias ago, quòd re uideam proſperè atq; feliciter mari terraq́ue perductum: reſq́ue eò deductas intuear, ut re authore, de concordia omniũ & ſolenni pace minimè deſperemus. Obtulit ſubinde Cæſar auri ſignati circiter libras decem, deductusq́; eſt ſumma comitate à pontifice ad templi limen, atque ita digreſsi, Cæſar ad aram maximam ſuppli catus ſuperis contendit: pontifex uerò in prætorium cum uniuerſo ſacerdotum ordine cõtinuo eſt reuerſus. Nec multo pòſt Cæſar & ipſe prætoriũ intrauit, cui paratæ erant ſummæ ædium partes, ita coniunctæ pontificijs, ut inter utriuſque cubilia, ſolus intereſſet paries, aditum præbente portula, ut quum uellent, ignaris omnibus, remotisq́ue arbitris, interdiu noctuq́ue de ſummis rerum negocijs familiariſsimè diſputarent. Eo modo ſæpe arcana ſenſuum, mutua & ſincera animi liberalitate detegendo, ac odiorum origines ad fatalem uim, & conſiliariorum & ducum inſaniam referendo, facilè uiã inuenere, qua pax egregiè componi, & tot malis & funeſtis incommodis optatus finis imponi poſſe uideretur. Veneti per Gaſparem Contarenum, diuini ingenij & felicis induſtriæ legatum, non proferendi imperij, ſed tuendæ publicæ omnium libertatis cauſa, aduerſus Cæſarem arma cepiſſe teſtabantur. Proinde eas urbes, quas in Apulia, Galliaq́; togata poſsiderent, Cæſari atque Pontifici ſtatim eſſe reddituros, adiuturoſq́ue pecunia Cæſarem, ſi ille erga Franciſcum Sfortiam clementia & lenitate liberaliter uteretur. Cæſarem etiam ipſe pontifex ab initio belli fuerat obteſtatus, ut Sfortiam deprecantis Italiæ precibus condonaret, uel humani iuris æquitate, ſi ei falſo perfidiæ contumelia fuiſſet impoſita, uel illa præclara clementiæ uirtute, qua reges dijs immortalibus æquantur, ſi in maieſtatem aliquid, ingrato infidelique animo lapſus, admiſiſſet. Addebant dictis fidem utriuſque fortunæ facta pericula, & quę Chriſtianos animos facilè perſtringit, illa inueterata religionis opinio, & ea quoque erat promiſſæ barbæ intempeſtiua & ueneranda canities, ut apud Cæſarem cuncta piè & grauiter æſtimantem, & carceris, & tot cladium memoriã facilè renouaret. Sed tanta erat altitudo iudicij Cæſaris, tanta moderatiſsimi eius animi religio, & tantum deniq; pacis & concordiæ ſtudium, ut nihil regali faſtigio dignius atque præſtantius exiſtimaret, quàm omnia conſilia ad uerum decus, ad ſolidam pietatẽ, & ad animi magnitudinem reuocare, ut arma in Turcas, adeò inter nos impiè fœdeq́; tractata, uerterentur. Itaque Solymano Turcarum imperatore, iam à Viennæ Noricæ mœnibus, cum ſtrage ignominiaq́; depulſo, atq; eo Byzantium præcipiti fuga properante, quum nihil iam hoſtile inde amplius eſſet timendum, pacare cuncta cõſtituit. Euocatur extemplò Bononiã Franciſcus Sfortia, procumbit ad eius pedes, redditoq́ue diplomate, quo illum data fide ubique terrarum Cæſar ſaluum & tutum eſſe iubebat, ſalutem, imperium, & ſpes denique omnes uni

Cæſaris

Cęſaris probitati fideiq́; committit: quoniam inno A tentatos fuiſſe meminerant. Sed Narciſci Neapolitani medici ualde fortunati peritia, qui ei ab adoleſcentia ſemper aſtiterat, celerrimè conualuit. Per eos dies, ſenatus Venetus longè omnium quas unquam emiſiſſet, ornatiſsimam legationem ad pontificem, Cæſaremq́; tranſmittit. In ea fuere Marcus Dandulus, ętatis honore & optimorum ſtudiorum gloria facilè princeps, itemq́; Aloyſius Mocenicus ſummæ grauitatis patritius, & Memphitica ad Selymum legatione clariſsimus, & Hieronymus Grãdenicus uetus ſenator, qui Romæ apud Hadrianũ legatus fuerat. Porrò Laurentius Bracadenus floręntis eloquentiæ philoſophus, & Nicolaus Tepulus, grauiſsimarum artium & Etruſcorum carminum laude celebratus: & Antonius Surianus uir eximio rerũ uſu, & doctrina præditus ſingulari, & Gabriel Venerius uir prudens, efficax, aſsiduus, conſtans, qui Sfortiæ difficillimis temporibus ſemper affuiſſet: poſtremò Gaſpar ipſe Contarenus Venetorum ab excellẽti uirtute lectiſsimus. Erant in lato clauo, uel aureo, uel purpureo, ad humeros fibulato, torquati fermè omnes, & à quodam auguſtæ grauitatis habitu uenerabiles. Pontifex eis ſenatum dedit, aduocatis etiam minoribus aulæ ſacerdotibus, & triduo pòſt Cæſar in peramplo conclaui, conſtituta ſede proceribus circumſeptus, eos ſuſcepit. Bracadenus utroq; in loco orationem habuit ſplẽdidam, grauem, luculentam, exquiſito laudum genere pleniſsimã, qua gratias nomine ſenatus agebat, quòd optatiſsimã pacem turbulentiſsimo tempore Chriſtianis ferè omnibus peperiſsiſſet: offerebatq́; Venetas opes, ſi quid egregium, & ſummis Chriſtiani nominis principibus dignum concordibus animis agitarent. Latinè oranti, continuò per utriuſq; principis epiſtolarum magiſtros, qui erant à pontifice, Euangeliſta Taraſconus, & à Cæſare Mercurinus cardinalis, breui Latina oratione fuit reſponſum. Donauit demum ſingulos legatos Cæſar quingentis aureis: & quanquam dimiſsi eſſent, aliquandiu tamẽ Bononiæ ſubſtitere, ut eum diem, quo Cæſar Romani imperij coronã eſſet accepturus, ad declarandum ſenatus ſtudium honeſtarent. Cæſar enim multis de cauſis Bononię coronari ſtatuerat, quanquam id antea Romæ faciendum eſſe decreuiſſet, ubi ſuperiores Cæſares, coronas legitimo iure ſuſcepiſſent. Sed euaſtatæ urbis, & nondum nouis cõmodis ſubleuatæ calamitoſa tenuitas, & opulentæ ſupellectilis, ornamentorum q́ue penuria Cæſarem auertebãt: quamuis Romani eius ſpe aduentus ab omni triſtitia & ſordibus, ad lætitiam ueteremq́ue ſplendorẽ reuocati uiderentur. Erant præterea Cęſari multa opportuno ſtatutoq́; tempore, in Germania peragenda. Itaq; euocatis omnibus regulis, deligitur Iouis dies ſexto calendas Martias, Matthiæ apoſtolo dicatus, qui erat natalis Cęſaris, ſemper ei fauſtus, & Ticinenſi etiã uictoria lætiſsimus. A medijs prætorij feneſtris, patefacto aditu põs ligneus, penſilis, ſublicis impoſitus, incuruo tractu per forum & Petronianum templum, ad aram uſq; maximam protrahitur, & feſta fronde, pictis q́ue tapetibus exornatur, ut ſine tumultu confundentis & prementis turbæ pontifex & Cæſar in pompa prę teruecti ſpectarentur. Erat de more ueterum Cæſarum, ut Modoëtiæ prope Mediolanum coronã ferream ſuſciperent, quæ indicaret Romano imperio firmitatem, ferro & militaribus copijs comparari. Tres enim coronæ Cæſaribus debentur. Prima eſt argentea, Germanici ſcilicet regni: quam ſuffragio procerum Aquiſgrani decennio antè ſuſceperat: ſecunda ferreá, regni Lõgobardici: tertia uerò aurea, Romani imperij. Præſtò igitur affuere Modoëtienſium legati, cuius erant principes, Polydorus Vegetius, & Paulus Velanius, qui ad retinendam ueteris prærogatiuæ dignitatem, uetuſtiſsimi operis co-

ronam, & annalium codices antiquitate pernobiles detulere. Ea erat sine florentibus pinnis, in simplicem & latum orbem circũducta, ferro introrsus tempora pręcingente, sed exterius auro & gemmis exornata. Biduo itaq; antequam tertiam coronam acciperet, in sacello domestico astante pontifice, sacris peractis, Cæsar ungitur, ferreaque corona & cæteris regijs insignibus decoratur: ijsdem ferè ceremonijs quas paulo infrà memorabimus. Prętulere ante Cæsarem summi honoris causa, Aluarus Osorius, Marchio Astoricensis aureum sceptrum, Didacus Pacecus dux Ascalonius, ensem gemmata uagina conditum: Alexander Medices dux Pinnensis, Cæsaris gener, orbem aureum cum præfixa cruce gemmis distinctũ: Bonifacius autẽ, Marchio montis ferrati, Modoëtiensium coronam. His rebus ritè confectis, aduenit demum dies maioris aureæ coronæ pompæ destinatus: & is quidem, quum noctu pluuisset, superis mirè fauentibus, incredibili serenitate perspicuus. Ante alia pontifex uniuerso cardinalium & episcoporum ordine, in mitris, & pluuialibus sacris pallijs, cæteris uerò sacerdotibus in coccinea ueste per pontem solenni pompa traductis, in præalta sede gestatur, & comitantibus prætorianis, sub umbella templum ingreditur. Iam in forũ Antonius Leua pedestres copias adduxerat, & obuersis in omnes aditus maioribus tormentis, & signis in medio constitutis, cuncta loca perpetua militum statione firmauerat. Interim è lacubus, qui in summo prætorianę porticus fornice fuerant fabrefacti, per siphones rubra & alba uina fundebantur, panes ab alto in subiectos milites spargebãtur, torrebaturque in machina uersatili, bos integer, ingẽs, hœdis, ueruecibus, ac omni ferè uolucrum genere farctissimus, ut in tanta festa hilaritare milites sub armis in acie stantes, ad manũ paratis obsonijs cum iucunditate uescerentur. Nunquam ab ulla memoria, uel ad celeberrimi triumphi, uel ad inauditi spectaculi famam, maior atque nobilior mortalium insignium numerus in unam urbem confluxit. Erant adeò plena loca omnia, quæ foro imminebant, ut multi in alto suspensis & pendentibus speculis, alij in ædium proiectũris & periculosissimis locis cum aliorum admiratione prospicerent. Ipsa porrò domorum tecta, pueris & fœminis in ea mira cupiditate scandentibus, tantæ multitudinis pondere fatiscebant. Fuere etiam erecta inter columnas templi, ad theatrorum imaginem, podia gradibus excelsa: superædificatis quoque suggestibus, unde illustres matronæ suspicerentur, & cuncta ipsæ pariter iucundissimè despectarent. Iam pontifex sacratas tunicas & chlamydes induerat, & sacra solẽnia excultis altaribus parabantur, quum Cæsar sub umbella cum ornatissimo procerum comitatu, ad templi uestibulum peruenit: ita ut uix eo paucis passibus præteruecto, tabulata pontis, prægrauante prętorianorum turba, frangerẽtur. Ibi plerique militibus immixti, fœdo casu procidentes, sese pilis atq; securibus induerũt: inter quos fuit Albertus Pigius Belga theologus, Lutheromastix: minima tamen pro tumultu clades incidit. Sed intrepidè respectãs Cæsar, leniter arrisit, ita ut fortunam suam certius agnoscere uideretur, quæ cœptis & uotis omnibus benignissimè semper aspirasset. Erãt omnia ad imaginem Vaticani templi constituta, & nouæ sacellis appellationes impositę, ut ea sigillatim ad ueterem consuetudinem ex pontificijs libris responderent. Affuere igitur Romani sacerdotes, quibus sacra Vaticani templi sunt commẽdata. Ii ad aram Cæsarem susceperunt, linteaque sacerdotali tunicã superiniecta, in collegium eius sacerdotij cooptarunt. Eum Saluiatus cardinalis in uerba ex libris pontificijs cõcepta, sacramento adegit, ita ut in summa libens iuraret, se pontificiæ dignitatis perpetuò futurum es-

A

se defensorem. Ab hac ara duarum turrium nuncupata, duo diaconi cardinales, Saluiatus scilicet ipse, & Ridulphus, ambo ex patruelibus pontificis nepotes, ad templi limen deducunt. Flexo genu supplicantem, Picolomineus presbyter cardinalis, certis precationibus expiatum in sacellum sancti Gregorij perducit. Ibi lintea tunica deponitur, sandalia margaritis & gemmis picta statim induuntur, & Dalmatica ueste in morem diaconi prius assumpta, paludamento demũ conuestitur. In eo habitu præcedenti, Puccius cardinalis ad porphyreticam rotam, quæ est ad Vaticani templi medium, mitratus occurrit. Ingeniculatus Cæsar ad aram maximam obuertitur, solennique altera precatione, ut eius imperium stabile, perpetuum, uictoriarũ, pietatis, & laudis plenum faxit, Deo maximo, in cuius manu sunt regna, commendatur. Sunt enim multa antiquitus à pijs præstantibusque ingenijs, cum summa uerborũ elegantia, & Christiana grauitate composita, quæ ex sacrato libro, ad statas rerum & locorum ceremonias, ab alijs atq; alijs sacerdotibus in frontem Cæsaris perleguntur. Ascenditur demũ uersus aram maximam, ubi Innocentio Cibo cardinale letanias præeunte, alternis precibus piè pronunciatis, diui diuæque omnes propitiantur. In lectisternio supplicanti Cæsari Campegius cardinalis astitit, & de scripto oratiunculã, ut auspicatò coronaretur, religiose recitauit. Inde mox Cęsar à Farnesio, quoniam is erat senatus princeps, & cardinalium uetustissimus, intra sancti Mauritij sacellum est deductus, ubi diffibulata Dalmatica, humeros & brachium dextrum, sacro oleo, adiectis puris & pijs orationibus inungitur. His rebus ritè cõfectis, solennia sacra erudito phonascorum concentu, alternantibus choris, operante pontifice, ipso Cæsare in sacra ueste ministrante, protinus inchoãtur: quæ

B

miro ordine ceremoniarum, summa grauitate sacerdotum, insigni omnium religione, adeò in serum diei sunt protracta, ut uel piè curiosos fatigare potuerint, si is longè omnium clarissimorum principum admirabilis consessus, spectantium oculos ulla in parte satiare potuisset. Legati interim Genuenses & Senenses quum de loci dignitate inter se contumelijs pugnisq; contenderent, templo iussu Cæsaris exacti sunt. Cæterùm summa sacrorum fuit, ut Cæsari de manu Põtificis Romani imperij insignia traderentur. Itaque solenni precatione semper adhibita, pontifex ei supplici sceptrum aureum dedit, florenti cacumine conspicuum, quo piè gentibus imperaret: itemque nudatum ensem, quo Christiani nominis hostes persequeretur: ac pomum aureũ, quem, uti terrarum orbem insigni pietate, constantia, uirtuteque regeret: & postremò tiaram illam potius quàm coronam, bicipiti fastigio, multisq; adamantibus insignem capiti imposuit: ille piè inflexo genu, pronus exosculato pede, pontificẽ adorauit. Tum demum Cæsar in illa tot gemmis ac unionibus exornata triumphali trabea, ad læuam non procul à pontifice, in sede auro protecta, sed paulo humiliore, sessum est perductus, & Romanus imperator appellatus. Quod ubi in foro militibus est renũciatum, Antonius Leua, ad declarandam lætitiam, maiora minoraque tormenta displodi iussit, ita ut terribili sonitu cœlum crepitare, terra quati, & tecta nutare uiderentur. Nec multo pòst pontifex sacratissimæ Eucharistiæ hostiam humillimo quodam oris gestu, purissimoque animi habitu desumpsit, atque eam obiter Cæsari omni labe criminum expiato, religiose communicauit. Peractis sacris, templo excessum: ad præparatos equos, sacerdotes, legati, proceres discurrũt: omnis repentè multitudo in equis conspicitur, acclamationes, tubarum cantus, tympanorum strepitus audiuntur. Conscendẽti equum pontifici, Cæsar ad læuam pedes astitit,

uti benignè auratam staffam sacrato pedi protinus inducturus. Sed pium Cæsaris obsequium, pontificis humanitas, religiosaque modestia superauit. Ergo iunctim equo uterq; albo, sed pontifex Thraicio, Cæsar Hispanico, considentes, umbellam subeunt, summæ dignitatis hominibus, ad eam gestandam honori simul & labori succedentibus. Præcedebat miro pompæ ordine, tum Cardinalium, tum procerum utriusque aulæ familia: in tergo signa erant uiatorum, qui cursores appellantur. Ad hæc subsecuti sunt septẽ uiri insignes armis, trabeis, militaribus equis, & pedestri comitatu ualde conspicui, qui totidem ingentia uexilla deferebant. Angelus Ranucius, Bononiẽsium uexillifer, qui est summus apud eos magistratus, primum detulit, cum titulo libertatis: secundum erat senatus populiq; Romani Iuliano Cæsarino Romani sanguinis adolescenti, ab ipsa familiæ prærogatiua demandatum. Ad hos secuti sunt Ioãnes Menricus, & Hõtrechius Belga: hic Cęsaris aquilam, ille candidum uexillum cruce purpurea distinctum gestabãt. Tum demum tria sunt prælata, Clementis scilicet pontificis, cũm Mediceis insignibus unum, alterum sanctæ Romanæ ecclesiæ, tertium uerò illud Christianæ crucis aduersus Turcas aliquando deferendum. Signiferi fuere, Leonettus Sidicinus, Ludouicus Rangonus, & Laurentius Cibo prætorij præfectus. Traducti præterea aliquot albi asturcones sine sessoribus, auratis ephippijs instrati. Prętulere etiam adolescentes eximiæ nobilitatis in scipionibus præfixos galeros põtificis purpureos quatuor. Nec multum inde succedebat Eucharistia, sub aurea umbella loculo cristallyno inclusa, & sellæ generosi, & tamen pacati equi superimposita. Laterna ingens ante, & circum dena funalia ferebantur. Tum demum promiscuè gentium omnium honestissimi quique successere, ut decuit in tanta hilaritate, regio sumptu, supra quàm credibile uideatur, exornati. Nemo enim ex tota Italia paulo uir illustris non uenerat, nisi uehementi ualetudine præpeditus. Hispani, Itali, Belgæ, prout libido genijque tulerunt, auro textile & serico omnis coloris eleganter uariegato, itemque Phrygijs operibus, & acu pictis sagulis spectãtium oculos perstringebant. Germani in ueste obscuriore, sumptuosa tamen, torquibus aureis relucebant. Visebantur passim equi ex omni regionum sobole maximè generosi, & insano sumptu toto terrarum orbe conquisiti. Sed unus omnes omnium nationũ Astorgius eruditis sumptibus superauit. Erat enim eius prætexta uerè triumphalis, margaritis & gemmis, ad delphinorum imagines, opulentissimè depicta. Ad hos sequutę sunt uarię legationes, & mox ipsi purpurati cardinales. Inde non procul successit umbella, sub qua duo longè augustissimi terrarum domini, in mitris illis stupenda & inęstimabili gemmarum & unionum uarietate preciosis, ita tolutim & temperato passu incedentibus equis, ut ij certa ingenij grauitate, quales sessores ueherent, sentire uiderentur. Antecedebant umbellam, ipse Montis ferrati Marchio, solenni in chlamyde & corona gẽmis ornata, qui Cæsaris sceptrum deferebat: Franciscus inde Maria Feltrius dux Vrbini, Venetorũ imperator: & quoniam erat præfectus urbis, in ueste purpurea Dalmatica, cum inusitato in metæ formã capitis tegumento, aurea cruce distincto, & tænijs utrinque pendentibus, nudatum ensem prætendebat. Philippus uerò Palatinus, quem decora proceritas clarissimum reddebat, aureum orbem detulit, in talari toga purpurea, astrictis manicis & plano pileo candidis pellibus redimito. Postremus erat Carolus Sabaudius, Allobrogum dux, pileolum ferens, unionibus, smaragdis & carbunculis collucentem: qui quum oporteret, nobilioris officij causa, demptam capiti Cæsaris coronam, prætentis ma-

A

nibus deferret. Inter hos summi ordinis principes, & umbellam ipsam Cæsaris, quæstor obequitabat, qui per singulas regiones, certis passuum interuallis, ad dimouendam turbam excitandamque lætitiam, effuse in populum argenteam atque auream stipem, signatam imagine coronati Cæsaris dispergebat. Secundum umbellam, binis cubicularijs & medicis locus fuit. Tum uerò antistites opibus & authoritate præstantes, qui uel legati regum erant, ut Gabriel Agramontius Tarbensis Gallus, & Bernardus Tridentinus Germanus: uel Cæsaris consiliarij, in queis fuit Gabriel Barensis pace & bello rerum maximarum administrator: uel ij, quos ab insigni gratia, pontificis assistentes uocant, ut Hieronymus Vasionensis, qui Cæsarem in Italiam adduxerat: & cæteri demum episcopi in uiolaceis pallis, & post hos minores sacrati uiri successerunt. Nouissimum agmẽ clausere cataphracti equites Belgæ, per alas turmasque distincti: eo ordine indutis galeis & prætentis hastis subsequentes, ut non modò tantæ pompæ præsidio, sed ornamento esse uiderentur. A templo, ut diximus, profecti, modico ad lęuã flexu, ad urbis umbilicum, ubi est turris Asinellorũ, altitudine Italicarum nulli secunda. Inde per regionem albis & cyaneis pannis coopertam, quæ ad Flaminiæ uiæ portam perducit, inter acclamationes longo tractu processum est, porticibus hinc & inde spectantium fœminarum multitudine refertis, sic ut pompa omnis sine tumultu omnium oculis ad incredibilem uoluptatem ostẽtata quietissimè spectaretur. Tum demum ad regionis biuium, quod dicitur ad Clauaturas, Cæsar à pontifice digressus, ad diui Dominici templum contendit. Ibi uenientem, Romani Lateranensis templi sacerdotes cum summa ueneratione susceperũt, & uti Vaticani dudum fecerant, in collegium cooptarunt. Inde Cæsar ad

B

aram diui Ioannis supplicauit, & multos omnis generis oblatos nobiles equestri dignitate, gladio leuiter percussis humeris, ornauit. Nec multo pòst alio itinere quàm isset pontifex, ad prætorium est reuersus. Erat maximo triclinio ad epulum præbendum aulæis undiq; strato, coniunctum cubiculum Hippolyti Medices cardinalis: in id familiariter Cęsar coronatus, excluso fermè omni famulatu, se recepit, trabeam deposuit, exuit sandalia, & auream talarem togam sumpsit, atq; hilaris aliquandiu ab illo tanto prætextæ chlamydis, & prægrauis tiaræ pondere conquieuit. Interea præcinentibus tibijs & tubis, epulę miro ordine ministrorumque silentio introferri sunt cœptæ. Itaque affuere Cæsari pręstò quatuor illi principes, in sua quisq; solenni chlamyde, ut insignia præferrent: atque item alij illustres reguli, ut eum ad mensam deducerent. Cæterùm priusquam exiret, ex eorũ numero septem equestri ordini adscripsit: & ante alios ipsum Astorgium, qui longè omnium in pompa cultissimus extitisset, & Philippum Palatinum, qui Viennæ diuina uirtute propugnãdo, non modò Germanos, sed Christianos omnes summo metu & incredibili periculo liberasset. Cœnauit solus Cæsar singulis imperij insignibus in mensa collocatis, quæ erat aliquot gradibus excelsa. At in alia, infra gradus, in cõspectu tamen Cæsaris discubuere, Sabaudius, Palatinus, Vrbinas, & Montisferrati, reguli: in exteriore uerò triclinio epulum cæteris proceribus præbitum. Remotis mensis iterum Cæsar gladium cepit, & plerosque nobiles equestri dignitate decorauit. Accidit uerò dum nudatum ensem Vrbinas porrigere uellet, ut pomum manubrio insertum excuteretur, atque eo cadente in pauimentũ inclusę gemmę ad circumstantium pedes prosilirent. Fuere qui id prodigij loco accipere uiderentur, quasi futurũ esset, ut Cæsar absens aliquando exercitum bene regere nequiret, capite scilicet eximiæ grauitatis in-

digentem. Alij autem felicius interpretabãtur, Cæsarem ad Orientis regna, unde gemmæ proueniret, gladium esse uibraturum: simulque futurum, ut duces & milites ab ipsa uictoria, quæ gladio pararetur, ingentibus illis Turcarum opibus potirentur. Iisdem diebus, quibus Cæsar Genua discedens Placentiæ subsedit, & Solymanus castra posuit ad Viennam, Aurantius ab urbe Aquila promotis copijs in Vmbriam est profectus, eo cõsilio, ut Malatesta Baleonus, quem Florentini ex authoritate Galliæ regis sibi ducem designarant, urbe Perusia pelleretur. Reiecerat hic satis æquas conditiones à Clemente propositas, quòd nequaquam ut suprà diximus, ejus fidei magnopere confideret: arbitrareturq; ignobili & dubia pace bellicum decus esse præferendũ, unde ipse clarescere, opibus augeri, atque omnino, ut uir maximè bellicosus, proferre potentię nomen posset. Suadebat Florentinis, ut ad tuendam ciuitatis libertatem, bellum quod imminebat, quantum fieri posset, longius ab urbe Florentia alendum sustinendumque censerent: ne suburbanus summæ fertilitatis ager, pendente præsertim uindemia, nec planè reconditis colonorũ frugibus & reliquis copijs, expositoque passim ad prædam maiore minoreque pecore, ad primas hostis incursiones uastaretur: & demũ populus bellicæ insolens cladis, amœnissimarũ uillarum, uti necesse foret accidere, è mœnibus incendia prospectaret, quibus Barbari, insita animo eorum agresti ferocia minimè parsuri uiderentur. Itaque sibi uideri maximè tutum, & quod ad existimationem ciuitatis confirmandam plurimum pertineret, ut sibi eas, quas haberẽt circa Cortonam & Aretium copias, pecuniamque item in stipendia submitterent: se namque sperare, ut Aurantius aliquandiu expugnandis oppidorum præsidijs distineretur. Neque enim eum tanti animi, aut tantarum uirium fore, ut Perusiam ex propinquo oppugnandam susciperet, quam ipse inexpugnabili situ permunitam, fretusq; obstrictorum sibi ciuium studio, & quo polleret fortium atque fidelium uetera rum militum numero, esset sine ullo periculo defensurus. Quòd si Nigrarum cohortium noua præsidia submitterentur, & hostes, desperata expugnatione Perusiæ, in Etruriam penetrare, Florentiamq; contendere uelint: ipsum non esse prætermissurũ, quin deductis ex omnibus Vmbriæ oppidis certis præsidijs, iusto cum exercitu, eoque tormentis maioribus egregiè confirmato, abeuntes ijsdem uestigijs insequeretur, & aliquam rei bene gerendę occasionem pararet, circa transitum paludis, quam Glanis amnis efficit: nec aliter ea quàm duobus aut tribus ligneis pontibus posset pertransiri. Id Malatestæ cõsilium tanquam salubre, quanquã magnopere placeret Zanobio Bartholino, qui in procuratione negocij bellici Florentinorum finibus cum authoritate erat præpositus: nulla tamen ratione, uel Carducio, uel decemuiris probari potuit, quum ille diceret, bono medico conseruandi cordis, in quo uita consisteret, peculiarem curam esse reponendam, neglectis quæ ferè nihil ad salutem pertinerent, exterioribus membris, & in eandem sententiã cùm decẽuiri, tum decuriones facilè adducerẽtur. Id quoque consilium Francisco Ferruccio probabatur, qui assuetus Nigris cohortibus stipendio militi numerando, apud Soderinum solers minister, prope Auersam captus fuerat, atque inde pecunia redemptus, utilem reipub. operam præstiterat, colligendis scilicet undique ueteranis: sic ut eo bello legationis militaris honorẽ consequutus, diu æquè fortis & acer dux, secundissimo studio ciuium uteretur, quòd ex humili loco inter ciues, multo ausu perpetuoque labore clarum militiæ locum sibi quæsiuisset. Cæterùm hęc sana consilia fatalis insita Carduccij animo rabies, & inusitata expersque rationis confidentia, A & supra id peruicax popularium cõsensus, in irritũ facilè rapiebant. Interim Aurantius frustra pertentato Malatestę animo, in Fulginatem agrum progressus, ui admota, & deiectis Menauia, Mõtefalco, Assisioq; Malatestæ præsidijs, ad oppidum Hispellum, quod erat peculiare Baleonę ditionis, castra admouit. Defendebatur oppidum acerrimè ab his cohortibus, quibus præerant Baptista Borghesius, Senensis patritius, & Leo Baleonus. Hi Hispanos, post editam tormentis superioris coronæ ruinam, scalas apponere, atq; subire ausos, tanta ui omni telorum genere, trabibus que deiectis obruerunt, ut multi interirent, alij uehementer sauciati oppugnationem relinquere cogerentur. Eo die Ioannes Dorbinus apud Hispanos primum existimationis post Vastium, qui aderat, locum, non claritate quidem natalium, sed fortibus factis, fama latè parta promeritus, crassioris sclopeti glande supra genu uulneratus est, lethifero quidem uulnere, nam paucos post dies Fulginium delatus interijt, quo nemo consilio manuque melior, apud pedestres Hispanorum copias putabatur: Cęsare facilè eum nobilioribus gentis præferente, quòd præclaram uirtutem omni nobilitate digniorem utiliorem que sibi fuisse iudicaret. Nec multo pòst Hispellani duces, honestas conditiones offerente Aurantio, si oppidum dederent, cum eo pepigerunt, ut saluis rebus oppidum traderent. Sed Hispani ita exuerũt armis singulos milites, atque uniuersas domos diripuerunt, ut fidem ab Aurantio datam fefelliſse dicerentur. Hispello & cohortibus amissis, reliquisq; omnibus exutus oppidis Malatesta, quanta poterat simulatione, ancipitis periculi sui consilia tegere contendebat: ob id magnopere perplexus, quòd sine Florẽtinorum auxilijs, neque urbem tueri posset, ciuibus præsertim satis importunè bellum detestantibus, & iam planè animis in pontificem proclinatis, neque se in- B de sine graui pugnæ periculo, si erumpendũ, & Florentiam quò uocabatur, contendendum foret, tot circumiectis hostibus certas utrinque difficultates euasurum prospiceret. Itaq; ægro, sed maximè constanti animo, ad necessaria deditionis consilia ea ratione descendebat, ut extra omnem urgentis belli metum, quæ necessitas afferret, ad pietatem patriæ referre uideretur, & ciuium uoluntates ea ostentatione uirtutis mirum in modum conciliaret. Itaq; ad Aurantium legatos mitterent, à quo, si honestas pro se conditiones impetrarent, certaque fides sibi à Cæsarianis pariter & pontificijs ducibus præstaretur, sine mora copias educturum, atq; hos omni beIli metu liberaturum. Aurantius Hispello in potestatem redacto, & dimissis ea conditione his cohortibus, quæ se dederant, ut intra tertium mensem, hostibus pontificis nequaquam militarent, Perusiam, quæ aberat spacio quindecim milibus passuum, rectà contendit: positisq; castris ad pontem sancti Iohannis, quo Tiberis iungitur, expectabat, quidnam consilij Malatesta caperet: atque ita auditis Perusinorum legatis, non contempsit conditiones quæ proponebantur, uel ob id præsertim, quòd pontifici curæ esse intelligebat, ne Perusinus ager ulla belli clade uastaretur, sed protinus Florentinis bellicũ terrorem admoueret. Propterea his conditionibus Vmbrico bello finis est impositus: Malatesta Perusia excederet, eamque urbem pontifici regendam relinqueret: excederi Aurantius cum uniuersis eius copijs tutum egressum atque iter præstaret: Cæsariani anteirent itinere capto ad locum Tabernas dictum, Malatesta postero die subsequeretur, interim Perusini utrique exercitus commeatus copiam præberent: tutus Perusiæ, uxori & liberis Malatestæ, atque item propinquis eius atq; clientibus receptus foret: liceretque ei duodecim ænea tormenta urbe educere, eaque adseruanda ad Vrbinatium principem

pem transmittere, ea lege, ut his aduersus pontifi- A duum recreato exercitu, rectà per Incisiam uicum, cem nusquam uteretur. de lite autem & controuersia, quę sibi cum Braccio & Sfortia intercederet, qui Gentilis patrui heredes dicebantur, arbiter fieret & disceptator, Antonius Montanus cardinalis, Vmbriæ legatus. His ritè transactis, Aurantius mouit castra, & ad oppugnandã Cortonam profectus est: at Malatesta dextrorsum itinere capto, rectà Florẽtiam, nullo incommodo accepto, perrexit. Cortonenses, qui satis ualido quatuor cohortium præsidio tenebantur, quum portas clausissent, nec deposcenti colloquium Vastio, quicquam pacati respon derent, & tormenta murum ferientia oppositis nouis aggeribus egregiè sustinerent, & audacissimè aduersus subeuntes Hispanos pręliarentur, Vastius portam, promotis copijs, quæ à delubro Vincentia uocatur, multis ictibus maioris tormenti quassatã, succendi iussit: primique omnium inter Hispanos prõptissimi centuriones, Securra & Alfonsus Vallius, id munus coniectis facibus impleuere: unoq; tempore duobus in locis contractum est certamen ualde cruentum, quum in subeuntes Hispanos, ipsi propugnatores gladibus & saxis intrepidè rem gererent. Sed ardentem portam duo eximiæ uirtutis cohortium præfecti, Iacobus Tabussus Vmber, & Rodulphus Assisias, restinctis ignibus Hispanisq; repulsis, pertinacissimè defenderunt. In alia quoq; parte singulari cõstantia propugnarunt, Franciscus Sorbellius, Marcus Empolitanus, Goriusque Montebenicus, eo pugnæ exitu, ut Hispani multis acceptis uulneribus, & nonnullis interfectis, se recipere cogerentur: atque eo maturius, quòd Securra & Alfonsus ualuas cõcremare conantes, grauiter sauciati, pugna excessissent. Cęterùm Cortonenses, quũ Vastius maioribus uiribus redintegrare oppugnationem statuisset, & per caduceatorem ad decuriones missum, urbi excidium cõminaretur, nisi intra B horæ spacium portas aperirent: perterritis ciuibus, uel nolentibus præsidij præfectis, deditionem fecerunt, ea conditione, ut incolumes seruarentur. Hæc deditionis formula præsidij milites excludebat, sic ut se ingratè prodi tradique iratis hostibus quererentur. Sed Vastius pro sua humanitate, ita omnes urbe exeuntes conseruauit, ut armis tantum & uexillis exueret, quòd pertinacius quàm oporteret, tãti exercitus uim cõtempsisse uiderentur. Verùm nõ eandem exempli sortem tulerunt Castellionenses Cortonæ proximi, tot inuadentibus copijs resistere ausi: nam dum tormenta, paratamque hostium aciem despicere uideri uolunt, & fortissimè propugnant, crescente periculo, quum se dedere uelle serò significarent, expugnati direptique sunt. Aretini autẽ aliquanto salubrius nihil de defendenda urbe cogitantes, continuò portas aperuerunt, quòd Capinsaccus exigui præsidij præfectus, in arcem confugisset, suadente Roscio Benignanæ comite ciue Aretino, qui Aurantij gratiam promereri, & patriæ suę dominatum inuadere perfidiosa uanitate cupiebat. Id primum amissi Aretij incommodum, Carduccij non obscura malignitate, & Antonij Franciscí Albitij temerario obsequio acceptum optimates asseuerant: quòd ille aduersis de aduentante hoste rumoribus permotus, eas copias cùm Florẽtini nominis, tum Perusini, quæ Aretij coiuissent, & se urbi præsidio futuras, summa spe defensionis professæ fuissent, ad se Florentiam perduci iussisset: Albitius uerò factioso animo, Carduccij literis, quæ non erant ex decemuirali sententia, nimis properè atq; improbè paruisset. Aretio occupato, Aurantius copias effudit in peramœnam frequentemque oppidis, & nobilitate Trebiani uini percelebre regionem, quam superioris Arni Vallem appellant, ea clementia, ut seuero edicto milites ab omni præda atque licentia cohiberentur. Eo modo per quadri-

quum pro his collibus aliquandiu acerrimè & cruentissimè decertatũ esset, multis de causis intermissa contentione, Aurantius eos obtinuit atque permuniuit: sic tamen, ut casam in proximo Barduciæ uillæ, quam uti inuadendæ hostium munitioni opportunam occuparat, prementibus Amici Venafrani, & Perusinorum cohortibus, relinquere cogeretur: iubenteque Malatesta, totum id ædificium succenderetur, & in conspectu hostium deleretur. His prælijs mirum in modum ad capessendam pugnam, ostendendamque uirtutem, utrinque ita exarserant militum animi, ut neq; Aurantius de subigenda urbe desperaret, neque Malatesta, constantibus usque adeò ciuibus, de felici rerum exitu dubitare uideretur. Aurantius autem præter copias Germanorum & Hispanorum, quæ erant uetustate stipendiorum & longa exercitatione firmissimę, acciuerat sibi nobilissimos quosque ac fortissimos Italicæ disciplinæ proceres: quos ob id, quòd plures secum traherent cohortes, uulgò Columellas appellabãt. In his erant præter ipsos qui Romæ & in Apulia militassent, Roscium sancti Secundi comitem, Petrum Aloysium Farnesium, & Alexandrum Vitellium, pleriq; alij, inter quos eminebant Romani sanguinis, Ioanes Baptista Sabellus, Martius Columna, eiusq; gentilis Camillus, Mutio uiro forti genitus, atque item Pyrrhus Stipicianus, & Scalengus Astensis, præterea Braccius & Sfortia Baleoni fratres, peculiari odio Malatestæ infensi, & secundum hos Andreas Castalius Neapolitanus, & qui postea non serò applicuit, Fabritius Maramaldus, & uetus dux Ioannes Saxatellus è togata Gallia cũ ualidis copijs accersitus, iussuque pontificis Ramazottus cum armata multitudine militum, clientium que suorum. Nam apud montanos homines uir factiosus ab antiqua nominis authoritate plurimum ualebat, ex Apœninoque in Mugellanum agrum descenderat, & interceptis commeatibus, magna Florentinis detrimenta afferebat: obsideriq́ue urbs cœpta cis Arnum existimari poterat: quoniam è Bononia Felicis Virembergi legiones, & Hispanorum tyronum cohortes à Mutina, trãsuersis Apœnini iugis propè diem descensuræ, & diuersa ab Aurantio, intercedente Arno flumine, castra facturæ dicerentur. Italici generis milites, qui his quos diximus Columellis parebant, supra uiginti milia peditum summá efficere putabãtur. Veteres Germani & Hispani sexdecim milium ferè numerum implebant, præter eos quos Felix adducebat, & tyrones Hispanos, qui Petro Velleio Geuara duce nondum aduenerãt: sic ut uera æstimatione ad non dubium omen diuturni belli, longissimæque obsidionis, utrinque uires uictoriæque spes æquatæ conferentur. Quando quidem Florentinos non pro libertate tantum, sed pro gloria ciuitatis, Etruscíq; imperij dignitate, ab omnibus socijs desertos, oppugnatosque ab inuictis gentibus, summisq; principibus, arma induisse minimè pœniteret: & unicam ueræ cõstantiæ laudem spectantes, quicquid uel iniquа belli sors afferret, tã æquis quàm indomitis animis laturi uiderentur.

SVPPLEMENTI LIBER XIII.

DRæpotentis nobilissimæque ciuitatis constantiam, quum inauspicatæ libertatis iura defenderet, ingentiq; animorum pertinacia antiquissimarum gentium gloriam æmularetur, armis fameque perdomitam narraturum, tantisper respirare non puduit, dum instituti ordinis seriẽ sequutus, ea quæ distulimus, seruato temporis tenore, suo loco referantur. Quo fit, ut promissi memor ad Solymanum me conuertam, qui ab obsidione Viennæ inglorius discesserat. Sed priusquam hæc dicere aggrediamur, opportunum esse arbitror, ut rerum in Pannonia gestarum successum, paulò altius repetamus. Igitur Hungaris ad Mugacium trucidatis, & rege ipso ad fœdum interitum palustri lacuna submerso, uictor Solymanus Budam rectà contendit. Vrbe, regiaque potitus, ad Danubium posuit castra, inuisitque regiam arcem: ita tamẽ, ut in ea minimè pernoctaret, quòd antiqua Othomannorum lege cautum sit, ut imperator nusquam muris, sed suæ tantùm custodię munimentis confidat. Ibi ad eum delata sunt occisorũ antistitum & procerum cruenta septẽ capita, quum purpurati ea singula ligneo in gradu collocata, simulatæ honoris causa, inclinata ceruice, & dextris ad pectus compositis nominatim salutarent, Papasque strenuos per iocum appellarent. Sed Solymanus graui fronte, quum singulorum nomina indicarentur, uehementer detestatus fuisse ferebatur, unum præ cæteris Ladislaum Salcanium, Strigoniensem antistitem potentissimum, obiecto fœdæ auaritiæ probro, quòd is regem suum in tanta urgentis belli difficultate aurum mutuo deposcenteq́, quum multa pondera in eius thesauris laterent, adiuuare recusasset. Tomoreum porrò stolidæ temeritatis incusauit, quòd uir conficiendis sacris dicatus, alienæ functionis munus arroganter usurpasset. Ex aduerso Franciscum Perenum Varadinensem antistitem, nobilissimi generis uirũ, seræ prudentiæ nomine laudauit, quòd imminentis publicæ cladis nequaquam falsus uates, in consilio non insulsè dixisse didicisset, quum Tomoreus de committenda pugna importunè decerneret, postquam eius fatali sententiæ obsisti non posset, se prouidere quid cucullatus imperator postridie esset facturus. Eum namque tanto ausu nihil omnino aptius præstaturum, quàm ut celeberrimum diem Christiani Calendarij fastis insereret, à cæde triginta milium Hungarorum martyrum, pro tuenda religione à barbaris iniquissima prælij conditione concisorum. Reliquos tyrones audaculos appellauit, & in his præsertim Georgium Sepusium, Transyluaniæ præfecti germanum fratrem: & multa canicie senium præferentem, Ambrosium Sercanum, nobilitate generis, opibus & dignitate illustrem. Quum uerò ei Ludouici, & Mariæ uxoris simulacra ostenderentur, generoso ore dixit, se adolescentis regis calamitatem misereri, qui usque adeò malè sobrios in re grauissima consiliarios nactus, pugnam absurda ratione committere properasset: & se non ea de causa, ut ei adimeret regnum, sed ut acceptas ab Hũgaris contumelias ultore gladio uindicaret, in Pannoniam uenisse affirmaret. Propterea si pugnæ discrimen euasisset, proculdubio certa tributi conditione imposita, ei Pannoniæ regnum redditurum: quando non sua, sed aliena culpa cladem accepisset, & sibi gloriæ futurum testaretur, si Sigismundi regis socij sui fratre genitum, & tantis Austrianæ clarissimæ domui affinitatibus coniunctum conseruaret, tanta clemẽtissimi sermonis magnitudine differens, ut hæc animi sui decreta, Mariæ reginæ, quę Buda, Posonium belli metu profugerat, enunciari iuberet: quod profectò pro falso de barbari regis æquitate humanitateq́; dictum uideri posset, nisi præclaro testimonio ingentis suæ liberalitatis, paulo pòst Ioanni Sepusio, nequaquam regia stirpe nato, & tum etiam hostilis animi specié retinenti, id Pannoniæ regnum, uel nullis præeuntibus meritis, dono dedisset. Exinde æneas statuas tres prisci artificij sustulit, q̃ in uestibulis regię à rege Marthia Coruino, omnis uirtutis atq; elegãtiæ studioso, constitutę fuerant. Hæ clauigeri Herculis, citharœdiq́; Apollinis,

linis, & pharetratæ Dianæ formas referebant, quas pro trophæo Pannonicæ uictoriæ monumentum Byzantij in hippodromo collocari iussit. Abduxit etiam tria inuisitatæ magnitudinis operosiq̃; artificij tormenta, quum passim ad ornamentum, insignia, & literæ argento scalptoria arte æri incluso essent admiranda, quæ Illyricæ Bosnę regis fuisse dicebantur, in expugnatione Sciabatij oppidi ad Sauum capta: atque item æneas aliquot striati operis columnas, quæ portarum epistylia sustinebant. Moratus est ad Budam dies fermè uiginti, quo spacio diuersa in proximas prouincias equitum agmina prædatum sunt emissa, quibus hinc ad Giauarinum usq;, illinc ad Tibiscum amnem regio omnis improuisa, atq; horribili populatione ita uastata est, ut supra centum & quinquaginta hominum milia omnis ætatis & sexus, aut gladio cæsa, aut in seruitutẽ adducta referantur: quas prædatorias manus, postquam redeuntes in castra recepit, eodem quo uenerat itinere, Byzantium est reuersus. Iisdem uerò diebus Ioannes Sepusius è Transyluania eductis copijs, ut regi opem ferret, ferò in Pannoniam uenit: aspirare nanque cœpit ad Pannonici regni fastigiũ, quando ipse, nulla extante regia prole, inter Hungaros proceres esset clarissimus, & propter uictoriam quondam de agrestibus Georgioq́; Secalo Borno missa collega partam bellica laude illustris haberetur. Itaque Ioannes ualido prudentiq́; ingenio uir erectus in spem potiundi regni, singulos proceres diligenter prehensare cœpit, obtestariq́ue, ne proximis comitijs Hungarici nominis decus prodere uellent, si uetustissimæ dignitatis imperium, ad externæ arcq; inimicæ gentis nomen traduci paterentur. Hac uia ingressus, multum rogando satagendoq́;, Ioannes multorum studia promeruit: eoq́; facilius, quòd Stephanus Bator, procerum clarissimus, ad Ferdinandum paulo antè in Bohemiam contendisset, & Ferdinandus apud Bohemos indictis comitijs uehementer esset occupatus, quibus primatum & popularium prœoccupatis uoluntatibus, rex erat appellandus. Per eos dies Hungari celebrandis regijs exequijs animos intenderunt, quum Lodouici integrum cadauer Cetrischi armigeri indicio repertum, & à Mugaciana palude ad Albam regalem fuisset relatum. Dictis namq; solennibus inferijs, insigni pompa apparatuq́; tumulatum est apud ea sepulchra, quibus superiores reges condi consueuerant. Exinde exequijs ritè confectis, Rhacos est indictum, id est, comitiale concilium armatæ multitudinis, cuius authoritate acclamationeque, ex ueteris legis instituto Pannoniæ reges creantur. Eius autem Rhacos is fuit exitus, ut Ioannes quum nemine in publico luctu competitorem habiturus uideretur, quãdo nemo uel clarissimus candidati nomen profiteri auderet, magno omniũ applausu rex appellaretur: præstoq́; ei maturè adfuit Petrus Perenus, in cuius custodia, uetustissima ex rudi auro Hungarici regni corona seruabatur, qua solenni ceremonia legitimi reges coronari soliti sunt. Ea Stephani primi Pannoniæ regis fuisse traditur, seruaturq́; in arce Vicegradensi, antiquissimorum procerum more per manus tradito. Atq; ita Ioannes ritè coronatus consecratusq́; est de manu Pauli antistitis, qui in locum Ladislai Salcani Strigonię antistes fuerat suffectus: & Stephani Brodarici præsulis Vacensis, quem propter eruditi ingenij uim, & dexteritatem in omni rerum actione singularem, epistolarum scriniij q́; regij magistrum effecit. Americum uerò Cibachum in præfectura Transyluaniæ Vaynodam sibi constituit, qui Varadinensi etiam præsulatu, interfecti ad Mugacium Pereni loco, dudum fuerat exornatus. Regi aũt creando ex ordine militarium procerũ, mirificè fauerunt hi, quos è Transyluania alarũ præfectos adduxerat, uiros bello paceq́; præstantes. In his eminebant Hungarico sanguine progeniti, Stephanus Verbetius, qui Romæ apud Leonẽ legatus fuerat, & Paulus Artandus, atq; itẽ Gregorius Peschenius, & Nicolaus Glessa, Ianusq́; Docia. Per hunc modum, dum nouus rex firmãdis imperij uiribus, ascisendisque sibi & promerẽdis proceribus, liberaliter atq; humaniter studet, Ferdinandum Hungarici imperij æmulum in Bohemia regem creatũ didicit. Is ex uetere cõtrouersia eius litis, quę agitata fuerat inter Matthiam Coruinũ, & Federicum Cæsarem proauũ, hæreditatis iura prosecutus: ducta scilicet à Ladislai morte, qui in Bohemia in ipsa nuptiarum celebritate ueneno sublatus ferebatur, ambitione malignitateq́; Georgij Poggibratij, qui Bohemiæ affectas regnum, id paulo pòst occupauit: uidebaturq́; aduenisse tempus, quo Ferdinandus Bohemico auctus regno, & Caroli fratris opibus subnixus, nec oblitus sui iuris, Pannoniam non iniqua ratione repeteret Austriano sanguini, ideoq́; sibi ab Alberti principis memoria debitam. Neq; Ferdinando, præter Austrianas & Germanicas uires, quorundam Pannonię procerum studia deerant, quum apud eum essent semitrans fugæ turbulentiq́; homines, nouarum rerum cupidi: & quo facilè impelli poterant liuore corrupti, inuidentesq́; prorsus Ioanni Hungarici diadematis decus, tanq̃ præcipitatis comitijs, tumultuarioq́; fauore imperitæ multitudinis, ipso dignioribus ereptum. Nam præter Batorem, cui petendi adipiscendique regni prærogatiua optimo iure obuenire posse dicebaẽ, eminebant & alij pari propè nobilitate, & bellica uirtute illustres, Valentinus Turaccus, Stephanus Maylatus, Ianus Sala, Gaspar Seredius, Balthasar Pamphilus, & Ferentius Gnarus. His accesserat Paulus Bachitius, genere Triballus, uir eximiè bello fortis, qui apud Turcas Mahometanis initiatus sacris, ex necessitate fugiendæ seruitutis, ad nostros redierat, renouatoque baptismate Christiano ritu fuerat expiatus, & Mugaciano prælio intactus euaserat. Horum omnium hortatu Ferdinandus suopte ingenio reperendi sui iuris auidus, confisusq́; Bohemorum auxilijs & Noricis copijs, quibus accedebant è Rhetia superiore cohortes euocatę, & satis magnus è Stiria Carinthiaq́; leuis armaturæ equitatus, Budam rectà perrexit: cuius aduentu grauiter permotus Ioannes, ut qui rerum omnium difficultatibus erat circumuentus, nec satis haberet copiarum, quibus agnoscere stabilireque noui regni opes posset, atq; infirmissima apud se, partim metu, partim leuitate gentis studia fore prospiceret, nequaquã hostẽ Budæ expectandum esse constituit: hortatusq́; duces suos, ut cedenti, & aduersis infestæ fortunæ flatibus uela dare coacto, adesse uellẽt: cum his copijs quas adduxerat, & quas demum conscripserat, Pestum traiecit, atq; inde nusquam consistere ausus, iustis confectis itineribus, superato Tibisco, ad Tocaium castra fecit. id erat munitũ castellum, in ulteriore ripa positum. Eius discessu cognito, Ferdinandus sine uulnere Buda potitus est, ubi aliquandiu permansit, consultatumq́; est, an aufugiens hostis esset persequendus. Eorum autem sententia uicit, qui perterritum hostem, priusquam auxilia compararet, aut noua consilia susciperet, adhibita celeritate consequendum censebãt. Itaq; Ferdinandus his maximè ducibus quos memorauimus, omnes copias cõmisit, qui cõtinuatis itineribus quanta festinatione equorũ lassitudo pateret, & pedites gradũ intendere poterant, ad Tibiscũ peruenerunt, & nauigijs quæ carris aduexerant, cõnexis, contabulatoq́; ponte, Tibiscum superantes, explicatis uexillis, ad Tocaiũ, ubi Ioannis erant castra, instructa acie peruenerunt. Quo hostium superuentu perculsus Ioannes, cõmunicata cum ducibus eius periculi difficultate, consilium capit sibi necessariũ potius q̃

decorum. Suadebant enim duces promptiſsimis animis pugnam poſcentes contemptis ferè hoſtibus, ut ipſe paululum acie excederet, amoueretque ſe periculo, & ſi ita iniquior prælij ſors ferret, ſeſe incolumē ſecūdis fortunæ caſibus referuaret: ipſos namq; quod turpiſsimum ſit Hungaris ad arma natis, oblatum ab hoſte prælium detrectare, inuictis atq; indomitis animis aduerſus transfugas cōſtantiſsimè pugnaturos. Eminebat inter duces, Ferétius Bodo, ſingularis uirtutis & fidei dux uetus, cui rex præcipuum militiæ ſceptrum atq; uexillum de manu tradiderat. Is ſumma peritia pro numero generēq; militum aciem inſtruxit, in medio ipſe conſtitit cum Hūgaris, cornua Tranſyluanorum copiæ tenuerunt. In Auſtriana autē acie Valentinus mediā pariter aciem cum Hungaris tenuit: ubi erat uexillum, duas medio agmini cohærentes brachiorum inſtar firmauerūt: hinc Stirianæ, illinc Noricæ equitum alæ. Sed Paulus Bachithius ex Turcica diſcipli na, aſtu & inſidijs uti ſolitus, cum globo Vſaronum, qui ſunt leuis armaturæ equites, latrocinijs aſſueti, remotiore in loco ſtruendis inſidijs idoneo, contra læuū hoſtium cornu conſedit, ita ut ex occaſione ſucceſſus, qua parte oporteret, in hoſtem impetū facturus uideretur. Tum uerò militum animis non multa ducū cohortatione ad pugnam accenſis, minora utrinq; tormenta currulia, quæ gallinacei oui magnitudine pilam euomebant, diſploſa ſunt, paruo quidem detrimento. quum procurrere, & manū conſerere ſimul turmæ properarēt, alternis utrinq; cornibus alæ pulſæ profligatæq; ſunt: nam Stiriani equites Tranſyluanorū uim non diu tulerunt, quū in altera parte Noricus equitatus cataphractus, nouas & collectitias Bodonis copias in læuo cornu proſtrauiſſet. Eodemq; tempore ab utraq; media acie, paribus Hungarorū animis atq; artibus contractū eſt certamen, uſqueadeò acriter inuehendo pro curſandoq;, ut nuſquam antea uehementius & pertinacius dimicatū fuiſſe appareret. Sed nouo cataphractorum impetu, qui pulſo dextro cornu in hoſtium latus ruebant, tota Bodonis acies uel egregiè reſiſtens fortiſsimeq; dimicans, loco pulſa perturbataq; eſt: eo quidem euentu, ut ipſe Bodo imperator, qui uexillum ſeruare repararēq; aciem aliquandiu fuerat conatus, incumbente Paulo Bachithio, ab Vſaronibus caperetur, & reliqui duces deſperatis rebus profugerent, non multaq; cæde edita tormenta ad unum omnia, uexillaq; in poteſtatem hoſtium deuenirēt. Quum rex ipſe conſpecta ſuorum ſtrage, periculo ingenti fugæ curſu ſe eriperet ad ipſos Sarmatiæ fines, uictores in Tranſyluaniam penetrarūt: quibus populis nullo negocio in ditionē acceptis, uniuerſa prouincia ad authoritatem Ferdinandi regis ſe contulit, Bodonē porrò cum reliquis nobilioribus captiuis atque uexillis ad Ferdinandum miſerunt. Cæterùm Bodo quum uel propoſita libertate flecti non poſſet, ut ſacramentum Ioanni dictum uiolaret, & contra eum militaret, ab clemētiſsimo alioqui rege in tenebricoſum carcerem Nouæ ciuitatis relegatus eſt, atq; ibi aliquanto pòſt pedore conſumptus, miſer fato ſuo conceſsit. Nec multo pòſt Ferdinandus, inclinantibus in eū Hungaris ferè omnibus, ex uſu uictoriæ rex eſt acclamatus, atque eadem uetere aurea corona, quam idem Perenus uir incertæ fidei, ideoq; facilè ad officium rediens, detulerat, cum Anna uxore, quæ Ludouici regis erat ſoror, inſignitus eſt, celebratis eius ſolennis pompæ ceremonijs apud Albam regalem. Exin de Ferdinandus utriuſque regni rara felicitate compos factus, in Bohemiam redijt, præſidesq;, qui Pannoniæ regnum adminiſtrarēt, delegit. Hi fuere Stephanus Bator, qui cum ſumma poteſtate prorex eſt creatus: cui collega addebatur Paulus Strigonienſis antiſtes, qui & ipſe à Ioanne defecerat. Berethſaxium autem epiſtolarum magiſtrum fecit: Alexiū uerò Turſonem Morauæ gentis, cuius ſoror Petro Pereno nupſerat, ærario præfecit. At Ioānes uſquea deò acerbè mulctatus à fortuna, ad Hieronymū Laſchum profugit, uirum inter Sarmatas ab illuſtri nobilitate, eruditaq; uirtutis nomine clariſsimum. Is tanti hoſpitis occaſione lætus, nihil antiquius habuit, quàm ut regem in eas amiſsi regni calamitates præcipitatum, accuratiſsimè atq; humaniſsimè recrearet: polliceretur q; eiin ſpem recuperandæ dignitatis opes ſuas, quæ nō erāt mediocres, & quod rediuiuę felicitatis interfuit, ingenium ſuum in omni actione humanarum rerū ualde mirificum. Quū uerò multum inter ſe colloquendo deliberandoq;, integrum ferè menſem abſumpſiſſent, Laſchus excelſo ſolertiq; ingenio grauiſsimarū rerum conſilia agitare, atq; aptè terminare ſolitus, poſtremò ad id unum deſcendit, ut ab uno tantū Solymano maturam opē afflictis & perditis rebus ſperandam cenſeret, arbitrareturq; generoſiſsimū eundem & longè maximū regem, ſupplicis & eiecti preces minimè neglecturū, ſi ipſo miſerante ſubleuanteq; reſtitutus foret ex tanto beneficio ſe clientem factum, ex authoritate Othomannici nominis regnaturum profitereturus. Ægra enim mortalium mens, quum de ſalute ſollicita parum ſperet, nulla unquam uel ancipitia remedia repudiat. Nec multo pòſt decreto facto, Laſchus q nominis ſui famā præclaris operibus extēdere cupiebat, legatione ſuſcepta Byzantium contendit. Vbi primū omnium allatis muneribus, quæ elegantia potius quàm precio placitura gratāq; præcipuè uxoribus eorū futura non abſurdè exiſtimarat, purpuratorum non modò, ſed ianitorum etiam amicitiam promeruit. Inter purpuratos qui Baſſæ uocātur, eo tempore authoritate præſtabant, Luftebeius, in cuius matrimonio Solymani ſoror uiſebatur, & Habraymus ex Acarnania, Pargæ humili uico natus, & cū Solymano à prima pueritia molliter educatus. Is Viſir, hoc eſt purpuratorum princeps euaſerat, & quū teneret regium ſigillum, cunctis q; ſupplicibus libellis & epiſtolis ſubſcribere conſueuiſſet, reliquos aulæ proceres honoribus ualidos, ex peculiari atq; firmiſsima gratia authoritate anteibat. Per hunc modum inſinuatus, & ſæpius apud purpuratos ſine interprete loquutus, quòd Illyrica lingua omnibus ferè in aula eſſet familiaris. Ioannis regis cauſam egit, atq; eum mirificè cōmendauit: nam ſalutato tantū Solymano ſub primū ipſius aduentum, de negocio acturus ad purpuratos de more fuerat reiectus. Neque enim Solymanus uirum Chriſtianū intra ſepta aulæ ad colloquium admittere conſueuit. Petebat Laſchus à Solymano, ut Ioānes, Ferdinandi Auſtrię principis iniuria, & quorundam Hungarorū perfidia regno pulſus, Pannoniæ rex, & Othomannici nominis beneficiarius appellaretur: ideoque Turcicis armis in regnum reduceretur, ſicuti proprium eſſet Othomanicæ ditionis, poſtquam illud iure belli, adiudicante fortuna ab ea inſigni uictoria, Solymanus felici dextra uindicatis iniurijs, deuictisque hoſtibus ſibi peperiſſet. Ioannem, qui commendatione uirtutis publico in concilio Hungarorū omnium legitimè rex fuerat appellatus, & ritè etiam ex antiqua regni formula coronatus, nunquam, ſi in clientelam tutelamque reciperetur reducereturque, tanti beneficij memoriam animo depoſiturum, egregiaq; fide gratiſsimi animi, maieſtatem Solymani perpetuo cultu uenerarū, atq; ea quę imponeret tributa, quotannis perſoluendo, initæ clientelæ nomen cunctis gentibus declaraturū. Id uerò ſi Solymanus ſupplici concederet, tam ipſi honorificum, & ad beneficentiæ famam ſplendidiſsimū fore, quàm Ioanni utile uel decorum. Nam præterquam, quòd magnanimi reges beneficio dando potius q̄ accipiendo, dijs ſuperis

peris æquentur, etiam id Othomannis magnopere conducere conſtaret, ut Turcæ infirmo & beneficiario regi potius finitimi ſint, quàm Ferdinando, qui à Bohemis rex aſcitus, & Caroli fratris, cui Germani bellicoſi homines parent, opibus fretus, bellū inferre, quàm in finibus pacem tueri malle exiſtimari poſsit. Non ineptè ſiquidem cauendum eſſe Turcis, ut quæ ſibi bellando parauerunt, ijſdem armis defendant, nec quenquam ſupra cæteros potentia atq; opibus augeri ſinant: aliquando etenim fieri poſſe, ut Carolus authoritate uirium ampliſsimus, in eandē indicendi ſacri belli cauſam reliquos principes trahat, & pro religione, uti ſuperiores Europę reges fecerint; amiſſa omnino repetenda iudicet, cuius uiribus non facilè demum reſiſti poſſet. Hæc diſertiſsimè dicta, quum Solymano ex occulta feneſtella auſcultāti à purpuratis referrentur, nō magni negocij fuit imperatorem gloriæ potentiæq; auidū eò perpuliſſe, ut Pannonicū bellum rurſus ſuſciperet, & Ioannis preces ad animū admitteret, polliceretur q; ex uſu nouæ uictoriæ, ea conceſſurum quæ poſtularet, modò fidem tueretur, & ingrati nomen maximè abhorrendum exiſtimaret. Interea Ferdinandus non temerè Pannonię regnum ſibi grauiratione confirmandum exiſtimans, neq; alicunde uehementioré, quàm à Turcis uim timens, pertentare Solymani animū, atq; eius amicitiam apperere conſtituit: ratus eam honeſta conditione poſſe comparari, ſi quo iure inductus Pannonię regnū inuaſerit, & ceperit, apud barbarum nequaquā abhorrentem à iuſtitiæ laude, antiquę ſuæ litis ſeriem explicaret, & ſe legitimum eius regni hæredem præclaris monumentis demonſtraret. Petebat autem ijſdem cōditionibus amicitiam atq; inducias, quibus Ladiſlaus & Ludouicus filius per aliquot annos ab Othomannis regibus antea meruiſſent: & tum etiam Sigiſmundus Sarmatię rex pari induciarum tranquillitate eius amicitiæ beneficio frueretur. Itaq; idoneum nactus hominē, qui hæc mandata Byzantiū deferret, Ioannem Oberdanſcū, uirum Pannonium deligit, hūc iuſto comitatu exornat, & muneribus, quæ purpuratis largiretur, decenter inſtruit. Sed ubi Oberdanſcus Byzantium peruenit, Solymanus ſua ſpe durior eſt inuentus, auerſoſq; ſe penitus purpurati à mentione inducirum præbuerunt. Nam tametſi legatus humaniter à Solymano fuerat receptus, auditusq; patientiſsimè in conſeſſu purpuratorū facundè & diligenter cauſam egerat, in exitu tamen legationis nihil plus quàm ſuperbi atq; inſolentis decreti reſponſum tulit. Dixerat enim Solymanus alienum eſſe à maiorū inſtitutis, eos in gratiam amicitiamq; recipere, qui Othománico nomini iniurias intuliſſent: proinde Ferdinandū impudéter facere, qui alieni iuris regnum inuaſiſſet, atq; id retinere poſſe confideret, quando eius uetera iura planè inania quæ oſtentaret, recenti ſua uictoria, Marteq; iudice obliterata, antiquataq; fuerint. His de cauſis eum toto inducirum & amicitię munere indignum uideri, ſeq; eo eſſe animo, ut cōtumeliam quā acceperit, probè uindicandam ducat, indictoq; bello rurſus ſibi Pannoniā omnino repetendā: tantis aūt ſe copijs eam expeditionē ſuſcepturū, ut Ferdinandū uel intra Norici, Germaniæq; fines ſit inuaſurus. proinde ei omnē belli cladē pro inducijs atq; amicitia denunciaret, properēq; Byzantio excedere maturaret. Cęterùm Oberdanſcus ubi Viennam eſt reuerſus, quæ retulerat regijs præſidibus cōmunicando, barbarorū q; minas & maturū Solymani aduentū pronunciando, quū nemo Germanorū, ut ea crederet adduci poſſet, aliquādiu pro uaniſsimo nebulone habitus eſt. Quamobrē ut effugeret inuidiā, uera pro falſis interpretantiū, ad Ferdinandum peruolauit. Is tum erat apud Spirā, Nemetū urbē ad ripam Rheni poſitā, ubi petitioni ſuæ ſuffragatores cōparabat, quòd ea inſtarēt apud Germanos comitia, quibus ipſe coronato Carolo fratre Cæſar eſſet deſignandus. Is nuncius nō mediocriter eum perculit, quòd eorū quæ diſceret, & ſe facturū profiteretur hoſtis barbarus, nō facilè fidem fallere ſolitus, proculdubio euentura proſpiceret, alienoq; tēpore auxilia à Germanis petenda uideręt, ſi tanto hoſti obuiā eundum, & Hungarorū ſaluti conſulendū foret: Carolo præſertim fratre Italicis implicito bellis, & rebus undiq; ad multā rei nummariæ inopiā redactis, qua una cogi milites & barbaris reſiſti poſſe iudicaret. Adulto uere, & læto iam gramine uirentibus campis, Solymanus nihil ab inſtituto cōſilio repetendæ Pannoniæ diſcedit, magiſtris equitum imperat, ut copias omnes ad ſigna uocēt. Europeis equitibus imperabat Habraymus, Aſiaticis aūt Becrambeius: hic ad edictū ex Aſia copias in Europā traducit, ille aduocat Sanzacos omnes, qui ſunt pro uinciarū præfecti. Ab his ex uetere diſciplina accerſuntur Subaſes, Vayuodæ, & Flammurani, qui diſtinctarū alarum atq; turmarū præfecti ſunt. Hi omnes indicto die, opportuno loco conueniunt: præcipueq; apud Sophiam Triballorū urbem, quæ Europei magiſtri equitum certa ſedes eſt, ſicuti Aſiatici urbs Cuthea Galatiæ. Præmittuntur itaq; uoluntarij equites, qui ſunt extraordinariæ militiæ, tēporarijq; ſtipendij ex omnibus prouincijs: Tranſdanubianiq; præſertim, ad prædæ ſpem euocati, ideoq; eorū lingua Achāgi appellantur. Eorū ingens numerus eſſe conſueuit, utpote qui ſupra quinquaginta milium numerū impleant: reguntur aūt imperio peculiaris præfecti, qui ex antiquiſsima Turcarū familia, uti uirtus prouehit, ex uetere prærogatiua deligitur. Is tum erat Acomathes Michaloglis, qui anteire magiſtri equitū agmina, & primus in hoſtilem regionē irrumpere, & latè prædari, ferroq; & incendio cuncta abſumere iubetur. Itaq; Solymanus præeuntibus Europæis & Achāgis, Aſiaticis terga tuentibus, Hadrianopoli profectus, quintis decimis caſtris Belgradū peruenit, ſuperatoq; Sauo Drauoque fluminibus, iter rectà Budam extendit. Iiſdē fermè diebus, quibus Solymanus Belgradū applicuit, Ioannes rex quāto maximè potuit honeſtiſsimo Hungarorū procerū comitatu ſeptus, ipſo Laſcho comite, ad Solymanum uenit, ut honoris cauſa in gratiā clientelamq; ſuſcipiente, præſens agnoſceret, tutelarem eius dextrā oſculareturq; atq; eum, ut promiſſa præſtaret, gratias agendo uenerareturq;. Ille grauī fronte, ſed amico obtutu, parū ſe è puluino commouens, dextrā ſuam fide uirtuteq; præſtantē, ideoque ſemper ualiturā apud eos quos in amicitiā recipieret, porrexit: teſtatus nihil ſibi optatius & melius à maximo numine poſſe tribui, q̄ ut miſeros, ab ipſius præſertim hoſtibus iniqua & indigna perpeſſos ſubleuare poſſet. Proinde bono animo eſſe uellet: cuncta enim, quæ ultore gladio eo bello de hoſtibus pararet, liberali animi decreto ei protinus eſſe conceſſurum. In conciliando autem Solymano, Ioannes Habraymi Baſſæ efficaci ſtudio profecit, quē antea per Laſchum Byzantij, ita precibus atq; muneribus præoccupato eius animo, ſibi beneuolum amicumq; parauerat, ut regiæ cauſæ patrociniū facilè ſuſciperet, Aloyſio Gritto præſertim internuncio feliciq; auſpice. Is enim caſtra ſequebatur, & uti erat Andreę Venetorum principis filius, ideoq; præclara eius nominis commendatione inſignis, & omnis elegantiæ peritus, ab intimo conuictu ſecretioreq; conſuetudine familiaris, tanta ualebat gratia, ut Habraymum ab occulto quodam ſidere Solymani genio non obſcurè imperantem, eò quò uellet, facilè perduceret. Aduentantis Solymani fama, rectaq; Budam ire pergentis, Budenſes metu perculſi, fermè omnes urbe profugerūt, & in proximas urbes, pars Strigoniū, pars Albā regalē, alij Poſſoniū demi-

demigrant.Itaq; uacua penè potitur Buda, & arcé,
quæ Germanico præsidio tenebatur, oppugnari iu
bet. Turcæ perfectis per cuniculos subterraneis o-
peribus,uectibus & dolabris, ima turrium funda-
menta subruere conantur,ut suppositis ignibus ar-
cem excindāt. Etiam sulphureus uapor succensi in
cuniculis tormentarij pulueris,ad nares Germano-
rum permeabat,& ex discurrentium spectantiumq;
Turcarum habitu,non obscura cōcasuræ mox tur-
ris indicia deprehendebantur: quo ingentis pericu
li metu adducti,cum hoste saluis rebus paciscūtur.
Cæterùm quum eius præsidij milites,qui erant fe-
rè septingenti,ex conditione incolumes, sarcinisq;
suis onusti in Possonium abirent, Solymanus Iani-
zeris ad unū trucidandos obiecit,quòd inuito Na-
dasto arcis custode deditionem fecisse dicerentur.
Exinde Solymanus eo consilio, ut Viennam duce-
ret,castra mouens, ex itinere Altaburgum oppidū,
Bohemico custoditū præsidio,admotis copijs ador
tus,uel impigrè Bohemis aliquandiu propugnanti
bus:sed mox cadente ipsorum duce,concepto gra-
ui metu,murum deserentibus,expugnauit,interfe-
ctis ferè ad unū Bohemis. Ab Altaburgo Acanges
uersus urbem Quinq; Ecclesias uocatam, prædatū
dimisit,qui intercepta ingenti omnis generis homi
num præda,nemine usquam resistente: pręteruecti
Viennam, luctuosas ad Linzium usq; excursiones
fecerunt.His barbarorū præcursionibus antea pro-
uisis,Ferdinandus graui incensus cura,quas potue-
rat euocare & cogere copias,intra Viennam contu-
lerat,& maioribus cogendis præsidijs implorabun
dus opem,singulos regulos singulasq; ciuitates adi
ens uolitabat.Paucis autē diebus secundum amissę
Budæ famam, circiter uiginti milia peditum & e-
quitum Viennam confluxere,quibus præstantissi-
mi præerant duces: inter quos eminebant Philip-
pus Palatinus,Nicolaus Salma, qui Ticinensi præ-
lio,in quo rex Galliæ captus est, inclaruerat, & se-
cundum eum Guilielmus Rocandulphus,regiæ au
læ magister,Italicis clarus bellis, & Ioannes Cazia-
ner uir pugnax,natione semi Illyricus,cui postea Vi
ennæ præfectura obtigit: & secundum hos Nico-
laus Turrianus,Ioannes Hardecus, Leonardus Vel
sius,& Hector Raynsachus,inter Germanicos pro-
ceres, cùm genere, tum bellica laude illustres. Ab
his præparata sunt ænea circiter centum currulia
tormenta,præter minora: hæc erant ferè trecenta,
quæ pilam plumbeam infra anserini oui magnitu-
dinem ferrent, & pro corona mœnium iuxta pin-
nas earumq; fenestellas in canterijs disponebātur.
Circiter idus Septembres Solymanus Viennā per-
uenit,aliquanto tardius quàm sperarat, quòd eius
cursum toto ferè itinere amnes inundantes retar-
dassent:ob idq; Danubius minus idoneam aut tutā
nauigationem subeūtibus tot nauigijs, onerarijsq;
præsertim lintribus præberet. Igitur Solymanus
quinis castris diuerso atq; opportuno loco positis,
urbem circumplexus, tantam per omnes campos
tabernaculorum multitudinem Viennensibus è sa-
cra turri,quæ è media urbe excelsissima atque pul-
cherrima structura exurgit,prospectantibus osten-
debat,ut octona undiq; suburbani agri milia passuū
occupare censeretur.Habraymus montem, ubi ca-
stellum est antiqui operis desertum, præoccuparat,
unde non interiecto magno uallis spacio totam ur-
bem despicere posset,extra tamē tormenti iactum.
Becrambeyus autem confidebat contra Purgato-
riam, quam uocant, portam, iuxta Sancti Vlderici
templum.Tertia castra erant Michaloglis, quæ se-
cundū accliuia montis ad templū sancti Viti latissi
mè extendebant.Quarta erant posita ad Scotorum
portam,ad Danubij ripam pertinentē: qua in parte
constitutæ fuerant Asaporū turbæ,quibus admisce
bantur ualidæ Ianizerorū cohortes,quæ repentè e-

A rectis munitionibus prælongis, sclopetis rem gere
bant,nec quenquā in muro Viennensium consiste-
re patiebant.Superfundebatur autē tanta sagittarū
uis intra urbem,ut per regiones,qui nō essent galea
ti,tanquā è cœlo decidentibus sagittis, grauissimè
ferirentur.Cæterùm Solymanus ad diui Marci tem
plum prætorij uexillum erexerat,septus hortorum
lateritijs munitionibus, & per Asapos actis cunicu
lis mœniū fundamenta subruere,& dolabris & ue-
ctibus nō uno in loco muros præcidere iubebat:nā
quū muralibus careret tormētis,ad id oppugnatio-
nis genus uia rectior & potior uidebatur: uel ob id
præsertim,quòd magno Viennensium cōmodo ac-
cidit. Volfangus Hoder Possonio exiens cum iu-
sto tormentorū apparatu expeditisq; copijs, subeū
tem aduerso flumine Turcarū classem eo euentu ag
gressus fuerat, ut multa nauigia minora demerge-
ret,& lintres aliquot magnos, quibus maiora tor-
menta ad oppugnationē mœniū subuehebant,per-
foraret atq; demergeret:& Turcæ amissis pluribus
è numero sociorū naualium,multisq; militibus,qui
classi præsidio impositi fuerant,interfectis, insigni
clade afficerentur, paucisq; suorū amissis, Volfan-
gus Possoniū uictor rediret.Reliqua tamen barba-
rorū classis ubi Viennā peruenit,primo impetu pō-
tes omnes pręcidit & diruit:nam Danubius paulò
supra urbē in aliquot partes diductus,paruas efficit
insulas,quæ pontibus iungunt,per quos Austriana
uia in urbem dirigit. Ea classis ita uersus arcē con-
stitit, ut neq; terra, neq; flumine aditus ullus liber
aut tutus exituris uel ingressuris relinqueret: & si
qui armatorū cuneis effectis portis erumperent,fa-
cilè à barbarorū multitudine intra urbē cum detri-
mento retruderent.Nam paulo antè Ioannis Arde
chi equites,uel egregiè pugnātes, & splendidis mu
niti armis erumpere ausi,detrimento accepto, cùm
B ab equitibus,tum à Ianizeris sclopetarijs reliquisq;
sagittarijs tanta perturbatione pulsi reiectiq; sunt,
ut multis interfectis & uulneratis, Volfangus si-
gnifer cum uexillo caperet,qui nō multo pòst à So-
lymano insigni donatus ueste,ad suos remissus est,
cum mandatis,ut ad deditionē pręsidiarios milites
simul & Viennenses ciues hortaret. Ipsum enim, si
pertinacius resisterent,pro humanitate atq; mune-
ribus quę offerebat,in omnē ætatem & sexū gladio
sæuiturū. Sed ea erat omnium constantia, ut nihil
tanta multitudine hostium terrerentur, & probè se
mœnia defensuros confiderēt,postq̄ nulla hostibus
esse muralia tormenta perspicerent. Itaq; omnibus
labor totaq; spes subruendi muri apud Turcas posi
ta erat in cuniculis,qui tribus in locis subter funda
menta mœnium ducebātur: quorū operum sonitū
sedulò auscultantes Germani, & quò tenderent tel
luris cōmotæ pulsu certis plenorū aqua peluiū, &
tympanorū militariū instrumētis deprehendētes,
paribus cuniculis occurrebant: quando necesse es-
set tympana solo apposita,uel ex minimo terræmo
tu cōmota mēbrana palpitare,uasa aūt pariter con-
cussa tellure,crispantē aquā ostendere. Ad hęc suspe
ctis in partibus murū introrsus ingentiū trabiū tibi
cinibus effulciebāt,ut casura extrorsus mœnia pro-
ruerent:uti tum accidit,quū excitatis ab hoste cuni
culorū ignibꝰ,ad Carinthiā portā magna pars muri
tremefacta,incolumi tamē turri hisceret, atq; extrà
prolaberetur, Turcæ præpediti ruina,& confertim
ingredi conati,facilè ab armata Germanorū phalan
ge repellerentur:nec multo pòst, cōtra templum di
uæ Clarę proruens murus,binis hiatibus editis,sed
his nō omnino latis,Turcæ ad irrumpendū inuita-
rentur:& quanq̄ propter angustias tenui cuneo in-
trarent,cruentū tamen, sed suo maximè sanguine,
certamen cum Germanis eius stationis cōtraxerūt,
tanta Barbarorum audacia constantiaq; nostrorū,
ut protectæ splendentibus armis cohortes, facilè
inermem

inermem turbam hostium temerè proruentem, & A
cuspidibus sese ultro offerentem egregiè sustinerēt:
& quod Barbari essent numero impares,multos eo
rum confoderent,tergaque dare,& tumultuose re-
gredi multis cadentibus cogerent. Triduo pòst a-
trocissimè dimicatum est,quū pars muri iuxta Ca-
rinthiam portam non longè à priore mœnium rui-
na ita concidisset,ut Turcę nostrorum phalanges in
pomœrio constitutas,paratasque ad pugnam exci-
piendam patente ruina conspicerēt, adorirenturq;
ardentibus animis, & abiectis demum utrinq; sclo
petis & arcubus,ad gladios rem deducerent: quum
eadē ratione,qua Germani duces hortabundi pha-
langem promouerent, & Turcarum præfecti suos,
nō uerbis modò,feroq; ululatu capessere pugnam,
sed illatis uulneribus ad prælium compellerēt. Cer
tabatur omni genere telorum igneq; missili, sic ut
nusquam acrius & periculosius hoc seculo pugna-
tum fuisse diceretur. Ambustus est Othingus, nobi
lis regulus,& nonnulli pariter è barbaris ordinum
præfecti: quoniam Asapis & Ianizeris equites ipsi
dimissis equis suisque protecti scutis,& incuruis ar
mati gladijs equestribusque hastis audacissimè mi
scebantur. Ad extremum, quum tribus horis esset
pugnatum,Turcæ insigni detrimento accepto, per
easdem ruinas extrorsus pręcipites dati sunt. At So
lymanus tot irritis & maximè cruentis suorum prę
lijs permotus,supremum immanium uirium suarū
conatum editurus,præfectos omnes aduocat,acer-
bissimis castigat uerbis,quòd partæ propè uictorię
defuerint, ignauissimeque contra morem inuictæ
gentis à limine semicaptæ urbis (quod pudeat ui-
ros fortes) pedem retulerint. Propterea confirma-
rent animos,& rursus ad renouandam pugnam cor
pora atque arma pararent, ne dedecus admittere-
tur:se enim putare turpissimum,incœpto abscede-
re. Proinde existimarent, aut egregiè in posterū diē B
expugnata urbe uincendum,aut ignominiose per-
eundum. Ab hac atroci denūciatione,postridie, qui
fuit idibus Octobris,supremo conatu redintegrata
est pugna,usqueadeò terribilis,ut quum barbari a-
gminatim per easdem ruinas in urbem irrumperēt
progrederenturque, & densatas horrentesque ha-
stis nostrorum acies contemnerent,præeunte incre
dibili crepitantium sclopetorum procella, collato
pede pugnaretur. Sed magno statim nostrorum cō
modo,nonnulla maiora tormenta certis locis,peri-
tè disposita collibrataque, in proruentes Turcas e-
missa sunt,tanta strage edita, ut milites prodeuntiū
ducum imperijs & minis parere desinerent,& Tur-
cico gladio interfici, quàm Christianis tormentis
sterni satius & melius arbitrarentur: atque eo mo-
do finis Viennensium periculo est impositus, & in-
solentis tyranni pertinacia fracta est, nō dubia cum
laude Germanicæ uirtutis,atque ignominia Barba
rorum. Postero die Solymanus sibi discedendū mul
tis de causis iudicans, captiuos quosdam ornatos
ueste serica,pecuniaque donatos in urbem remisit,
ut ducibus Viennensium referrent, se non eo consi
lio obsessum oppugnatumque Viennam uenisse,ut
urbem caperet: sed peculiari de causa, ut Ferdinan-
dum hostem suum nancisceretur,quo cum de Pan-
noniæ possessione nobili prælio controuersiam fi-
niret. Verùm postquam eum Viennæ non esse,& in
ulteriorem Germaniam abijsse didicerit,moturum
inde castra, & ad quærendum persequendumque
eum tanquam præcipuum hostem esse progressu-
rum. Proinde ipsos rectè facturos, si sese dederent.
Quod si facerent, ipsum neq; ingressurum urbem,
& Viennenses præsidiariosque eorum incolumes
saluis rebus seruaturum, donaturumque perpetua
immunitate. Hæc Viennenses, uti à Barbaro pro-
pter desperatam urbis expugnationem prolata, ir-
riserunt, maximoque rerum discrimine liberatos

A cōfessi sunt. Nam postridie,qui fuit trigesimus dies
obsidionis,Solymanus castra mouit, tribusque iti-
neribus, & tribus maximis agminibus iter cepit:
nam Strigoniensi uia,atque item altera,quę ad Cra
nium Semillyricam regionem ducit, & tertia, qua
iter est in Bosinā, digressum est: ita ut Habraymus
ultimo loco regij agminis terga clauderet, & clas-
sis totis Danubij ripis omnes commeatus & reli-
quarum rerum facultates terrestri agmini suppedi
taret. Verùm à tanti hostis discessu, lætitiam ingēs
perfudit luctus: quoniā supra sexaginta milia Ger-
manorum capitum in seruitutem abducta fereban
tur, ut magno Viennensium incommodo totus a-
ger succisis uitibus, & frugiferis arboribus fœdè de
formatus uisebatur. Solymanus autem Ioannem
Budæ regem constituit, beneficiariumque & ami-
cum ex diplomate & solennibus codicillis appella
uit,adiunxitque ei Grittum,ut ea pararent quæ cō-
firmando regno opportuna uiderentur. Accidit au-
tem (quod minimè prætermittendum uidetur) ut
Solymanus Ioannē in eius tabernaculum cum pro
ceribus Hungaris admissum impēse rogaret,ut Pau
lo Strigoniensi, & Petro Pereno clementer parcere,
& in pristinum gratiæ locum recipere uellet. Nam
Ioannes ab eorum ingenijs amicitiaque plurimum
abhorrebat: quoniam illi fluxa fide sacramentique
immemores,idem quod sibi antea, dum coronare-
tur,officium Ferdinando præstitissent, tanquā de-
sertores, oblitique Hungarici sanguinis ad Germa-
nos defecissent. Ad id clementiæ munus, quum du
riorem se ostenderet Ioannes,atque prędiceret eos
propter ingenij leuitatem præclara malignitate cu
mulatam,nequaquam in fide permansuros, rursus-
que,qua deficerent,occasionem priore turpiorē in-
uenturos: Solymanus uocem paululum intendens,
non barbaro,sed optimo rege dignissimam: An ti-
B bi,inquit,in hac uita melius atque honestius quic-
quam euenire posse putas, quàm si èx tua clemen-
tia,qui tui sint hostes, ingrati apud mortales eua-
dant,hoc est æterno ignominiæ probro notati,quū
in te sempiterna probi & clemētis animi laus man
sura sit? Nec multo pòst instantis iam hyemis frigo
ra timens infesta iumentis, camelisque præsertim
calidiore sub cœlo natis, iter cepit ad Belgradum,
atque inde in Thraciam est reuersus. Cuius disces-
sus aliquanto maturior quàm sperassent homines,
sicuti Cæsarem ingenti cura metuque liberauit: ita
Florentinorum animos magnopere conturbasse ui
sus est,qui non ineptè sperauissent Cęsarem suo per
motum periculo,barbaris occursurum. Quid enim
ineptius atque absurdius,quod ad existimationem
eius pertineret,quàm proprias uires impia quadam
obstinatione alieno atque inuidioso implicasse bel-
lo,dum Noricus ureretur ager, & Ferdinandus fra-
ter nouo Pannoniæ regno pulsus, patrimonij sui di
ra incendia prospectaret: scilicet ut liberam ciuita-
tem,secus ac superiores Cæsares fecissent, urbes ty
rannide oppressas liberare soliti,ad ueterem redige
ret seruitutem? Quid porrò ignominiosius Pontifi
ci accidere posse, quàm Cæsarem retentare,qui pe-
culiare deflagranti patriæ suæ subsidium afferre de
beret, suopteque ingenio publici periculi causam
generosa uoluntate, nisi sacrorum princeps religio
nis obliuisceretur, esset defensurus? Sed uel in deie-
ctis tanta spe animis, nihilo secius uigebat illa per-
tinax uoluntas. Certabatur enim quotidie: nec ur-
bana iuuentus cōtineri poterat,quin ueteranis mi-
litibus,ubi periculum posceret,aut uirtus digna ue
ro milite ostendi posset,audacissimè misceret. Au-
rantius porrò totum urbis ambitum, qui est trans
Arnum à Nicolai porta ad Fridianam lunato circui-
tu complexus,ita diuersarum gētium castra castris
perductis munitionibus coniunxerat, ut Florenti-
norum eruptiones perpetua statione militum, &
tormen-

tormentis aptiſsimo loco collocatis, facilè contem A neret. Ita enim fiebat, ut quicquid mœnium à media diui Georgij porta, quæ editiore urbis cliuo erecta eſt, Hiſpani eruptiones hoſtium ex ſuperioribus locis obſeruarent: Itali uerò ad ortum ſolis uſq; ad Roſcianam uillam extenderentur, quæ excelſo ædificio inſignis cliuoque impoſita, urbem ab orientali latere trans Arnum proſpectabat. Germani autem paulò remotius, in ualle circa Baroncelliam uillam conſtiterant, ubi erat forum rerum uenalium, & Aurantij prætorium uiſebatur. Nihil tamen Aurantius tentandum de oppugnatione, & prolatis tormentis uſquá quaſſanda mœnia arbitrabatur, quòd murus admirabili ſtructura firmiſsimus, niſi longo labore multoque ſumptu atque periculo aperiri diruique poſſet, tot præſertim propugnatoribus, qui audacia numeroque præſtarent ad omnes hiatus, hoſtilemque impetum occurſuris. A Giramonte autem tumulo, quem maioribus inſtruxerat tormentis, eius munitionis frontem, quam in Miniati templi horto erectam fuiſſe diximus, creberrimè quaſſandam ſuſceperat. Nam ab ea ſubſtructione lignea altior ſuggeſtus à Malateſta fuerat eductus, unde ſubiecta hoſtium caſtra uerberari poterant frequentibus pilis, multa cum pernicie commeantium militum. Nam ab ipſa eriá ſacra turri, quæ cuncta proſpectabat, uno atque altero falcone peritè conſtituto, à quodam Lupo Florentino, qui turri præerat, diligentiſsimè res gerebatur. Eam autē turrim demiſsis ſtorijs duplicibus, denſiſsimisque culcitris & lanarum ſaccis circumquaque munierat, ut immiſsas pilas craſſa mollicie obiecta obtunderet & eluderet. Nam ab Aurantio maiora tormenta in Giramonte conſtituta, in turrim intentiſsimè dirigebantur: quæ cauſa fuit, ut minutis prælijs quotidie certaretur, & multi uiri fortes interirent, in quibus fuerunt Bartholomæus è Fano Fortunæ, ſpectatæ B uirtutis præfectus, & Iacobettus Corſus, eximiæ promptitudinis centurio: è Cæſarianis autem Ciſpa Piſanus, & Bonifacius Parmenſis. Vulnerati quoque plerique illuſtres, & in his Roſcius ipſe, Alexanderque Vitellius, quum recipiētes ſeſe Hetruſcos admodum conſtanter Mario Vrſino reducente, audaciſsimè premerent. Ea autē erat natura uulnerum, ut qui glandibus circa oſſa paulo uehementius eſſent uulnerati, difficilimè mortē euaderēt, & multi longa plagarum ſanie tabeque affecti, irritis remedijs morerentur. Propterea Florentini operā dabant, ut ampliores militum manus mercede cōparārent: nam præter urbis cuſtodiam, minora etiā præſidia reliquis urbibus atque oppidis, quę erant in poteſtate, imponenda uidebantur. Magno nanque ad ſuſtinendam obſidionem uſui erant, Pratū, Piſtorium, & à Piſana uia ad ſeptimum lapidem, Laſtra caſtellum: atque inde Empolis, quod eſt medium Hetruriæ mercatu celebre oppidum, quod antiquitus emporium fuit: atque inde Piſæ, & ſiniſtror ſum Volaterræ. Itaque pecuniam in ſtipendiū Neapoleoni Vrſino mittunt. Is in agro Romano propter familiæ clientelas & opes erat potens, & ſe auerſum à Pontifice & Cæſarianorum hoſtem profitebatur, numerumque earum quæ antea habuerat cohortium & turmarum auxerat, accitusq; in Hetruriam penetrare iubebatur. Cuius conſilio cognito, Aurantius Alexandrū Vitellium, qui eius tranſitum impediat, in Tifernates ſuos mittit. Is diligenter exploratis hoſtium itineribus, coacta ualida manu Tifernatium, Neapoleonis copias iuxta Sancti Sepulchri oppidum improuiſo adortus, paruo negocio fundit, ereptiſque uexillis & exutos armis profligat, ita ut propè ipſe Neapoleo caperetur. Iiſdem ferè diebus, quibus Alexāder Vitellius ad Vmbriæ fines aduerſus Neapoleonem eſt miſſus, Stephanus Columna audaci ſuſcepto conſilio, ad inua- denda hoſtium caſtra nocturnam eruptionem inſtituit: quòd magnæ ſibi gloriæ futurum apud ciues atque ipſum Galliæ regem, cuius auſpicijs operam nauabat, rebatur, ipſo id plurimum experente Carduccio dictatore, ſi non defenſuros modò mœnia Hetruſcos, ſed ingentibus etiam animis caſtra adoriri, prodireque in aciem auſuros oſtenderet. Id faciunt eo ordine ſilentioque conſtitutum atque initū eſt, ut cum Malateſta, pauciſsimisque tribunis re cōmunicata, nacti ſub obſcuram noctem, ex condicto tribus portis erumperent: Ioannis ſcilicet Taurini cohortes à cliuo diui Georgij, & Octauiani Segnorelli à Catelina porta, quum his cœptæ pugnæ, ex inſtituta teſſera, uel ad faciendum impetum, uel ad receptum ſignum daretur. Stephanus ante omnes à diui Nicolai porta magno ſilentio per mediā uallem, quæ eſt inter Roſcianæ uillæ collem, & Giramontem, ubi erant perpetuę hoſtium ſtationes, iter habuit, cum Ioanne Taurino præfectorum pugnaciſsimo, ſexcentisq; delectis militibus, quibus adiunxerat Florentinæ iuuentutis cohortem. Hęc Alamāni Pactij tribuni uexillum ſequebatur, in quo monoceros erat depictus, eo Stephani edicto, ut nemo longam haſtam deferret, ne iter habentibus, & in anguſto pugnaturis, impedimento forent, quòd ſecures, & lato ferro breuiora haſtilia, quæ partiſanæ appellantur, & prægrandes enſes, qui ambabus reguntur manibus, ad cædem faciundam habiliora putaret: nec ſclopetos magno uſui fore arbitraretur, ne à ſtrepitu quod eſſet præcipuè cauendum, hoſtes excitarent. Stephanus, quum nemine hoſtium ſentiente, præterueheretur planæ uallis ſpacium, in Sarræ Columnæ cohortes impetū fecit, quòd propter ueteres ſimultates in Sarram internecino odio deferebatur: tanto autem ſilentio, ut quum ex itinere ad compitum, cui Quinqueuiæ nomen eſt, excubias ſemiſopitas extemplò oppreſſas iugulaſſet, ad Margaritæ Montichiæ templum ædificiaque, ubi Sarranarū cohortium ſtatio erat, peruenerint, adortiq; improuiſo multos trucidarint, ægrè Smaragdo Parmenſe tribuno inexpectatum hoſtium impetū anguſtiore in loco ſuſtinente. Is Sarræ tum fortè ægri & abſentis uices gerebat, atque opem magnis clamoribus à proximo quoque præſidio petere, & ſuos magnoperè perturbatos conglobare contendebat. Accidit autem magno caſu, ut irrumpētibus per ædificia Hetruſcis, & multam cędem in obuios per tenebras edentibus, lanij cuiuſdam caſtrenſis ſtabulum reuulſis poſtibus aperiretur, indeque magnus grex ſuum cum ingenti atque horriſono grunnitu proſiliret, tam graui atque inexpectato impetu per crura militum peruadens, ut oppugnantium cateruas perturbaret, & multo grauior pugnantiū atque opem implorantium ſtrepitus augeretur, & ad ipſum Aurantij imperatoris prætorium, & Germanorum caſtra, tanti tumultus terror diſſonus & incertus, cunctis ad arma conclamantibus peruaderet, atque accurrentium undique auxiliorum accenſæ faces, appropinquantisque ipſius Aurantij funalia ſpectarentur, aliquanto hercle maturius, quàm Stephanus crediderat. Nam hoſtes nequaquā ipſius inuadentis impetum, nō antè ſenſuros putabat, quàm duorum tormentorum geminatis bombis teſſera his daretur, qui opportunè, poſt contractum certamen in auerſos & ad Montichiam, ubi erat tumultus properantes erant erupturi: quum ab ipſa ſancti Georgij porta, ubi præparatæ erant Ioannis Taurini cohortes, & à Catelina, Octauiani Segnorelli, Perufina eſſent ſubſidia, quæ erumpendi ſignū expectabāt. Itaque quum ab omnibus partibus ad arma conclamaretur, Stephanus non temerè ueritus, ne ſibi reditus præcideretur, uti antea conſtitutum fuerat, magni cornus cantu receptui cecinit, multis quidem hoſtium interfectis, & nonnullis etiam

etiam equis in reditu captis. Deceptus utiq; ſpacio A temporis, nec parum prępeditus à porcis, nullo accepto incommodo in urbem rediit, non parua tanto auſu collecta apud ciues gratia, quum ad nō inanem uictorię ſpem, ſi pari ſucceſſu primis initijs media reſpōdiſſent, operam longè promptiſsimam ea nocte nauaſſe diceretur. Ab eo nocturnę trepidationis periculo, ſinguli hoſtium duces, iubente Aurantio, nequaquam apertis in locis, ſed nouis munitionibus circūductis, ſe aduerſus nocturnos diutnosque impetus diligentiſsimè conſeſſerunt: ſic ut in poſterum audaciſsimæ gentis uim atq; ſolertiam, minimè contemnendam eſſe declararent. Præerat Emporio Franciſcus Ferruccius Florentinus, nouæ militiæ laudem quærens, quòd Neapolitano bello apud Soderinū proquæſtor fuiſſet: multumq; ideo apud Nigras cohortes uerſatus, reipub. fortem operam, ut inde clarеſceret, præſtare cupiebat. Is Laſtrā oppidum, quod diximus firmo ualidum muro, iuſto tuendum præſidio ratus, quoniam magno uſui obſeſſę urbi ad ſuppetendos commeatus iudicaret, eò cum trecentis militibus tres cēturiones Michaēlem Angelum Paranium, Floriuantium Piſtoriēſem, & Octauianum Bertinorum è togata Gallia, ea ſpe miſit, ut eos cōtinuò perampla tormentarij pulueris copia, & commeatu adiuturum promitteret. Sed centuriones oppidum uacuum temerè ingreſſi, confiſiq; Ferruccij promiſsis, dum ea parant, quæ ad defenſionem opus ſint, hoſtes contra ſe aduenta re cognoſcunt. Aurantius namq; ijſdem de cauſis, quòd id oppidum opportunum hoſti fore prouidebat, expugnandumq; cenſebat, ad id munus Rodoricum Ripaltam cum Hiſpanorum cohortibus è caſtris miſit. Tum uerò centuriones, quos antea dixi, cōſtanti animo Hiſpanos muro ſcalas apponentes multis uulneratis repellunt. Qua re permotus incenſuſq; Ripalta, ab Aurantio poſtulat, ut ſibi tormenta muralia ſubmittātur. Nec ille petenti deeſt, mittunturque cum tormentis muralibus duo milia Germanorū, quorum aduentu murus quatitur atq; perrumpitur, Germaniq; illac intrare contendunt, dum Hiſpani ad inferiorem oppidi partē ſcalis rurſus murum aggrederentur, centuriones deficiente ſulphureo puluere, nulloq; commeatu adiuti à Ferruccio, uti ſperarant, animo perterrentur, nec inttātium hoſtium uim fortiſsimè ſuſtinent, ſic ut abiectis fœdè armis, fruſtraq; ſalutem deprecantes, crudeliſsimè à Germanis trucidarētur: ab Hiſpanis uerò reliqui omnes, qui in inferiore erant oppidi parte, paucis uulneratis, caperentur, & centuriones nō iniqua ſorte in Hiſpanos incidentes, dedentesq; ſe æquo militiæ iure, ab his demū ſe centenis ſingulis aureis redimerent. Dum Laſtra quatereturque capereturq;, iam perditis rebus ſuperuenerūt auxilia. nam Otho Montacutus cum uexillis quatuor peditum è Prato, & Georgius Sanctacrucius, & Amicus Arſula cum equitibus urbe emiſſi per Signinum pontem ſe oſtenderunt: in quos tantus ab hoſte impetus eſt factus, ut equites citata fuga continuò ſe eriperent eodem ponte, & pedites intento curſu euadentes ad Montelupum, nauiculis Arnum tranſire cogerentur. Amiſſa Laſtra, Florentini, quòd uti ſupra diximus, Ramazottus cum ualida mōtanorum agreſtium manu ex Apœnino ſe demiſerat, & Florentiola oppidulo, Scarpariaq; caſtello occupatis, prædatum diuerſas ſuorum manus emittebat, quę ſe in Mugellanum agrum uſque ad Vicum pagum, & illinc dextrorſum ad Barbarinum oppidum effuderant, & eos commeatus, qui inferri obſeſſæ urbi poſſent, intercipiebant: ut tot malis aliqua ex parte obuiam irent, Othoni Montacuto imperant, ut Prato copias educat, & operam det, ut quos nanciſci poſsit ex his agreſtibus opprimat. Secretò etiā monetur, ut Trebiam uillam Mediceæ gentis, quæ eſt

medio ferè itinere inter urbem & Scarpariā, intret, B atq; ibi Mariam Saluiatam cum puero Coſmo filio comprehendat: quòd hæc Iacobi Saluiati eſſet filia, apud pontificē ſumma authoritate uigentis, ideoq; obſes paternę fidei foret: & puer, uti populares dicebant, tyrannico ſanguine progenitus tolleretur. Sed fata, quæ conſentientibus altris puero Etruriæ imperium deſtinabant, & ulla humani conſilij malignitate præuerti non poterant, ab eo facinore Othonem auerterunt, ſiue quòd ſuopte ingenio parcendum puero iudicaret, quòd ſub Ioanne patre nupер ordines duxiſſet: ſiue eam uillam ualido quorūdam ueteranorum, & eius uiciniæ magno agricolarum numero, quos Saluiata ibi aleret, falſo teneri didiciſſet, Trebia nequaquam adita, Otho ſiniſtrorſum deflexit ad Barbarinū, ut ibi nonnullos ex hoſtibus, qui aliquantam pecoris prædam coēgerant, improuiſus opprimeret. facilè itaque euenit, ut eos profligaret, & prędam relinquere cogeret, atq; inde Pratum eſt reuerſus. Sed non multo pòſt Otho in ſpeciem patratę cædis, in quendam ciuem Lutheriį prętoris alumnum reus factus: re uera autem, quòd apud Trebiam, uti iuſſus erat, Saluiatā cum Coſmo filio comprehendere noluiſſet, & illi opportunè ad Scarpariam oppidum refugiſſent, tacitæ pœnę loco captus tortusq; eſt, & inde in tetrum carcerem cōiectus, quòd octouiralis magiſtratus inuidioſum forè proſpiceret, ſi de uiro forti nequaquā euulgatæ ſuſpicionis crimine circumuēto, capitale ſupplicū ſumeretur. Eodem hyemis initio Pyrrhus Stipicianus cum ſuis cohortibus, ad ſoluendam obſidionem Peccioli oppidi, in agrum Piſanum ab Aurantio miſſus, cum Florentinis copijs bis improſperè conflixit. Deſcenderat è Calphurnianis ſaltibus in Etruriam Hercules Rangonus, ab Alfonſo Ateſtino cum ualida equitum & peditum manu miſſus: nam is Herculis ipſius Alfonſi principis filij uices gerebat, quem paulo antè Florentini numerato ſtipendio conduxerāt, eorum militiæ ducem ſummū appellarant. Verūm deterrente Cęſare, in pontificis gratiam, ne filium mitteret Alfonſus, quum adoleſcēs Hercules toto eo belli munere ſubtraheretur, quin copias mitteret, tanquam acceptis iam ſtipendijs Florentinorum ſacramēto addictas, adduci nō potuit. Itaq; Rangonus, Ceccoto Toſingono Florentinorum legato adducente, & ex præſidijs Piſanis augente eius copias, Cæſarem Foroliuienſem, cum ala Aurātianorum cataphractorum Peccioli hybernantem obſederunt, triplicique certamine fatigatum eò planè iam perpulerant, ut diu hoſtium uim ſuſtinere non poſſe appareret: quum aduentu Pyrrhi relicta oppugnatione perterriti, ad Pontaderam ſe ita receperunt, ut poſtridie Pyrrhus excurſione facta magnam maioris pecoris prædam abigeret, & ſequentibus diebus, diſpoſitis inſidijs, Ceccotus atque Rangonus eum ſatis patenti campo adepti, immiſsis cataphractorum turmis, facilè funderent, quanquam Pyrrhus indomito corporis atq; animi uigore aliquandiu fortiſsimè reſtitiſſet. Capti ſunt ex eius cohortium præfecti, quum multi ex eius peditatu, aut cæſi aut uulnerati fuiſſent, ſic tamen, ut non multos poſt dies à Pyrrho, qui apud Caſtellum Florentinum copias inſtaurarat, in eundem agrum redeunte, è uictoribus Hercules cognomēto Braſsichella, Piſani ſanguinis, egregiè fortis, fuſa eius cohorte apud uicum Furculas interficeretur. Secundo uerò prælio (ut diximus) maiore aliquanto accepto incommodo, quum ad Montopolim ſe recipere poſſe credidiſſet, eo euētu profligatus eſt, ut quum Michaël Monopolitanus, qui rurſus oppidanos à Florentinis rebellantes ad fidem redegerat, è cliuo cum armatis decurriſſet: Pyrrhus, qui pertinaciſsimè equeſtri prælio cōtenderat, in præpeditam foſſam præceps propelleretur: unde quū ad ſaluté

nullam sibi opem superesse consiceret, relicto suo, A qui tenaci uoragine hæserat, atq; alieno repentè cõscenso equo, fuga se eripuit: quo casu, Pallota Perusinus, & Bartholomæus Spiriteus, nonnulliq; alij clari nominis præfecti, in potestatẽ Rangoni deuenerunt. Nec multo pòst sub ipsum brumæ exitum, magno luctu occupata est ciuitas, quòd duos inclytę uirtutis duces, uno hostilis tormenti ictu amisisset. Nam quum in horti munitione, quam iuxta cœnobium diui Miniati, ligneis substructionibus erectam fuisse diximus, Marius Vrsinus, & Georgius Sanctacrucius speculabundi prospectarent, è Giramõte emissa colubrina, quæ lateritiam columnam perfregerat, interfecti sunt: quorum mortem eo lugubrius luxit populus, quòd eodem ictu accumulatis funeribus interijsset Auerranus Petrinius, Etruscæ iuuentutis fortissimus. Exeunte anno, qui erat trigesimus à partu Virginis supra mille & quingentos, Carduccius dictatura se abdicat, quòd is honos promulgata lege prorogari non poterat, & successori calend. Ianuarijs esset ineundus: scilicet ut tanta dignitas latius dispẽsata, propositaq; ex æquo à pluribus peteretur. Suffectus ei est Raphaël Hieronymus, quem è legatione Cęsaris redeuntem eleuatis hostium uiribus, senatum in pristina spe tuendæ libertatis, sustinendiq; belli prolixè confirmasse diximus. Hic non singulari tantum populariũ studio adiutus est, sed mirifica etiam optimatium suffragatione, & præclaro assensu eorum ciuium, qui Mediceo nomini addicti, honestam pacem potius, quàm asperum & difficile bellum probarẽt. Existimabãt enim pleriq; ciues Raphaëlem nequaquã tantæ duricie acerbitateq; qua dudum Carduccius se totum à cogitatione pacis subduxisset, magistratum gesturum: quòd multis affinitatum necessitudinibus patritio ordini coniunctus, publicum bonum populare factioni præferre uelle crederetur. Sed eum B usq; adeò noua summæ potestatis insignia spe clarioris famæ inflauerant, deprauarantq; eius animũ quorundam amicorum malignæ cohortationes, ut facilè omnium rerum, quæ publicam salutem respicerent, obliuisceretur. Multa nam q; in ea republica, quę tota popularis euaserat, rapidè & inconsultè fiebant, quæ sæuitiæ labes præcipuè apud fabidos & turbidos eius factionis, tanquam necessaria probabatur. nã capitale erat obloquẽtibus de eo reipub. statu, aut quoquo modo complectendæ pacis mentionem inducẽtibus: siquidem uel leuissima suspicione rei maiestatis facti festinato supplicio plectebantur. In his fuere Laurentius Soderinus, quòd literas accepisset à Baucio Valorio, qui in castris pro legato apud Aurantium pontifici operam præstabat. Iniecto siquidem laqueo, è fenestra latronum more præcipitatus est: & Ficinus Marsilij clarissimi philosophi nepos, quòd Cosmum Medicem, à quo urbs admirandis ædificijs templisq; præcipuè esset adornata, iustum patris patriæ titulum meruisse dixisset, abscisis à carnifice ceruicib⁹, intẽpestiui proloquij pœnas dedit. Carolus quoq; Cocchus, quòd in corona dixisset æquum esse, ut in libera ciuitate cuncta belli & pacis consilia, per omnes ciuium ordines dispensarentur, ut uno consensu ciuitatẽ libera & libertatis iura tuentem sentirent & agnoscerent: intempestiuę sententiæ, quanquã non iniquę, capitali supplicio pœnam subijt. sic ut nec cucullato Frãciscani ordinis, cui Rigogolo cognomẽ fuit, pepercerint, quòd pontificem allocutus fuisset, impositio maiestatis crimine, quasi torméta apud diui Miniati templum collocata, clauis per spiramenta inditis, configere cogitasset, in ipsa cuculla miser sacerdos decollatus est. Quin etiam Antonium Carafullam à uetere insania non insulsum morionẽ, Mediceę domus familiarem, in eum carcerem, qui Stincus appellatur, duci iusserunt, quòd perambulando urbẽ uociferandoq;, comitantibus & arridentibus pueris, decuriones & ædiles, dixisset, nunquam rectè annonam curaturos, nisi Mediceorum instituta ad memoriã præsentemq; usum reuocarent, qui uili precio commeatum omnis generis coëmendum in omnibus foris proponere consueuissent. Sed Carafulla, quum traheretur à lictoribus, subinde dixerat (quòd diuturnæ ei calamitati fuit) Neq; uos apparitores, qui me inuitum perducitis, propterea mihoris precij emptã, quàm sesqui aureo niuei panis heminã comedetis. Nam tum maximè annona creuerat, & magna obsoniorum in urbe penuria esse cœperat: ita ut milites opimi aliàs conuictus cõsuetudinem, ut stipendijs parcerent, ad Etruscam frugalitatem redigere cogerentur. Iam sese aperuerat annus, & uere nouo utrinq; milites segnitiem torpida hyeme cõceptam, ita corporibus atq; animis discutiebant, ut minutis prælijs quotidie certaretur: & Florẽtini nihil intermittebant, quin circa urbem institutas munitiones perficerẽt. Nam sicuti suburbana ædificia, quæ tot seculis condita à singulis portis extendebantur, miserabili cõsilio funditus euerterant, antemurales pro portis aggeres extruebãt, tormentis atq; præfidijs impositis, ne alicunde hostis ex propinquo tormenta subuecturus atq; oppugnaturus sese insinuaret. Tormentorum nam q; omnem apparatum, qui per Apœnini iuga, præaltasq; crepidines asperrimarum uallium aduehebatur, in plana ad Campum munitum oppidulum peruenerant. Huic præsidio erat Petrus Velleius cum septẽ tyronum Hispanorum cohortibus. Is totus apparatus, qui genere magnitudineq;, & numero erat admirabilis, atq; ideo hostibus metuendus, magno fabrorum labore reficiebatur, quo iniquissimo itinere luxatis currib. & perfractis rotis, in præsens usui esse non poterat. Quibus de rebus fiebat, ut Florentini Pratum oppidum ultro desererent, & ad famã tanti tormentorum apparatus, magnus agrestium & nouorum militum numerus ad Cęsariana castra conflueret: spe prædæ siquidem allecti non dubitabant, quin admotis tormẽtis urbs caperetur, & singulari tot gentium obsidẽtium lætitia diriperetur. Ob eandem causam Hispanorũ uexilla septem, quę Cæsarem è Bononia in Germaniam profectionem parantem sequi noluissent, propterea q; iussu irati Cæsaris priuati stipendijs & cum ignominia à Vastio dimissi fuissent, sub Fesulano monte consederant, ita occupatis pulcherrimarum uillarum ædificijs se permuniuerant, ut undiq; prędatum irent, & urbe egredi excurrereq; ausis è superioribus locis insidiarentur, sic ut nemo lignatũ prodire auderet sine certo militari præsidio: ut tum accidit, quum lignatoribus Cruciana porta egressis, quæ tutiorem, quòd esset maximè auersa hostibus, egressum habere uidebatur, cruentæ conserendæ pugnæ occasio præbita est. Ibatur nam q; secundum Arni ripas, & læuorsum in eos cãpos, qui à cœnobio sancti Saluij plana uocãtur, ubi ante ducentos annos Henricum Cæsarem Florẽtinos oppugnantem, castra posuisse memorabant. Exeuntium autem peculiare munus erat succidere passim uirgulta, atq; his fasces conficere, quibus in construendis aggeribus ad continẽdas glebas intermiscendo & coæquando uterẽtur: simulq; iumenta quædam maioris pecoris, quæ ab agricolis in urbem coacta fuerant, in herbidos campos pastum educerent. Secũdum hos binæ ternæq; militum cohortes præsidio ibant, ex militibus, qui ea de causa in urbe certis locis erant collocati, ut extraordinario munere, ubi opus foret, operam nauarent. Eo die id munus obuenit Anguillotto Pisano, & Francisco Bardo Florentino. Pisanus propterea quòd à Roscio, sub quo ordines ducebat, paulo antè è castris, quod nunquam antea acciderat, in urbẽ transfugisset, ipsi Roscio ita erat inuisus, ut Aurãtij iudicio

iudicio turpissimæ necis exitio destinaretur. Fortè A autem exeũtibus porta cohortibus, eius uexillum conspectum notatumq; est à Cæsarianis, ipsoq; principe Roscio, qui trans Arnum è collibus cũcta prospiciebat. Nec mora Roscius Aurantium adit, occasionem opprimendi Anguillotti adesse docet, si Arnum traijciat, & frequenti atq; expedito equitatu uagos hostes patentibus campis adoriatur. Probat consilium Aurantius, accersitoq; Ferdinando Gonzaga, & subsequentibus multis ducibus atq; præfectis, intra tertium lapidem contra Rapazanum pagum, reperto uado traijcit, bipartitò hostes inuadi imperat. Ipse ante alios galeatus patenti strata uia defertur uersus portam, reliqua manus ad dextram latiore flexu concitata hostes circundat. Itaq; præciso ferè in urbem reditu, Anguillottus frustra compositio suorum globo præliatur: equites undiq; consurgunt, peditatumq; eius ferò fugam meditantem consequuntur, prosternunt, lateq; trucidant. Ipse ingenti ictu clauæ ferreæ caput percussus, quum Ferdinando Vitello Neapolitano equitum præfecto se dederet, nec uti agnitus ab eo reciperetur, quòd Vitellus eum ad subeundam perfidię pœnam carnifici tradere infame sibi fore testaretur. Ergo, inquit Anguillottus, patere, ut hoc à te impetrem uiro forti, scilicet ut tua potius quàm carnificis manu concidam: atq; ita uir alio qui strenuus, quodam liberali misericordiæ genere, iugulatus à Vitello occubuit. Eius uerò signifer Cicchus Buteius, qui unà transfugerat, quũ iam deditus & captus esset, manu ipsius irati Roscij per ilia transfossus interijt. In Franciscũ uerò Bardum humanius res gesta est: nam ipse cum sua cohorte penè tota captus, & persoluto redemptionis precio dimissus est, quum milites armis tantum exuerentur. In eo improuisæ equestris procellæ strepitu, Ioãnes Vincius, portæ custodiæ cum sua cohorte præpositus, quòd esset Anguillotto familiaritate coniunctus, opẽ ei ferendã existimauit: desertaq; porta ad Saluiana usque plana progressus est, spectator editæ cædis potius, quàm nõ serus circumuentis & oppressis adiutor: magno quidem salutis suæ periculo, quoniam Malatesta è monte prælij commissi tumultum cernens, grauioremq; impetum inde facturos hostes putãs, cum Zanobio Bartholino ad Crucianam portam aduolarat, quã ubi desertã custodia reperit, magno iræ impetu accensus, inuectusq; in Vincij temeritatem, laqueum parauit, quo rediens Vincius in porta suspenderetur. Sed is quum iam rediret, de aduẽtu Malatestæ atq; eius iracũdia admonitus, opportunè secessit in Sal uianum templũ: consensaq; sacra turri, tamdiu delituit, donec Malatestæ ira deferueret: ignominiæ tamen causa, propter admissum summi periculi facinus, adempta ei est portę custodia. Cęterùm Aurantius Anguillotti & signiferi eius cæde satis expiatũ eius transfugium ratus, nihil se ulterius promouit, atque eodem amnis uado in castra reuertus est. Nec multis inde diebus extra Pratensem portam equestri prælio certatum est, quũ fortè Aurantius & Vastius explorandi loci causa cum ala equitum amnẽ tranassent, apud eum uicum qui Lignarius appellatur. Non enim longè ab eo uado munitio quædam perducebatur ad Germanorũ castra, quæ non multum inde aberãt. Ab ea nanq; parte mœnia latè speculati, tanquam infirmiora expugnationi destinabant: ad eosq; acciti propter eãdem causam Petrus Velleius ipseq; Ludouicus Lotronius, quem in loco Felicis Vitembergi discedẽtis, Cæsar Germanis præfecerat. Hi omnes quum explicatis & discurrentibus turmis è summo portæ propugnaculo extra tormenti ictum prospicerẽtur, atq; ad eam portam Malatesta decurrisset, ipsius iussu Iacobus Bichius Senensis, quem Neapolitano bello inclaruisse diximus, in procurrantes Hispanos repentinus erupit, nobilisq; à solis equitibus pugna edita est. nam sæpius instaurato impetu, cum utrinq; crescẽtibus auxilijs nouæ turmæ pugnam capesserent, adeò acriter dimicatum est, ut unus ante alios Bichius albicante crista conspicuus promptissimè dimicãs, uel ab hostibus impense laudaretur. Eo ardẽtis pugnæ spectaculo ipsos Aurantium & Vastium in certamẽ allectos atq; pertractos ferunt. Sed eum pugna habuit euentum, ut Bichius pressus multitudine incũbentium hostium, maturè nec indecẽter se recipere cogeretur: receptusq; intra portã, quum galeã aperuisset, honestissimis accumulatus laudibus à Mala testa commendaretur. Eo die tanquam ex cõdicto, tormenta quæ erant trans Arnum Oliuetano in podio collocata, & quæ erant in superiore portæ propugnaculo, cessauerunt, ut equitum uirtus lętius & tutius utrinque spectaretur. Sed Bichius non diu ea laude honoreq; lętatus est, quum intra paucos dies præstandæ operæ cupiditate incensus, ab eadẽ pro dijsset porta, uel negãte Malatesta, ut ad eam, quam diximus, è Germanorũ castris ad Arnum usq; perductam munitionem excurreret: scilicet, ut aliqui eo uado commeatum in maiora Aurantij castra deuehentes, subito incursu interciperentur. In eum si quidẽ equo albo uectum, hostes ab Oliuetano aggere falconem direxerunt & contorserunt, cuius pila dextrum ei crus abripuit, perfosso & cadente equo, sic ut semianimem nonnulli equitum in pedes desilientes sublatum intra portam cum multo luctu referrẽt: neq; eo mortuo, quisquam equitum æquè fortem operam postea reipub. præstitisse uisus est. Interim Florentini tot fortissimis intra paucos dies ducib. infeliciter amissis, crescẽtibusq; indies hostium uiribus, ac undiq; desperatis auxilijs grauiter affecti, quòd difficiliora sensim cuncta sibi obuentura prospicerent: ita suspensis animis honestæ pacis nomẽ complectebantur, ut iterum de mittendis legatis mentionem inducerent. Rebantur si quidem ipso Cæsare nondum Bononia profecto, æquã à pontifice pacem se facilè impetraturos: quoniam Clementis animus uel tot exulceratus ipsorũ contumelijs, cohortante Cęsare, non inani Christianæ pietatis uerecundia, & ciuili quodam pudore leniri expugnariq; posse uideretur. Sed ad eam rẽ toties frustra actitatam, quum quisq; grauissimus senator facile recurreret, nemo tamen quid in arcano animi sentiret, in consilio publico atq; ipsa curia liberè proloqui audebat: propterea quòd pleriq; ciues priuato adducti periculo, publicam salutem potius negligendam, quàm odium irritatis popularibus periculosa cum laude parandum iudicarẽt: tanto consensu, ut quum mussarent omnes, libertas ipsa non media in urbe, quę hoc iriani titulo gauderet, sed in senatu maximè quæreretur. Verùm non defuit in repub. honestissimus iuuenis, qui eam animorum consternationem malo publico inter ciues obortam, graui facundia detestaretur, atq; discuteret. Is fuit Philippus Melior, qui probo ore, ut sibi licebat, quòd esset suæ tribus collegij signifer, è suggestu apud senatum frequentissimum in hanc sententiam loquutus est: Sępenumero audiui, ciues optimi, ab his natu maioribus, qui authoritate prudentiæ in hac ciuitate maximè ualuerunt, nihil in ipso imminentis periculi limine pernicio sius esse longa deliberatione, quæ exiguo temporis spacio circumscriptã rectè sentiendi, atq; opportunè agendi facultatem eripiat. Quando quidẽ magno sit usui celeriter explicare & terminare consilia, quum necessitas urget, & in medio discrimine salutis, ultima remedia deposcit. Propterea sicuti præclarè uideo animaduertoq;, extrema nobis consilia incumbũt, uel ob id tractatu atq; explicatu duriora, quòd nullum mox, ubi semel statueris, salubrem habeant receptum, unde afflictis & difficillimis rebus noua

subsidia quęrantur. Alia namq; atq; alia in consulendo disputãdi & decernẽdi ratione uti oportet, quũ occasionum & temporum singula momenta sapiẽtes facilè respiciant. Nam sicuti initia suscipiendarum & gerendarum rerum prolixè disserendo, maturè apteq; expendere, & media astrictius persinire decet: ita demum ultima expeditis sententijs claudere, nec ullam, quum maturè facto opus sit, aggrediendę rei occasionem elabi sinere saluberrimũ existimatur. Disputatur hodie diuerso consultantium studio, num è repub. uideri posit, si in hoc asperrimarum rerum statu positi, legationem ad pontificẽ decernatis: qua, si optare licet, non iniqua conditione ea petatur pax, quam ab initio Cęsar negarit, nisi in eam pontifex consentiret. Primum omnium nõ uideo, cur decernere mittereque legatos insalubre sit, uel quod ad dignitatem pertineat, parum decorum: quãdo quidem nihil melius, nihilq; honestius esse posit huic ciuitati, quã animos sicuti bello inuictos, ita à communi concordia non abhorrentes ostendisse. Optandum enim est, ut hi qui nos peruicaces potius quàm fortes, importunæq; insaniæ uela inflantes appellant, non semper obstinatè pertinaces & imprudentes existiment, qui à bellicosissimis gentium propè omniũ copijs diu obsessi, pressiq; his malis, quæ diuturnum affert bellum, sęua armorum pati incommoda, quàm de concordia cogitare malimus. Nam præterquam quòd mittere legatos, & de concordia æquis conditionibus agere minimè pudendum est, quum ad supremæ fortunę potentiæq; principes mittantur: etiam nobis non erit inutile, cùm pontificis, tum Cęsaris intimos sensus pertentasse, & quod plerunq; frequẽtibus colloquijs euenit, ad abdita eorum consilia exploratius penetrasse: quãdoquidem de compositione æquis cõditionibus agẽdo, nihil de nostro iure depereat, quum nullam omnino pacem ab his simus acceptu- B ri, nisi ea tuta honestaq; sit, & integra libertatis iura disertissimè nobis reseruet. Hoc enim legati, qui non sint grauissimarum rerum imperiti, sed fideles probiq; senatores, sicuti uos diligẽtissimè lecturos arbitramur, ante omnia cauebunt. Neq; putarim, nisi me studium & amor erga patriam fallunt, Clemẽtem tam auersum à patriæ pietate, Christianisq; legibus fore, ut quũ iam ægerrimè tot sumptuũ pondera sustineat, nihil nobis de iracundia sua uetere tristiq; seueritate remittere nolit. Quòd si ille etiam atq; etiam obduret, nec Cęsar ipse, quum in Germaniam cogitet, procliui ad concordiam ingenio, sicuti suspicari licet, hoc bello se explicare uelit, nec proinde ad pacem inclinet: nos certè hoc supremo legationis officio dignitati famæq; nostræ satisfecerimus, atq; eò alacriter & fortiter, quò nostra pietas & fortuna urbis ducat, ire contendemus: sic tamen, ut extremos belli casus ultro minimè subeũdos existimem, si pius erga patriam, nec omnino insanus ciuis esse uelim. Nihil enim magis miserum & calamitosum nobis esse potest, quàm quorundam consilium, qui nefaria crudelitate potius Saguntinorũ & Campanorum exemplo, quum saluti suæ impiè diffidant, unà secum uniuersam ciuitatẽ miserabili exitu interire, quàm quoquo modo incolumẽ seruare percupiunt. Secus aliquãdo auorum nostrorum memoria Vbertus Farinata, uel hoc uno tantum generoso animi decreto ciuis æternis laudibus attollẽdus, qui uinci exilioq; mulctari, quàm ad excidiũ florentissimæ patriæ cum factiosis nefarijsq; ciuibus conspirare maluerit. Perorante Philippo, non dubitauere patres, quòd eius oratio tanquam à moderato, nec harum uel illarum partiũ ciue, profecta uidebatur, quin legatos omnino mittendos decernerent. Sed ea præpedientium malignitas fuit, ut non hi, quos negocij magnitudo flagitabat, sed leuissimæ alioqui authoritatis, uerùm egregiè popu-

A lares homines legerentur. Hi fuere Aloysius Soderinus, qui nihil usqueadeò graui negocio dignũ ab usu rerũ præter familiæ nomen præferebat: & Andreolus Nicolinus, assiduus & diligens potius mercator, quàm senator: atq; item Robertus Boncius, quem iampridem Thomæ Soderini soceri propinquitas quo minus enixè concordiæ studeret, maximè suspectum faciebat. Hos, ubi Bononiam peruenerunt, pontifex, quòd nec satis dignitatis, nec satis industriæ sinceræq; uoluntatis & fidei in his cõspiceretur, adeò contempsit, ut effuse rideret, quòd ad se pro eximijs senatoribus mercatores, nec primæ quidẽ classis è Florentia misissent. Atq; ita Clemẽs, annuente etiam Cæsare, mercatorum imperitiã in maximarũ rerum consilio periculoq;, stomachatus, sic pertinaciam insaniæ proximã exprobraret, ut inde non obscurè explosi dimitterentur. Vbi uerò domum sunt reuersi, quòd nihil omnino pepigissent, tanquam patriæ dignitatis egregiè memores atq; constantes, ab ipsa factiosorum multitudine laudati celebratiq; sunt, gemẽtibus bonis ciuibus, qui desperata cõcordia, nullum nisi maximè funestum belli atq; obsidionis exitum expectabant. Nec multos post dies, ab insigni generosoq; certamine, Florentinorũ quatuor iuuenum inexpectatæ celebritatis spectaculũ est editum: quum Ludouicus Martellius inter ciues nobilitate insignis, ac corporis & animi uigore florentissimus, Ioannem Bandinũ pari uirium ac ingenij robore præstantem, quòd in castris apud hostes esset, ex prouocatorio libello, hostem cõmunis patriæ cõpellasset, proptereaq; eum ad singulare certamen deuocasset in arenam, ut ibi Marte iudice, uter ipsorum honestiorẽ causam tueretur, ostenderet. Conditionem non abnuit Bandinus, dixitq; ei, si Martellius sibi asciseret in eam dimicationẽ socium, ei se parem ijsdẽ instructũ armis, B in stadium producturũ: atq; ita Martellius Dantem Castellionũ præferocem ex tota iuuentute uirum delegit, cui à Bandino oppositus est Albertinus Aldobrandus, uixdũ pubescens, immoderati spiritus iuuenis. Aurantius iuxta castra locum eis sub publica fide funibus circumseptũ, triumq; gentium præsidio uallatũ, certantibus prębuit, quum pari numero è Germanis, Hispanisq; & Italis delectæ cohortes, pugnantes simul & spectantes ab omni iniuria defenderent. Arma fuere singulis singuli militares gladij: neq; aliud tegumentum, præter unam in dextris ex lorica ferrea chirothecam. Dantes, cui forte ducta, par Aldobrandus obuenerat, quãquam circa brachij dextri neruos, primo cõgressu graue uulnus accepisset, hostem in se insano procursu ruẽtem, ea impauidi animi firmitate sustinuit, ut ambabus manibus gladium prætendens, in os incumbentis inferere, eumq; euomentem cum sanguine animam extẽplò cõficeret. Contrario euentu pugnabat Bandinus. nam alternante fortuna, Martellio supra oculum uulnus infixerat, admirabiliq; iudicio & gladiatoriæ artis peritia, hostem eludens, adacto supra costas gladij mucrone, uictum & deditũ fateri coëgerat. Sed Martelliũ relatum intra urbem, usq; adeò grauis ex aduersa forte certaminis occupauit dolor, ut angore potius animi, quàm uulnerũ dolore, mortem accersisse crederetur. Id certamẽ, sicuti eximiam uirilis constantiæ laudem Bandino peperit, ita Dãti par ferè decus attulisse uidebat: quanquam ille detractis spolijs, planeq; integer & omnis expers uulneris, gloriosus uictoriæ suæ trophæũ pręferret: & spectatores præclarum totius belli omen acciperent, quòd uictis pariter atq; uictoribus non omnino lætum finem futurũ arbitrarentur. Ab hoc alternæ cædis singulari certamine, Florẽtini uarios in coronis serere sermones, accendit tamẽ ferè omnes ad sustinendũ gerendumq; bellum, tanta obloquendi libertate, ut non milites modò, sed ducem

quoq;

quoq; ipsum Malatestã nimis longæ atq; importunæ cessationis conuicio perstringerent. Non enim mœnia uigilanter tantũ defendenda uideri, sed audacibus cõsilijs erumpendo lacessendoq;, aliquam retundendi hostis, in spem uniuersæ uictorię, occasionem aperiendam esse dictitabãt. Proinde ad existimationem cùm externi præsidij, tum urbanę militiæ tuendam, omnino conandum esse aliquid ualida eruptione, ne militũ torpescant manus, studiaq; populi languescãt, & hostes cum uiris longè fortissimis æquissimæ causę nomen tuentibus perpetuò se dimicaturos intelligant. His sermonibus nõ obscurè offendebãtur militũ animi, uniuersum totius suæ rei censum ad unum decus bellicum referre soliti. Sed multo magis hæc euulgata, intemperanter Malatestæ nomẽ lædebãt: ita ut nõ omnino deuoranda existimaret, palamq; diceret, nequaquã ea ratione, quã imperitus populus censeret, sed ea qua probus nec incautus imperator uteretur, urbis salutem defendendã; atq; ita uociferando intẽpestiuas populi uoces redargueret. Sed idem decurionũ reliquorumq; magistratuũ erat sensus, pręcipuaq; omniũ experiendarũ uiriũ uoluntas: quã, quũ dux prudens frustra improbando dãnandoq; diutius sustinere non posset, postulãtibus militibus, ut id imperari pateretur, eruptione certare constituit seuerè proloquutus: ad id se inuitum trahi, quando hostiũ munitiones non modò non expugnari, sed nec sine maximo detrimento tentari posse testaretur. Existimabat Malatesta nequaquã absurdis rationibus impetum ad castra Hispanorũ esse faciundũ, ut acerrimæ & pugnacissimæ gentis uim experiretur, opinionemq; de eorũ uirtute latè conceptã, aliquo illato detrimento, apud Italicos milites eleuaret: quod accidere posse rebatur, si tribus uno tẽpore prælijs trina eruptione facta, eos munitione loci cõfisos & nihil tale timentes adoriretur. Neq; enim antea Hi- B spani superioribus prælijs ad Giramontẽ factis, sese immiscuerãt, nisi per extraordinarios excurrẽtium manipulos, quoniã diuersissima in parte essent constituti, porta namq; diui Georgij, quæ est in excelso collis supercilio, iuxta editissimũ aggerẽ, quẽ Amicus Venafranus suarũ cohortiũ peculiari præsidio tuebatur, Hispani longo tractu occupatis uillarũ ędificijs, usq; ad Oliuetani cœnobij montẽ extendebantur, despiciebãtq; urbem è perpetuo colle, eoq; præsertim, cui Scopeto nomẽ est, & diui Donati tẽplum habet, adeò Catelinę portæ ex propinquo imminentes, ut muri corona colli subiecta, non plus q̃ ad teli iactum distet, sic ut perpetuis munitionibus obsessa Romana uia à Catelina porta, & Pisana itẽ uia, quæ initiũ habet ab ipsa Fridiana, quæ occidentalis est, cũcta cõplecterentur: ipsis porrò Hispanis in tergo ad meridiẽ Germanorũ castra apud Aurantij prætoriũ essent, & Italicæ cohortes ad diuersissimam ab oriente diui Nicolai portam iuxta Arnum perpetuis custodijs obtinerẽt. Cæterùm Venafranus, qui à suo latere Hispanos aggredi distinereq; iubebatur, imposito muneri adesse non potuit, quũ forte eo die à Stephano Columna, propter contemptum superbis uerbis sui nominis decus infra Miniati templũ fuisset interfectus. Neq; enim signifero sui pręfecti inopinata cæde perterrito, is animus fuit inuadendi hostis, qui in Venafrano excellens proculdubio, & maximè efficax futurus sperabat. Sed Malatesta nihil eo casu permotus, Catelina porta Octauianũ Signorellũ inter Perusinos pręfectos, nobilitate uirtuteq; facilè principẽ, erũpere iubet. Hunc cõsequebãtur pugnacissimi minores duces, Binus Mãcinus, Blasius Stella, Raphaël Orbetanus, Prosper Cornea, Marguthes Piccininius, Caccia Altouitus, Hadrianus Cauda, & Paulus Corsus: qui intrepidè strata uia, inter procellam glandiũ dextrorsus euadentes, in collẽ cum Hispanis terribile maxi-

A meq; funestũ certamẽ contraxerunt: eodemq; puncto temporis à Fridiana porta erupere cum suis cohortibus, Bartholomęus Montanus, & Rodulphus Asisius, qui in læuam flexi ab Oliuetano monte cũ Hispanis, à tergo sese ostendentes, ingenti ausu impresioneq;, nouam inire pugnam, sic ut Hispani & in frõte sustinere hostẽ, & in tergo ancipiti periculo dimicare cogerentur. Sed his magno fuit præsidio, Baracanis Cantabri mira cõstantia, qui eo die solertissimi ducis, & fortissimi militis munia implebat. Itaq; coëuntibus ad uexilla undiq; Hispanis, & sclopetis egregriè rem gerẽtibus, aduersariorũ impetũ constantissimè sustinebãt. Ad eum ardentis prælij tumultũ excitus imperator Aurãtius, proximas Italicorũ cohortes Andreæ Castalij laborantibus Hispanis subsidio mittit, tormẽta produci displodiq; in hostes iubet, & Germanicã phalangẽ in ipsa Romanæ uiæ latiore area cõstituit. Ferdinãdus quoq; Gonzaga leuis armaturæ equites inter Marignolæ pagi campos & Scopetũ mõtem inducit, ita ut amplissimi iustiq; prælij apparatus, & à castris, & ab urbe cõspiceretur. Nec Malatesta, quanquam infirmo atq; imbecillo corpore, animo tamen aduersus pericula indomito, & egregiè prouido, laborantib. suis deerat, quum opportunè fessos & sauciatos reciperet, & nouis atq; integris cohortibus pugnã sæpius instauraret: quãdo nulla ex parte Etrusci uel in summa locorũ iniquitate, quicquã Hispanis de uirtute concederẽt, donec Baracanes glãde traiectus occubuit. Nam tum Etrusci ueluti redintegrata uictoriæ spe ardentius incubuerunt: sic tamen, ut pari propè uirtute Rodericus Ripalta, Maccicaus, & Buccanigra mirificè resistentes, Etruscos sustinerẽt, & mox, accedẽtibus Neapolitanis Castalij uexillis, loco pellerent, & per deiectus montis summotos urgendo deturbarent. Quibus suorũ atq; hostiũ casibus ani- B maduersis Malatesta, quòd multi cecidissent, plurimiq; essent uulnerati, receptui cecinit: atq; ita nihil iam tormentorũ muraliũ metu, persequentibus Hispanis, prælium diremptum, quo nullum eo bello cruentius editũ fuisse constat. Namq; utrinq; quingenti fermè milites ex fortissimorũ numero desiderati sunt, multi porrò uulnerati mortiferis glandibus. Ante alios autẽ Octauianus Signorellus, quũ se recepisset ad portam, & fessus longo pręlio equũ cõscendere uellet, crassiore ictus glande occubuit: & secũdum eũ medio in certamine interfecti sunt, Fantaccius Corsus, & Giubbonarius Ferrariẽsis eximiæ fortitudinis cohortiũ præfecti, atq; item Ludouicus Machiauellus, Nicolai Florentinæ historię scriptoris filius, quum cohortis signum gestaret, Petrusq; Pactius eximię nobilitatis ciuis: septẽ quoq; clari nominis cẽturiones grauiter uulnerati discesserũt. Apud Hispanos autẽ, præter Baracanẽ ipsum, Cencius Neapolitanus Castalię cohortis pręfectus, dum laborantibus suis opem ferret, interfectus est: multi autẽ, & in his duo signiferi mortiferis uulneribus affecti sunt. Malatesta in urbem rediens, Octauiani mortẽ, & totum eius cruentæ pugnę detrimẽtum, eo animo uultuq; ferebat, ut renidenti fronte obuios interrogaret, An cupiditati ipsorũ incõsultè pugnã poscentiũ, planè satisfactũ putarẽt: postquã quantũ posset loci iniquitas, & quantum ueterani externiq; militis dextræ ualerent, facto periculo didicissent. Tantũ uerò abfuit, ut hoc irrito aduersoq; prorsus eruptionis conatu, uel ciuium uel militum animi perculsi aut imminuti sint, ut cõstans opinio uulgaretur, Etruscos, qui pręstantissimis animis eruperant, excellentiq; uirtute dimicarant, aut insignem uictoriam relaturos, aut singulare detrimentum non Hispanis modò, sed reliquis etiã hostibus illaturos fuisse, si ab altera parte sicuti fuerat constitutum, Venefranæ cohortes erũpendo, parem operam præstitissent, nec subeũtium è reliquis duabus

portis acerrimum initio que felicem ascensum, una
potius locorum iniquitas, quàm hostiũ uirtus, im-
portunè retardasset. Quo animorum habitu fiebat,
ut ciues neq; præclarius studium ostendendæ uir-
tutis in præsidiario milite requirerent, neq; in Ma-
latesta efficacioris animi atq; operæ officia desi-
derarent: quando illis, qui pro dignitate Etrusci nomi
nis dimicando ceciderant, decreto publico iustus
exequiarum honos haberetur: & dux amplissimis
honestaretur laudibus, uel ob id præsertim, quòd
certissima ratione usus, ea quæ parum secundè eue
nerant, rectè prouidendo præsensisset. His de causis,
quòd instantia ad certum diem stipendia, nisi ingra
tè uiris fortibus, & de repub. benemeritis protrahi
nequirent, dictator ab inopia ærarij, & quòd iam
esculentarum rerum grauis penuria sentiretur, per-
turbata mente, ad id decretũ, quod antea à Carduc-
cio inductum fuisse diximus, descendit quo è fanis
cunctis donaria tolli atq; diuendi iubebantur: inter
quæ, præter auream crucem prægrãdibus gemmis
ornatam, quæ erat in delubro diui Ioannis, etiã fuit
mitra illa insignis preciosissimis redimita gemmis,
à Leone põtifice pari liberalitate templi maximi al
taribus dicata. Sed nemo ferè reperiebatur, qui ea
ornamenta profanis manibus attrectare uellet: &
Bernardus Baldinus gemmarũ æstimator peritissi-
mus, id officium se præstare posse pernegaret, nisi
alienis manibus, detractæ gemmæ ipsi æstimaturo
proferrentur. Sed in mora non fuit Leonardus Bar
tholinus, ad id à Raphaële missus, qui sacrarij arma
ria, sublatis auidè donarijs, uel inhorrescente tre-
mentq; ædituo perfregit. Per eos dies magna de-
cemuiros incessit cura de retinẽdis defendendisq;
ab hoste Volaterris. nam eius ciuitatis animos alio
qui fideles, suspectos habere cœperant, quòd princi
pes ciuitatis, inter quos eminebant è Mafea fami-
lia Mediceo nomini addicti, Marius uir sacratus, &
Paulus eruditæ elegantiæ studiosi homines, solici-
tarentur ad defectionem ab Alfonso Picolomineo
Amalphitano regulo, qui Senis educta equitum &
peditum manu, post redacta in deditionem Cæsaria
norum Florentinæ ditionis oppida, ipsumq; in pri-
mis Collem & Sanctogeminianum, in Volaterranũ
etiam agrum excurrebat, ut direptione iacturaq; re
rum suarum permoti ciues, à Florentinis ad ponti-
ficem rebellarent. Quo tempore Couonus Floren-
tinus prætor, Sanctogeminiano à Cæsarianis pul-
sus, cum præsidio quatuor cohortium Volaterras se
recepit, ut fidelium confirmaret animos, & mutan-
tes in fide à consilio defectionis præsenti manu de-
terreret. Consederat extra urbem in suburbanis te-
ctis. Dum uerò de confirmanda ciuitate multis allo
quutionibus ageret, furto quodam, dum se recensu
rum copias simulat, in urbem irrepsit, continuoque
ascendit in aream curiæ, ubi decuriones aduocatis
in consilium primarijs ciuibus de repub. consulta-
bant. Primo impetu Couonus Volaterranæ iuuen
tutis cohortem, quæ in area stationem habebat, ho
stili facta inuasione deturbat. Exindeipsos decurio
nes occupata curia obsidet, eamq; in potestatem re
digit. Id insolens factum non tulere Volaterrani, &
ut sunt militari ingenio ferè omnes, stirpe ducta à
uetere Romanorum colonia, qui Sylanarum partiũ
fuerint, extemplò arma capiunt, fenestras saxis one
rari iubent, aditusq; uiarũ interseptis trabibus præ-
cludũt, magnaq; armata multitudine Couonianos
in curiam confugere cogunt. Eo armorum strepitu
Couonus perterritus, certis conditionibus pacem
impetrat. Hæ fuerunt, ut cohortes dimitteret extra
urbem. Paret Couonus, extemploq; Gorium Mon
tebenicium, atque item Paulum Corsum cum suis
cohortibus urbe egredi iubet: reliquas duas, Tin-
cto Battifolio, & Hercule Pisano ducibus, paulo
post ciues adeò infensis uultibus urbe extrudũt, ut

A signiferi inuolutis uexillis, & milites hastas inuer-
sa cuspide uerrentes solum traherent, quod ignomi
niosum militiæ habetur. Cæterùm Volaterrani, uti
planè castigata Couoni arrogantia, Florentiam per
scribunt, exculantes urbanum tumultum nequa-
quam ipsorum culpa, sed malignitate Couoni exci-
tatum: prolixè pollicentes se in uetere fide perman-
suros, si in Couoni locum improbè prætoria pote-
state abutentis, alium honestum atque æquum ciu-
em summitterent. Itaque decemuiri non mediо-
criter Couoni insolentiæ succensentes, ei Bartholũ
Tedaldum sufficiunt. Hic Pisis profectus, adduxit
quatuor peditum centurias, quibus præerant Fran-
ciscus Brocca Corsus, & Alexander Monaldus, &
Mugellanus cognomento Fortuna: atque item ga-
leatorum equitum alam, duce Amico Arsula Roma
no. Aduentantem Tedaldum Volaterrani egressi
honoris causa alacriter susceperunt, atq; eum cum
paucis ea conditione introduxerunt, ut cohortes at
que alarios equites apud suburbana tecta relinque
ret. Eo fortè die Pyrrhus Stipicianus ad Cecinam
usque amnem aduenit, & cum expedita equitum
& peditum manu prædatus agrum, magnum nume
rum maioris pecoris abegit. Quo tumultu ad urbẽ
perlato, Volaterrani, ut prædam hosti eripiant, e-
rumpunt, & secundũ eos eodem itinere pertendit
Arsula. Committitur leue prælium cum Pyrrhi sclo
petarijs, quos ille cum præda antecedens ad indu-
stria in insidijs collocarat. Sed Arsula maiores insi-
dias ueritus, insequendi finem fecit, triduoque pòst
cum suo equitatu, & dimidia parte peditum discesʃ
sit, Couonum semicaptiuum ad dicendam causam
ad decemuiros perducẽs, Empolim primò, & mox
Florentiam est reuersus. Sub id tempus Alexander
Vitellius in Volaterranum agrum hostiles incursio
nes fecit, sanctique Dalmatij oppidum, & Villam
B magnam, ac nonnulla alia suburbana oppida manu
cepit, atque diripuit: perpetuisque illatis detrimen
tis, quum etiam incendijs grassaretur, eò Volater-
ranos compulit, ut amicè secum in spem futuræ de
ditionis paciscerentur. nam ad eum è ciuitate lega-
ti missi, Villam magnam peruenerant. Quibus co-
gnitis rebus, Tedaldus, quũ suspicaretur ciues gra-
ui rerum suarum detrimento compulsos, ad hostes
omnino defecturos, cum reliquis militibus suis, in
colisque cunctis Florentini nominis, in arcem fere
cepit: moxque tormentis maioribus urbem quate-
re cœpit, infestiore aliquanto atque acerbiore ani-
mo in perniciem ciuitatis quàm paulo antea Couo-
nus, concepti odij iracundiam effundẽs. Propterea
ciues frequentibus circa tecta affecti incommodis,
& contumeliæ indignitate permoti, Baptistam &
Carolum Borghesios fratres, Senenses patritios sti
pendio conducunt, arcem obsidere, & circumual-
lare instituũt: accipitur etiam ipse Vitellius, qui pe-
ritè doceat, quibus operibus eruptionibus hostium
resisti possit. Eo autem postea discedente, Volater-
rani prætorio nomine potestateque Thadeum Gui
ducium, Mediceæ factionis probum ciuem, in lo-
cum Roberti Acciaioli suscipiunt. Exinde Volater-
rani, Tedaldo nihil iracundiam suam remittente,
sed asperrimè tormentis domos perrumpente, ad
Clementem legatos decernunt, qui Bononiam per
tendant, & ab eo maiora tormenta, quibus arcem
euertere possint, expostulent, obtineantque obi-
ter à pontifice honestissimas deditionis conditio-
nes. Nec multo pòst curauit pontifex, ut quinque
muralia tormenta nauigio è Genua aduada Vola-
terrana deueherẽtur. Dum hæc Volaterris, tam stul
ta Bartholi arrogantia, quàm peracri ciuium pertи-
nacia gererentur, Ferruccius, qui Empolitano præ-
sidio præerat, de Volaterranis rebus magnopere so
licitus esse cœpit, quòd eò à ciuibus accersitum Vi-
tellium, & arcem circumuallatã cognouisset: quan-
quam

quam Vitellius postea in urbe minimè permanse- A
rat, quum de alendo persoluendoque præsidio cum
ciuibus sumptui facilè parcentibus nequaquã con-
uenire potuisset: ideoque esset ad occupandum Pi-
storium profectus, quò itidem à ciuibus Pancia-
ticæ factionis aduersus Cancellarios Guelpho no-
mini impense fauentes, fuerat uocatus. Propterea
Ferruccius decẽuiris perscribebat, Volaterranæ rei
tumultum minimè negligendum uideri, quòd iam
planè ciues ad Pontificem rebellassent: proinde si
ipsis è repub. fore uideatur, cum ualida atq; expedi
ta manu eò se aduolaturum, atq; ea initia defectio-
nis celeriter oppressurum. Id uerò se præstare non
posse, nisi successor nouo cum præsidio sibi è Floren
tia summitteretur. Re ad cõsilium delata, quòd ma
gno ad uniuersi belli uictoriam momento sibi futu
rum credebant, si Volaterras urbẽ natura munitissi
mam omnino recuperandam censerent, continuò
utendum Ferruccij uiri strenui atq; peracris opera,
eiq; præsidium mittendum decernunt. In id decre-
tum ualde proclinatũ dictatorẽ fuisse apparuit, uel
priuata de causa, quòd duas filias, quarũ alterã Bar-
do Altouito, alteram Vincentio Thadeo nuptui de-
derat, in Volaterranã arcem ab initio belli, tanquã
procul ab armorum strepitu futuras, confugere ius-
sisset. Putabat etiam sui priuati decoris, & publicæ
dignitatis fore, si arcem obsidione liberandam sta-
ueret. Mittitur itaque Ferruccio successor, Andreas
Iunius popularis factionis ciuis: & cum quinis ue-
xillis unà eunt Nicolaus Strozza, Speronus Borgẽ-
sis, Nicolaus Saxoferratus, Ioannes Scuccula, & Ba-
lordus, strenui cohortium præfecti. Hi magno silen
tio & perobscura nocte urbe egressi, elapsique per
medias hostium stationes, quũ diu errassent, quòd
militaris uia uitaretur, nec facilè per inuios calles &
inculta loca expeditum iter haberent, sub auroram
ab hostibus conspecti sunt. Ad quos persequendos B
Ferdinandus Gonzaga equitatũ eduxit, persequu-
tusq; per aspera obsitaq; uirgultis & uepribus loca:
aliquot eorum ad Pesæ amnis uadum interfecit, &
in his Nicolaum Saxoferratum, dum agminis terga
constantissimè tueretur. Ac nisi densata acie se pro-
ripientes, & sclopetis arcentes equitatũ, fessi longo
itinere ad uillam turritam, quam Frescobaldiam uo
cant, se contulissent, proculdubio ab equitatu ad u-
num omnes deleri potuisse constabat: quanquã ea
uis equitatus multa inde, non equorum modò, sed
uirorum uulnera, à sclopetarijs retulisset. Nam Fer-
dinandi ipsius & Roscij à sancto Secundo reguli, e-
qui nobiles uulnerati sunt, & Nicolaus Crisia Epi-
rotarum præfectus, cui Capiti nigro cognomen e-
rat, fuit interfectus. Quum ad Frescobaldiam equi-
tes persequendi finem fecissent, Hetrusci cum singu
lari Strozzæ ducis laude, toro eo liberati periculo,
nemine postea lacessente, Empolim ad Ferruccium
peruenerunt. Nec multo pòst, Ferruccius Iunio suc-
cessori oppidi custodia obnixè commendata, relic-
toq; ibi cum aliquot cohortibus Petro Orlãdino,
Tincto Battifolio, & Vrbeco Casentinate ueteranis
peditũ præfectis, Volaterras iter intendit, adducẽs
secum bellicosos delectarũ cohortium duces, qua-
rum signa paulo minus duorũ milium peditũ sum-
mam continebant: equitũ uerò præfectos, Amicum
in primis Arsulam, & secundũ eum, Gerardũ Ghe-
rardeschæ comitem Pisani sanguinis, & Musaccinũ
Epiroticæ stirpis, quorum omnium ex turmis du-
centi amplius galeati equites recensebantur. At Vo
laterrani, qui hostis Ferruccij aduentum nequaquã
maturè præsenserant, ubi signa eius conspexerunt,
leui cõmissa pugna cedentes, eo consilio confestim
in urbem se recepere, ut postquã imparati uiribus
instructa acie aduenientẽ ascensu prohibere nõ po-
terant, munitiones saltem institutas impositis cu-
stodijs defenderent. Ferruccius itaq; præmissis e-

quitibus ad arcem ascendit, uixq; semihora ad quie A
tem, qua ientarent militibus concessa, quum frustra
per tibicinem decurionibus, nisi extemplò se dede
rent, ferro atq; igne urbem uastaturũ denunciasset,
atque illi tantæ rei decretum ad maius consiliũ refe
rendum responderent, instructis ordinibus per di-
uersas regiones ad expugnandam altiorem muni-
tionẽ descendit: tanto impetu, ut milites, quos lon
gi itineris labore fessos segnius subire prospiciebat,
uulneribus inflictis pugnã capessere cogeret, & tan
ta contentione ad munitiones utrinq; pugnaretur,
ut neq; acrius Ferrucciani, neq; constantius Borghe
sij cohortes admixtæ ciuibus dimicare posse cense
rentur. Nulla alia res magis Ferruccium perpulit, ut
non plenè recreato milite subita eruptione pugna-
ret, quàm inopia commeatus, & uenturi Volaterra-
nis auxilij metus. Protractum est certamen ad me-
diam ferè noctem adeò uarium, atrox & cruentum,
ut quum Ferruccius ædificia propinquiora arci con
iectis facibus incendi iussisset, mulierum ululatu,
& pugnantium clamore, horrisonum atq; terribile
redderẽtur. Sed Ferruccius rem obtinuit, potitusq;
summa urbis parte, & expugnatis munitionibus,
diui etiam Augustini templũ occupauit, in quo hо-
stes sclopetis rem gerẽtes ex occulto multos inter-
fecerant, eo euentu, ut nonnullos ciues, & in his cir
citer quatuordecim milites Hispanos, qui sub Borg-
hesij uexillis militabant, caperet, atq; inusitata cru
delitate in tetrum carcerem coniectos enecaret fa-
me, & demum ad ignominiam gentis eo modo ene
ctos laqueis ad pinnas arcis suspenderet, quòd se
ab ea gente Neapoli captum atq; inhumaniter cru-
ciatum fuisse prædicaret. Desiderati sunt eo prælio
ex utraq; parte æquato ferè numero circiter trecen
ti, uulnerati autẽ multo plures: & quod longè gra-
uissimum fuit, amissa sunt ea tormenta, quæ è ua-
B dis pridie in urbem ad expugnandam arcem fuerat
aduecta. Sequenti die Volaterrani, quarta ferè urbis
parte etiam tum ardẽte, uti nusquam restinctis, sed
annexa quæq; populantibus incendijs, & multa ite
suorum cede terræfacti, ac desperatis auxilijs, impe
trata salute incolumitateq; rerum, ad fidem pristinã
Florentini imperij redierunt: sic ut pleriq; ex ditio-
ribus ciues, & ante prælium factum, & post conces-
sam hosti patriam, urbe profugerent, metu scilicet
grauioris incõmodi. nam Ferruccius crudeliter &
immodicè uictoria utendum aduersus rebelles ra-
tus, atrocissimè sæuire cœperat, id maximè depoſcẽ
te Tedaldo prætore non immiti modò, sed implaca
bili, qui priuatæ iniuriæ suæ contumeliam publico
ciuitatis excidio uindicare properabat. Ante om-
nia siquidem, quum Borghesium cum suis cohortи
bus dimitti iussisset, atq; ei integra fide abeundi cũ
rebus suis uexillisq; facultatem concessisset, quos-
dam opulentos ciues in carcerem detrusit, imperа-
tisq; pecunijs, nisi properè eas expedirent, fame sen
sim enecaturos minabatur. Vno quoq; edicto pro-
nunciauit, his capitale fore, qui urbe excedere aude
rent, & ut reliquos terreret, duos ciues, qui fugam
fuerant meditati, laqueo ad prætorij fenestras su-
spendit. Distribuit autẽ per omnes domos milites,
ut gratuitò alerẽtur, donec alicunde pecunia repræ
sentari posset, qua stipendia iam cõuiciose flagitan
tibus militibus soluerentur. Nam iratè & petulan-
ter milites querebantur se parata prædæ spe exclu-
di, quum multo sanguine parta uictoria, rebellantẽ
urbem se æquissimo militiæ iure direpturos spera-
uissent. Sed Ferruccius non insulsa ratione reipub.
urbem quoquo modo incolumem seruare, quàm
auaritiæ militum urbium excidijs, uel paruo suo lu
cro gaudentium obijcere mallet, aliò ad parandam
pecuniam ita uertebatur, ut donaria antiquitus di-
cata templis, religioseusq; in eam diem custodita,
non cunctanter auferret, & res preciosas carioresq;

ciuium in ipso belli metu in sacrosanctis uirginum A cœnobijs absconditas,suã esse prædam diceret, denunciata capitis pœna his, qui abdita biduò nõ reuelassent. Itaq; cælata argento altarium frontalia, atq; abacos cum candelabris atq; calicibus,& id genus alia conflari iussit. Violauit etiam atq; diripuit publicam domũ,in qua multa supellex collata fuerat,ab his qui egeres exiguo fœnore res cariores oppignorare sub fide publica consueuerant: & quum ciues publicos redditus cogendæ pecuniæ causa, quæ militi præberetur, locupletioribus coëmundos adijcere uellent,Ferruccius licitationẽ fieri uetuit,quòd Tedaldus immitis & asper cuncta publica priuataq; ciuitatis,tanquam rebellis fiscum respicerent, & nisi ad nutum reipub.alienari non posse clamitaret.Hęc raptim uiolenterq; fiebant: quoniã Fabritius Maramaldus cum magnis copijs aduentare nunciabatur,& tum fortè importunè,quũ Ferruccius spe recuperandi Sanctogeminiani, Donatũ cognomento Saltamacchiam eò ad pertentandos oppidanorum animos cum iusta manu equitũ misisset,Donatus,erumpẽte acriter Borghesio, fuerat pulsus. Ab hac aduersa aduentantis hostis fama,ipsoq; ad Sanctogeminianum irrito conatu, Ferruccius ad muniendæ urbis curam properantius ferebatur. Cæterũm Fabritius,quum instructa acie aduentare ab ipso Ferruccio,qui in edito colle consederat,& equitatum explorandi lacessendiq; hostis causa præmiserat,facilè conspiceretur,cõtracto per equites modico certamine,& repulsis hostibus, ad suburbana tecta peruenit, atq; ibi deiecto Ferruccij præsidio,cuncta ad prædam uertens, positis castris consedit,& subitario opere, ut egressu prohiberet, contra diui Francisci portam,quæ Pisana est, aggerem extrui iussit:pariq; diligẽtia à Ferruccio introrsus obstructa est,ipso turrim demoliẽte, ne percussa hostium tormentis, interius portæ spacium,ubi B statio militum consistebat,ruina obrueret. Dum utrinq; minutis prælijs certaretur,& Fabritius cuniculos ad eam mœnium partẽ ageret,quæ diui Dalmatij cœnobium introrsus respicit,probrosæ militum uoces audiebantur, Fabritij tanquam cæci ducis & imperij conatus irridentium, quibus maximè irritabatur,ut in Ferruccium priuati odij pręgrauem iram conciperet:ob idq; præcipuè,quoniã Ferruccius ipsius tympanistam fecialiũ more ad eum missum,ut sibi illico dedi urbem peteret, insolenti uerbo offensus,insolentior dux miserum tanq; impiè locutũ corripi,laqueoq; suspẽdi iussisset. Quod facinus contra militiæ morem superbè editum,ipsi demum Ferruccio exitium peperit. Accidit autem per eos dies,ut utrinq; ab inopia stipendij, milites fœda consternatione deficerent.nam duę fermè integræ Brutiorũ centuriæ à Maramaldo ad Ferruccium transierunt,& Ferruccius ipse ob eandem causam, Corsorum seditione exorta, penè interfectus est.Exhis erant cohortibus,quas Camillus Appianus à Populoniæ oppido adduxerat,gens fera,peragrestis & rapax. Sed Ferruccius uel multo ciuium damno ita sedauit tumultum, ut in Camillum ducem odium exitiale reseruaret.Dum hæc ad Volaterras gererentur,Aurantius in spem occupandæ Empolis uenit,quòd ibi discedente Ferruccio,nõ multum præsidij esse,nouumq; prætorem Iunium ignarum prorsus belli,suffectum fuisse didicerat. Itaque Didaco Sarmẽto negocium datur, eiq; præter suos tyrones quos ductabat,Vastius ueteranorũ Hispanorum ualidas cohortes adiungit, curatq; diligenter,ut iustus tormentorum apparatus ad eum perueharetur.Hæc ubi conuecta sunt,Empolimq; copiæ omnes peruenerunt: eo ordine oppugnatio cœpta est,ut uno tempore duobus in locis murus quateretur. A parte Sarmenti, primum omnium, Calcella Apulus tormentorum magister,molas frumenta rias paucis ictibus disiecit, atq; ita perfregit, ut decurrentis aquæ profluentẽ, quo machinæ molæq; uertebantur,& fossæ demum oppidi implebantur, oppositoaggere læuorsum diuerteret,& fossa proinde totius aquæ copia solito flumine destituta siccaretur,Hispaniq; milites illac se irruptiros confiderent.Exinde murus ducentis amplius maiorum tormentorũ coniectis globis peritè uerberatus,patefactusq; est,ut Hispani fossam transire,& per ruinas subire auderent:eo etiã minore periculo,quòd defensoribus summa corona,propter frequẽtes pilarum & glandium ictus nudaretur: nam supra capita oppugnantium atq; intrare conantiũ præteruolabant. Sed magno irruptoris erãt incommodo procidentis extra & corruentis muri ingentia frusta,quibus multos cooperiri atque opprimi necesse erat,præterquam quòd præsidij cohortes, ipsique Empolitani strenuè,ubi periculum deposceret, hostes,hastis, ferreisq; tridentibus repellebant,& in fossam deturbabant:quanquã in eo certamine Tinctus Battifolius præfectorum fortissimus, tormenti ictu cecidisset,& iam interiorem munitionem alacri concursu,non uirorum modò,sed & mulierum, lateres,glebas & tigna comportantiũ extruere properarent.Per eum modum Sarmentus,quòd perinde quo atque admodum periculoso loco obniti, non sine certa pernicie milites prouidebat, tanquã tormentis locum mutaturus receptui cecinit. Eodem quoq; tempore,Vitellius postquam aliquantũ muri diuerat, nec satis ad irrumpendum apertus foret,abstinuit prælio,alia uia aditum quæsiturus. Interim Titus Orlandinus cognomento Pullus, qui erat apud Vitellium,per Petrum Orlandinum Florentinæ cohortis præfectum gentilem suum postulauit,ut Iunius prætor in colloquium deuenire nõ grauaretur: prodeuntemq; sub fide publica hortatus est,ut constantiæ laudem sua atque oppidi salute nequaquam potiorem arbitraretur, postquam tantas non haberet præsidij uires, quibus binis ducibus è diuerso oppugnantibus diu resisti posse confideret.Iunius ad ea elato in præsens animo respondit, se quinquagenario maiorem satis uixisse: proinde nihil sibi longiore uita opus esse, quæ uel imbellis ingenij, uel fluxæ erga rempub.fidei notam afferendo antiquum Iuniæ familiæ nomen dedecorare posset.Hæc tamen eum nõ ita intrepidè dixisse apparebat, ut perculsæ & attonitæ mentis signa non eminerent: nam quum paulo antè sæpius ac sępius ad Odoardum Giachinottum prætorem Pisanum, maturam implorans opem perscripsisset,ut sibi trecentos saltem sclopetarios summitteret: uix demum unam centuriam,cui præerat Borna Lucensis,ab eo acceperat, quum ægrè cum Vitellianis hostibus certando ad oppidum peruenissent. Eodem metu summi discriminis adducti Empolitanorum primores, eadem nocte, quæ primum oppugnantium conatum sequuta est, legatos ad Sarmentum emiserunt, qui de concordia agerent: quorum princeps erat Bacinius decurionum scriba, in cuius custodia totus tormentarij puluueris apparatus seruabatur. Is,ut existimari potuit, insigni flagitio ea pactione egisse ferebatur, ut oppidani essent incolumes, præsidium uerò Hispanis prædæ esset. Oriente sole, Ioannes Bandinus, quem singulari certamine palmam retulisse diximus, qui erat apud Sarmentum, per abrupta mœnia in oppidum uenit cum Lucio Manellio, ut Iunium prætorem ad deditionem, eadem ferè qua pridie Pullus egerat, adhortatione impellerent.Sed eadem respondente Iunio, non multo pòst, Hispani facto impetu, nemineq; prohibente, per ruinas adaperti muri in oppidum irruperunt, quòd Orlandinus muri custodiam, ut pransum iret importunè deseruisset, uel contradicente signifero, & illac certum

tum periculum irrupturi hostis demonstrante. Primus omnium Bucanigra in domum Orlandini per tecta delapsus, in quam omnes propè nobiliores fœminæ,multæq; Florẽtini nominis matronæ, ut securiores essent,confugerãt,eas omnibus ornamentis exuit:reliquas uerò domos gregarij Hispani,ea Sarmenti lege diripuerũt,ut neminem è præsidio militem uiolarent.Iunius prætor,& ipse Orlandinus,quòd summæ essent authoritatis apud milites,capti sunt, pariq; puncto temporis Vitelliani in oppidum penetrarũt. Sed eos postea Sarmentus excedere oppido,& in castra redire coëgit,quũ Vastius ipse feram opem direptis & miseris offerẽs superueniisset:quantum tamen authoritate atq; imperio poterat,maleficia prohibendo, inuiolatasq; fœminas præstando,non mediocriter in ea calamitate Empolitanos est consolatus.

SVPPLEMENTI

LIBER XIIII.

PEr hunc modum inter parum sincera colloquia, Empoli capta direptaq;, Vastius inde celeriter copias educens, cum Sarmento Volaterras est profectus,quòd ad expugnãdam urbem Maramaldus iussũ tormentorum apparatum sibi aduehi crebris nuncijs postularet.Nihil enim cuniculis profecerat,nec minis Ferruccium hostem, nisi murus magno conatu quateretur,terreri,& ad deditionem compelli posse prouidebat,propter incomparabilem naturæ loci difficultatem.Nam Volaterræ in arduo monte sitæ sunt,uetere priscorum studio excelsa quærentiũ iuga,tanquam tutiora contra omnes hostium im- B petus,salubrioraq; campestribus locis, quę sæpenumero caligino sis atq; densissimis nebulis obsidentur.Nam Volaterrani orignẽ suam à Tyrrheno Lydorum duce repetunt,qui olim duodecim nobilissimas Hetrurię urbes condiderit.E summo montis iugo,quinq; præcipuè descensus oblongo dorso ad infimos pertinent campos,qui radiorum instar,interiectis profundissimis uallibus dirimuntur,ita ut conualles transiri nequeant, quum abruptissimæ sint,atq; ita densis arboribus obseptæ, ut exercitibus inacceſſę fiant:quoniam ab his aditibus scilicet stratis,quũ paululum ascenderis,in proximas uias nullo modo ad mutuam opẽ ferendam transiri possit,quòd prealtę crepidines undiq; subsint,ad quas commeantium oculi propter profunditatem facilè caligent. Ad has naturæ munitiones,accesserũt mœnia antiquitus è quadrato lapide cõstructa,quæ hodie suburbana præcingunt tecta:quoniam urbs noua quæ hodie incolitur,post calamitatem à Pannonijs acceptã,aliquanto astrictiore quàm antea muri ambitu munitur.Vastius ubi aduenit,cõtemplatus situ admirabilis munitionis:quanq; asperrimas sibi rerum difficultates ad oppugnandum propositas uideret, quòd nisi ægerrimè pertrahi constituique tormenta non possent,cõmunicatis cum Maramaldo consilijs,ad Portonẽ,qui est antiquæ portæ munimentum, humilem nactus collem, castra posuit. Nec mora, in Hispanos tentoria ponentes, Ferrucciani audacter eruperunt,contractaq; est cum imparatis asperrima pugna:sed ferente celeriter opẽ Maramaldo,paucis utrinq; desideratis,in urbem compulsi sunt. Exinde Vastius diligentius locorum situm speculatus, ad diui Andreæ templum aliquot Fabritij cohortes,Barone Neapolitano duce, transire iussit. Qua re conspecta, Ferruccius nullam sibi moram attulit, quin exturbandos eo templo hostes decerneret: atque ita emisit Camillum Appianum cum suis Corsorũ cohortibus. Ab ea eruptione certatum est amplius duabus horis: sed multis utrinque interfectis & uulneratis,Camillus se recipere coactus est: eo impetu incumbentibus Fabritianis,ut quũ se obuerteret,in genu mortifera glande uulneraretur, uti asserunt, ipsius Ferruccij iussu in eius odium uehementer incitati,quòd portã Herculis,cuius custodia Camillo fuerat attributa,hostibus prodi posse suspiciose iudicaret, ac simul uitæ suæ periculum, quod recenti Corsorum seditione subijsset, ulcisci properaret. Eodem quoq; tẽpore, Ferruccius suos à Florentina porta contra hostes, qui ad Portonem consederant, eruptionem facere iussit,ut diuerso hostium impetu,Hispani,quo minus socijs opem afferre possent, ancipiti prælio distinerentur.Sed Ferrucciani hunc audaciæ suæ exitum tulerunt, ut Franciscus Brocca, egregiè fortis Corsorum tribunus,non paucis utrinq; amissis & uulneratis occideret.Nec multo pòst à Vastio duobus in locis duplex oppugnationis genus est institutum:alterum aduersus sancti Lini cœnobium, cuius horti ad mœnia pertinent,Maramaldo attributum est:alterum ipse desumpsit iuxta portam Florẽtinam. Vastius cõstitutis,partim ex directo, partim ex obliquo aspectu,maioribus tormentis, tanta ui utrobiq; quassari iussit mœnia,ut amplius quadringentis ferreorum globorum ictibus murus adaperti sit,sed multo maximè apud Maramaldum.nam supra triginta cubitorũ spacium prostratus est,tanto Ferruccianorum pauore, ut quum nonnulli tormentis icti cecidissent,ipseq; Ferruccius lapidis fragmine cubito percussus,se recipere cogeretur, milites in ruinæ aditu nequaquam intrepidè consisterent,& equites instratis equis fugam pararent, confugereturque undique in arcem, hostes irrumpere potuisse constaret.Fabritius namque per audacissimos prius milites, qualis quantusque per ruinas aditus pateret, explorandum ratus: quum impetũ fieri iuberet,quòd locus ruinis impeditior,& æquo ad inuadendum difficilior renunciaretur,importuna cunctatione serò pugnæ signum proposuit, occasionemque uictoriæ corrupit, quum ab ea mora hostium cessationeque,multi propugnatores redintegratis animis extruere introrsus aggerem, admirabili constantia atque celeritate properassent,Morgante præsertim Castellioneo ab ingentibus lacertis ualidissimo centurione,& Ioanne Broccardo, paris animi Volaterrano ciue, rem administrantibus.nam in aggerem tumultuarium adiuuantibus maximè fœminis,oblata quæq;,& ex cœnobio abrepta, lectos, culcitras & cophinos, pretiosissimis etiam rebus plenos infarciebant,ut munitio in iustam altitudinem educeretur: pro qua mox acerrimè decertatum est, aucta spe propugnantium, quũ Ferruccius lenito uulnere cum ualida fortissimorum militum manu decurrisset,& Fabritius recenti submisso subsidio, sæpius instaurando pugnam multa utrinque cæde edita, irrumpere esset conatus. Eo die inter Fabritianos multum enituit Angeli Bastardi,uiri Zacynthij origine Volaterrani uiri tus, quum sæpius certamen restituisset.Altera porrò in parte Vastius,quanquam non adeò latè murum patefecerat, satis pro tempore animaduersa in troitus conditione, prælium iniri iussit, pugnatumque aliquandiu ab Hispanis audacissimè.Sed eorum impetum ea animorum & corporum promptitudine defensores sustinuerũt,ut pulsi nõ paruo accepto incõmodo repellerent. Cæterũ Vastius nihil eo duplicis conatus detrimento permotus,paucos post dies iterũ geminã oppugnationẽ instituit: alteram ad sinistrũ eiusdem Florentinę portæ latus, quod Pinzianam respicit uallem: alteram iniquissimo loco contra fontẽ perennis aquæ, quæ Duccio la uocat. Ibi ea forma mœniũ est, ut murus utrinq;

per

per decliue ductus ad infimam uallem,ubi fons eſt, A
in angulum ſe coniungat. Proinde putabat Vaſtius
eum locũ,propter inæqualis loci difficultatẽ,ægerrimè defendi,& ex aduerſo illac facilè ſuos perrumpere poſſe,quũ in eam partem ſedulò collibrari tormenta atq; diſplodi iuſiſſet. At Ferruccius ubi periculum poſceret, noua opponebat munimenta, & ſupra fontẽ præcipuè aggerem erexit,unde colloca tis tormentis, oppugnantes hoſtes deſtinatis ictibus pererentur. Sed quum id opus nouæ munitionis ferueret atq; exurgere ab hoſtibus cõſpiceretur, in id coniecta colubrinæ pila,inſignis præfectus,cognomento Scuccula, interficitur: nec tamen intermitti opus Ferruccius imperat. nam paulo pòſt in eo falcones duos collocauit, quorum ictibus quatuor ex hoſtibus noti tormentorum libratores abrepti ſunt. Nec multo pòſt ab Hiſpanis, cohortante Didaco Sarmento,prælium eſt cœptum, tanta contentione, ut aliquot uexilla Hiſpanorum impigrè ſummo in muro figerentur, inſtauratq; ſæpius admodũ cruenta pugna certaretur, inter fortiſsimos, Sarmento armis & criſta conſpicuo, & ſecundum eum Macicao Cantabro,qui caſtrorũ erat magiſter, audaciſsimè ſubeuntibus. Verùm non diu pòſt Sarmentus, ſpectatæ eius uirtuti inuidente fortuna, glande traiectus occubuit: & Macicaus pluribus cõfectus uulneribus propè exanimis retrahentib. ſuis ægerrimè ſeruatus eſt: irrumpentibus autẽ Hiſpanis maximè officiebant dolia ſaxis plena, quæ per deiectus ſtratæ uiæ magno ſtrepitu deuoluebanẽ, ita ut facilè appareret uniuerſos hoſtes angusto in loco,uel ſi omnes intraſſent, ea doliorũ & lapidum mole obrui potuiſſe. Nec feliciore euentu certatum eſt in altera oppugnatione. nam tametſi proſtratis mœnibus alacriter ſubirent Hiſpani admixti Italis, non longum tamen certamen, ſed æquè cruentum ac Ducciolanum extitit. Vaſtiani quippe propiore B
acceſſu facilè loci iniquitatẽ, propter hoſtium munitionem,& præſentẽ paratamq; uim reformidantes,nequaq; pertinaciſsimè expellẽtibus reſtiterũt, quum ab utroq; latere intra pomœrium foſſas perductas,& aggeres tormentis permunitos,& aduerſus armatorum aciem ſe irrupturos proſpicerent: quando per id totum etiam edendæ pugnæ ſpaciũ, ad inſidias diſpoſiti murices, & tabulæ peracutis confixæ clauis eminente cuſpide conſpicerentur, quibus indui prius neceſſe eſſet,q̃ ad equites, qui in pedes deſilierãt,& ſuis grauibus protecti armis pugnam eſſent excepturi, peruenirẽt. His prælijs multi uiri fortes deſiderati ſunt, & in primis ipſe tormentorum magiſter Appulus Calcella, quo nemo eius artificij peritior habebatur, ut qui Antonio Leuæ mirificam operam ſuperioribus bellis nauaſſet. Interfectus etiam eſt Donatus Trauius, qui eius artis commendatione in Calcellæ locum ſucceſſerat. Conſtat Ferruccium aliquanto maiore detrimento hoſtes afficere potuiſſe,niſi ſumma ſulphurei puluueris inopia laboraſſet,quòd eius paulo antè non modicam copiam Tedaldus,ut iracundiæ ſuæ impenſius indulgeret, & urbanis rectis maximè nocereẽ, intemperanter abſumpſerat. Ferunt Vaſtium à tanto irrito conatu ſummũ concepiſſe mœrorem,ita ut nonnulli ad eum conſolandum de Maramaldo obloquerentur,quaſi ille in prima oppugnatione proprerea ceſſauiſſet,quòd indignaretur Vaſtiũ ſuperueniſſe,ut paratam ſibi expugnatæ urbis gloriã eriperet. Atq; ita Vaſtius adeò bile plenus ad Aurantij caſtra redijt. Maramaldus autẽ longo circuitu per Piſanum agrum paulo ante Calendas Iulias, Volaterras relinquẽs,uerſus Piſtorium,combuſtis prius uineis,atq; euerſis operibus eſt profectus. Florenti ni quanquam Empolim,oppidum urbi propinquũ, & ad ſubleuandam multarum rerum inopiam opportunum amiſiſſent: nihil tamen ſuſtinendi belli A
curam ullis conſilijs remiſerunt, adoriendaq; Germanorum caſtra ſtatuerunt,authore Stephano Columna,qui non obſcurè Malateſtæ æmulus,& tentare ipſe aliquid ſuo ingenio,& erecto animo dignũ facinus aggredi cupiebat. Hæc res diu explorata à Stephano,delataq; ad dictatorẽ, quum aſciſceretur in eam conſultionem dux Malateſta, ipſo obliquè tantũ contradicente,grauiterq; expendente totum id dubij periculi diſcrimen,quod ſubituri eſſent: in id tota deliberatio cecidit,ut ab omnibus probaretur, ipſeq; demũ Malateſta in eo negocio collegam adiutoremq; Stephano fortia audenti ſeſe offerret, quòd Lodronij caſtra nõ niſi magnis uiribus & ualidiſsimo impetu inuadenda iudicaret. Quintiles iam Idus aderant,torrenteq; æſtu Germani in uigilijs ſtationibusq; ſe ipſis languidiores facti uidebãtur, ſic ut eruptiones hoſtium cõtemnere potius q̃ timere conſueſſent. Caſtra eorum,ut diximus, coniuncta erant templo cœnobioq; ſacratarũ uirginũ, quod diui Donati in Pulueroſa nomẽ habet,eo ordine,ut ſepta quadratis aggeribus, intra quos tendebãt milites, hortos uirginum perpetuo uallatos muro annexos continerent,& dux ipſe Lodronius ſacris ædificijs uteretur,duobusq; ad caſtrorũ aggeres propugnaculis erectis,in quibus collocata erãt aliquot tormenta, utranq; uiam, quæ ab urbe hinc Pratenſi, illinc Fauentina porta ferebatur, reſpiceret, & perpetua ſtatione ab omni hoſtium impetu aptiſsimè defenderet. Itaque magno conſenſu, magnaq; omnium expectatione, Stephanus & Malateſta copias inſtruunt: partiuntur inter ſe munia impetus faciundi, & triplici egreſſu ueteranas fermè omnes atq; lectiſsimas cohortes educunt,ea ratione, ut Florentini populi uexilla, quæ in locum decedentium militum in muri atq; aggerum, qui erant in monte,cuſtodiam ſuccederent, & ſi caſus ferret, his in locis propugnando patriam defenderent, do nec milites re bene geſta ad ſolitam muri ſtationẽ reuerterentur. Ad confirmandos tamen armatæ iuuentutis animos,uererum militum aliquot centurias interpoſuerunt, & quatuor cohortes congloba tas loco medio atq; opportuno conſiſtere iuſſerũt, ducibus Franciſco Taruſio,& Barbaruſſa Bartholo, ut commodè ubi res poſceret, ciuibus aduerſus hoſtes opẽ ferrent. Media quoq; in urbe ſimili ratione reliquarũ tribuum uexilla conſtituerũt, quibus addebantur quaternæ cohortes, quæ fuerũt Pacerini, Giometti Senẽſis,& Corſorũ duę ex Paſquinianis. His rebus aptè conſtitutis, Stephanus Pratenſi porta milites eduxit,ad unũ omnes cãdidis tunicis indutos, ut inter ſe noſcerentur, & ea ſpecie per tenebras hoſtibus terrori eſſent. Malateſta autẽ ea Prati portula,quæ ad Arnũ ducit,eo conſilio egreſſus eſt, ut ſecundũ flumen totũ ripæ marginẽ equeſtribus & pedeſtribus præſidijs occuparet, ut ſi fortè è maioribus Aurantij caſtris hoſtes laborantibus Germanis opẽ ferre,& flumen tranare auderẽt, uti accidit, circa uada amnis inuaderenẽ. E Fauentina autem porta tertia manus erupit,eo conſilio, ut ſuperiore circuitu ad Germanorũ caſtra uerteretur,& diuerſo metu illato,Germanos eo tẽporis momento diſtineret,quo eos Stephanus adoriretẽ. Paſquinus Corſus,quũ præmiſiſſet expeditã ſuorũ centuriã, duos hoſtium uigiles extra munitionẽ excubãtes ita oppreſsit,ut altero occiſo, alter quanquã ſauciatus ad ſuos cõfugeret, qui adeſſe hoſtes ſemiſopitis nunciauit: atq; ita Paſquinus ad munitionẽ caſtrorũ impetũ fecit,pauloq; pòſt conclamantibus iam ad arma Germanis,Stephanus gradũ intendẽs,ut imparatos & incõpoſitos inuaderet, apprehenſis & ſuperatis munitionibus in caſtra tranſcendit: impigrè rẽgerente Ioanne Taurino,qui inter Paſquinũ & Stephanũ ipſum,aggereẽ adortus, iaculatusq; ardentes tubas,Germanos ita ſubmouerat, ut undiq; fruſtra
reſiſtente

reſiſtẽte hoſte,Hetruſci certatim in caſtra irrumpe- A
rent,atque hos animoſa Florentinæ iuuentutis cohors,Dante Caſtellino ſignifero audacter irrũpente,conſequeretur,& priuſquam Germani Lodronij ducis ſuperuentu adhortationeq; componi & conglobari poſſent,fœdo incœpto exituq; ad diripienda tabernacula diſcurrerent. Quo tumultu ingens non militum modò,ſed fœminarum & lixarum numerus per tenebras trucidatus eſt: atq; item multi ex eius noctis ſtatione, qui impetum irruentiũ numero atq; animis impares ſuſtinere nequierant. In ea rerum perturbatione Lodronius admirabili cõſtantia, circiter duo milia hominum in receſſu Caſtrenſis areæ conglobari,retinereq; ordines, neque uſquam acie excedere iuſsit. Stephanus ſemiparata uictoria,niſi milites prædæ cupiditate adducti,diſſipatis uiribus pugnam ſubijſſent, increpitare reuocareq; ſuos conatus,in phalangem hoſtium denſatam non ſemel impetum fecit: ſed poſtremò, quòd immota prætentis haſtis egregiè reſiſteret, & mox inducente Lodronio in diſperſos & imparibus pugnantes armis impreſsionem faceret, nonnullis utrinq; cadentibus, ipſe Stephanus uehementer eſt uulneratus lanceæ cuſpide,quę in os recepta,ei dentes excuſsit: & inguine pudendisq; alabardæ mucrone ita transfixis, ut exturbatus è munitione in foſſam deijceretur,multiq; ſimul uulnerarẽtur,atq; in foſſam concíderent. Interfecto Virgilio Romano,qui diu Stephano comes repugnarat,Zago neq; uero ingenti proceritate corporis,atq; animi uigore terribili,per femur transfixo, & Ioanne Taurino haſtarum impulſu extra aggerem eiecto, Hetruſci ſe receperunt: uel ob id prælertim nequaquã redintegrata pugna,quòd iam ab Oliuetano monte tormenta diſploderẽtur,uerereturq; Malateſta,ne Aurantius è Giramonte ſuorum ſtationes inuaderet, quas diſceſſu militum ciuili præſidio,ſi grauior pugna incideret,nequaquam fore firmiſsimas arbitrabatur. Id uerò uti poſtea cognitũ eſt,Malateſtã magnopere permouit,quòd equitatum è caſtris hoſtiũ ſigno tuba propoſito,eductum, decurrere ſecundũ ulteriorẽ Arni ripam ſenſerat: utpote qui non temerè timeret, ne ſi conglobato agmine humilioribus uadis tranarent,non facilè ſuſtineri poſſent, quin ipſe erepta ab hoſte receptus facultate, porta urbis excluderetur, & populus ipſis ambobus ducibus extra urbẽ diuerſo prælio occupatis,portaq; intercluſis,incumbẽte Aurantio aliquod grauis uel ſummæ etiam calamitatis detrimentum acciperet. Nec tamen deerant, qui Stephano laudem aſtruentes, aſſererét à Malateſta receptus ſignum maturius datum fuiſſe,obtrectatione non dubia alieni decoris, ut parem exitum ac ipſe nuper ad Catelinam porrã fuiſſet expertus,inconſultæ audaciæ eruptio tuliſſe uideretur apud ciues, qui non æquè prudentiam cauti ducis,q̃ bellicoſi audaciam è repub. eſſe iudicabant. Cæterum ab hoc irrito conatu, Florentini in uniuerſum non obſcuro dolore,neq; inani cõcepta triſtitia turbabantur: propterea quòd ad extremã rerum omnium inopiam erat peruentum. Sed quũ nullus belli exitus deſperatis auxilijs,niſi ualde lugubris atq; duriſsimus proſpiceretur, uerſabat iam multorum animos cura ingẽs publicæ ſalutis: neq; tamen quiſquam reperiebatur, qui effari auderet, adeò erat certum his, qui ferociã animi deditionis cogitatione remiſiſſent,fœdæ mortis ſuppliciũ, ut pleriq; tacitè animos deſponderẽt, eum ſubituri caſum,quem uel iniqua ſors publicis rebus attuliſſet. Primus omniũ Zanobius Bartholinus, agitare animo,quánam ratione cõſilij affectæ ciuitati prodeſſe poſſet: & quum nihil deditionis pactione utilius atq; ſalubrius fore iudicaret, ſæpenumero de ea re in arcano cum Malateſta & Stephano fuerat colloquutus, per quẽ tentandum Aurantij hoſtis animũ
esſe ſtatuebat: occaſio uerò eius tractandę rei nõ ſemel petita eſt,quũ munera ad ducem in caſtra mitterentur: idoneus autẽ interpres erat,Cencius Perutinus,cognomento Strabo,aſtu atq; prudentia militari inſignis,propterea q; Malateſtæ fidus. Is Aurantium reperiebat nequaquã abhorrentẽ ab honeſta concordia, quum ille ducẽta tantum milia aureorũ nummũm ad perſoluenda militi ſtipendia poſtularet,ſubindeq; peteret Mediceam familiam ſeruato libertatis nomine,uti antea conſueuiſſent, priſtinę dignitati reſtituendam,& obiter à Clemente Pontifice prætheritarum offenſionum obliuionem ſe impetraturum polliceretur. In quas conditiones non Baucius modò Valorius, pro legato à Pontifice ab initio belli in caſtra miſſus inclinabat: ſed Aurãtius ipſe undecim iam propè menſium obſidionis tędio affectus,& quod maximè urgebat, pecuniæ inops, nihil potius atq; expeditius reperiret, quàm ut expreſſa uel non acerbis conditionibus deditione, ærumnoſo bello finem imponeret. Ad ea perſuadenda,ipſius Valorij authoritas plurimũ ualebat,quoniam ex arcanis mandatis à Pontifice de patriæ ſalute ſolicito etiam atq; etiam admonebatur, ne expugnandæ per uim urbis caſum neceſſarium duceret,daretq; operam,ut ſine ſanguine uictoria quæreretur,quòd nequaquã ſibi deleta patria,ſed incolumi opus eſſe prædicaret. Hæc ubi Cencius è caſtris rediens,Malateſtæ renunciabat, cum bona ſpe concordiæ Zanobio cõmunicabantur, & per eum ſedulò,& quantũ fieri poterat occultè, ad eos emanabãt ciues,quos incolumis patriæ cura totius obſtinatæ factionis obliuiſci cogeret. Verùm recta ſalutariaq; paucorũ prudentiũ,inſana multitudo imperitorum popularium facilè ſuperabat, ipſo præſertim dictatore peruerſiſsimis opinionibus imbuto,& rem ad extremũ uiolenti conatus caſum deducere cupiente,ita ut accerſendum cum omnibus copijs Ferruccium,defenſis Volaterris ingenti uirtutis opinione à popularibus ſublatum, & periclitari extremo conatu Etruſci imperij fortunã ſtatueret. Itaq; Ferruccius è ſenatuſconſulto reuocaẽ, & quid fieri oporteat ex præſcriptis mandatis doceẽ. Summa conſilij hæc erat, ut per Piſtorienſiũ montes ad urbem Florentiam duceret, & decedens dextrorſum à Feſulis, ipſo Malateſta erumpente,atq; excipiente occaſionẽ nobilis pugnę edendæ,qua patria obſidione liberari poſſet, opportuniſsimè præberet. Ferruccius, qui quaſſata mœnia reficiebat,acceptis à ſenatu literis,Marco Strozzę,& Baptiſtę Gõdo,qui Florentia miſſi fuerant, uiris prætorijs, urbis cuſtodiã commendat, cum ſingulis militũ centurijs attribuit Nicolaum & Gualterottum Strozzas,Alexandrumq; Monaldum. Imperat etiam Volaterranis decem obſides, qui caſtra ſubſequantur, captòq; itinere ſecundum Cæcinam amnem, ad uada Volaterrana deſcendit,atq; inde per Liburnum, antiquæ Labronæ turritum oppidum, Piſas cõtendit. Ibi aliquot conſumpſit dies apparandis his rebus, quæ ad profectionem pertinerent: imperandisq; præſertim pecunijs, ut milites, qui ſtipendia ſeditioſe flagitabãt, tumultu à Corſorũ cohortibus orto,præbita pecunia pacarentur. Exinde Piſanos ad unum omnes,qui arma ferre poſſent,tanquã ueteris memores libertatis,propterea q; ab iuſto odio Florentinis ſuſpectos,patria excedere iuſsit: quanq; Piſanorum optimates octoginta numero,obſidum nomine Florentiæ ſeruarentur. Adduxerat paulo antè Piſas aliquot exercitatorum militum cohortes,Paulus Ceres,Rętij filius,dux impiger. Cum eo belli gerendi cõſilia Ferruccius cõmunicat, cogitq; in unum omnes copias. productis autem omnium uexillis,quum inſpicerentur ſingulæ cohortes,censa ſunt tria milia peditum: galeatorum uerò equitum numerus, & pileatorum Epirotici generis leuioris

uioris armaturæ, qui erant peltati, quingentorum summam implebat: His præerat Nicolaus Masius è Nauplio Peloponnesiaco, uir egregiè fortis, cui Pulledro, Epirotica lingua cognomen fuit: galeatos autem thoracatosque ductabant ueteres ac clari nominis præfecti, Carolus Ciuitellæ regulus, & Amicus Arsula. Præter has copias solicitarat etiã montanos Pistorienses, homines Cancellariæ factionis, qui, sicuti promittebant, suis illac iter habentibus præstò futuri sperabantur. Sarcinarijs autem iumẽtis multis undique cõtractis, supra centum ligneas tubas, quæ sulphuream flammam euomerent, imposuit: atque item decẽ minora tormenta, quæ moschettos appellant, & ligneis canterijs imposita subitaria in pugna ad confirmandas acies peditibus præsidio aduersus equites esse consueuerunt. Cum his copijs eoque apparatu, & cum aliquanta commeatus copia, biscoctique præsertim panis, more nautico, quæ properantibus per nemora & syluas sufficeret, uel si nihil omnino parati cõmeatus, montanorum agrestiumque hominum tenuitate nanciscereturꝛ reluctante genio Lucensi porta signa eduxit, conuersusq; ad quosdam præfectos fatali proloquio, Fortissimi uiri, inquit, ad subeundam durissimi euentus fortunam ire iubemur, neque reformidanda est ulla periculi uis imminens, quum omnino paratui sit parendum, & in dextris nostris supre mã salutis suæ spem reponit. Apparebat enim eum quibusdam, secus ac consuesset, parum alacriter loquutum fuisse, quasi diuinaret, qua sorte ad alienũ arbitrium susceptra expeditione esset pugnaturus. Reliquit autem in præsidio Pisarum, qui Odoardo Giachinotto prætori parerent, cum singulis cohortibus, Matthiam Varanium Camertem, & Bettum Ranucinum Florentinum, Michaëlemque è Montopoli, & cum his Epiroticæ stirpis inquilinum cum ala equitum Musacchinum, Musacchio uetere fortique equitum præfecto genitum. His rebus cõstitutis, per Lucensium agros, atque inde subter Pisciam & Collodium oppida ita agmen duxit, ut signa sensim ad læuam in superiores montes erigeret, confragosisque & syluestribus locis rectà uersus sancti Marcelli pagum progrederitur. Interim Aurantius de consilio itinereque hostium per speculatores certior factus, cõmunicatum cum paucis totius negocij consilium per hunc modũ maturè explicat. Ferdinandum Gonzagam in obsidione relinquit, & cum eo fermè omnes Hispanos pedites, multoque maximam Italicarum cohortium partẽ. Vltra Arnum porrò suis in castris Lodronium consistere, obseruareque hostium motus, atque intentius euigilare iubet. Scribit autẽ ante omnia ad Fabritium Maramaldum atq; Vitellium, qui in agro Pisano circum oppida uicum Sanctæ Crucis, & Focensium pagos æstiuabant, ut coactis cohortibus ad præcidendum Ferruccio iter, uestigijsque insistẽdo, quanta possent celeritate, maturarent. Ea quoque Hispanorum tyronum manus, quę per aliquot menses Clauerio duce diuagata per agrum, & mutando loca rapto sese aluerat, tanquam edicto Cæsaris stipendijs castrisq; exclusa ad Altopassum confederat, Vitellianas cohortes est subsequuta, adhortante ipso Vitellio ad nauandam ea expeditione operam, qua omnem consternationis & diuturnę fecessionis noxam redimerent, & noua prõmereri stipendia properarent. Præmittit etiam è castris Roscium Martium Columnam, & Scalẽgum cum suis cohortibus: atque itẽ Roscij alarijs equitibus Theodorum Bischetmium, Epirotarum equitum præfectum adiungit. Hos subsequitur ueterum Germanorum legio, ipseque postridie cum uniuerso leuis armaturæ & cataphractorum equitatu è castris proficiscens, tranato flumine Arno uersus Pistoriũ contendit. Noctu autem iter faciens, peruenit ad locũ, A cui Lagoni nomen est, castaneis arboribus frequentem; qui locus est ferè medius inter Pistoriũ & Gabinianum oppidulum. Ibi aliquantisper substitit, ut equos modica quiete, & milites leui ientaculo recrearet, atque interim nuncios operiretur, qui de itinere hostium certius referret. Eo modo quiescenti, superuenit cursu citato fessus sacerdos, qui Aurantium requirens, adesse Ferruccium, eumq; sancti Marcelli oppidum intrasse, direptumque incendisse, unde ipse uix effugerit, anxiè nunciauit: subdens Ferruccianos in tergo à Cæsarianis premi, quod ex multo sclopetorum strepitu noscereturꝛ Ab hoc nũcio bonæ spei plenus Aurantius, quum lagenas posciisset, & uina latis pateris funderentur, circunie ctisq; in coronam ducibus, Francisco Prateo, Rossalique Hispanis, & Zucero Epirotæ hilariter propinaret, densissimus repentè cœlo dudum sereno imber effusus est, usqueadeò largus, ut cũctos sub dio perpotãtes latè perfunderet, & ad omen à quibusdam uerteretur. Arrisit ad id sublato lætiore cachinno Aurantius, Et commilitones inquit (uti uideo) in hostes nequaquam temulento agmine prouehemur, postquam nobis superi uina coronantes pocula benignè propitieque diluunt. Hæc fuere suprema eius uerba, continuò efferri signa iubentis, quũ paulo antè ducibus sua munia in omnem eminentis pugnæ casum, tam sobriè quàm opportunè per hũc modum dispensasset. Hos enim, quos diximus duces, cum uniuerso leuis armaturæ equitatu præire iubebat, quibus præsidij causa additerat Pompeium Farinam cum trẽcentis pernicibus sclopetarijs: monuerat que eos, ut passim, si qua paulò angustiora in itinere reperirent loca, per quæ difficulter equitatus trãsire posset, idoneis tumulis certas sclopetariorum manus imponerẽt, ut quum hostes conspexissent, si fortè premerentur ad ea præsidia sensim se recipere possent. Quòd si planiora occurrerẽt B loca, quæ non inepta equestri prælio fore prospicerent, tamdiu distinere hostes lento certamine niterentur, quoad ipse cum cataphractis superueniret. Vbi equites ad Gabinianum oppidum peruenerũt, & portas sibi pandi postularunt, oppidani non aliter eos se admissuros responderunt, nisi Aurantius fidem daret sine maleficio milites ingressuros. Erãt Gabiniani aduersæ factionis, qui edocti de Ferruccij aduentu fallacibus responsis tempus extrahebant: quorum consilium non multo pòst ab Aurantianis est intellectum, quum oppidani è sacra turri cõspectis è longinquo Ferruccianorum uexillis, eorum scilicet qui præcurrebant equitatum, sacri cam pani æris sonitu adesse iam Cæsarianos hostes significarent: atq; eo modo dum expectatur Aurantius, qui fidem præsens oppidanis daret, quòd multum interesset ad uictoriam parandam, eo opportuno pleno que commeatus oppido potiri, equites circumflectentes se subter mœnia uersus sancti Marcelli oppidum excurrerunt, & cum antecursoribus hostium leues pugnas ferere cœperunt: siquidẽ Ferruccius sanctum Marcellum ingressus, paucis interfectis, & eorum domibus, qui erant aduersæ factionis, incẽsis Gabinianum petere statuebat, ratus hostes nequaquam tanta celeritate occursuros. Dum oppido egrederetur, conspexerat turbam mulierũ cum liberis rerum suarum onera capitibus portantium, quæ aduersa porta exijssent, in montes altissimos euadentem. Nonnulli propterea locorum periti milites, qui de aduentu hostium certius cognouerant, Ferruccium cohortari cœperunt, ut eodem montium dorso, quo ire pergerent mulieres, agmina educere uellet: quòd id montanum iter angustã uiam, & utrinque abruptissimos haberet deiectus, sic ut hostes illac non facilè persequi possent ascendentem in ea Apœnini iuga, quæ demum æquiores, quanquam longiores uias dextrorsum haberẽt, & per

& per eas ad Scarpariam & Mugellanum agrum de A scendere possent. Paulus, Rentij filius leuem putabat impedimentorum iacturam, modò incolumes elusis hostibus eò peruenirẽt, quò uocarentur. Sed Ferruccius elato spiritu id consilium, quod timoris & fugæ indicium præbere posset, detestatus, rectà progredi cœpit. Præibant equites Carolo atq; Arsula ducibus, & quum non amplius duobus millibus passuum Gabinianum abesset, antesignanæ cohortes, quas ductabat Bernardus Strozza, cui cognomentum Captiuantio fuit, ad Gabinianam portam applicarẽt, postremæ aciei uexilla ad portam sancti Marcelli adhuc erant. Iter nõ admodum erat impeditum, sed paululum per accliuia descendere oportebat: quoniam sancti Marcelli oppidũ in ima ualle positum est, & perpetuis undiq; montiũ iugis præcingi uidetur. Iam Cęsariani, qui cum Roscio, Theodoroq; ut diximus, præmissi fuerant, insistentes uestigijs, nouissimos carpebant. nam Roscius expedi tam sclopetariorũ manum, sublatis singulis in clunes equorum, aduexerat, quæ procursando displodendoq; magnopere hostes uexabãt. Maramaldus autem à Calamecha uico, ubi pridie hostes castra fecerant, eos sanctum Marcellum petere conspiciens, ad læuam fidis uię ducibus usus, per superiorũ montium & syluestrium tramitum compendia ad Gabinianum peruenerat. Alio quoq; breuiore itinere, quanquã aspero, Vitellius nõ procul ab oppido dudum confederat. Interea Ferruccius albo uectus equo, distrĩctum tenens gladium suos hortabatur, ut compositis ordinibus ad præoccupandum oppidũ, quod erat in conspectu festinarent, propellerentq; urgentes hostium equites. nam Carolus & Arsula singulari uirtute dimicantes, nõ sustinebant modò, sed redintegrato sępius utrinq; impetu per decliues ripas, aduersos & terga uertentes hostes se recipere cogebãt. Dum tumultuosissimè magnoq; strepitu B pugnaretur, quòd è Ferrucciana acie certæ sclopetariorum manus emittebantur, & Pompeiani, quos diximus, equitum præsidio missi, equestri prælio se immiscuerãt, multiq; iam ceciderant, Maramaldus ab aduersa porta, & partim à facilè disiecta mœniũ maceria oppidũ est ingressus, Ferruccio iam ab anteriore porta signa inferente. Atq; ita per oppidum atrox & cruenta editur pugna, sic ut in medio foro magna contentione certaretur. nam Ferruccius ingenti animo in pedes desiliens, abrepta pedestri lancea fortissimè rem gerebat. Nec suis deerat Maramaldus, quin magna ui facto cuneo, toto plateę spacio potiretur. Interim ex Ferrucciano agmine pars sequuta ducem, ingressaq; oppidum operam nanabat: pars deflectens secundum murum, apud castanetti ingentes arbores idoneum nacti locum, quo se aduersus insultantes equites tueretur, displosis sclopetis aduersa glandium procella hostes obruebat. Ab his, ut postea compertum est, qui erant numero fermè quingenti, quum Aurantius adducto cataphractorum agmine, ut prælio interesset, per arduum ripæ callem enitereturꝛ uectus spadice equo, & gladium uibrans, gemina glande traiectus equo decidit: nec tamen statim est agnitus, quum argentea ueste, & auratis armis carptim exueretur. Ferũt eum, prius quàm uulneraretur, cum Nicolao Masio, qui primus occurrerat, singulari certamine collatis equis contendisse, quum Græcus ferrea claua ei galeã pertũderet, ipse uerò equestri mucrone ad eum perfodiẽdum iteratis ictibus uteretur. Sed Masium cataphractorum impetum ueritum, ad castaneas refugisse, Aurantium autem audacius se prouehẽrem lethalia uulnera sustulisse. Eodem ferè tempore Vitellius in agmen secundę hostium aciei, quam Paulus, Rentij filius ductabat, ex obliquo peropportunè inuectus, & primam ferè impressionem ita perturbauit atq; disiecit, ut omnibus uexillis in unum de more conglobatis potiretur: uel acerrimè resistente Paulo, qui dimisso equo constantissimè pugnãs, aciem componens, & pugnam instaurans, ad oppidum perrumpebat, ut Ferruccio opem ferret. Cæterùm ubi Aurantium cecidisse, & cataphractorum agmen, se totum retro in fugam præceps dedisse uulgatum est, Ferrucciani sublato uictoriæ clamore se conglobare, & perterritis insistere cœperunt: ac nisi Germani, qui se nihil adhuc cõmouerant, sed phalangem suam instar arcis ad sociorum receptũ, non procul ab oppido in ordine continebant, in uiam progressi, tumultuarios hostium procursus repressissent, procul dubio nemo equitum fugere destitisset: quum eorum pleriq;, & ante alios Rossales exemplum Antonij Hiscerę, qui cataphractis præerat, sequutus, intenta fuga ulque ad Pistorij portas pro fugissent, tãta perturbatione, ut & in castris ad Gonzagam, & in urbe ad dictatorem interfecti Auratij, fusiq; exercitus fama deferretur. Eodẽ puncto temporis, Vitellius Pauli cohortes oppidum intrantes urgendo cædendoq; aliquandiu persequutus, opportunè deflectens ad portam, qua Maramaldus intrarat, ut ei maturam opem ferret, signa intulit: & usq; adeò sæuum certamẽ renouatum est, ut in plateam coaceruatis cadaueribus impeditam penetrari uix posset. Sed Ferruccius & Paulus ex longa pugna, maximoq; meridiani temporis feruore fatigati, in quandam editiorem domũ se receperunt, atq; inde sclopetis rem gerere perseuerarunt, donec ab equitatu leuis armaturæ, qui Rossalem fugientem præ pudore sequi noluerat, confertis turmis hostiũ equites ad unum omnes profligati deletique sunt: quum paulo antea cohortes, uel quæ oppidum ingredi nequierant, uel quæ Ferruccij iussu extra remanserant, Aurantiumq; interfecerant, clauis utendo ferreis, quibus galeæ quidem uix resistebãt, prostratæ fuissent: neq; ea die magnopere uictis profuerunt præparatæ ad id tubæ sulphureum uomentes ignem, quum aliquot tantum in Germanos & equites iacere licuerit, nec direptis & perturbatis impedimentis, moschetti expediri, aut canterijs, uti speraſſent, imponi nequiuerint. Ferruccius & Paulus aduersæ pugnæ exitum, atq; infestam Florentino nomini fortunam agnoscentes, quum ipsorum milites aut interfecti aut capti essent, expugnatisq; atque direptis singulis oppidi domibus, Maramaldus certa uictoria iã potiretur, se dediderũt, moxq; Ferruccius, uti erat armatus ad Maramaldum perducitur. Tum uerò Fabritius, An quum Volaterris tympanistam meum contra militiæ morem laqueo impiè suspendebas, te unquam ad manus meas per uenturum putaras? Tum ille: Hæc non iniqui semper Martis sors est, quæ tibi bellum gerenti obuenire potest. Sed tu si me occidas, neq; utilem, neq; decoram ex mea nece laudem feres. Sed itidem ob iurgans, & ex mercatore ducem factum appellans, uictor ei galeã & thoracẽ detrahi iussit, gladiumq; gutturi impegit, & militibus conficiẽdum reliquit. Erat Ferruccius excelso corpore, excelsoq; animo, sed admodum superbo, tumidioreq; facũdia, ita ut non longo quidem belli usu edoctus, sed naturali quodam Etruscæ solertiæ uigore præditus, singula munia cum admirationẽ nõ ciuium modò suorum, sed militum implendo, strenui militis & iusti penè ducis speciem præferret: sed qui adunco naso, pallo req; multo & oculis sanguineis insitam ferociinge nio crudelitatem fateretur. Cæterùm Aurantij cadauer iam armis omniq; amictu nudatum sub ipsam cataphractorum fugam Tentauilla Gallus eius familiaris, agnitum collectumq; extra oculos militũ asportauit, & stragulæ laneę uesti inuolutum in sacello collocauit, donec parta uictoria susceptus in ceruicem róbustioris equi, brachijs & cruribus utrinq; pendentibus, lugubri humanæ miseriæ spe-

ſtaculo Piſtorium eſt deuectus, non abſimili fati
ſorte ac Borbonius fuerat ereptus, quum uterque
in limine uictoriæ fuæ ceciderit. Ferunt in eo, qui
nondum trigeſimum ætatis exceſſerat annum, per-
illuſtres liberalis animi, & pugnacis ingenij uirtu-
tes, quibus ſtudia militum, ut alibi diximus, cum in
ſigni gloria, & non obſcuro quodam dolore Cæſa-
ris promerebat, quum militibus defenſi Neapolita-
ni regni oppida, tam quam ſua, quæ aliena erant, pro
fuſiſsimè largiretur, & ante alios ſemper in acie con
ſpicuus pugnam cieret. Ortus erat Salonia familia
apud Sequanos illuſtri, præferebatq; indolem incly
ti futuri ducis, niſi id ſummæ gloriæ decus intem-
peſtiua præuaricatione, quæ temporis ſpacio atq;
integra ætate pararetur, præferuidus affectaſſet. Ce
cidere ea in pugna paulò minus duo milia hominũ
utriuſque partis. nam multi poſtea ex uulneribus
perierunt. In his autem fuere acerrimè pugnantes
Ferruccianarum cohortium præfecti, Capitaneus
Borgenſis, & duo è Corſorum gente, Paulus & Frã-
ciſcus: atq; item Carolus Ciuitellę comes, qui eque
ſtri prælio longè omniũ promptiſsimè dimicarat,
& Alfonſus Stipicianus Farneſia matre genitus, i-
pſius Pauli Ceritis propinquus: ex Fabrianis uerò
Ioannes Maius inter Brutiarum cohortium præfe-
ctos pugnaciſsimus, & tres cum eo ſigniferi occiſi
ſunt: Amicus quoque Arſula Martio Columnæ pe-
cunia redimenti traditus, necatusq; eſt, quòd Sci-
pionem Columnam patruelem ſuum, Malliana in
pugna, ipſius Amici manu interfectum fuiſſe dice-
ret. Maſius uerò à ſuæ gentis equitibus captus, æ-
quo iure militiæ facilè ſe redemit. Captiuãtius quo
que Strozza grauiter uulneratus, curatusq; apud
hoſtes, mille aureorum nummũm precio dimiſſus
eſt, quum Paulus Ceres eadem militiæ lege aureis
nummis quatuor milibus à Maramaldo libertatẽ
impetraſſet. At Florentini per eos dies, quibus Fer- B
ruccium Piſis mouere iuſſerant, à Malateſta Stepha
no q; intentè & grauiter poſtulabant, ut in eandem
committendæ pugnæ ſententiam deueniret, & for
tibus explicatis conſilijs, expeditisq; efficacibus
armis ſecum adeſſe uellent, qui pro libertate ſalute
q; patriæ, ſupremi certaminis aleã ſubire ſtatuiſ-
ſent. Ad ea duces, quòd ita ex uſu ſaluteq; ciuita-
tis, & ſua dignitate rebantur eſſe, de ſcripto his uer
bis dictatori, decurionibus, decemuirisq; reſpon
derunt, ut eos iuſta militię ratione à temerario exi-
tialiq; decreto deterrerent: utpote qui honeſta pa
ctione, ut antea per Cencium Strabonem Aurantij
ſenſus pertentaſſent, de deditione tranſigere, quàm
rem ad periculoſiſsimum prælij diſcrimen deduce-
re, multò ſatius atq; ſalubrius eſſe iudicabãt. Quum
ſæpè aliàs accuratè deliberando, excelſi reipub. præ
ſides, de eruptione conſultaretis ſemper nobis una
atque eadem ſententia fuit, ut id periculoſæ aleę di
ſcrimen tanquam funeſti exitus, libero ore deteſta-
remur. Nam pro diſciplina cuncta bellicæ rationis
momenta diligenter expendentes, facilè prouide-
bamus, nos iniquiſsima locorum & rerum omniũ
conditione cum hoſtibus pugnaturos: quandoqui
dem numero uirium inferiores, uti præclarè liquet,
& uos omnes facto ſępius periculo perſpexiſtis, ni-
ſi temerè & cæco impetu hoſtem adoriri expugna-
req; non poſſumus, munitiſsimis ſcilicet & diſtin
ctis uallatum caſtris, equitate loci fretum, & multo
tormentorum apparatu inſtructum. Itaque nihil à
priore ſententia diſcedimus, noſtri namque mune-
ris atque exiſtimationis eſt, ea afferre conſilia, quæ
ciuitati tuta atque ſalubria ſint: ea uerò, quę certum
incommodum & luctum, atque adeò ſummam ca-
lamitatem prænuncient, repudiare penitus atque
damnare, nec mediocris ſubinde animis noſtris bel
lici decoris cura inſideat, ne ſi militiæ parum peri-
tis, quòd ſincerè dictum uos æquo animo laturos
A ſcimus, temerè atque indulgenter obtemperemus,
non obſcuræ inſcitiæ, tumentisq; arrogantiæ a-
pud uniuerſas gentes damnemur, & ſuperos hoc tã
to admiſſo piaculo grauiter offendamus, inexpiabi
lemq; ſubeamus inuidiam, ſi male ſano præcipitiq;
noſtro conſilio, patriam ueſtram omnium floren-
tiſsimam, & quod ad Italiæ publicũ decus attinet,
hoſtium cupiditate occupandam atque delendam,
teterrimo urbis Romæ exemplo, obijciamus. Pro-
inde penſitatis utrinq; uiribus rerumq; periculis,
in hoc decretum deſcendimus, ut nos confirmare
non pudeat, hoſtes undique numero, uiribus, æqui
tate loci, apparatuq; rerum omnium eſſe ſuperio-
res, melioreq; ideo quàm nos fortuna, uti facto ſæ-
pius periculo omnino pugnaturos: nihilo ſecius ta
men profitemur, ſi imperabitis, nullum uel ſalutis
uel exiſtimationis noſtræ diſcrimen reformidatu-
ros, modò ea, quæ dictator in rẽ opportuna ſæpius
promiſit, egregiè præſtet: oſtendemusq; procul-
dubio, neque fidem, neq; induſtriam, neq; ſi dicere
fas ſit, uirtutem probis dignam ducibus nobis erga
uos omnino defuiſſe. Hæc tradita decurionibus, &
per omnes ordines lectirata, quanquam iniquis au
ribus atq; animis acciperẽtur, aliquos tamen de ſa-
lute publica maximè ſolicitos impulerunt, ut in
tanta negocij difficultate ſententias à præfectorũ
primoribus ſeparatim exquirendas cenſerent: uel
ob id, quòd Malateſta & Stephanus de ſcripto ſigni
ficarant, ſe omnes cohortiũ præfectos pridie aduo-
caſſe, propoſitoq; pugnę conſilio, & quãnam parte,
quóue itinere, ſi ineundi prælij opinio probaretur,
erumpendum foret, affirmarant eam eſſe omnium
ſententiam, niſi iniquiſsima conditione prælio cer
tari non poſſe, ſic ut ciuitatem maximè euidenti ſu-
premæ calamitatis periculo obijci conſtaret. Itaq;
quum ab aliquibus probatæ uirtutis & fidei præfe
ctis ſigillatim ſententiæ exquirerentur, neminem
ferè reperiebant, qui tantæ rei difficultates audacio
ribus eleuaret uerbis, aut ullam omnino proſperè
edendi prælij ſpem promitteret, quanquam ad unũ
omnes ſe dicto atque imperio obtemperaturos, &
fortem nauaturos operam pollicerentur. Sed unus
ante alios ætatis honore, & longo militiæ uſu faci-
lè ſuperior, Paſquinus Corſus, qui ſub Ioanne Medi
ce ſpectata cum laude ordines ductarat, quãquam
inculta facundia, non inepta tamen, uſq; adeò libe-
rè commemoratis difficultatibus atq; periculis diſ-
ſeruiſſe uiſus eſt, ut nihil ſtultius atq; damnoſius fo
re teſtaretur, quàm ſi eruptione pugnandum ſtatue
rent: proptereaq; infenſis toruisq; oculis eum po-
pulares intuerentur, & nonnulli cõprehendendum
atq; extemplò capite puniendum dicerent. Quo ru
more ad eius aures perlato, Paſquinus poſtea curię
limine abſtinuit, nec niſi ſuorum cohortibus ſtipa-
tus, in area uerſari auſus eſt. Neq; propterea magi-
ſtratus, quin obſtinatè in ſententia perſiſterent, per
ſuaderi ullo modo poterant. nam identidem ſingu
lis diebus ab utroque duce flagitabant, ut omnino
ad erumpendum corpora atq; animos & neceſſaria
arma compararent. Quibus importunis expoſtula
tionibus, duces ita & de ſcripto ſemper reſpõdebãt,
ut magnopere ea conſilia deteſtarentur, quãdo ma
nifeſtum totius belli, ſummæq; rei diſcrimen agno
ſcerent, ideoq; pacis atq; cõcordiæ æquas rationes
præferrent, ac obiter, poſtquam de conditione lo-
qui cœpiſſent, poſtulabãt, ut ſibi ad Aurantiũ duos
legatos mittere liceret, quorum fideli induſtria eius
introſpici exploriq; ſenſus omnes, atque referri
certius poſſent, quoniam de eius uoluntate poſtu-
latisq;, diuerſa ab his quæ magiſtratus dicerent, au
diebantur: nec ea quidem de cauſa, ut ipſis tractan-
dæ compoſitionis negocium eriperent, & ſibi uſur
parent, quod publici magiſtratus muneris eſſe fare
rentur, ſibiq; uti deceret atq; æquum eſſet, tempe-
ſtiuè

ſtiuè cauerent. Id uerò præclarè confirmabant, ſi ſu-
perbus hoſtis honeſtas pacis conditiones repudia-
ret, & libertatis nomẽ reuellere, potiriq; ad arbitriũ
dedita ciuitate cõtenderet: aut ſi populus ab omni
concordiæ mentione auerſus foret, pugnandumq;
decerneret, ipſos non recuſaturos uel certiſsimæ
mortis periculum, quin donec uita ſuppeteret, pro
ſalute dignitateq; urbis decertarẽt, quando ſe nuſ-
quam aut nobilius aut honeſtius uitam morte com
mutaturos arbitrarentur. Sed id unum præcipuè ab
æquitate ſummi magiſtratus poſtulare, ut aduo ca-
to maiore populi conſilio, ipſis concionandi libera
facultas daretur: ſcilicet, ut propoſitis inſtantium
diſcriminum difficultatibus, an eadem omnium fo
ret, quæ tum decurionum eſſet, repudiandę concor
diæ atq; appetendi prælij uoluntas, numeratis ſuf-
fragijs explorarent. Quod ſi ex mora & prolixa cun
ctatione temporis beneficio frui poſſe confiderent,
ſubindeq; remedium certum afflictis rebus alicun-
de afferri poſſe ſperarent, ſibi magnopere opportu-
num & planè neceſſarium uideri, ſummum multitudi
ne imbellium exoneraſſe, quo inopia leuaretur, quũ
iam fames urgeret: ipſos enim certis præſidijs eã
turbam in tuta loca mœnibus feliciter educturos,
deceptis ſcilicet, aut ſi ita caſus ferret, ſtrenuè repul
ſis hoſtibus. Tum uerò ſe daturos operam, ut mili-
tes æquiſsimis animis obſoniorum omniũ, uinię;
inopiam ferrent, modò illis preſenti pecunia ad die
ſtipendia ſoluerentur, & quando cuncta alia eos ali
menta deficerẽt, pane etiam cibario atq; furfuraceo
contentos fore. Interim dum ſenatus his grauiſsi-
mis diſſentiẽtium ducum reſponſis, ſeueriſq; obte-
ſtationibus angeretur, ferè uno tempore in curiam
certius allatum eſt, Aurantium poſtridie Cal. Augu
ſti cum delecta parte exercitus è caſtris, ad opprimẽ
dum Ferruccium contendiſſe, poſteroq; die eo euen
tu conflixiſſe ad Gabinianum, ut ipſe in primo con B
greſſu caderet, & eius equites terrore concepto in
fugam uerterentur. Sed mox tanta ui à reliquis du-
cibus inſtauratam fuiſſe pugnam, ut Ferruccianæ
copiæ, ipſarum duce interfecto, & Paulo Cerite ca-
pto, amiſsis uexillis funditus delerentur, nec iam
ulla ſpes reparandi exercitus ſupereſſet. Quo atroci
nuncio, quanquam in uniuerſum ciuitas admone-
batur, ut ad deditionis tractandę conditiones tem-
peſtiuè decurreret, nihil tamen principes popularis
factionis, qui erant in magiſtratibus tanto commu
ni periculo permouebantur, ſed magis ac magis du
ces urgebant, ita ut ab his in ipſum committendæ
pugnæ decretum præſentem operam exigerẽt, qua
eorum uirtutis ſimul & fidei in extremo reipub. di
ſcrimine periculũ facturi eſſent. Erat is peruicaciũ
animorũ habitus uſq; adeò ſtabilis & confirmatus,
ut Malateſta magnopere miraretur, cur Florentini
præſides nihil omnino de priore ſententiarum fe-
rocia remitterent: quandoquidem res aduerſę aliãs
comminuere, uel inſolentium ſpiritus ſolerẽt, ipſis
autem aducto periculo mirum in modum augerẽ-
tur: ſic ut hæc nõ ab inuſitata animorum fortitudi-
ne, ſed à uiolenta quadam rabie, deſperationeq; re-
rũ proficiſci prędicaret. His de cauſis fiebat, ut non-
nulli ex primoribus popularium eam Malateſtæ o-
ris libertatem, & obſequendi cõtumaciam, tanquã
dubię fidei implicatam apertè calumniarentur, adij
cerentq; non ideo illum, qui natura pugnacis eſſet
ingenij, reformidare prælij euẽtum, quòd hoſtium
uires inſuperabiles putaret: nec quòd urbanas res
æquo impenſius propter annonę inopiam afflictas
arbitraretur, repugnare magiſtratuũ uoluntati, offi
cioq; ſuo deeſſe: ſed eum prorſus Clemẽtis promiſ-
ſis atq; muneribus corruptum, militiæ ſacramentũ
negligere, obidq; ſe dicto atq; imperio audientem
minimè fore ſtatuiſſe. Nec deſuit feroculus, notus
ſenator Andreolus Nicolinus, è decurionum nume
ro, qui diceret Malateſtam, quũ ueniret in curiam,
comprehendendum eſſe, atq; extemplò Pauli Vitel
lij exemplo capite mulctandum. Quam atrociſsimi
de ſe iudicij cogitationem Malateſta facilè ſubodo
ratus, uſq; adeò grauiter tulit, ut quum inermis, &
paucis à pedibus ſeruis, humili uectus mula, quòd
eſſet tenuiſsima ualetudine, ad decuriones conſul-
tandi cauſa aſcendere conſueſſet, uir æquè ferox &
ſuſpicax, numeroſo ſatellitum comitatu ſeptus, eo
die ad ſenatũ accederet: ita diſpoſitis in limine atq;
atrio curiæ ſcalisq;, & ſuperiorum conclauium ſin-
gulis foribus, armatorum præſidijs, ut aduerſus om
nem inteſtinam uim, quæ inferri poſſet, munitiſsi-
mè ſe confirmaret, & libero ore in conſeſſu querere
tur fidem ſuam in dubium à quibuſdam contume-
lioſe reuocari, deſpiciq; ſua conſilia, quæ de compo
ſitione protuliſſet, ſtudio quidẽ propenſiſsimo con
ſeruandæ ciuitatis, poſtquam ipſis cuncta omnino
aduerſa, hoſtibus autem, ſi tot irritos conatus enu-
meraret, proſpera atq; felicia prouenirent. Propter
ea ſe ſuperos orare, ut eam mentem ſenatui darent,
unde ipſorum conſilia cõplecterentur, quæ reipub.
ſalutaria forent, poſtquã eò eſſet deuentum, ut mi-
nimè prolixa deliberatione opus eſſe iudicaret. De
curiones ad ea mitiſsimis uerbis reſponderunt, di-
lueruntq; adeò appoſitè totam eam ſuſpicionem,
ut ipſi & Stephano binos legatos ad Ferdinandum
Gonzagam mittendi facultatem concederent, (ad
eum ſiquidem, mortuo Aurantio, militari conſenſu
ſumma imperij authoritas reciderat) quibus de cõ
poſitione loqui referreq; liceret. Tum uerò Malate-
ſta diſceſſit, & re cum Stephano communicata, le-
gati confeſtim ad caſtra hoſtium miſſi ſunt. Sequẽ-
ti die dictator cum decurionibus atq; decemuiris
legatos audijt, qui eam eſſe mentem Cæſaris à Fer-
dinando referebant, ut incolumis libertas ciuitati
ſeruaretur, & his quidem conditionibus, quæ neq;
immodicæ, neq; ab ulla parte omnino ſpernendæ
uideri poſſent. Sed adeò maleſana erat popularium
uoluntas, ut nihil ſibi ex conditionibus detrahi uel
lent, quibus futurum intelligebant, ut reductis Me
diceis atq; patritijs, popularis ſtatus forma mutare
tur, unde ipſos, qui tum publica munia in lucro ha-
berent, magna ex parte excludi apparebat. Nam ple
riq; nõ ad decus reipub. ſed ad priuatum quæſtum,
magiſtratuum honores reuocabant, quibus medio
cres & nonnulli ex fece populi homines ditari con
ſueuiſſent, poſtquam nobilitas perculſa populariũ
metu in exilium abijſſet. Itaq; non multum inter ſe
conſultantes, propoſitæ concordiæ conditiones ſu
perbè repudiarunt, & ad priſtinum experiundæ prę
lij fortunæ decretum redierunt, tanta obſtinati ani
mi perſeuerantia, ut Malateſtæ eam eſſe ſenatus ul-
timam uoluntatem ſignificarent, ipſorum ducum
conſilijs uti nolle, ſed ab his tantũ fortem fidelemq;
militiæ operam requirere. His acceptis mandatis,
duces uſq; adeò intempeſtiuam atq; execrabilem
decurionum, dictatorisq; præſertim pertinaciam
ſtomachati, quòd ipſorum uel certiſsimæ rationis
conſilia nihil ualerent, atq; improbè deſpicerentur
ab his qui militię imperiti corruere, & ſecum in eam
dem ruinam extremæ calamitatis, patriam cæca li-
bidine trahere mallent, quàm neceſſario, nõ iniquæ
pactionis remedio ſeſe ſuaq; omnia confirmare, his
uerbis per Cencium Strabonem de ſcripto reſpon-
derunt: Poſtquam uobis excelſi reipub. præſides im
mota manet mens, ea penitus aſpernari cõſilia, quę
toties opportuna periculo quo premimur, ſincerè
ſtudioſeq; protulimus: nunc tandẽ arbitrati ſumus,
ſicuti uiros militares, & nõ obſcura præditos digni
tate decet, oporterq; cunctas ſcilicet militiæ ratio-
nes ad bellicum decus reuocantes (id enim unum
ipſa uita carius eſſe debet) nobis maturè conſulen-
dum, ne uobiſcũ, ſi impio ueſtro imperio parẽdum
puremus,

putemus, in idem exitium cum inexpiabili existimationis noſtrę infamia perducamur: quando quidem nihil turpius atque ignominioſius nobis accidere poſsit, quàm ſi huic urbi, quam undecimũ iam menſem impigrè defendimus, uolumusq; non modò incolumẽ, ſed ſaluis etiam, quòd maximè optatis, liberæ ciuitatis legibus florentem, horribile ſupremi excidij periculum ab inſana inauſpicatæ pugnę cupiditate procreemus. Proinde certum eſt intereſſe nolle, neq; nos duces præbere huic peruerſę, ideoq; exitiabili funeſtæq; eruptioni. Illud autẽ, ut hoc cõſilij ſuſciperemus, uehemẽter impulit, quòd uniuerſæ ciuitatis iudiciũ ſequi, iuſtũ honeſtumq; ſit, quum multo maximę partis ciuium uoluntates ad deditionem proclinatas intelligamus: & idcirco ciuibus maius conſilium, uti poſcimus, denegatum fuiſſe ſuſpicemur, quo non dubiè, aduerſis ſuffragijs pertinacia ueſtra frangeretur. Hæc ſcripta quum à decurionibus legerentur, Cencius militari libertate inſolentes quoſdã ſermones, quibus magiſtratuum offendebantur animi, ita ſerere cœpit, ut ex tranſuerſo decurionũ obtutu non obſcurus omnino metus ei incuteretur. Itaq; uim apparitorũ ueritus, ille celeriter ſe explicuit, ſcalasq; magnis paſsibus deſcendit. Quum ea ducum reſponſa, uerbaq; Strabonis aliena prorſus ab eorũ mentibus, & planè contumelioſa uiderentur, decemuiri cum decurionibus dictatoreq; in unum coëuntes, utpote qui elati atq; ſeueri aduerſa uel acerba audire nũquam antea didiciſſent, raptim Malateſtam ipſo honore militaris imperij abdicandum cenſuerunt, foléniq; diplomate cũ ſumma uerborũ lenitate perſcripto, quo ſe dimitti perſpiceret, ad eum extemplò duos ſenatores, qui ea in re magiſtratuũ decreta certius referrent, miſerunt. Hi fuere Andreas Nicolinus, legatione, dum Bononiæ eſſet, apud pontificem functus: & Frãciſcus Zattus, ambo populares, auerſiq; penitus à concordiæ ſtudio ſaluteq; ciuitatis. Habitabat eo tempore Malateſta trans Arnum Binianis in ædib. Catelinæ portæ propinquis, expectabatq; ut magiſtratuum miteſcerent animi, & ad meliora conſilia uerterentur. Proinde admiſsis legatis, atq; his mandata, quę habebant, referentibus, uſq; adeò uehementer cõturbatus iracundiaq; correptus eſt, ut Nicolinũ diſtricto pugione repetitis ictibus, ſed dextra tamen debili uulneraret; quòd arrogantius quàm deceret, proloquutus uideretur: uixq; illum aſtantes milites, ut legatis parceret, obnixè deprecantes, lenita ducis iracundia morte ſubtraherent, ipſe uerò Zattus grauiſsimo metu perfunderetur. Eius à Malateſta editi facinoris perinde atrocis atq; ſuperbi fama celerrimè peruaſit in curiam, & incon ditum tota urbe tumultum ita excitauit, ut eodem propè momento temporis, cùm ciues ipſi, tum milites ad arma decurrerent, & tota area ſingularum tribuum uexillis cõpleretur. Hic armorũ ſtrepitus ad id Malateſtã impulit, ut occupandæ Catelinæ portæ cõſilium caperet, & Marguttem Peruſinæ cohortis præfectum eò conuolare iuberet, à quo fores refringerẽtur, & tormenta quæ in propugnaculo erãt in hoſtes obuerſa, ad terrorẽ atq; perniciem ciuiũ, ſi quid hoſtile auderent, illico cõuerterentur. Tum uerò dictator è feneſtra armatas tribus proſpectãs, & ſubita exardens iracundia, quòd Malateſta perfidioſe atq; inſolenter legatos uiolaſſet, tanta animi perturbatione caſum eſt indignatus, ut ſibi omnino in hoſtes, armato conſequente populo erumpendum, ideoq; honeſtè cadendum eſſe ſtatueret, ſibiq; inſtratum equum, dictatorijs operimentis exornatum adduci iuberet, iamq; deſumptę loricę dictatoriæ poteſtatis paludamentum, quod paulo antè in hos uſus cõfici curarat, ſuperindueret, & ſingularis amentię quodam furore percitus, ſpumeis labris & dentibus infrendens deſcendere pararet, ſic ut eum plerique ex populari factione, qui deſperata uenia plurimum de ſalute dubitabãt, ſi aduerſarijs ſuccubuiſſent, dictatorem laudando, quatiendoq; arma, magnopere concitarent. Eoq; die profectò lugubre ciuitatis ſpectaculũ Raphaël furibundo ſimilis ediditſet, niſi cõſtantiſsimi probiq; animi uetuſtiſsimę familiæ ciuis Cecottus Toſinghus efferueſcẽtis animi motũ, in dictatore graui dehortatione mitigaſſet. Is enim propius accedens, Patere, inquit, dictator, ut uoce liberi ciuis utar, & te nõ importunè tui muneris, tuæq; dignitatis, & publicę omnium ſalutis admoneam. nihil enim incommodius & peſtilẽtius in magnis conſilijs præcipiti iracundia eſſe poteſt. Proinde compeſcenda eſt hæc tua ardentis animi uis impotens, eaq; omnis ad rationem ſalubrem, conſilium omnino conuertenda uidetur, ne cuncti, ſi eodem impetu cum externo atq; inteſtino hoſte pro dignitate tui imperij dimicaturũ ſubſequamur, uel nõ multi, miſerrimè tamẽ pereamus. Nam eſto, quòd duces ad ſanitatem redeant, & milites dicto audientes eſſe uelint: non uideo tamen, qua uia nobis ſit erumpendum, niſi mœnia demoliamur, ut egreſſuris latus aditus paretur. Neq; enim quatuor horarũ ſpacio, tot armatæ cohortes Catelina porta educi poſſe cõſtat, ſic, ut ſi ſenſim educantur, nõ antè inſtrui queant, quàm hoſtilium tormentorũ non dubia atq; ineuitabili procella conſternantur. Hos Toſinghi ſermones nequaquã conuicioſe prolatos, ita nonnulli alij æquè prudentes exceperãt, quòd Toſinghus magni in re militari uſus haberetur. nã ab adoleſcentia Piſano bello præclara cum laude ordines duxerat, ut in dictatore impetus omnis cõcepræ iracundia deferueret, & ſeſe reprehendi ciuili modeſtia pateretur, omnesq; propè qui aderant, ut ex uultu ſingulorum agnoſci poterat, petendam pacem potius, quàm experiunda arma iudicarent.

Accidit autem, ut eadem hora trans Arnum magna multitudo ciuium in aream templi Sancti ſpiritus conueniret, & Malateſtæ cauſam, factiq; ipſius nomen, quanquã uiolato ciue, non magnopere improbaret, deteſtaretur; palam magiſtratuũ acerbitatẽ, qui uel honeſtas concordiæ conditiones abnueret, Decuriones autẽ offenſi iracundia atq; alienatione Malateſtæ, ne rempublicã in ſummum diſcrimẽ adducerent, diſſimulata iniuria Nicolini, Zanobium Bartholinum, quem tanquã amiciſsimũ Malateſtæ maximè idoneum iudicabãt, ad eum inter duos ſupremi magiſtratus uiatores miſerunt, ut molliendo exorãdoq; operam daret, ne ex eius perturbatione reſpublica detrimentum pateretur. Is facile placato Malateſta, uti optimus ciuis, & publicæ ſalutis amãtiſsimus, rogauit etiam eum priuato nomine, ut in negocio impetrandæ concordiæ, ſicuti cœperat, ſatagere uellet: quando iniquiſsimũ eſſet atq; miſerrimum, uniuerſam ciuitatẽ extremæ labis calamitatẽ ſubire, ſi paucis perditæ obſtinationis, deſperatiſq; hominibus aſſentiretur, qui improbi atq; impij ſui exitus famã ab excidio deletæ patriæ quærere properarẽt. Excuſauit Malateſta paucis uerbis iuſtæ iracundiæ ſuæ impetum, quem in Nicolinum effuderat, Cẽciumq; Strabonẽ paulo pòſt in caſtra ad hoſtes miſit. Is Ferdinandum aliquanto molliorem reperit, quòd eum Valorius de ſalute patrię ſolicitus, magnis precibus pontificis nomine diligenter atq; uehementer obſecraſſet, ut de concordia tranſigere maturaret, ne paucorũ pertinacia, & ſua cunctatione, urbs nobiliſsima in periculum ſupremi caſus deuocaretur. Iã enim excitati in urbe tumultus fama, ſtrepitusq; in caſtra peruenerat, exindeq; alacres fiebant milites, qui opulentiſsimã urbem prædæ ſuæ deſtinaſſent. Nec multo pòſt magiſtratuũ peruicacia meliorum impulſu, atq; ipſa prorſus neceſsitate ſuperata, ex ſenatuſconſulto quatuor legati ad Ferdinandum decreti miſsiq; ſunt. Hi fuere Bardus Altouitus,

touitus, Laurentius Strozza, Petrus Frãciſcus Portinarius, & Iacobus Morellius, qui apud Ferdinãdũ atq; Valoriũ ſummæ Cęſaris atq; pontificis authoritatis nomen præferentes, his cõditionibus de cõpoſitione pepigerunt. Ante omnia conſtituendæ atq; ordinãdæ reipub. facultas arbitrio Cæſaris permittitor: ſic tamẽ, ut incolumi libertate Florentini ſuis antiqui iuris legibus utantur. Ciuitas mulctæ nomine octoginta aureorũ nummũm milia, ut ſtipendia militibus præberi poſsint, quadraginta in preſens, reliqua intra ſex menſes perſoluito: de promiſſa uerò pecunia obſidibus caueto, & quos imperet Ferdinãdus numero quinquaginta ciues nominatim traduntor, qui in caſtris cuſtodiantur, donec pecunia repreſentetur. Florentini his urbibus & oppidis atq; arcibus, quas præſidijs obtineant, confeſtim excedũto, & quos in carceribus, Florentiæ, Volaterris, & Piſis cuſtodirẽt, extemplò dimittantor. Malateſta & Stephanus, militiæ ſacramẽtum, quod antea populo Florentino dixerint, ſolenni renũciatione facta, ſtatim eiuranto, obligataq; fide Balanzoni Belgæ, Cæſaris cubicularijo promittunto, ſe tãdiu in cuſtodia urbis cum his copijs, quas ſatis eſſe putauerint, permanſuros, donec concordiæ conditionibus planè ſit ſatisfactũ, alimentaq; ciuitati omnis generis commeatus à Cæſarianis interea præbẽtor. Ipſius uerò Malateſtę officij atq; muneris ſit, tam diu, quàm Cæſarianæ copiæ dimittantur, Florentiæ permanere: atq; ipſe demum urbe excedito, quũ id facere pontificis imperio iubebitur. Cunctis autem Florentini nominis ciuibus, libera migrandi Romam facultas eſto, & quibuſcũq; locis placeret, domicilium figere, habitareq; impunè poteſtas conceditor: cunctiq; uel Etruſcæ uel cuiuſuis gentis milites, qui Florentinorum ſtipendia feciſſent, & propterea uel exilio, uel pecunia, & bonis à pontifice mulctati eſſent, ea noxa pœnaq; liberãtor. Mediceo rum animis acceptæ offenſiones, iniuriæq; ſincera fide detergũtor. Hęc uerò perſcripta tractataq; ſunt in caſtris ad Monticiã uillam, quarto Idus Auguſti, anno à partu Virginis trigeſimo ſupra milleſimum & quingenteſimũ, ea lege, ut Ferdinandus Gonzaga, & Baucius Valorius prolixè pollicerentur, ſe intra ſpacium duorũ menſium curaturos, ut Carolus Cæſar & Clemẽs pontifex cũcta ex formula æquiſſimi iuris comprobarent. Perhunc modum compoſitis rebus, milites utrinq; commeare cœperunt: introijtq; urbem ipſe Valorius, magna frequentia gratulationeq; populi ſuſceptus, dimiſsiq; ſunt omnes qui erant in cuſtodijs, & traditi ob fides, quos Valorius iudicio ſuo nominatim eligẽdos perſcripſerat, ex eorum numero, qui Mediceo nomini inimiciſsimi fuiſſe dicerentur. Sed hi non multo pòſt, perſoluta pecunia, uti fuerat conſtitutum, in urbem redierunt: primi autem omnium Germani ueteres, quos Aurantius adduxerat, acceptis ſtipendijs miſsionẽ impetrarunt: ſecundũ eos Hiſpani, ultimo loco Itali. Cæterũm uixdum compoſitis rebus, Florentini longè grauiſsimum ſalutis ſuę diſcrimen è ſeditione militari ſubierunt. Fortè accidit, ut ex Pyrrhi cohortibus, duo noti nominis milites apud Hiſpanorum præſidia in rem ſuã euntes, quòd ditiore cultu eſſent, non ſimultatis, ſed latrocinij cauſa interficerentur, ateq; eorũ cadauera, uti poſtea ab exuuijs cognitum eſt, ad occultandum facinus in puteũ deijcerẽtur. Qua crudeli iniuria offenſus Pyrrhus, pares inſidias idoneo in loco tendens, bis totidem deprehenſos, quos patratæ cædis conſcios putarat, occiderat. exinde creuere odia, & utrinq; accẽſis ad uindictam animis, captis repentè armis cõcurſum eſt, tanta ui, ut tumultuario prælio certaretur, dirimere turq; tamen authoritate atq; interceſsione ducum: ſed nondum pacatis Hiſpanis, qui demum confirmatis uiribus, eo animorum impetu Italos quoſq; depoſitis armis, nihilq; tale expectãtes adorti ſunt, ut multos interficerẽt. Tum uerò Martij Columnæ Caſtalijq;, & nõnullæ ex Roſcianis cohortes ſeſe in unum conglobarunt, & cum irruentibus Hiſpanis uehementiſsimè conflixerũt, quòd Italici nominis decus aduerſus Hiſpanos, qui ſuperiorib. annis ijſdem de cauſis ſeditiones miſcuiſſent, defendẽdum putarent, promittentibus præſertim Germanis neutris opem laturos. Verùm quum tyrones Hiſpani, qui erant trans Arnum non longè à Lodronianis caſtris, cognito ſuorum periculo, inſtructa acie ut Veteranis eſſent auxilio, ſuperueniſſent, ſubindeq; Italis creuiſſent præſidia, atrox certamen contractum eſt: eoq; Hiſpani iam perducti erant, ut nõ dubiam cladẽ acceptari crederentur, niſi Ferdinandus in eo ualde aſpero exitiabiliq; tumultu, quòd nihil deprecando deterrendoq; authoritate ualuerat, Tamiſiũ monuiſſet, ut Germanorũ phalãgem promoueret, Hiſpaniſq; ſe applicaret, quòd Itali propter uetera in externos odia, deletis ſemel Hiſpanis, nequaquã ipſis Germanis parſuri crederentur: obidq; præſertim, quòd euulgatum eſſet Malateſtã ex cõdicto ut Italiã excuſſo penitus externæ gẽtis iugo, ſeruitute liberaret, urbe copias ſuas eduĉturũ. Eo inexpectato promotæ phalangis aſpectu, Italicæ cohortes cõmotæ, ſeſe recipere cœperũt, tanquã impares, & inſolenter premẽtibus Hiſpanis terga uertere coactę ſunt, tãta perturbatione, ut ſuis caſtris atq; tẽtorijs pellerentur, & dum Hiſpani direptione tabernaculorum occupati eſſent, neq; Sabellus è Roſciana uilla ſe cõmoueret, ut pulſis opem ferret, Arnũ trãſierunt, quum iam trina Malateſtæ uexilla conſpicerẽtur, atq; eo modo exutę, impedimentis ſub Feſulanis collibus diſperſim per uillas conſederunt. In eo tumultu ferunt amplius trecentos utrinq; fuiſſe deſideratos, ſauciatos autẽ bis totidẽ: ſed Italicas cohortes maius accepiſſe incommodũ, quòd rerũ ſuarum iacturã feciſſent. Iiſdẽ diebus Maramaldus & Vitellius, atq; itẽ Zuccerus, cum maiore parte equitum Iquis armaturæ, in Piſanũ agrum à Ferrucciana uictoria deſcẽderũt, poſitiſq; binis caſtris in utraq; ſuperiore Arni ripa, & impetratis à Lucenſibus muralibus tormẽtis, urbem intercepto multo pecore, obſidere cœperunt: quũ uerò Vitelliani uſq; ad ſancti Marci portam excurrerẽt, Michaël è Montopoli, quẽ Pyrrho ſingulare detrimẽtũ intuliſſe diximus, contineri nõ potuit, quin adaperta porta proſiliret, & cum hoſtibus leue certamẽ contraheret, quo ipſe audacius pugnãs occubuit. Nec multo pòſt Odoardo Giachinotto prætori, à Florentinis initæ cõcordiæ cum teſſera nuncius eſt miſſus, à quo Aloyſius Guicciardinus in eius locum ſucceſſurus, ſtatim eſt introductus, cui Piſani extẽplò ſacramentũ dixere. Ipſe uerò Odoardus, traditis iam arcibus, nõ multo pòſt à Guicciardino comprehẽſus eſt, diuq; tortus, quòd paulo antè Piſis Iacobo Corſio eiusq; filio Florentinis ciuibus ſumma crudelitate ex leuiſsima ſuſpicione ceruices abſcidiſſet, pari ſupplicio affectus eſt. Maramaldus autẽ atq; Vitellius Piſano agro excedentes, hic per Elſæ uallis pagos ad Florentinum caſtellũ, ille uerò per Neuolę uallis uicos ad Montecatinum oppidũ conceſſerunt, donec perſoluto militi ſtipẽdio cohortes dimitterẽtur. Recepta patria, & è ſententia compoſitis Etruriæ rebus, Clemens incredibili lætitia affectus eſt. Eo autem impenſius exhilarari uidebatur, quòd Aurantius, cuius ingẽti merito nequaquã facilè ſatisfacere poſſe iudicaret, in ipſo uictoriæ limine cecidiſſet. Is namq; non obſcura fama ferebatur, Catharinam, ipſius pontificis neptem, ſuis deſtinaſſe nuptijs, ut ex ea Mediceę domus legitima hęreditate in Etruria dominatũ conderet. Iam enim Franciſco Ruſcio quodam Aretino impellente, urbem Aretium ditionis ſuę facere cogitarat, Aretinorum ſtudio non abſurdè compara-

to, quum arcem eorum à Florentinis ædificatam, gemente Valorio, funditus euertisset. Cæterũ pontifex, quòd suæ existimationis pietatisq; fore existimabat, tueri nomen, quod sibi desumpserat, moderata utens ultione, paucissimorum pœna cõtentus fuit. Duodecimuiratũ creari iussit, cuius magistratus authoritate ciuitatis status regeretur. Is constabat ex lectissimis ciuibus, qui omnibus tẽporibus Mediceo nomini mirificè studuissent, & tum ante alios usu rerum, ciuiliq; prudentia laudem ferebãt. In his fuit princeps ipse Baucius Valorius, in quem pontifex omnem arcani consilij summam contulerat: & secundum eum Zanobius Bartholinus, Matthæusque Nicolinus, & Armannoctius Detus, ambo iurecõsulti, Aloysius item Stufa equestris dignitatis, Antonius Gualterottus, Andreas Minerbettus, Leonardus Ridulfus, Philippus Machiauellus, Octauianus Medices, & ipse quoque Raphaël Hieronymus dudum dictator, & aduersarum partium princeps, postremo autem loco Nicolaus Troscia popularis ordinis. Ab his creati sunt noui decuriones, & reliqui ex priore formula magistratus, Raphaëlq; ipse duodecimuirali honore contentus, abdicarat se dictatura, suffectusq; fuerat in eius locum Ioannes Corsius, optimis instructus literis, & Mediceæ familiæ multis nominibus addictus. Exinde creati sunt octouiri, qui uitæ & necis traditam à decurionibus habẽt potestatem. Ab his aliquãto pòst in curia comprehensi, reiq; facti maiestatis, capitali supplicio damnati sunt, Baptista Ceus, & Aloysius Soderinus, & secundum hos aliquot post dies, Bernardus Castellioneus, Iacobùs Gerardus, & Franciscus ipse Carduccius, qui acerbissimus popularium partium fuerat dictator. Hi pro multis debitas peruersis ipsorum moribus pœnas dederunt, priuatis quidem criminum nominibus in quæstione conuicti. Non enim eo nomine damnabãtur, quòd Mediceo nomini infensissimi hostes fuissent, & pertinacissimè pro tuẽda libertate propugnassent: id siquidem non honestum modò, sed ualde etiam decorũ putabatur libertatis nomen constantissimè defendisse. His tamen omnibus concessum est, ut maiorũ sepulchris inferrẽtur. Zanobio autem Bartholino, Malatesta, Raphaëliq; Hieronymo, Ferdinãdus Gõzaga salutẽ impetrarunt. Dantem Castelioneũ Stephanus Columna, imposita sacrificuli cuculla, secũ abduxit, tãquam uirum egregiè fortẽ, qui singulari certamine pro dignitate patriæ dimicasset. Effudit autẽ pontifex totum contumeliæ suę odiũ in Foianum cucullatũ, qui eum illoto ore in sacris concionibus intemperãtissimè lacerasset. Coniectus siquidem in baratrum molis Hadriani, totius insanæ facundiæ suæ pœnas fœda morte persoluit. Non defuere siquidẽ ex ciuibus, qui priuato incitati odio pontificem ad exercendam crudelitatem impellere conarentur: sed is cunctis in rebus, quæ pœnam aut præmium respicerent, uel supra æquum temperatus, importunam uindictæ libidinem moderatissimè contriuit: utpote qui incendiarios, maleficosq; extremæ peruicaciæ homines, exilio mulctasse contẽtus fuerit, quum aduersarum partium principes, Thomam Soderinum, & Alfonsum Strozzam honoris causa in uillas ipsorum uoluptatibus dicatas relegasset: reliquam uerò turbam publico damnatã iudicio, eodemq; nomine relegatam, per Italiæ oppida disseminasset, ea conditione, ut pro merito nõ nulli efferatos spiritus retinentes insalubribus locis, sicuti Grauiscis, Centumcellis, Terracinæ, & ad Superum item mare Senogalliæ, Pisauri, & Rhauennę sedem sortirentur. Per hunc modum temperatę seueritatis urbe perniciosis ciuibus repurgata, aduenere ab Augusta Vindelica decreti Cęsaris diplomata, solennibus latæ membranę codicillis perscripta, obsignataque aureo sigillo, quibus Cæsar diser-

A tè explicabat, se idcirco ab Hispania uenisse in Italiam, ut sublatis bellis certam atq; optimam pacem afflictis Italiæ rebus apportaret, contentiones tolleret, parataque cum omnibus, quibuscum antea armis contendisset, concordia, sacrum bellum contra barbaros Turcas indiceret, quo nihil sibi antiquius atque nobilius, uel reipub. Christianæ utilius fore existimaret: unos omnium uerò repertos esse Florẽtinos, qui pacis & tranquillitatis nomen odissent, animos feroces iniquissimè retinerent, & cùm priuato, tum publico commodo obstinatius aduersarẽtur: utpote, qui antea rebelles animos induerint, Mediceam familiam, à qua priuatim & publicè cõmoda atque ornamenta ingentia omnibus temporibus accepissent, patria pepulerint: oblitique prorsus beneficiorum & immunitatum, quas superiorũ Cæsarum indulgentia liberalitateq; retulissent, ab ipsius demum authoritate discesserint, ipsorum copias & duces aduersum se Neapolim miserint, aduentantiq; exercitui suo portas occluserint. Quas multiplicis iniuriæ contumelias, quũ pati non posset, & suæ dignitatis esse statueret rebellem ciuitatẽ perdomare, coactum fuisse inferre arma, postquam tentata sæpè concordia, atque æquissimis oblatis conditionibus, uel uitio temporum, uel pertinaciũ quorundam ciuium malignitate corrupta, à pace se prorsus alienam ostendisset, proptereaq; integrum ferè annum obsederit: se tamẽ, quum armis fameq; perdomitam, iure optimo expugnare, atque militibus diripiendam tradere posset, nihilo secius Cæsareæ clementiæ nunquam oblitum, populi resipiscẽtis pœnitentia fuisse contentum, atq; ipsum pontificis maximè precibus adductũ, conseruare uoluisse. Quum uerò, sicuti ex deditionis conditionibus liqueret, ipsius Augustæ potestatis, imperatorijque arbitrij sit leges condere, & rempub. ordinare: ideò B optimum fore existimabat, quòd perpetuam ciuitatis traquillitatem respicere uideatur, Mediceam familiam reduci, atque restitui in pristinam dignitatem. Et quoniam præclarè manifesteq; constat, in liberis ciuitatibus nunquam uigere concordiam, propter diuersa dissidentium facilè ciuium studia: easq; improsperè semper atque infeliciter regi, nisi stabili perpetuoq; reipub. capite gubernentur: declarat Alexandrum Medicem, quem sibi generum asciuerit, reipub. caput, cuius singuli magistratus authoritatem sequantur, eaq; dignitas ad liberos eius legitimos pertineat, atque his deficientibus, ad proximiores Mediceæ stirpis totius eius præeminentiæ & dignitatis iura deuoluãtur: subindeq; Cæsar cũcta ueterum beneficiorum atque immunitatum priuilegia, quæ aliàs promeruerint, sincero affectu confirmat. Hæc, ut perpetuò seruentur, imperat, & his qui uiolauerint, decem myriadũ puri auri mulctam indicit. Huius diplomatis sententias, quæ Latinè perscriptæ erant, Italica loquutus lingua, ut ab omnibus intelligerentur, uertit, & promulgauit Antonius Musettola Neapolitanus iureconsultus, qui tum Cęsaris legati munere fungebatur, membranã explicatam, aureoq; sigillo & manu Cæsaris subscriptam sæpè ostendens, & legendam his qui uellent, libentissimè præbens. Ipso autem Musettola perorante, assurrexit dictator Benedictus Bondelmontes, qui nuper eductus fuerat è Volaterranæ turris carcere, in quẽ antea populares relegarant, is iuxtà assidebat, hisq; uerbis respondit: Grata nobis atq; lætissima erit hodiernæ diei recordatio in omnem æui posteritatisq; memoriam: quandoquidem præclaro magni numinis munere, & inuictissimi Cæsaris beneficio, optimè constitutę reipub. ac duraturę tranquillitatis initium auspicamur. Quod igitur felix faustũq; sit Florentino populo, leges nobis latas à Cæsare, ad non dubium huius rectè atq; appositè ordinati status incrementũ suscipio, ueneror q;: ser-

uaturumq;

uaturumq; polliceor, ac pari studio atque obsequio magistratus, cunctique ciuitatis ordines, qui pręsentes adsunt, suscipient, atque optima fide seruabunt. Tum uerò ad dictatorẽ legatumq; simul à dextris assidentem, singuli magistratus uiritim accesserũt, tactoq; diplomate, atq; honoris causa inclinatis capitibus, quæ dixerat dictator, approbarunt. Primi fuere decuriones, octouiri & decemuiri, qui ab integritate iudicij, famaq; probitatis, Boniuiri uocantur. Ad hos tres Guelpharum partium duces defensoresq;, qui magistratus in urbe uetustissimus habet: itemq; octouiri, qui belli & pacis negocio præsunt, ideoque practici nuncupantur: hos subsequuti sunt octouiri, qui summam uitæ & necis habent potestatem. Cum his iere quinqueuiri, qui ærario præsunt, itemq; septemuiri, conseruatores legũ appellati. Post hos triumuiri fisco præpositi, & secundum hos mercaturæ sextumuiratus, & quartumuiri urbis muniẽdæ curatores. Postremò duodecimuiri, quibus ab initio ordinandæ reipub. munus fuerat demandatum. His accesserunt ex Mediceorum amicissimis uiginti & septem primores: ita ut in uniuersum centum & uiginti primatium ciuium numerum implerẽt. Ea die, quæ Iulias nonas antecessit, anni trigesimiprimi supra millesimum & quingentesimum, dictaturæ simul & decurionũ nomẽ, antiquata ueterum magistratuum formula, sublatum est, & principatus ex decreto Cæsaris, in ciuitate, uel nõ planè libero ciuium assensu, feliciter introductus, sic ut Alexãder Medices è Belgio rediẽs, ubi tum agebat apud Cæsarẽ, inauguraretur, & reipub. Florentinæ dux, quæ uox hodie dynastam & principẽ exprimit, gratulantibus penè omnibus appellaretur. Eiusdem anni principio, quo hæc Florẽtiæ confecto bello transacta sunt, extremæ terrarũ in Belgis regiones, quę Gessoriaco litori incũbunt, repentina atq; inusitata prorumpẽtis Oceani inundatione summã cladem subierunt, qua nobiles paulo antè urbes, frequentissimaq; oppida, superfundente sese mari, periere, usqueadeò miserabili calamitate, ut infinita propè mortalium multitudo, intercepto fugæ remedio, opprimeretur. Nam horribili prodigiosoq;, sicuti cõiectari licuit, terræmotu cõcussus Oceanus, ita magno æstu intumuit, ut institutos antiquitus, & perpetua cũstodiæ diligẽtia ferè quotidie ab accolis instauratos aggeres, quib⁹ submoueri arceriq; æstuantis maris fluctus consuerant, concitato quodam & uehementissimo incursu perrumperet, interiorisq; plagæ terris altissimarum & reciprocantium undarum pelagus per transcensos margines effunderet, animantiaq; subinde omnis generis irrito receptus cursu, in aridas litoris partes perfugere conantia, ocyssimè mergerentur: quibus longo natatu fessis, & fame morientibus, marinæ belluæ non dubio pauore attonitæ, impulsaq; fluctibus cõterritorum piscium agmina succedebant. Prænunciarãt hanc cladem triduo antè densissimi imbres, diraq; tonitrua scintillantis aëris, & crebra motatio telluris, perpetuoq; biduo cõcursantium inter se uentorum diuersi turbines: ita horribili pauore concussis mortalium mentibus, ut quum tecta nutarent, & ingruente ineuitabili aquarum mole, colluctantibus scilicet elementis, tota uniuersi orbis compages resoluta, in antiquum chaos redigi crederetur. Ea porrò calamitas longè maxima incidit Caneniphatum, & Batauorum insulis, quæ Selandæ & Holandæ à nostris hodie nuncupantur. Nam præter eas, quæ inundantis maris impetu multorum cubitorum altitudine penitus submersæ fuerant, Alendebucha quoq; & Harles, & Exclusæ clara oppida, ita fluctibus oppressa deuorataque sunt, ut uix sacrarum turrium & templorum fastigia extarent, quæ horribili æquè & sæpe metuenda excidij memoria cladem testarẽtur. Sed

A nonæ Nouembres tantis malis finẽ attulerunt, quũ postridie Calendas, sereno (quod mirum fuit) cœlo, sed mox portentosum in modum ab repentina effusi imbris, & certantium inter se uentorum procella cõmutato, dira ea tempestas accidisset, tanta admiratione mortalium, ut nulla ab orbe condito maior & grauior ullis gentibus clades, post diluuium Mosaicis literis celebratum, incidisse crederẽt. Nec multo pòst sequenti mense Ianuario, par propè exitij clades Lusitanis, in ipsis proculdubio uisceribus terræ, furente debacchanteq; Æolo, illata est: cuius impetu urbs Vlyssippo in primis incõparabile detrimentũ sensit, & post eam Coloniã, Sanctæarenę, & Azembugerę, Almeriniq; urbiũ publica priuataque ædificia, inusitato terręmotu conquassata proscissaq; magnam uim mortalium ruinis oppressere, & nonnulla etiam nauigia turbulento inflati maris hiatu absorpta sunt, sic, ut Tagus insanis allidentis maris fluctibus repulsus, discedentibus in utranq; ripam suis undis, sicca in medio uada obstupẽtibus cunctis ostenderet, nemoq; iam tota propè Lusitania tectis suis confideret, subsultante scilicet solo: ideoq; non citò desituram terręmotus uim ita pręmonstrante, ut regis & reginæ exemplum sequuti uniuersi ferè incolæ, tabernacula apertis in locis castrensi more erigere cogerentur, neque in his tamẽ soluti metu pernoctarẽt, quum repentinum aliquẽ terræ hiatum quo absorberi possent, nõ temerè extimescendum arbitrarentur. Iisdem quoq; diebus, Ferdinandus Caroli imperatoris germanus frater, Cæsar est appellatus: suscepitque eius nouæ dignitatis ornamenta apud Belgas, opulentiore atq; augustiore apparatu, ad Aquisgranum urbem, Caroli Magni olim sede sepulchroq; clarissimam, quæ antiquis Vegerra fuit, quum superiore biennio Bohemici regni diadema apud Pragam suscepisset. Cę- B sar dimissis conuentibus uni ei curæ institit, ut consentientibus Christianarum gentium regibus, pia arma in Solymanum, nimio plus immodicas uires extendentem uerterentur.

SVPPLEMENTI

LIBER XV.

PAcata Italia, Cæsar è Belgis, apud quos alterum iam annũ egerat, aduerso Rheno profectus, Ratisponã ad Danubium uenit, ubi totius Germaniæ concilium multis de causis, & conciliandis præsertim Lutheranorum animis erat indictum. In his erãt, Federicus Saxonum, & Philippus Lantgrauius Cattorũ principes. Vuillermus quoque Boioariæ regulus, qui multis præclaris cùm familiæ, tum uirtutis subsidijs fretus, ad imperium aspirarat, æquo animo ferre non poterat Ferdinandum superioribus comitijs, ueluti adoptante fratre, Cæsarem appellatum: querebaturq; Romanum imperium una in Austriæ domo, tanquam hæreditarium, perpetua quatuor Cæsarum successione confirmari, adeò ut eum uitio creatum diceret, & noua subinde comitia, ueluti prioribus ambitu largitioneque corruptis, flagitaret. Angebat etiam Vuillermum genus suũ à pręalta stirpe repetentem ignominia repulsæ, quã tulerat in petitione regni Bohemorum, superante suffragijs Ferdinando: quanquã ipse Bernesthenij & Cauphonis procerum, qui authoritate maximè ualebant, amicitiæ & studio plurimum inniteretur. Quibus de causis fiebat, ut Cæsar nequaquam eorum sincera fide, aut egregia uolũtate uteretur, qui uel piè sanctèq; de sacris potestateq; Põtificis senti-

rent, propterea q; minus facilem eius causæ cognitionem iudicaret: quanquam à Laurentio Campegio Cardinale legato, ad id maximè impelleretur, ut Lutheri placita damnarentur. Dum hæc exploratis procerum animis perractant, & profani iuris controuersias finiũt, certis rumoribus affertur, Solymanum innumerabilibus instructum copijs, è Byzantio in Myliam peruenisse, eadẽ confirmant Clementis, Venetorum q; literæ: magnus timor Germanis incutitur, Noricis q; præsertim, qui proximis barbarorum *incursionibus* abacta pecora, raptos in seruitutem liberos cum uxoribus, & fratres trucidatos, incensa q; ædificia, repentina belli clade conspexerant. Fama erat ea de causa redire in Pannoniam Solymanum, ut Viennam expugnaret, à cuius mœnibus paulo antè fortiter repulsus, cum ignominia discessisset: aut si Germani duce Carolo Cæsare contrà prodiret in aciem, de totius ferè terrarum orbis imperio decertaret: ipsum enim se unũ esse, ad quẽ Romanorum imperium legitimo iure pertineret, dicere solitum ferebant. Quoniam Magni Constantini, qui uniuersi orbis augustus imperator extitisset, sedem & sceptrum, atq; urbes eius imperij teneret, uti proauus Mahometes, expugnata Constantinopoli, & Constantino supremo Græcorum imperatore superato occisoq;, hæc omnia iure belli capta Ottomanicis regnis adiecisset. Propterea quum de Carolo sermones inciderent, uel literæ scriberẽtur, eum non Cæsarem, sed Hispaniæ regẽ superba dissimulatione uocare consueuerat. Elatus enim tot suis maiorum q; suorum uictorijs, quibus à Mæotide ad Erythræi Indici q; maris angustias, & ab extremis Illyrici finibus ad Armeniæ terminos imperiũ protulissent, decorum maximè & nominis sui famæ dignum putabat, in Germaniam penetrare, terrorẽ, cædes, incendia circumferre, ostentare q; aciem, ut Carolum acerbissimis suorum cladibus permotũ, ad pugnam prouocaret: sperabat enim eum nequaquam uniuerso prælio certaturum, quòd Germanos per causam Lutheranæ religionis inter se dissentire didicisset, unde sibi non dubiam, erecto trophæo laudem pararet: quòd si eo animo esset Cæsar, ut prodire nõ dubitaret, & patentibus campis Christiana signa committeret, tum uerò ipse sua occasione ad optimam spem exploratæ uictoriæ uteretur, quando pedestres magna ex parte nostrorũ copias *circumducto innumerabili* equitatu, fame enecare, spe prælij latè frustrari, ac demum funesta necessitate cedentes, & *dissolutos in fuga* proterere facilè posse uideretur. Cæterùm suę dignitatis esse statuebat, Ioannis *iniurias* defendere, quem *ipse in* Pannonia regem constituisset. Is, quanquam Ferdinandum maiore semper animo, quàm uiribus, contra se bellum gerentem contemnere poterat: Caroli tamen potentiam ueritus, qui ex propinquo copijs, pecunia, authoritate q; fratri opem laturus esset, à Turcis auxilia petere cogebat. Fuere qui crederent Solymanum inuito Ioanne in Pannoniam uenisse, Ottomannorum principum morem secutum, qui exercendo militi bella ex bellis ferere, nihil è uetere disciplina segni ab ocio corrũpi sinere, finitimos quosq; tanquam ueros hostes, prædæ, uictoriæ ac laudis materiam putare consuessent. Quo instituto alternis annis uniuersas copias educẽdo, omnibus gentibus, cum quibus collatis signis sint congressi, præter unos Scythas, bello superatis, supra uiginti Asiæ atq; Europę regna imperio suo adiecerint. Ferdinandus, *ubi sit* certior Solymanum prima agmina per Thraciam extẽdisse, ad eum cum muneribus & æquissimis de pace fœderes q; mandatis, tres legatos mittit, quorum princeps erat Leonardus Negarola, nobilis Vicentinus, literarum & multarum linguarũ peritia insignis: ij in Triballorum finibus obuiam facti Solymano, humaniter q; susceptI, nihil plus retulerunt, q; ut castra sequerentur. His Ratisponæ nunciatis, Cæsar Germaniæ proceres, legatos q; liberarum ciuitatũ alloquitur, docet in eo cõmuni & grauissimo rerum periculo nihil tutius esse consensu, nihil dissensione calamitosius: proinde excitarẽtur ad id classicum, quo sæuus & barbarus hostis cunctis cathenas & compedes, & templis ac urbibus uastitatem denunciaret: se constantissimo animo paratũ esse contra hostes proficisci, ad tuendam religionis causam, ac nominis sui dignitatem, si ipsi fortiter & alacriter coactis copijs, Christi uexilla & uictrices aquilas sequerentur, atq; unà more maiorũ, pro salute omnium & uetere gentis gloria bellum susciperent: acciturum se confestim Hispanorum & Italorum expeditas cohortes, magni roboris auxilia, quibus Germanorum stratariæ legiones firmarentur, Clementem q; pontificẽ in hos apparatus magnam auri uim collaturũ, uti esset pollicitus, si hæc gnauiter parari, & egregia fide administrari didicisset. Ad ea principes legatic; propensissimis animis responderunt, in animo esse Germanis omnibus, ut ab antiquissimis temporibus factũ meminissent, salutem publicam & cõmunem omnium, imperij q; præsertim existimationem tueri, propulsare iniurias, & Christianæ religionis hostes bello persequi: Cæsarem uerò prolixè collaudare, qui se eo bello imperatorem futurum profiteretur, & externa item auxilia defendendis adiuuandis q; Germanis esset adiuncturus. Idcirco ipse, fraterq; Ferdinandus darent sedulò operam, ut ea quæ usui essent, maturè & diligenter expedirent: ipsos enim ex uetere formula tabularum Romani imperij, uti esset descriptum, æstimato prouinciarum atq; urbium censu, delecturos milites, & ad condictũ Viennam undiq; in una castra transmissuros. Itaq; fit decretum è summa concilij, ut in aliud tempus Lutheranæ causæ cognitio differatur, cęterisq; controuersijs & rebus omnibus postpositis, omnes in unum belli apparatum animos intendant. Igitur Cęsar Alfonso Vastio in Italiam perscribit, ut ueteres præfectos aduocet, & per eos cohortes cõscribat, & quãtum maximè potest sclopetariorum numerum paret, simul q; Hispanos omnes Tridentinis alpibus ad se celeriter in Noricum adducat. Andreæ quoq; Auriæ iniungit, ut pari studio triremes ac plures onerarias militariter exornet, & aduersus Turcarum classem in Græciam traijciat. Accersit etiã è Belgio, Burgundiaq; grauis armaturæ ornatissimum equitatum, & ab Hispania cõplures nobiles ueteranos q; milites, & sibi quoq; priuatim, cohortium prętoria norum nomine, duodecim milia Germanorum, ex his qui in Italia plura stipendia meruissent, mercede conducit: quibus præficiũtur Maximilianus Herbersteinius, atq; Tamisius Italico bello clari duces. Vni Galli multis de causis, quas suo loco memorabimus, nihil huic bello sese miscuerũt, rex q; Britannus ab repudio uxoris, quæ Cæsaris erat matertera, uti planè hostis, deprauatũ & penitus alienũ ab amicitia & religione animum ostendit. Interea Clemens dabat operam, ut pecuniæ à quæstoribus undiq; cogerent: uolebat enim in tanto rerum discrimine, uti cõmunem omnium parentem decebat, egra remp. præclarũ pietatis studium ostendere, cõciliandis præsertim Lutheranorũ animis, qui eo beneficio atq; ea liberalitate reduci posse uiderentur. Erat ærarium Pontificij imperij penitus exhaustũ, superiorũ temporũ calamitate, recẽtibus q; iacturis ac impendijs: nam Hetrusco bello decies centena milia aureorũ nummũm expendisse ferebat. Quãobrem in senatu decretum est, ut quinq; decumę sacerdotijs imponerentur, quæ res, minores sacerdotes, sacratas q; uirgines, & sacras hospitales domus uehemẽter afflixit: nam exactores cum imperio in prouincias emissi, dum priuato quæstui studerent, incre-

incredibili acerbitate humana & diuina omnia perturbabãt, adeò ut pleriq; sacerdotes tẽpla desererẽt, & passim sacrata uasa & antiqua donaria cõflarent: erant & qui prædia dicata altaribus uenditarent, ut decumæ soluerentur: neq; honestissimus sacri belli prætextus, ac extrema propè necessitas inuidiã leniebat, quoniam Cardinales qui opima sacerdotia possiderent, immunes euaserant: quasi illis ad tuendam Romanæ aulæ amplitudinem, de solito uitæ splendore nihil remittere moderariq; liceret, quum ex aduerso plerisq; egentibus ultima uitæ alimenta raperentur. Per hunc modũ coacta pecunia, Hippolytus Medices Cardinalis, qui bello interfit, legatus efficitur, ut in summæ nobilitatis excellq; animi legato, summa authoritas & dignitas emineret, eoq; pignore tradito, Clemens propensissimam uoluntate erga Cæsarem præclarè testaretur. In eum iuuenem alterũ & uigesimũ agentẽ annum, natura fortunaq; certatim maxima dona congesserant, specie formaq; corporis ac ingenij rara felicitate insignis erat, & super hæc spectacula edendo donandoq;, liberalis famã consecutus, adeò studia populi cõmouerat, ut suggillata Clementis auaritia, quadam naturæ similitudine, Leonis patrui memoriã renouaret, & opes iam uel insanis ipsius sumptibus pares esse cœperant. nam ei Clemẽs Pompeio Columna, ad Neapolim uita defuncto, eius sacerdotia ac officia quæ erant amplissima, cõtulerat: quanq; esset ætatis ac ingenij uigore ad tractanda arma, q; ad obeunda sacra paratior: propterea quũ ex lectissimis hominibus comitatũ instrueret, aliquãto plures milites, quã rogati uiri ac antistites proficiscentẽ sunt secuti. Eius aduentus Ratisponæ cùm à Cæsare Ferdinando q; rege, tum à Germanis lætãter exceptus est: nam ingentẽ pecuniã, multos q; uiros fortes, & notos cõturiones ac militares equos adduxerat: & super hæc sine ullo fastu Cardinei cultus, oris habitũ ingenuæ promptæq; uirtutis plenũ præferebat. Igitur consilijs cum Campegio cõmunicatis, atque eo in Italiam dimisso, quòd tum maximè neruorũ doloribus laboraret, magnã auri partẽ effudit, cõducendis octo milibus equitũ Hungarorũ, quos se habiturum Ferdinandus promittebat, si ad eos in finibus Pannoniæ dispersos, atq; operã aduersus Turcas nauare cupiẽtes, stipendia mitterent: transierãt enim ad Ferdinandũ duo supra cæteros duces Valentinus Thuracus, & Bachithius Paulus: hic Tribalus erat, ille Hungarus, admirandæ uirtutis hominẽs, sed fide instabili. nam uterq; apud Solymanum in honore habiti, diu in Turcarũ castris antea militarant, ac demũ non ignobili transfugio ad Ioãnem, atq; inde cõmutata uoluntate in Germaniam uenerãt. His Hippolytus legatus singula uexilla honoris causa de manu tradidit, in queis pictæ erant imagines crucifixi Seruatoris nostri. addidit etiã uestes ex auro purpuraq; militares, & ficas Italicas, aureos q; torques: nec se passi sunt eorũ ingentes animi liberalitate superari, quũ paulo pòst & equũ insignem cursu, & gladios more gentis incuruos, æquato munere rependerint. Iam prima Turcarum agmina Samandriam peruenerãt, quũ Ioannes arma expedit, Gritto negociũ dat, ut Strigonij arcem tormẽtis ex pugnet. Sitũ est Strigonium in ripa Danubij, triginta passuum milibus ab urbe Buda, eius arx egregiè munita, Ferdinandi præsidio tenebaẽ. Igitur Grittus terrestribus atq; naualibus copijs diu antea obsessam, admotis muralibus tormentis aggreditur, cuniculi aguntur, per quos suppositis ignibus ab imo totus corruat murus, atq; extremę in propugnaculis pinnæ, ferreis pilis decutiunt: consistunt tamen fortiter in muro Germani, sed; acerrimè fortissimeq; defendunt. sed cum rerũ propè omnium inopia laborarent, & minus salubri aqua uterent, plures q; morbus planè sæuus inuaderet: desperata salute à Posonianis auxilia, uexillo & fumo interdiu & noctu ignibus petere cœperunt. Erant Posonij Thomas Agriensis episcopus, & Vulcanus iureconsultus, Cæsaris Ferdinandi q; legatus: ij cognito Strigonienium periculo, ad Viennæ præfectum conscribunt, hortanturq; ut priusquam Solymanus Sauũ traijciat, deductis è Vienna præsidijs, & demissa graiuori classe, terra simul flumineq; Danubio obsessis opem ferre maturarent. Grittus enim inconditam multitudinem Vngarorum & Seruianorum, admixtis Turcis, in castra contraxerat, nequaquam idoneam sustinendo prælio, si à peritis ordinũ atq; militiæ in subitum pugnæ discrimen adducerentur. Præerat Viennensi præsidio cunctis q; Ferdinandi copijs Catianer, quẽ superiore bello aduersus Turcas egregia cum laude Viennæ mœnia defendisse memorauimus. Erat Catianer sicuti in conserenda pugna fortis & impiger, ita non semper sobrius, & turbidus in suscipiendis cõsilijs, alacritate quadam inanis & peruicax: siue quòd Turcas putabat ad oppugnandum Viẽnam, uti arcem belli, protinus aduolaturos, & propterea eam urbem nulla ex parte præsidio nudandam iudicabat: siue quòd satis uirium in sola classe futurũ arbitrabatur, terrestri itinere nihil tentare constituit, prætermittens q; facilè patrandæ rei occasionem, Posonianis rescripsit, ut Nasadias, quantas haberent, propugnatoribus instruerent: polliceturq; uerò se paulo pòst grauiora nauigia maioribus tormẽtis referta, atq; exornata more maritimarum triremium, ut Nasadijs præsidio essent, continuò submissurum. Vngari Nasadias uocant, nauigia oblonga remorum ordine ualde expedita, biremibus prædatorijs, quæ in mari nostro uisuntur, disciplina celeritate q; simillima: eius generis ad sexaginta in statione erant circa Posonium, quas uir Germanus, cui Corporano cognomẽ fuit, rei nauali prępositus, uti Catianer prescripserat, deducit, ac remige militeq; & minoribus tormentis cõplet: eo consilio, ut in Comaria insula, quam paulo infra Posoniũ Danubius efficit, desertum quoddam castellum occuparet, atq; inde, cum grauiora nauigia è naualibus Viennæ demissa applicassent, in hostium classem inueherer. Ea erat in obsidione Strigonij distributa in stationes, ut flumine nihil omnino obsessis importari patereẽ. Dum hæc ad Posonium parãtur, Grittus per speculatores de hostiũ consilio fit certior. erant enim permulti Hungari in partibus Ferdinandi, qui non ualde turpe ducebãt, uti libido ferret, hac & illac transire: gens enim efferа, præsentis tantum gnara cõmodi, atq; euentuum spectatrix, studiorũ cõmutatione magnopere gaudebat, adeò ut nemo ferè in partibus Ioannis esset paulò notior atq; nobilior eques, qui nõ aliquando cum Ferdinando rege militasset: nec satis firma etiã fides erat apud sacratos antistites, qui nõ semel animos atq; opes alternæ fortunæ successibus applicassent. Igitur Grittus celeriter consilium capit prę-occupandi hostis conserendæq; pugnę, priusquam grauiora hostiũ nauigia Nasadijs coniungant. Erãt ei Nasadiæ numero Posonianis fermè pares, gubernatorum uerò scientia & militum uirtute aliquãto inferiores: quamobrẽ in has complures sagittarios & sclopetarios Turcas distribuit, proponit præmia singulis, qui spectatum facinus ediderint, atq; omnes ad præstandam gnauiter atq; celeriter operam cohortatur: nec mora, aduerso amne per noctem ad hostes magno silentio prouehuntur. At Posoniani, qui iam ad Comariam peruenerãt, ubi ex pulsu remorum, renunciantibus speculatorijs nauigijs, de aduentu hostium cognoscunt, uehementer perturbantur, ut ij plerunque solent, quibus præoccupari deprehendi q; cõtingit, dum insidias hosti moliunt. Erat præpositus quinq; Nasadijs Pestanus, senex, negocij naualis admodũ peritus: is Corporanũ monet,

net,ut congreſſum deuitet, atq; ſeſe Poſonium reci A piat,ipſum à poſtremo agmine totius claſsis terga ualidiſsimis Naſadijs eſſe defenſurum: non eſſe credendũ hoſtes niſi magna de cauſa & certa cum ſpe, ueluti rebus exploratis,aduerſo amne ſubijſſe:proculdubio totius conſilij decretũ per Hungaros hoſtibus eſſe delatum, profectionemq; proditam: ſatis honeſtum uideri poſſe eum receptum omnibus militiæ non ignaris,poſtquã grauiores naues nondum aduenerint,quas etiam Catianer expectandas eſſe præceperit.Corporanus ingenio ferox, nihil de Peſtani monitis ad aures admittit, ſiue quòd flagitioſum putaret non expectare hoſtem ultrò ſubeũtem,prælium q; poſcentem:ſiue quòd ſuorum uirtuti nimium confiſus,aduerſariorum uires magnopere deſpiceret.ergo prælij ſignum proponitur,diuiditur claſsis in acies tres,Peſtanus omniũ primus prorumpit,profluentis q; ſecundo curſu concitatus hoſtes adoritur, eo impetu quatuor eorũ Naſadias perfringit,primum agmen perturbat, magnam uictoriæ ſpem ſequentibus præbet.At Turcæ conſertis nauigijs uim atq; impetum inuadentium conſtãter excipiunt,fit prælium atrox, omittunt plerique remos,contis & gladijs rem gerunt, tormentorum ſonitu ac fumo,& diſſono clamore tot gentium, omnis oculorum atq; aurium uſus eripitur: ad hæc, nebula craſsior,uti fit, orta diluculo, ita amnẽ totũ & claſſes intexerat, ut nauium magiſtri non planè perſpicerent, quámnam in partẽ flectendi remi, & proræ eſſent incitandæ.Erat Turcis fluminis impetus maximè grauis & aduerſus,ſed ea iniquitas cõiuncta inter ſe eorum nauigia maximè cõfirmabat, adeò ut contrà,ueluti æquata conditione, Poſonia norum oculi aduerſis orientis ſolis radijs ferirẽtur: tum uerò Turcæ diſcuſſa nebula tantam uim ſagittarum aduerſis nauibus ſuperfuderũt,ut propugnatores ſimul & remiges his confixi,ſclopetorumq; ue B glandibus traiecti,in fugam uerterentur. In eo tumultu Peſtanus egregiè pugnans interficitur, Corporanus cum tredecim omnino Naſadijs,quæ celeritate reliquas anteibãt, aduerſo flumine profugit, reliquæ aut demerguntur,aut deſilientibus in proximas ripas militibus atq; remigibus, uacuę capiũtur,ex mille & ſeptingentis hominibus, qui in Poſoniana fuerant claſſe,ferè quarta pars interijt, cæteri terreſtri itinere euaſerunt, nõnulli etiam capti, dimiſsiq; ab hoſtibus non multo pòſt Poſoniũ ſunt reuerſi.Poſt id prælium,Grittus,quòd cuniculis nihil profecerat, & duo muralia tormenta ab crebro uſu,uti accidit,feruefacto metallo, diſrupta fuerãt, arcis oppugnationẽ intermiſit,ratus circumuallatũ hoſtem,non diu obſidionis incõmoda, tanquã deſperatis poſt nauale uictoriam auxilijs,eſſe toleraturum.Sub id fermè tempus, Hiſpani, qui in agris urbium Æmiliæ uię ſtatiua habuerãt, fertiliſsimiq; tractus incolas circa Scultennam & Gabellum amnes ad Padum uſq; magnis detrimentis afflixerãt, ad alpes peruenerunt.Erant in eorũ caſtris ſupra uiginti milia hominum,ſed tertia fermè pars inutilis turbæ, cum tantũ ſeptem milia ueteranorũ peditũ cenſerentur:cum multis enim impedimentis & iumentis onuſti uetere præda,ſecũ fortunas ſuas omnino deferendas eſſe iudicabant,adeò,ut necſcorta & uoluptatum inſtrumenta relinquerent.Hanc militum licentiam atq; luxuriẽ, quum Vaſtius præcipuè cõmeatus inopiam ueritus, caſtigando iubendoq; cohibere,ſarcinarumq; numerum præſcribere uellet,ad Atheſim militaris ſeditio exarſit. Nonnulli enim centuriones opulenti,quibus adeò longinquæ & periculoſæ militiæ labor erat ingratus, concitare uulgus militum, & ſtipendia flagitare cœperunt,adeò,ut non exceſſuri Italia uiderẽtur,niſi conſternatis & in unum animi decretũ cõſentientibus pecunia ſolueret. Vaſtius, qui ad minuendã ipſius exiſtimationẽ,à paucis inimicis aduerſum ſe exagitari multitudinem haud obſcurè intelligebat,diſſimulandum in præſens ratus,quędam tẽpori neceſſitatiq; tribuit,donatiuumq; pollicitus: quũ ad Cæſarem peruenilſent, menſtruũ ſtipendij pecunia cohortes pacauit, & in Germaniam ſublatis ſignis eſt profectus,nec multo pòſt Italicæ cohortes ſunt ſecutæ.Tanta enim alacritate in ciſalpina atq; togata Gallia,Piceno, Vmbria, totaq; paſsim Hetruria milites bello aſſueti nomina dederunt,ut duplicatum ſignorũ numerum quiſq; præfectus adduceret, & Vaſtius nõnullos nobiles Circumpadanos opibus inſignes,quos præfecturis honeſtarat,& in magnos bellici apparatus ſumptus adegerat.Id autem inuitus fecit,quoniam ei certum militum numerũ Cæſar præfinierat,iuſſeratq; ut cæteris reiectis,ſigna & cohortes uni tantum ſpectatæ uirtutis & fidei ueterum præfectorum commendaret. Ii fuere Martius Columna,Petrus Maria Rubeus, Philippus Tornielus,Ioãnes Baptiſta Caſtalius, Fabritius Maramaldus,& qui nouiſsimè omnium alpes tranſiere,Pyrrhus Stipicianus & Camillus Columna, Martij frater patruelis,ueteres præfecti omnes, & bellica uirtute,& ſtudio erga Cęſarem admodum illuſtres: in his cohortibus fuere amplius quatuordecim milia delectorum peditũ, præter uoluntarios, qui undiq; Viennam poſtea confluxerũt. Secutus eſt legiones Ferdinandus Gonzaga cum duobus circiter milibus galeatorũ equitum,in quibus fuit ala ab Alfonſo Ateſtino miſſa,& trecenti ueteres Hiſpani equites,& Græcorũ aliquot turmæ acceſſere,& his pleriq; è tota Italia ſine ſtipendio nobiles ſtrenuiq; equites, qui antea ordines duxerant: exiſtimabant enim ſe ignominia notatos iri, ſi uti deſides & parũ pij,ſacro bello minimè interfuiſſent.Hęc tanta multitudo ad Halam,ſalinis celebre oppidum,nauigijs impoſita,ſecundo amne Oeno ad Boiodurũ, quod hodie Patauia dicitur, Danubium intrauit. Sub id quoq; tempus Cæſar inſpectis Sequanorum & Belgarum alis,quæ erant mirificæ, tormentisq; maioribus,quæ Norimbergæ compararat, ratibus impoſitis,à Ratiſpona Linzium deuehitur. Nunquam tot nauium,totq; militum à Romanis uſq; temporibus Danubius tulit. Interea Solymanus, qui ſextis & quinquageſimis caſtris Belgradum peruenerat,Sauo amne multis ſimul pontibus conſtrato, innumerabilem equitum multitudinem in Pannoniã effudit,relicto in dextra Danubio,paululum ad læuam deflectens, ut intactæ ſuperiore bello regionis copijs ueretur,& in Valeriam prouinciam latè fertilem, & Norico ad meridiem coniunctam, quæ Stiria hodie dicitur, rectà contenderet. In eo itinere Guinium occurrit, quod Nicolizza, uir fortis domeſtico potius quàm externo præſidio tuebatur. Id eſt oppidum non longè ab urbe Sabaria in plano poſitum,quadrato nec magno ambitu, & modicis quidem mœnibus cinctum,tenue opibus, & prorſus ignobile, niſi ab ignominia Turcarum claritatem accepiſſet.Igitur Nicolizza refectis propugnaculis,repurgata foſſa,oppidanis & paucis militibus animo confirmatis,uel ob id præcipuè,quòd in Turcarum caſtris nulla eſſent tormenta muralia, uires minasq; tanti hoſtis cõtemnere, ſeq; ad extremum rerum exitum tueri conſtituit, ut inde bellicæ uirtutis & conſtantiæ habiturus famam,aut ſi cum oppido cadendum foret,Pannoniorum fidei & fortitudinis præclaram ſpeciem æditurus. Habraymus ipſe Baſſarũ princeps,cui Solymanus,quod nemini unquam ab Ottomanis datum meminerant,ſupremi imperij poteſtatem communicarat, ad Guintiũ prouectus,Nicolizzę fidem promiſsis & minis pertentat: nouerat enim hominem Habraymus,dum ille Byzantij legationis munere fungeretur,eumq; ueluti uirum fortem ac induſtrium, ſibi & Solymano

mano cõſeruare, quàm omnino perdere cupiebat: A ſed quum Nicolizza nihil pacatũ, nihilq; demiſſum reſponderet,copiæ innumerabiles in coronam mœnibus admouentur, aguntur tribus in locis cuniculi,ut ſubditis ignibus mœnia ab imo diſrupta frangerentur.Cæterùm quum diſciſſo & proruente muro, Guintiani præſentibus animis introrſus munitiones extruerent, & cuniculis diligenter, uel à fœminis obuiam iretur, ac in ſtatione ubi periculum poſceret,audacter conſiſterent, & multi utrinque tormentarijs glandibus peterentẽ, Habraymus agmina Aſaporũ, atq; item Ianizeros prætorianos, ad eam muri partem conuertit,quæ meridiem ſpectat:à Septentrionibus uerò, ubi multi paſsim colles exurgunt,oppidoq; imminent,curulia tormenta perducit,eo conſilio, ut terga propugnantiũ hoſtium, ab excelſioribus locis intercedente oppido ueberaret.Ea res non ſtatim animaduerſa, magnũ Guintianis attulit detrimentum, quum eodem tẽpore aduerſi ſclopetariorum & ſagittariorum multitudinem uix ferre poſſent, auerſi uerò plumbeis pilis ſternerentur:erant ea tormenta non diruendis muris,ſed ad campeſtres pugnas idonea,leuitate & breuitate expedita, ita ut commodè ſubductis rotis ſingula camelis ſingulis ueherentur. At Nicolizza,quánquam ſuorum clade perculſus,ſeſe non deſerit,ſublataq; ex ædificijs magna tabulatorũ atque aſſerum multitudine, perpetuam munitionem introrſus à muro,pedes duodecim erigit, qua milites protecti atq; occultati commeando & propugnando,conſiſtere poſſent: eo ſubitario opere perfecto, Turcæ incertis demum ictibus tabulata petebant, ita ut pauci,& caſu quidem interirẽt. Sed quotidie non paruus numerus fœminarum,puerorum & ſenum uulnerabatur,quòd in ligneas domos frequẽtes pilę terebratis repentè tabulatis in nihil tale expectantes inciderent. Interim ducenti fermè equites Turcæ è caſtris ſpeculabundi prædabundiq; ultra Neoſtadium excurſionem fecerunt: qui, quum diu uagati ad Leopoldium uicum peruenilſent,incidêre in inſidias, ſic ut inter amniculum, qui illac præſeptis ripis perlabitur,& mediam uici regionẽ, quæ publicum iter præbet, intercluſi fermè omnes ab Hungaris equitibus cęderentur aut caperentur. Leopoldenſes enim ingenti ſtipite prælongæ arboris ita militarem clauſerãt uiam, ut cum is ſtipes in lignea tricubitali columna ad libramentum ſuſpenſus eſſet,& in axe uerteretur,facilè quum uellent in directum extenſo ſtipite à læua dextraq; aditũ aperirent,uel eo cõtraria ratione reducto per obliquũ, leui momento præcluderent. Ea enim erat agreſtis machinæ forma,quòd eſſet undiq; armata præacutis ramorum truncis latè prominentibus,ut Turcæ equites tanquam indagine clauſi,caperentur. Præfectus alæ Pauli Bachitij, cui à uitio diſtorti cruris Claudio cognomen erat, detruncata humeris hoſtium capita Viennam detulit,& ad omen uictorię, ſpectaculumq; coëuntium undiq; militum, in mœnibus præfixit.Tum uerò ex captiuis certius eſt cognitum,duplo ampliores copias, quàm quiſquam rex Ottomannus ad bellum eduxerit, & ob id ferè innumerabiles eſſe in caſtris, ipſumq; Solymanum ſine muralibus tormentis aduentare, ut quàm primũ collatis ſignis,cum Cæſare confligat, aut ſi hoſtis armatus non occurrat, ferro ac incendijs cuncta obuia deuaſtet.Eadem quoq; legati Ferdinandi retulerunt,quos ſerica talari ueſte & ſingulis argenteis pateris donatos à Guintio dimiſerat, ut literas ad Ferdinandum Cæſaremq; deferrent,in oblongo & perangusto dentatæ chartæ uolumine aureis atque cæruleis literis Arabicè ſcriptas, obſignatasq; aureo ſigillo,& ſacculo purpureo incluſas. Summa hæc erat: ſe uindicandis iniurijs, quas Ioanni regi beneficiario atque amico ſuo intuliſſent,domo profectum in Pannoniam ueniſſe, proceſſurumq; infeſto exercitu in ipſorum prouincias:ac ſi quis contrà reſiſteret, prælio certaturum ſecundiſsimis auſpicijs Dei optimi maximi & Mahometis, qui pro iuſtiſsima cauſa ſtare conſueſſent.Proinde ſi regij nominis memores eſſe uellent,& armati progrederentur, uno prælio finiri poſſe controuerſiam atque ipſos totius orbis imperium in præmium uictoriæ aut daturos protinus,aut accepturos. Cæterùm legati,uti ex captiuis uarijs percontationibus fuerat expreſſum, multitudinem quinquaginta myriadũ in caſtris eſſe referebant,& tormenta ænea currulia circiter trecenta, è quibus longè maxima uix anſerini oui magnitudine pilam emitterent: caſtra plena eſſe omnis opulentiæ, ſecuritatis, ſilentij, diſciplinæ:Solymanum ipſum,ſi ſuperſtitionem demeres,ab æquitate,continentia,liberalitate, magnitudineque animi tanta fortuna dignum uideri: ſtaturа eſſe ſupra mediocrem,habitu graciliore, ceruice oblõga,ore candido & exangui,ac oſſeo propemodum naſo,atq; eo plurimum aduncо: raros patere ad prætorium aditus, ſed eum cuncta benignitatis officia per Habraymum humaniter implere, lautiam ſibi caſtrenſi more largè præbitam fuiſſe, nihilque ſibi extra uini deſiderium defuiſſe unquam: uniuerſum exercitum egregiè ali ueruecinis carnibus atque oryza,nullum panis eſſe uſum, niſi ſubcineritij & tumultuarij,equos in uniuerſum campeſtri pabulo contentos eſſe, cuius magnam copiam eæ regiones ferant:nam prata nequaquam detonſa falcibus,quòd ſponte tulerint, præaltè adultum & planè ſiccatum præbent: unum eſſe in caſtris Habraymum,ad quem ueluti exæquata cum Solymano militaris imperij poteſtate, rerum omnium ſumma reſpiciat:eum eſſe ingenio excelſo, graui, expedito,& ad uirtutem exornandam maximè procliui B & liberali:penes hunc maximarum & ſecretiſsimarum rerum arcana recondi, adeò ut Solymanus in eius uiri conſilio, fide ac uigilantia ſecurè conquieſcat:ab eo proximam dignitatem tenere Aiacem & Caſimium magiſtros equitum, quos Bellerbecos uocant:huic Aſiaticorum,illi Europæorum Sanzachos parere, ſecundum hos Michalogli Muſtaphæ nomen celebrari,qui uoluntarijs equitibus præfit. Interim Habraymus, quum plures dies irrito conatu in oppugnatione Guintij contriuiſſet, quòd abſcedere incœpto, neque Solymani neque ſuæ dignitatis eſſe ſtatuebat,duo inuſitatę magnitudinis propugnacula,ante foſſam erexit:hæc non murum modò,uerùm & turrim,quæ erat in angulo ad Auſtrianam portam,altitudine ſuperabant,ea etiam ratione muri angulum complexus,ut ex primo, quod erat latius & excelſius,frontem hoſtium uerberaret, & ex ſecundo per obliquum ipſorum latera peterẽtur.Ea continenti totius exercitus labore, quatuor omninò diebus fuere conſtituta, & in ſummam educta altitudinem,ut hinc etiam Turcarum multitudinem æſtimare liceat. Imperatum enim fuerat ſingulis propè equitibus, omnibusque ſarcinarijs iumentis,ut cæſam Aſaporum ſecuribus materiam è proximis ſyluis in caſtra conueherent. Scapos enim ramorum magnorum aut diſciſſarum arborũ deciſis frondibus, æquali & ea quidem tricubitali longitudine,ita collocabant, ut alternis ordinibus modò recta & modò obliqua ſerie,alteri ſcilicet alteris impoſiti ingentem lignorum ſtruem efficerẽt, ad effigiem latiſsimæ turris, è qua nõ modò qui in muro conſiſterent, ſed & qui intra oppidũ uagari uellent,à ſclopetarijs & ſagittarijs conficerẽtur. Eo opere incredibili celeritate perfecto, repletaq; foſſa, & compluribus in muro occiſis & uulneratis, Turcæ,quà murum cuniculo diſruptum diximus,in oppidum impetum fecerunt: quibus irrumpentibus, Nicolizza quãtas habebat copias, uti in extremo co

natu

natu neceſſe erat, haud cunctáter oppoſuit. Sed quũ iam propè intra murũ petuaderent prætoriani, tantus ſublatus eſt clamor cum eiulatu ab imbelli puerorum & fœminarũ multitudine, ut ſtupefacti potius quàm territi impetum repreſſerint. Ea cunctatio ſicuti ſubeuntes tardauit, ita animos propugnãtibus in immenſum adauxit. Natura enim ſit, ut homines tum maximè audeant, cum repentè commutata fortuna, timere deſierint. Eo modo, quum præfecti cohortium milites caſtigando atq; item uerberando nihil profeciſſent, pugnæ finis eſt impoſitus. Porrò Habraymus pudore atq; ira uehemẽtiſsimè cõturbatus, dum ui Nicolizzæ animum peruincere nequit, honeſtiſsimis oblatis conditionibus expugnat: data enim fide publica, euocatum ad ſe in caſtra cum ſummo honore uerborum eius uirtutem commendare cœpit, rogauitq; ut fortunæ periculũ facere deſineret, oppidum in eius poteſtate ſe relicturum, ſi in uerba Solymani iuraret, & in ſpeciem præſidij aliquot Turcæ ueluti tradito oppido reciperentur. Nicolizza, qui ex octingẽtis ſtrenuis defenſoribus uix tertiam partem, atque eam confectã uigilijs & uulneribus debilitatam, ſibi ſupereſſe meminerat, omnino tranſigendum exiſtimauit. Ad extremum Habraymus, uirtute atque aſtu Nicolizzæ ſuperatus, id tantum impetrauit, ut Ianizerorũ decuriam intra portę limen admitteret: quibus introductis, & Illyrica lingua ad potandum uinũ, cuius ea gẽs eſt auida, comiter inuitatis, & ſibi & Habraymo cumulatiſsimè ſatisfecit. Nec multo pòſt Habraymus, & ipſe, qui non longè ſubſederat, Solymanus à Guintio diſcedunt, & in Carinthiæ fines ad Muram amnem feruntur, in læuam longe à Danubio uertentes agmina, & penitus à noſtris diſcedentes, qui iam magna ex parte trinis circa Viennã poſitis caſtris conuenerant, ac aduentum hoſtium alacriter expectabant. Sub id fermè tempus, quo Nicolizza Guintij maximè laborabat, Viennæ militaris ſeditio exarſit, non modò propinquitate hoſtium periculoſa & penè exitialis, ſed diſiunctione animorum, & diſciplinæ cõturbatione grauiſsima, niſi dij immortales celerem atq; inexpectatã opem rebus propè perditis attuliſſent. Rochãdolfus enim regię familiæ magiſter, quum in aduentum Cęſaris totq; regulorum & legatorum hoſpitia præpararet, Hiſpanos, qui in Pannonia militarant, urbe excedere, & in proximis campis extra tendere iuſſerat: illi id ſe facturos pernegabant, niſi merita ſtipendia præberentur, quòd Viennenſium hoſpitijs aſſueti, omni caſtrenſi ſupellectile pecuniaque carerent: in hos Rochandolfus contumacius hęrentes impetum fecit, excitisque more militiæ ad arma Germanis & Viennẽſibus, tormenta curralia prouexit: nec ſe deſerunt Hiſpani, quanquam numero inferiores, & in oblongam regionem cõglobati ſenſim pedes referunt, portamq; occupant, quæ in caſtra deferebat, admiſſuri in auxilium Hiſpanos, qui dudum ab Italia ueniſſent, atq; item Italos, qui ut in aliena terra, uiribus eſſent firmiores, antea cum Hiſpanis cohortante Vaſtio priuatum fœdus inierant. Res eò perducta eſt, ut quum Rochãdolfus, uir admodum iracundus & ferox, armatus in equo uehementius urgeret, & tormenta producerentur, contraq; Hiſpani obuerſa ſclopetariorum cohorte conſiſterent, penè crudeli prælio certaretur, adeò ut Vaſtius, & Antonius Leua, Hippolytusq; legatus, qui eò ad uiſendũ belli apparatum à Ratiſpona decurrerat, quum deprecando orandoq; nihil ualerẽt, ſeſe intra proximã domum recludere cogerentur. Dum arma quatiũt, atq; ignes tormentis imminẽt, haud dubiè cœleſte aliquod numẽ Chriſtianis rebus affulſit. Sponte enim, ueluti exæquato utrinq; periculo, milites arma depreſſere humi, Rochandolfo ira deferbuit, accurrere duces, dictæ ſunt cõditiones, atq; æquis au

A ribus acceptæ, promiſſa item ſtipendia in pacandis utrinq; animis. Paulo antè ad Crementiũ, quod eſt oppidum in ulteriore Danubij ripa inter Lintium & Viennam, Hiſpani authore Hieronymo Leua ſeditionem mouerunt. Iuſſerat Cæſar ut milites nominatim per manipulos atq; centurias recenſerentur. nam æmuli atq; inimici ipſius Vaſtij, ut eius dignitatem & gratiam conuellerent, Cæſari detulerãt, falſum ab eo in cohortibus numerum militum referri: ob id Petrum Conſaluum Mendocium, tribuniq; præfectũ Crementium miſerat, ut milites inſpiceret diligẽter, & deſcriptis ſigillatim ſtipendiũ numerari curaret (antea ſiquidem præfectis cohortiũ uniuerſa pecunia dabatur) ut illi iudicio ſuo in ea diuidenda uterentur, quum diſcretę cohortes in templum inſtituto ordine à quæſtoribus citatæ eſſent, & unicuiq; militi ſtipendium de quęſtoris manu ſolueretur. Militibus nouum morem approbantibus, uni omnium ex Leuaniana cohorte reclamare, tumultumque miſcere cœperunt. Hæc ubi uidet Vaſtius, qui initia ſeditionum audacter opprimenda eſſe didicerat, diſtricto gladio in medios irruit, duos qui ſeditioſius commilitones incitarant, ex cõſcientia ſceleris è templo profugere conantes uinciri iubet: ex his quæſtione habita, Mendocius cognoſcit ſeditionis authorem eſſe Hieronymum Leuam, qui ad Atheſim eius conſternationis, quam diximus, princeps extitiſſet. Itaq; Mendocius, re ad Cæſarem per tabellarios delata, breui mandata recipit: damnatusq; Hieronymus Macicao caſtrorum magiſtro traditur, atq; ita ad minorem ignominiã in tabernaculo iugulatur, uir egregiè fortis, ingenio ualidus, eloquentia uerò & uultu antiquis ducibus comparandus. Ferunt Mendocium aliquãto libentius atq; maturius de reo ſupplicium ſumpſiſſe, propter ſimultatem Mediolani conceptam, quum Hieronymus in tradenda arce ipſi Mendocio Cæſaris literas afferenti, parere recuſaſſet. Leua ſublato, cæteri in officio permanſere, retulitque Mendocius, ſe pleniſſimas optimis militibus cohortes reperiſſe, adeò ut eas res ab inuidis conficta maligneq; delata, ipſi Vaſtio apud Cæſarem gratiam ac beneuolentiam magnopere cõfirmarit. Dum hæc fiunt, Michaloglus iubente Solymano, ex uoluntarijs prædatoriam manum emiſit, duce Caſono, qui ſuperiore bello uaſtabundus ad Lintium uſq; præcurrerat: huic præcipit, ut iter non intermittat, longè lateq; totam eam regionem peruagetur, quæ eſt inter Danubiũ & alpes, ut de Cæſare hoſtiumq; copijs certius cognoſcat, ac demum id præſtet, ut maximè funeſtam & luctuoſam Germanis aduentus ſui memoriã relinquat. Erat per ſe Caſonus uir impiger, & prædæ auidus: ſed eo etiam promptiorem operam pollicebatur, quòd ſuperiore incurſione ſe maximè illuſtrem atq; opulentum euaſiſſe meminerat. Igitur in tres alas ad quindecim milia equitum, modicis tamen interuallis, diuidũtur, in agris latè, pagisq; præfertim, & in fuga plena timoris atq; tumultus, magnam mortalium omnis ſexus & ætatis multitudinem improuiſi repentiniq; opprimunt, ſenes inualidi fœminæq; cathenis & laqueis tracti, equorũ curſum adæquare coguntur: ædificia item, in his infantes pueros, barbara feritate ſuccendũt, adeò ut per centũ & quinquaginta ferè miliaria, rectis & tranſuerſis itineribus, cuncta ex continenti fumo, flammis atq; ignibus collucerent. Caſonus ad Lintium uſq; prouectus, quum ad Anaſum amnem tertio ab urbe lapide perueniſſet, tantũ terrorem intulit Lintianis, ut rex Ferdinandus, quòd ibi nullũ eſſet militum præſidium, ab Hippolyto legato cohortẽ Italicam poſceret, cuius præſidio Anaſpontem tueretur. Is primus omnium à Crementio rediens, conſpectis ab aduerſa ripa Turcis, de eorum aduentu nunciũ attulerat: itaq; eò confeſtim mittuntur uiri fortes,

fortes, Sfortia Baleonus, atque Otho Montacutus, cum ualida ſclopetariorum manu. Hi contractis aliquot ligneis dolijs ad caput pontis ſubitariam munitionem erigunt, continuoq; reuocãt Hiſpanicam equitum alam, quæ in prima trepidatione, Roſale ueterano duce, quin Danubiũ tranſiret, retineri nequierat. Sed Caſonus ſiue pontem non animaduerſo, quòd frondoſæ arbores proſpectum impedirent: ſiue uado ſuperius improſperè tentato, ſiue ut credi par eſt, quòd non uſq; adeò audendum putaret, ut ad oppidi portam progrederetur, ad læuam deflexit: nec ibi rex Ferdinandus uti oppido diffiſus diu conſtitit, ſed ad Aciliam urbem, quæ Strabinga dicitur, ad Cęſarem, ut copias pararet, ea nocte contendit. At Caſonus coacta ingenti præda, euaſtataque uniuerſa regione, quum paganos ad arma concurrentes paſsim cæderet aut eluderet, eodem ferè itinere regreditur, Solymanum ratus ſe, aut Guintij, aut in proximis ſupra Neoſtadiũ campis eſſe repertũrum. Sed is iam promotis caſtris ad urbem Gratiam, Stiriæ Metropolim, quæ eſt ad Muram amnẽ, iter intenderat: id uiæ conſilium ex falſa opinione ſuſceptum, Caſonum importunè decepit, atq; ei pariter ſupremam propè attulit calamitatẽ: nam ubi ex frequentibus incendijs cognitum eſt Turcas ad Lintium uſq;, regionem latiſsimè & crudeliſsimè populari, ex omnibus caſtris copię ſeſe effuderunt, ut tranſeuntibus occurrerent. Germani enim ad recuperandam prędam, uindicandas q; iniurias uehementer excitabantur: & quiſque dux priuatum ſibi conſilium deſumebat, quum in uniuerſum conſultandi & coëundi, & tempus exiguum, & hoſtium inaudita celeritas, omnem facultatẽ eriperent: non enim prædatorias tantum alas euagari, ſed adeſſe robora equitatus, atq; ipſum etiam Solymanum aduentare crediderant. Itaq; Vaſtius à Crementio Danubium traijcit, & per nemora uerſus diui Hippolyti oppidum ad hoſtes fertur. Fœdericus Palatinus omnium auxiliorum, quæ Germania cõtulerat, imperator, ad Viennam ſuperato Danubio caſtra mouet. Auſtriani duces Sigiſmundus Prandeſer, & Ricianus à Neoſtadio copias educunt, Ludouicus Lodronius alio opportuno loco caſtra cõſtituit, idem Bohemi, Moraui q; equites, & ipſi ante alios Hungari impigrè faciunt: loca ad tendendas inſidias quęritant, per quæ trãſituros hoſtes arbitrãtur. Vaſtius fruſtra ſylua & nemora triduo peruagatus, quum et commeatus deficeret, & Turcę retro conuerſi, longè abeſſent, iam ſeneſcẽte in his locis eorum fama, Crementium & mox Viennam copias reduxit. Secant mediam Auſtriam Norici perpetui mõtes, qui ab alpibus Rhæticis oriuntur, ſeſeque mollioribus ſenſim iugis ad Danubium uſq; demittunt, adeò ut in ripa fluminis peranguſtum iter equis, nonnunquam & curribus relinquat. Ea montium cõgeries uſq; ad Vindeliciæ fines pertinere dicitur, caſtellis ſatis frequens, multis amnibus irrigua, pecoris abũdans. In hac regione multæ atq; latiſsimæ ſunt conualles, partim aratris cultæ & paſcuis fertiles, partim ſyluis atq; nemoribus impeditæ: eæ ad exitus fauces habent pertinentes ad eam planiciem, quæ Noricum à Pannonia citeriore diſterminat, & ad Sabariam, Veſpriumq; perducit. Ad hos cõuallium exitus, noſtri duces, uti quiſq; ab oppidis fumo & ſclopis ſignificatione facta de Turcarum aduentu cognouerat, diſtinctis locis copias admouerunt, intentè expectantes, undénam hoſtes eſſent erupturi, quum in quadam conualle circa frumentarias molas ad amniculum Caſonus aquationis commoditate inductus conſediſſet. Neoſtadienſes de aduentu hoſtium certiores facti, utpote qui in propinquo erant, primi omnium cum quinq; milibus peditum ad occupandas fauces aduolarunt. Erat deſpectus in uallem ab edito colliũ iugo, ita ut noſtri conſpe-

A ctis hoſtium caſtris, ut eo decliui mollíq; deſcenſu quin continuò decurrerent, contineri nequiuerint: erant eæ cohortes quatuor expeditæ Hiſpanorum atq; Italorum ſub Ludouico Coueio nobili atq; impigro, ſed ea die nimis præcipiti atq; præpropero duce. Nam qui modicis paſsibus, & ſilenti agmine deſcendere debuerant, effuſo curſu & clamore edito, præcipites ierunt, adeò ut cum fatigati & curſu & armorum pondere peruenirent, excitatis iam ad arma Turcis, numero & uiribus impares eſſent, ita occiſis paucis frondatoribus, qui obuij primò fuerant, accurrentium mox equitum uim ferre nequiuerunt. Cecidere in prima fronte ingẽtibus gladijs obtruncati, Ferdinãdus Cabreria, præfecti Sardinię filius, & Franciſcus Rocha centurio, Villazanesq; ſignifer, & Martinus Gorea nobilis Tarraconenſis: milites magna ex parte ſunt cæſi, nonnulli in paludẽm profugientes umbilico tenus totam nocte latuerunt, cæteri agiliores conſenſis montibus euaſere: ipſe Ludouicus uallum ruſticanæ aream cõcitato equo, ſaltu ſuperauit, & ad Germanos eſt reuerſus. At Caſonus, ne ſibi in ualle & paluſtri impedito, quę in loco ubi diluceſceret, cum pedeſtribus hoſtium copijs eſſet dimicandum, captiuos quatuor milium numero, ne oneri eſſent, barbara feritate ad unum omnes interficit, & intẽpeſta nocte duobus factis agminibus caſtra mouit: alterum Ferſio duce, ad meridiem perrexit, ſucciſo nemore, & pateſacto exitu, quod mirabile fuit, equitũ ſecuribus, nullo accepto incommodo ad Solymanum peruenit: alterum ipſo Caſono duce per Storambergi oppidi uallem erumpens, in Palatinum incidit. Is ad Leopoldium uicum, cum xij. milibus peditum, & duobus equitum grauis armaturæ, tormentisq; uiginti curulibus in acie conſtiterat: fortè tum orta erat ex proxima palude nebula denſior, quę mutuũ utriſq; B aſpectum omni ex parte ſuſtulerat: qua demum dilabente, in aduerſos Palatinus tormenta diſplodit, his uehementer Turcæ perterrentur, & cum deflectere paululum uolunt, ut pilas euitent, in paludem proximam equos imprudenter adigunt, ibi multi tenaci in uoragine impliciti perierunt, nonnulli equis longo curſu debilitatis & macie conſumptis, cum extricare ſeſe nequirent, pedites euaſerũt: multo maxima tamen eorum pars ad noſtrorum acies ſe cõuertit, ſolis peltis protecti, & diſtrictos gladios in humero deferentes, adeò intrepidè, ut ante denſiſsimam haſtatorum phalangem decurrerent, ſpectantibus & conſeruantibus locum atq; ordinem non modò peditibus, ſed ipſis etiam equitum alis nihil ſe in prætereuntes euadentesq; incitantibus. Tum Palatinus conuerſus ad ſuos ſpectatores, Ergo, inquit, non bellatores erimus commilitones? ſi ut ſeſe ultro hoſtes noſtris cuſpidibus induant, expectamus, incitate acriter equos atq; haſtas intendite, ut prætereuntium agmina perrumpamus. nec mora ſigno tuba dato, armati equites in latera denſatis cuneis incurrunt, magna equorum atq; hominum ſtrages editur, poſtremum Turcarum agmen intercluſum à primis, undiq; urgentibus cataphractis cæditur & profligatur, pauci euadunt, ſternitur eorum uexillum, & ad Palatinum defertur: cecidit & ibi Caſonus, uti impigrum ducem decuit, ſupremo uirtutis opere edito. Nam à nouiſsimo agmine, ut ſuis ſpacium ad euadendum præberet, diu acerri mè ferrea ingenti claua dimicans reſtiterat: erat enim inter omnes inſigni criſta cõſpicuus, ea fuit ab aurea uagina in fronte exurgens ala uulturis, quę ut ab omnibus noſceretur, appenſi atq; ideò uoluptatis plumei ueli mapullam trahebat: ea demum Cæſari dono data, occiſi eo prælio Caſoni fidem fecit. Cæterùm Turcæ amiſſo duce uexilloque, & tertia ferè ſuorum parte deſiderata, quum in patẽtes campos euaſiſſent, uix emẽſi iter ſeptem milium paſſuum,

in Lodronianas copias incidêrũt. Lodronius enim, ubi tormẽtorum boatum audiuit, ratus quod erat, Palatinum cum Turcis prælio cõgressum esse, eò signa conuerterat, unde caue per anfractus ualles ite rato repercussu, acceptum armorum strepitum reddebant. Nec mora Turcę conspiciũtur, & ante alios ferè trecenti, qui amissis equis in nostros pedibus tanta ui tantaq; alacritate impetum fecerũt, ut sese lanceis induere, & offerre tormentis minimè dubitarent, modò nostros uel semiuiui traiectiq; uulnerarent, tantus inerat aut desperatis aut deuotis animis, mortis cõceptus: his celeriter interfectis, affuere equitũ agmina, modò confertis, modò dissipatis ordinibus, in hæc Lodronius tormenta emitti uetuit, ne nostri, qui terga fugientium cædendo, è Palatini castris subsecuti fuerant, uti erant hostibus permixti, temerè sternerẽtur, ita Lodronius omissis tormentis, magnum spacium directa peditum acie complexus, atq; item pari consilio Ioachimus Brandeburgẽsis cum duobus milibus equitum lunata acie ueniẽtes excepere, ibi uecordia siue temeritas hostium debitas inuenit pœnas. nam sicuti intermittere fugam atq; etiam feruida ora cõuertere cœperant, ut dextras conferrent, & se minimè animis fractos ostenderent: ita ui atq; impressione nostrorum perturbati, pecorum modo cædebantur. Eo modo profligatos latissima planicies excepit, ea utrinq; parua habet nemora, solo herbido & raritate arborum adeò peramœna, ut quæstribus prælijs tota Europa nulla cõmodior esse uideatur. Hęc exitum habet ad Neocrichum oppidum, cuius mœnia abluit modicus amnis, uirentibus ripis & aquarum salubritate ponendis castris opportunus. Ibi dum Turcę, ueluti superatis omnibus eius diei difficultatibus conquiescere parant, & equi uiriq; promiscuè summa lassitudine defessi è profluente bibunt, & tenuis alimenti ex salita carne atq; ea ficcata in puluerem, reliquias expediunt, nouorum hostium superuentu perturbãtur. Catianer enim ipse, & Turrianus equitũ magister cum tribus milibus equitum diu quęritando hostes euagati, accepta demum, ut diximus, per manus ex fumo & tormentorum bombis significatione, Neocrichũ decurrerãt: ita tumultuarium prælium exoritur, multi Turcæ uti in graminę strati deprehensiq;, dum equos frenant, latè cædũtur. mox ita æquatur pugna, ut cum fortissimi quiq; ualidioribus utẽtes equis in tergo constantissimè dimicarent, reliqui capto moræ spacio ad euadendum antecederent, & læpè conuersi ac demum auersi certamẽ redintegrarent, nostri tamen omnibus rebus, ac animis præsertim superiores, ita perturbatis, fessis, uulneratisq; instabant, ut passim peramplum eorum numerũ prosternerent: reliqui tamen magna ex parte euasuri uiderentur, nisi, quod summam Turcis attulit calamitatẽ, & feroces adhuc eorũ animos latè perfregit, nequaquã antè expectati Hungari superuenissent. Valentinus enim & Paulus, itemq; Balthasar Pãphilus, & Claudius è montibus decurrentes, cum singulis alis in transuersos impetũ fecere, atq; eos adæquato equorum cursu per sexaginta amplius stadia terga cędẽtes sunt persecuti. Erant enim equorum pernicitate, & armorum genere, & pugnandi disciplina Turcis simillimi: & eo terribiliores, quòd recentibus equis aduenerant, & Turcica lingua ad eos perterrẽdos, dum fugam increpitant, & superbè insultant, feris ululatibus utebantur. Ea die quum à tribus exercitibus tribus in locis esset pugnatum, summa uirtutis laus penes Hungaros fuit, eò tamen æquiore conditione, quòd tribus iam prælijs profligaros, & in fugam coniectos, neq; postremò paratos ad prælium deprehendissent, Turcis effugium patuit, solitudines syluarum petentibus: sed ij demum pars ad Ferreo castrum, pars ad Vesprinium & Balatonem lacum, in manus effusorum ad prædam populorum deuenerũt, adeò ut ex octo milibus uix pauci ad Belgradum, nulli uerò ad Solymanum in castra peruenerint. Porrò Cæsar, ubi Solymanum didicit ad Gratiam contendisse, Lintiana in arce duces ad consiliũ uocat, sententias exquirit, an breui & recto itinere ad hostem sit properãdum, ut Stiriæ maturam opẽ ferat, Gratia, Lintium, & Vienna urbes, ita inter se sitæ sunt, ut æqualium ferè laterum trianguli figurã efficiãt: sed à Lintio Gratiam iter est expedito equiti trium dierum maximè asperum, & conuehendis præcipuè curulibus tormẽtis impeditum: id enim, quum à Danubio recesseris, per Velsiensium fines, & Salisburgam, quę antiquitus Iuuauia dicebatur, perpetui montes & abruptę ualles excipiunt. Tum uerò ex omnium sententia pronunciatum est, ut Vienna peteretur. Itaq; Cęsar, Viennã classe deuectus, Hispanos atq; Italos decurrentes more militiæ, & pugnæ simulachrum edentes cum summa admiratione ac uoluptate inspexit. Antecedebat Vastius cum pedestri fraxineo conto, auratis armis, & sua in signi proceritate conspicuus. Is densando & celeriter explicando cohortes, ad uarias acierum effigies, quanta arte superioribus bellis pugnatũ esset, edocebat. Sequenti die Cæsar Germanos inuisit ferina pelle cõtectus, ut uel ea militari comitate, quale esset erga eos studium, usurpato gentis habitu testaretur. Tum Fœdericus Palatinus, uirtute animi atque oris habitu antiquis Germanorũ ducibus, qui quõdam Romana arma exercuere, persimilis, iuxta peditum phalanges, displosis miro ordine tormentis, quadrata equitum agmina traduxit. Ibi uidere erat prægrandes equos ferreis bardis protectos ingẽtia uirorum corpora lõgè pulcherrimis munita armis: omnibus intortæ & rutilantes barbæ, atq; ora belli cum uigorem spirantia, quales antiqui Theutones Cimbriq; fuissent ex literarum memoria, referebãt. Neq; enim gregarios equites, tot reguli totq́ue liberæ ciuitates, sed maximè generosos aut fortibus factis illustres, dum certatim studio atq; opibus excellere cuperent, ad id bellum miserant. Nam quicquid in Germanico nomine aut exquisiti roboris, aut delecti floris fuit, à Vistula amne ad Rhenum tam latè quàm litora lambit Oceanus, & Rhæticis Iulijsq́ue alpibus, ac Hercynia sylua concluditur, id totum aut iussu principũ nomina dederat, aut sponte cõscriptis adhæserat: quando nihil tale unquam à maiorum suorum uel annalium recordatione cõtigisset, ut cõsensu uno Germania omnis pro publica salute ac dignitate arma capere cogeretur, præsertim aduersus eas gentes, quæ ab ultimis Asiæ Syriq́ue & Ægypti finibus uenissent, ut Germanos Romanorum armis indomitos, & uetere militiæ gloria, & præsenti libertate spoliarent, quibus maximè rebus supra cæteras gentes, omnibus seculis absq; ulla dubitatione floruissent. Nec Bohemorum castra longè aberãt, Slesitarum & Morauorum copijs adaucta, quas gentium inclyti duces Hardechius et Bernesthenius adduxerant. Præerat omnibus Bohemis Sedislaus Lippa, summi magistratus honore insignis. Ea gens cùm lingua, quæ Illyrica est, tum castrorum disciplina, & armorum genere plurimũ à Germanis differt: curribus castra uallantur, ingentiumq́ue scutorum ordine firmantur acies, equites peditesq́; peritissimè sclopetis utuntur. Mos est & gẽti, paruas è chalybe secures, ad certissimos ictus iaculari, ferreas item clauas cubitales, cathena hastilibus appensas, ambabus regere manibus, atque his armatos magnis ictibus prosternere. Hi populi regiones ad Albim in Hercynia tenent, quas olim Marcomanni & Hermanduri tenuerunt. Ferdinando regi parent, quum regem nequaquam popularibus, sed ab externis nationibus, quẽ uirtute atque iustitia

iustitia potiorẽ putauerint, uetere instituto sibi deligant: ita ut modò Hungaris, modò Polonis, & uti hodie uidemus, nõnunquam Germanis, Bohemiæ regnum deferatur, graui & contentiosa ambitione principum. Nam qui Bohemorum rex euaserit, in creando demum Cæsare, septimi suffragij prærogatiua & potens & insignis efficitur, adeò ut quum Germani sex proceres, ad quos comitiorum ius pertestasq́ue pertinent, ex pari numero utrinque terni dissideãt, addiro demum, utri libuerit, suffragio suo Bohemus cum magna gloria Cæsarem pronunciet. Nec defuere aliquot Polonorum turmæ, non publico, sed priuato consilio bellum secutæ, conniuente ad ea Sigismundo rege, qui sicuti non temerè cauebat, ne inducias uiolaret, quę sibi cum Solymano erant: ita ne Christianæ causæ deesset, fortissimis uiris ostendendę uirtuti locum pia dissimulatione relinquebat. Quum tantarum copiarum numerus iniretur, reperiebamus Cæsarem, nõ deductis urbium præsidijs, nonaginta descriptorum peditum, & triginta armatorum equitum milia in aciem esse producturum, nequaquam adnumeratis peditum atq; equitum ministris, qui seruorũ loco, si labores officiaque respiceres, æstimari poterant: si uerò ætatis ingenia, equi atq; arma censerentur, nemo esset militiæ peritus, qui eos putaret uel robore, uel usu, uel ipsa spe, ueris militibus inferiores. Erant enim tum ad Viennam, coniunctis in castris supra ducenta & sexaginta milia hominum, quibus Arioüistus Vilermi Baioarij frater, Patauiensis episcopus, commeatum in tres menses se præbiturum, certa pactione, receperat. Neq; enim unquam ab ulla memoria tantum insignium ducum, lectorumq́ue militum ullis in castris coiuisse crediderim, si singularum gẽtium nobilitatem, ac famam assiduis quæsitam bellis, & priuatæ uirtutis decora, animo reputemus. Nam cohortes ferè integrę ex his constabant, qui paulò antè centuriones signiferiq́; fuissent, & turmæ refectę erant ueteribus præfectis, aut ijs qui egregiè pugnando & præclarum nomen, & militaria dona, torques aureos, & aurata calcaria meruissent. Porrò in quota parte uirium censebitur curulium tormentorum apparatus? qui in ueterum castris, aut certè nullus fuit, aut qualiscunque fuerit, is omnino ętate nostra fit deridendus, cũ operosas è materia turres, & machinas tremenda effigie, & asperis suis tantum nominibus terribiles, maiores nostros timuisse uideamus, ea tum apud Cęsarem tot erant egregiè fabrefacta, ut perpetua eorum corona, instructę acies prę cingi, & latè muniri, ad non dubiam uictoriam faciè posse uiderentur. Omnium enim ducum id fuerat decretum, nihil à flumine Viennaq́ue discedere, nihil omnino progredi in apertos campos, ne hostium equitatus sua multitudine atq; audacia à latere insinuatus, ab urbe demum Danubioq́; intercluderetur. Omnium enim ducum id fuerat decretum, nihil à flumine Viennaq́ue discedere, nihil omnino progredi in apertos campos, ne hostium equitatus sua multitudine atq; audacia à latere insinuatus, ab urbe demum Danubioq́; intercludis nostris, omnem supportandi commeatus facultatem eriperet: hoc uerò ordine exercitus noster expectare hostem paratus, non procul à mœnibus amplissimo in loco statuebatur. Tres peditum hastatorum quadratæ phalanges, latis inter se distinctę spacijs, pari & æquata fronte contra hostes sic locabantur, ut ipsis medijs interuallis equitatus omnis bipartitus reciperetur: neq; enim putabant numero exiguum, aperto in loco extra pedites, trecentis fermè Turcarum equitum milibus esse obijciendum. Dextrum cornu equitum Cæsar, læuum Ferdinandus eo modo desumpserant, ut leuis armatura sclopetariorum, quæ uiginti milium numerum efficiebat, undiq; hastata quæ diximus agmina, relicto triginta passuum spacio coronaret: horum acies longior, & rarior erat, & quinis tantum militum ordinibus, in latitudine constabat, ut expediti, & nihil inculcati, habili manu, dum primi sclopetos emittunt, & secundi implent, alternantibus eo modo or

dinibus, perpetuam glandium procellam effunderent: neque enim multum referebat, si tenuior esset, quoniam sclopetarijs omnibus, si urgerentur, patratus erat ad proximos hastatos receptus. Circundabant ergo & frontem & latera, atq; etiam terga, continuata serie, quæ duobus tantum in locis erat interrupta, ut egressus liber atq; expeditus, quũ oporteret, equitibus densatis absq; ulla peditum pertur batione præberetur: ante uerò leuem armaturam constituta erant tormenta, ea ratione, ut postquam diu emissa feruefactaq́; usui esse desinerent, in ualli morem firmissimo quodam muniméto irrupturis hostibus opponerentur. Soli Hungari extra munimenta se pugnaturos professi, à Valentino Pauloq́; ducibus in ingentes alas expandebantur. Cęterùm Solymanus qui è sua uetere disciplina campos quærebat, in queis nostros expanso, & circundato equitatu, nũquam cominus oblata pugna fatigaret, ubi de apparatu consilijsq́ue Cæsaris certius cognouit, ultra Muram est profectus. Is amnis antiquis Sauaria fuit, effunditur in Drauum paulo infra Petouiã, urbem Romanorum castris & hybernis claram: eo superato Turcæ ad Marpurchum oppidum delati, tumultuarijs pontibus effectis, Drauum transierũt: atq; ita Solymanus Stiria excessit, & inter Drauũ & Sauum directo itinere ad Belgradũ est reuersus, passim sæuitiæ suæ uestigia relinquẽs. Ferunt eum supra triginta milia Christianorũ capitum in seruitutem abduxisse, & aliquot milia diuersis in locis, per Michalogli præsertim equites, trucidasse: nam dispersæ agrestium armatorum manus, dum coire in unum conarentur, à repentinis astutisq́ue equitibus passim ex insidijs circumuenti, facilè opprimebantur. Cognito Solymani discessu, Cęsar omnium opinione celerius in Italiam redire cõstituit, deprecante Ferdinando, ut postquam innumerabiles copiæ tanto sumptu tantoq́; labore coiuissent, ea occasione atq; eo apparatu uterentur aduersus Ioannẽ, quem planè destitutum, & in magno regionis spacio disiunctũ à Solymano, & Buda urbe, & tota demum Pannonia facilè essent expulsuri: sed Cæsar quòd hyems suberat, & commodissimis itineribus sibi alpes omnino transeundas iudicabat, in proposito discedendi perstitit. Inuitabat enim eum ad festinandum mira cœli serenitas, eo suspectior in reliquum tempus, quòd per plures dies æstiua potius quàm autumnalis extitisset: eam tum, ut ex naturæ causis credi par est, in cœlo per xv. dies apparens crinitum sidus, siccaris planè terris artulerat: pestilentia quoq; contagijs serpens, & in urbe, & in castris, & in ipsa demum aula multos quotidie, & insignes quidem, rapiebat, ut non modò Cęsarem, sed etiam constantissimum & grauissimum quemq; magno pere perterreret. Id uerò Cæsar, & communi causę, & fratris precib. dedit, ut Italicas cohortes omnes relinqueret, quæ adiunctis Austrianis copijs in Pannonia cum Ioanne bellum gereret: ipse autem cum Hispanis, & Germanorũ Maximiliani atq; Tamisij legionibus in Italiam proficiscereture. Delectus uerò Italis dux est, Vastio efferẽte, Fabritius Maramaldus: nec de stipendijs quicquam est cõstitutum, ut cohortes ad præstandam operam accendi, ac in officio contineri possent. Ea res primò reliquorum præfectorum animos uehementissimè pupugit, quòd unus cæteris omnibus, non sine aliorum dignitatis offensione, præferretur. Vt uerò in uulgus militum emanauit, cẽturiones & signiferi notiq́; milites, ueterum præfectorum suorum nomen & amicitiam secuti, se in Pannoniã non esse ituros testari, nisi rex Ferdinandus, aut ipse Vastius, aut Antonius Leua imperij militaris munus susciperent: gregarij uerò milites palam dicere missionem esse petituros, nisi trimestris pecunia solueretur. Oderant & plerique Maramaldum, uti uiolentum, & in exercenda disci

plina nimis seuerum. Vastius non uno in loco ad milites uerba fecit, cohortes monendo, ut sacramentum militare respicerent, & decus, quod tanta alacritate & celeritate aduentus, sibi ipsis ac toti Italiæ peperissent, remanendi perseuerandiq; constantia tueri uellent: ad eos enim recuperatæ Pannoniæ laudem & gloriam esse peruenturam: nec fortes uiros unquam eguisse stipendijs, omnia uirtute uictoriaq; parari, quę certa atq; explorata uideretur: quantum ad ducem pertineret, eum semper satis generosum & dignum uideri, qui esset rei bellicę peritus, & strenuè hostem ferire ac profligare didicisset: in Fabritio tamen non desiderari honestos natales, & excellere comitatem, & ipsum, quum ui corporis ac ingenij uigore nemini cederet, etiam ætatis honore cæteros anteire. Sed in hoc præcipuè spectari debere iudicium Cęsaris, qui eum uti potiorem delegisset, & modestiam parendiq́ue obsequium in milite, ante omnia requirere, & maximè commendare esset solitus. His cohortationibus Vastius tantum profecit, ut stipendio prębito pacari atque inflecti posse uiderentur: sed ad id Cæsar quæstorum malignitate durior est inuentus. Interim quum Vastius è castris in urbem ad explicandas huiusmodi difficultates perrexisset, nox aduenit opportuna miscendæ seditionis. Fortè allatus erat ex urbe nigerrimus panis, plane q; mucidus, quem emptum milites infixumque hastilibus commilitonibus ostentabant: & paulo antè insolentius etiam egerat gregarius Hispanus, qui prætorium ingressus, simili pane ad Vastij pedes cum execratione proiecto, magnas turbas exciuerat. Itaque milites ante tentoria in coronam coëuntes, dum aduersa atq; aspera de stipendio, de cōmeatu, de Hungarici belli difficultatibus proloquūtur, ad signa Parmensium ex omnibus cohortibus plurimi confluxere. Ibi Titus Marconius Volaterranus, cæteris turbidior & eloquentior, coaceruatis iumentorū clitellis impositus, seditiosissimo quoque centurionum incitante, ut pro dignitate saluteq; omniū liberrimè differeret, ita locutus fertur: Ergo, inquit, commilitones, uti audistis, Hispani in Italiā ibunt, & nostro malo in uetera hyberna concedent, atq; etiam quod pudeat, præclari hospites cum uxoribus nostris cubabunt: nos uerò exulabimus, & in Pannonia, hac hyeme, cum glacie, & niuibus bellum geremus? pugnaturi scilicet, contra indigenam acceptum suis popularibus, superq; cętera omnia Turcarum copijs ac opibus longè firmissimum: & quod fortibus uiris maximè mouere stomachum possit, duce Maramaldo, qui sæpè cæcus ira, præcipiti crudelitate, ita latera nostra auidè gladio petere est solitus, ut nō aliunde libentius, quàm ex nostra cæde & supplicio, ducis nomen usurpet. Neq; uos, qui sæpè signiferi centurionesque fuistis, usqueadeò insanisse crediderim, ut sine ulla spe stipendij, aut commeatus, aut uictoriæ, aut deniq; reditus, sub gregario duce militetis. Profectò nō tam me iuuat huc uenisse pro laude Italici nominis, uel non pluris quàm triginta denarijs æstimatum: & si hactenus undena stipendia meruerim, quàm hodie disputet hunc fœdum antè finiti, quàm cœpti belli exitum spectare. sed in regia fortuna nullus est pudor, sicuti nec ulla æquitas in referenda militi gratia: militarem enim operam hodie reges una belli necessitate metiuntur: hæc una inquam nobis præmia expedit, amorem conciliat, auget dignitatem, quæ omnia demum post uictoriam parta pace, penitus obsolescunt. Ita uobis hodie euenit commilitones, Cæsar & Ferdinandus grauissimo belli metu liberati, ut hac nostra multitudine exonerentur, nos tanquam pecora, in Pannoniam detrudere contendunt, ita ut sperent nostro sanguine uictoriam esse relaturos, ut in aduersa nostra fortuna, nullam omnino iacturam facturos, si nos Turcæ, & Hungari, Danubij glacie, & Alpinis niuibus intercluſos, fame & ferro penitus absumpserint. Verùm hæc fortasse non agnoscitis, sicuti nec planè nouistis, quid hic dirus, & uerè sanguineus cometes, euibratis in Italiam radijs, portendat. Certè hic nec Solymano, nec Cæsari fatalis adfulget, quum uerius nobis calamitatem acinteritum minetur: illi enim pari consilio securitatis atq; prudentię pleno, uiam fatis aperire noluerunt, dum in diuersa abeunt, atq; omnes committendi prælij casus deuitant. Ergo si illis planè licuit, & salua quidem maiestate, egregiè cauisse, ne prælij aleam subirent, quum utrinque dimidius terrarum orbis præmium uictoriæ spectaretur, nos minimè cauebimus? ne eò demittamur, unde nullus nisi funestus exitus esse uideatur? quum id absq; flagitio, & optimo quidē iure, nulla præsertim proposita mercede, facere possimus? hoc modo ualde præclarum tanto bello finem impositum uidetis, in quo uni omnium Itali pro laude & donatiuo contumeliam ferimus, & ob id fortasse in Pannoniam relegamur, ut in Italiā, hoc flore militum detracto longeq; semoto, Hispanorum & Germanorum coloniæ deducātur. Profectò nimis miserum uidetur, ablegari in solo barbarico, ubi omnia hostilia occurrent, nec ullus desertos & errabundos omnino pacatus locus excipiat. Itaq; hodie commilitones, pluris interest rectè sapere, quàm fortiter pugnare. Ad certam salutem, ad uerum decus occasio, quæ se nobis præbet, in præcipiti uertitur, maturè facto opus est, & priusquam Hispani uasa conclament, nobis est prouolandum, ut magno interuallo castra & prima agmina Cæsaris antecedentes, primi omniū Italiam intremus: si prolixè consultando, paululum cunctemur, & Vastius aderit, & ipsi præfecti nostri aduenient, qui nos suo quæstu, & malo nostro in has difficultates adduxerunt, scilicet deprecantes, & deniq; fallacissimis artibus multa stipendia policentes. At uos, si uiri estis, eos tanquam publicos hostes à colloquijs arcebitis: non deerunt in hac corona uiri fortes, atq; etiam magnitudine animi, & uitæ innocentia illis multo meliores, qui nos educant, agmina subsidijs firment, aciem instruant, & hac uestra uirtute uestrisq; animis feliciter utantur. Vos si sapitis, expedito consilio corpora atque animos ad iter parate: dij maturantibus ubiq; aderūt. nam facilè uoti compotes euadunt, qui præoccupant. Hæc dicentem excepere turbidissimi quique ex uarijs cohortibus laudando atque approbando cuncta ordine, uti Marconius perorarat, moxq; fremitus tota concione est auditus, qualis apud cōsternatos ad arma esse consueuit: inde euulgata profectione, signa sunt reuulsa, & dēsato agmine ad Neostadium iter est directum: nec mora in agmine tribuni militares tumultuarijs suffragijs cum imperio creantur, nec his ubi nomen est recitatum, honoris recusandi facultas relinquitur. Hi fuere Montebellius Vmber, Nerius Tiphernas, Molearius Parmensis, Sanctiusque Picens, & à Mediolano gemelli fratres Glusiani, qui ad octo milia hominum secum traxere: reliqui partim pudore, partim metu suspensi, apud Maramaldum Torniellumque, in obsequio permanserunt. Eo modo profectos, Vastius præfectique, & plerique centuriones prouecti equis ad sextum fermè lapidem consequuntur, orant, ut consistere, nec tantum scelus admittere uelint: parata esse stipendia docent, & precibus minas addunt. At illi obaudire, nihil morari, ira simul atq; flagitio efferata ora conuertere, adeò ut in aduersos minora tormenta disploderent. Ibi Vastius dum retentare agmen, & tribunos deterrere, reuocareque ad imperium conaretur, non mediocre uitæ periculū adijt. In ea interpellatione, Molearius, qui ut sese expurgaret, atq; operam sedandæ seditioni polliceretur, paulum extra agmen in colloquio hæserat, interceptus

ceptus à Castalio prefecto, iugulatur. Vulneratur & C. Anguillius Florentinus, capiturq;, ut eo indice se ditionis authores quæstione habita noscerētur. Eo atroci facto semel consternatis ira in immensum accenditur, ita furētibus similes, multa milia progressi, ad Martis lucum peruenīunt: id oppidum quòd portas clauserat, succensis ualuis expugnant, atque diripiunt, continuatis & maximè extentis itineribus cuncta obuia crudēli rabie populantur, omnia exempla scelerum passim edunt. His Ferdinandus uehementissimè commotus, quòd recuperandæ Pannoniæ tota spe deciderat, omnibus Stiriæ, Carinthiæque populus scripsit, ut nemini Italico parceretur: id irati animi decretum, quanquam in supplicia meritos ederetur, tamen aliquanto acerbius & atrocius est uisum, quoniam neminem eo pericu lo eximeret: adeò ut tot reliqui milites, tot legati, totq; sacrati antistites, atq; ex omni Italia honestissimi uiri, in id cædis discrimen cum sceleratis hominibus miserentur. Ad hanc edicti famam decurrētibus undiq; Germanis ad obsidendas itinerum angustias, multæ cædes factæ, in dispersos præsertim & alimenta quærentes: sed ubi conglobatæ cohortes ad uestigia cædis, & ad ipsa cadauera perueniebant, tum uerò animis ira ac indignitate percitis, in ædificia grassabantur, sicut passim cubitalibus literis ex carbone incendiorum causam præscriberent, ut subsequentes id nequaquam temerè, sed uindicandis iniurijs factum scirent, cauerentque, ne ipsi pariter in saltibus impediti, Germanorum insidijs sternerentur. Interea Cæsar profecturus, Viennæ edixerat, ut hoc ordine in Italiam iretur, ex primo agmine, cui ipse præesse uolebat, Ferdinandus Gonzaga cum leuis armaturæ equitibus antecederet, inde Vastius cum Hispanis, & prætoriani equites succederent, interposito autem biduo, subsequeretur Hippolytus legatus, cum toto legatorum sacerdotumq; & togatorum ordine, quorum omnium comitatus erat amplissimus, tertium & postremum agmē, in quo Albanus regulus cum Hispanico equitatu erat, Germanorum legiones clauderent. Sed hunc ordinem militari consilio constitutum, Hippolytus abrupit, iuuenili quadam impatientia leui tateq;: adulantibus præsertim clientibus nonnullis, & centurionibus, quos incredibili sumptu sibi adsciuerat. Ita optimo quoq; familiarium frustra deprecāte, relicta sacerdotali purpura, galeroq; quem maximè fastidiebāt, ferina pelle cōtectus, cum paucis armatis equitibus præcurrit. Quo facto in eam suspicionem adductus est Cæsar, ut eum, qui spiritu ualeret, & pontificia pecunia potiretur, ad occupandam Florentiam contendere iudicaret: allocutus enim milites fuerat, & secū adducebat Russiū præfectū, à cuius cohortibus seditionis initia emanasse ferebant. Itaq; præcurrentem Cæsar, nec reuocantibus ipsius nuncijs obtemperantem, ad oppidum sancti Viti cum Russio comprehendi custodiriq; iubet, ne pax tanto sumptu, tantoq; labore omnium in Italia parta eius adolescētis audacia turbaretur. Verùm nō multo pòst Cæsar, cum certiora de ea re didicisset, nec patrui pontificis animum acerbiora offensione exagitandum putaret, uiolatiq; sacrosancti legati infamia permoueretur, quinto die eum emisit, retento Russio, qui & ipse demum facilè impetrante Ferdinādo Gonzaga affine, custodia est eductus, quòd eum præclaro multorum signifer rorum, & centurionum testimonio, culpā uacātem castrensis prætor absoluisset. Et id quidem æquissimo animo tulit Clemens, quum & captum simul, & dimissum cardinalem uno tempore cognouisset, sæpè querēs eius ingenium à deterrimis adulatoribus fuisse deprauatum: quanquam in ea re Cæsar seipso suspicatior & asperior extitisse uideretur. At Hippolytus, ubi custodia est emissus, è sancti Viti oppido, quod Virunum nonnulli antiquitus fuisse putant, ingenti cursu Venetias cōtendit: bis cum summo uitæ discrimine per insessos à Germanis saltus feliciter elapsus, quū Mercadus Hispanus, dux itineris, Germanicæ peritus linguæ ostentatis cultu ipsō regię aulę insignibus, ea pericula depulisset. Portò tribuni militares, quum incredibili celeritate, continuatis die nocteq; itineribus ad Vacorium peruenissent, quod hodie Villacum dicitur, in ripa Draui amnis constiterunt. is amnis aquarum mole & suo rapido cursu concitatus, nequaquam nado superari potest: pons uerò sublicius quo iungebatur oppidi portę, ita erat insinuatus, ut per mediam oppidi regionem, ad aduersam portam uia militaris extenderetur. Vacorienses ponticulum subitarij operis à proximo maioris pontis capite, iuxta oppidi murum, ad frumentarias molas celerrimè perfecerunt: atque ita ad mutuam securitatem, utrisque integra existimatione, præclarè atque opportunè cōsultum. Drauo superato, quintis demum castris, & multo pactioribus quàm antea itineribus, ad Tiliauentum flumen est peruentum, atq; inde dissolutis cohortibus, milites uario itinere, uti quisque patrię proximus, cum execratione eius infaustę militiæ, domum sunt reuersi. Nec multo pòst Cæsar Italiam intrauit, singulari Veneti senatus studio liberalitateq; passim susceptus: eam uerò pacati animique animi modestiam præ se tulit, ut Venetæ ditionis urbes se minimè ingressurum esse testaretur.

SVPPLEMENTI
LIBER XVI.

ADuentante in Italiam Cæsare, Andreas Auria cum triginta quinque onerarijs, & quadraginta octo rostratis nauibus Messanam uenit: ibi cum instrumenta bellica, & nauticos præcipuè commeatus, nequaquam ingenti cura ac diligentia à præfecto Siciliæ, quem tum importunè morbus inuaserat, parata atque expedita reperisset, aliquanto serius quàm uolebat, in Græciam traiecit. Audierat enim Himeralem, Ottomannicę classis præfectum, in Ambracio sinu aliquandiu desedisse cum septuaginta triremibus, imperitè & nequaquam militariter instructis, sic ut eō nullo propè negocio si maturasset, oppressurus fuisse crederetur. Erat tum ad Zacynthum insulam Veneta classis, sexaginta triremium, Vincentio Capellio prefecto, qui insulas & urbes, litoraq; Veneti imperij uigili cura tuebatur: utriquè iure fœderis amicus & hospes, nulli socius, spectator tantum: sed ex professo illis futurus hostis, qui subiectis Veneto nomini populis terra aut mari uim intulissent. Itaque Auria à Lacinio promōtorio, quod hodie Columneum uocant, dimissis in altum onerarijs nauibus, ut rectà ad Peloponnesi insulas cursum dirigerent, Iapygium Salentinorum, legendo Magnæ Græciæ oram, tenuit: indeque Corcyram & Cephaleniam præteruectus, Zacynthum uenit. Constiterat in acie Capellius penè hostilis, paratique animi speciem præbens, ut apparatum atque ipsam nondum uel diuturna pace senescentem, maritimi negocij disciplinam ostentaret: & uetera quidem odia memoriam subibāt, quibus Ligures, Luciano Auria duce, ipsius Andreæ tritauo, ad interncionem propè Veneti nominis, ad fossam Clodiam dimicassent, atque inde Auria subirato tristique animo Luciani interitum defleret, qui uictor eō nauali prælio cecidisset: sed sanctissima religionis & fœderis iura ita animos continebat, ut quum utrique

imprudentes, uel incauti uideri nollent, prębito insigni spectaculo concursuri uiderentur. Reddidere ueri prælij simulachrum tormenta utrinque ad consalutationem honoris causa, exemptis pilis, miro ordine disploſa. Venit ad Auriam Canales, nobilis uir atque item fortis, Ionij maris custodiæ præpositus, per eum Capellius, portus, stationes, commeatus amicè obtulit, excusauitque se, quòd integra senatus fide consociare uires, & publicos hostes persequi nequaquam liceret. obstare enim fœdus, antiquitus cum Ottomannis percussum, quòd ipse etiam Solymanus renouasset. At Auria Cæsaris nomine gratias egit, quòd senatus eo animo esset, ut maiorem æquitatis atque iustitiæ, quàm ullam bene gerendæ rei rationem respicere cogeretur: sperare se tamen Cæsaris auspicijs talem adingentem uictoriam Venetis occasionem esse præbiturum, ut eæ fœderum compedes, ab ipsis ultro pietatis & certæ uictoriæ causa cupidissimè frangerentur. Et certè quum hæc animo reputamus, nostrorum temporum conditionem deflere, Christianorumque principum insaniam detestari lubet, qui dum inter se bello aut odio dissident, ita Ottomanis parcunt, ut qui toties superari deleriq; potuerint, non immeritò adaucta in immensum potentia, ad totius orbis imperium aspirent. Himerale enim tum in fugam acto, atq; eo si persecuti forent, facilè delero, quæ reliqua unquam Solymano classis superfuisset? qui nam Byzantij, Cæsarianę Venetæque classium impetum tulissent, nisi tyrones prętorianos, aut eunuchos ad custodiam fœminarum domi relictos, mœnia egregiè defensuros credamus? quum in Pannonia procul ageret Solymanus, & Græci ex ipsa uetere libertatis ac imperij sui memoria, ut rebellare ex tuto possent, non quidem accessum Christianę classis, sed uix ipsam tantum aduentus famam, erectis animis expectarent? Cæterùm Auria, ubi didicit Himeralem, superato Galli promontorio, quod antiquis Acritis fuit, ad Maleam contendere, Antonium Auriam cum delectis septem triremibus, qui persequeretur misit: sed ille ad Cytheram insulam usque frustra persecutus, quòd hostes Argolicum sinum prætergressos, Atticæ Sunium atque inde Chalcidem petere audiebat, ad classem est reuersus. Ea tum in Sphragiæ insulæ portum, quem nostri Sapientiam uocant, supra Methonem, ad explicanda consilia se contulerat: iam enim onerariæ ab alto, remissioribus usæ uentis, in conspectum se dederant. Fuere qui dicerent Methonem oppugnandam esse, & ante alios Saluiatus impiger iuuenis, Rhodiarum triremium prefectus. profitebatur enim se eam turrim, quæ subiectum mare despiceret, & cæteris munitior esse uideretur, effracturum maioribus tormentis, & protinus occupaturum, utpote qui situm urbis interioresque munitiones apprimè nosset: superiore siquidem anno in eum ipsum Sphragiæ portum cum aliquot triremibus è Melita insula noctu illatus, præmisso ignobili nauigio per simulationem exponendi mercimonij, in cuius carina armati conditi erant, felici dolo urbem occuparat, Iano Mario, uiro Græco summæ uirtutis id facinus ingenti animo patrante: sed occisis custodibus, occupataque porta, & iam capta urbe, nostri milites, quum ad diripiendas domos solutis ordinibus discurrerent, facilè à Turcis, qui animos receperant, turpiter cæsi expulsique, nobilis uictoriæ initium fœdo exitu corruperunt: ob id Auria ex priore periculo intentiorem firmioremque custodiam, adaucto Turcarum numero, futuram ratus, Coronem oppugnare constituit. Distat ea urbs à Methone duodecim fermè passuum milibus, si terrestri itinere petatur, mari uerò paulò minus uiginti. Nam Acritæ promontorium medio fere interuallo in mare procurrit, & in læuo promontorij latere sensim litora curuantur. In hoc sinu sita est Corone, adeò porrecta in pelagus, ut magna ex parte maris fluctibus alluatur: altera pars cuneata in latam cuspidem, transuerso muro, eoque fenis turribus insigni & ferrata porta, proximam litori, quam insulam uocât, penitus excludit, & ita à mari recedens, sensim attollitur, ut perpetuo saxo mœnia imposita ad trianguli formam oppidum efficiant. In oppido, ut firmiore nobilioreque, Turcæ domos habent, Græci insulam inhabitant: ad extremum uerò oppidi angulum prælta in rupe arcem Veneti quondam fecere, quæ mediterranea despicit, & suburbana tecta: hæc uiam militarem excipiunt, quæ in septentrionem perpetuo accliui collis dorso in campos extenditur: sed ea suburbana, quum ad sagittę iactum, à porta oppidi processeris, alio intermedio muro portaque diuiduntur, porrò ad mare ab utraque urbis parte, duæ sunt percommodæ stationes: nam quum Euri Vulturnique, uel è diuerso Fauonius & Corus sæuius perflauerint, ex hac in alteram nauigia repentè confugiunt. In lęua statione ex uetusti operis mole portus efficitur, uerùm adeò angustus, ut uix septenas triremes tutò recipiat. Auria, terra mariq; explorato urbis situ, cohortantibus maximè Græcis, qui ad nostros è suburbanis ædificijs cupidissimè transierât, aggressurus urbem, in hunc modum ad oppugnandum loca muniaque distribuit: circunductæ primò sunt in amplissimam coronam naues onerariæ, & ante eas triremes, ut toram eam conuexi muri partem, quæ insulam à mari præcingit, contractiore ambitu complecterentur, proiectis in litus sub muro anchoris, ut inde per ductarios funes ergatarum beneficio attracta nauigia, quantum maris uadum pateretur, ad mœnia promouerent. Scaphis autem magnarum nauium pluteis ac asseribus protectis, anchoras prouehi, & in litus ad scopulos inter tela Turcarum ab alto incidentia, collocari iubebat: ex nauium proris nouo quodam artificio pontes paribus extantibus antennis impositi tabulisque constrati, à fronte prominebant, ita ut summitati mœnium æquarentur, atque inde clypeatæ armateque cohortes procursuræ & irrupturæ in oppidum uiderentur. In duarum uerò longè maximarum nauium, Grimaldiæ scilicet & Rhodiæ summis carchesijs, ab excelsissima scilicet mali summitate, sacri, falconesque bini constituti erant, ut inde non propugnatores modò, qui in muro consisterêt, sed interiora insulæ certis ictibus peterentur. Terrestres uerò copias ita diuisit, ut Hieronymus Tutavilla Sarnensis comes duceret Italicas cohortes, & à læua parte supra molem, latum propugnaculum septem tormêtis quateret: Hieronymus uerò Mendocius cum Hispanis à dextra, paulo à mari lõgius, non insulæ tantum, sed & oppidi murum totidem tormentis & scalis aggrederetur. Ipse Andreas locum sibi delegerat apud molem, Sarnensi maximè propinquum: pontificiæ autem triremes contraria in parte, Antonio Auria deposcente, dextrum cornu tenuere: Saluiatus in medio Rhodias mœnibus admouit. Nunquam ab ulla memoria tantum tormentorum ad unam oppugnationem collatũ fuit: nam à terra quatuordecim, à mari uerò centum & quinquaginta muralibus tormentis, uno undique tempore murus est uehementissimè uerberatus: minorum uerò tanta uis fuit, ut neq; prospici quicquam, neque exaudiri facile posset, fumo scilicet in crassissimæ nebulæ morem latè diffuso, & crepitu reboatuque tormentorum cuncta quatiente. Apud Sarnensem Itali magno animo, sed irrito incœpto ad proruptum murum scalas apponere, & scandere conantes, ter à Turcis acerrimè propugnantibus, insigni detrimento accepto, sunt repulsi. Neque enim tantum muri dirutum fuerat, ut attingere scalæ

re scalę possent, & undique ab latere minoribus tormentis sternebantur: nec Turcę è muro saxa, ignes, feruentem arenam, calcemque & picem liquefactam prouoluere ac infundere subeuntibus cessabant. Sarnensis in his periculis fortiter æquè atque feliciter uersabatur, nec reuocandi milites locus erat: nam implicati inter se hastis, & in casarum angustias, quæ muro suberant, metu retrusi, quanto magis à muro recedebant, tanto apertius ac certius uulnerabãtur. Periere in eo conatu receptuq;, Theodorus Boschites Græcus, qui in Italia alæ equitum cum laude præfuerat: atque item Franciscus Carnaus è Neapoli, & Iacobus à Capua, strenui centuriones: & cum his trecenti ferè milites, & supra mille uulnerati debilitatique, in queis fuit Alfonsus Capanius signifer, cui sclopeti pila ab alto demissa, per fosso oculo linguam abripuit. Ex altera parte Mendocius nequicquam quassato muro, quum omnia ardua ad ascensum forent, cauto consilio prelij fortunam non subijt. At nauales socij felicius, quum Auria subeundi & scalas afferendi, uti antea edixerat, tuba signum dedisset, in insulam peruaserunt, cedentibus muro Turcis metu pontium, quos superstantibus armatis appropinquãtes continuò apprehensuros murum omnino crediderant. Primus ex naue Grimaldia imberbis Ligur, genere humilis, sed eo saltu satis clarus, uexillum in hostili muro defixit: proximi ei succesſere Hidrontino à Galeone miles, ac demum Lamba Genuenses: atque ita multis interfectis, insula capta direptaque est, refugientibus infra oppidum per ferratam portã Turcis, qui ex eo, quem diximus, turrito muro, nostros præda occupatos uagantesque sclopetis & sagittis uulnerabant. At primis tenebris Sarnẽsis, suos, qui sub muro conditi protectique multis horis substiterant, incolumes ad se recepit, & tota nocte laboratum est in erigendis munitionibus, quibus in oppugnando oppido ipsi milites tormentaque ab hostium ictibus tegerentur. Sequenti die plures Turcarum equitum manus, ut Coroneis opem ferrent, in conspectum se dederunt: namque singulos ferè proximorum oppidorum præfectos, & fama Aurianæ classis, & auditus tota Peloponneso tantus tormentorum strepitus, exciuerant. Aderat à Lacedemone, quam Misitrã uocant, Zadares, cui Tridigito cognomen. is à Londario Charitena Messeneque expeditos equites circiter septingentos adducens, secundum litus iter facere cœperat, ut à dextro latere in urbem irrumperet. Erat inter suburbana tecta, ei portæ quam diximus, in statione collocatus cum cohorte Theodorus Spinula, iussuque Sarnensis, milites intra sagittę iactum intercisa militari uia, transuersam fossam opportunè duxerant. Itaque Zadares, quum ab Erasmo Auria, qui in id litus triremem obuerterat, tormentis peteretur, à litore discedens, trium amplius milium capto circuitu, ad læuam peruenit, sinuosoque itinere intra suburbana tecta se intulit, magno impetu ad portam prouectus, adeò ut Theodorus irruẽtium uim ægrè sustineret: eratque res adducta in maximum discrimen, nisi Sarnensis Theodoro cum paucis repugnanti peropportunè opem tulisset, submisso Petro Tolfio cum trecentis sclopetarijs: ij postremam partem Turcarum agminis, retro auertere, ingressique suburbana ita reliquos in fugam, desperato ingressu urbis, compulere, ut quum Turcæ concitatis equis effugere conarentur, in fossam inciderent. Ibi Zadares labente equo præceps datus, interficitur, nec ulli ex Turcis omnino parcitur. Eo modo multis occisis, capita ad munitiones deferuntur, quibus conspectis, Turcæ qui oppido arciq; præerant, siue metu, siue commeatus & tormentarij pulueris inopia, adducti, ea conditione urbem atque arcem dediderunt, ut cum rebus suis armisque in pacata loca discedere liceret. Corone capta, atque ibi præsidio Hispanorum constituto, & receptis in fidẽ Græcis, disputatur in cõsilio, an in longo portu, qui parum à Corone distat, ut certus tutusque in ea ora Christianis classibus sit receptus, castellum ędificare expediat: aut Iuncum oppugnare, id hodie Nauarinum, Pylium antiquitus fuit, subiecto portu insigne, ignauia custodis Veneti, qui postea capite pœnas dedit, Baiazeti in Methonensi uictoria traditũ. Cæterùm Auria multis de causis, & quòd nũquam defuturos portus nostris classibus speraret, ea consilia abiecit, & ad oppugnandas Patras, iterum adita Zacyntho cum classe descendit. Deseruerant adapertam urbem incolæ Turcæq;, & in retractiorem locum sub arce prælta fossa muroq; munitum, milites cum magna puerorum & fœminarum multitudine se receperant. Expositis copijs, subuectisq; tormentis octo muralibus, Sarnẽsis ad mille sclopetarios secernit, qui defensoribus murum nudent, ceteros uirgultorum singulos fasces adferre iubet, ut æquata fossa ad murum scalæ deferantur. Non diu tormentis restitit murus, Coroneo uetustate debilior. Primus omnium Ioannes, Traiani Cabaniliæ filius, castrorum præfectus, in fossam desilijt, subsequente ipso Sarnensi cum tribus signiferis, & integris demũ cohortibus, scandicq; murus certatim est cœptus: sed defensores imperium nostrorũ, fuga in arcem facta, diutius non tulerunt. Ita urbe paruo labore, & penè sine militum nostrorum uulnere, celeriter capta direptaq;, ad arcem in ædito sitam, tormenta subuexere. Erat oppugnatio futura difficilis, si eam militari more Turcæ defendẽdam suscepissent: sed exemplo Coronensium, atq; item eius imbellis turbæ misericordia adducti, quum tantam multitudinem diu alere, uel in tanto seruitutis acuię discrimine tueri posse desperarent, emisis ad Auriam oratoribus, ea conditione deditionem fecerunt, ut recepti in fidem, inuiolatique, saluo in primis fœminarum pudore, cum singulis uestimentis in Ætoliam traijcerent. Id egregiè Andreas præstitit, adeò ut inter alas militum utrinq; extensas exeunte trium ferè milium capitũ multitudine, cum nonnulli petulantius fœminas attrectare, atq; his ornamenta detrahere inciperent, corripi, extemploque suspendi, aut iugulari iusserit: horum supplicio cæteris ab omni licentia deterritis, eo ordine Turcæ ad naues sunt deducti, ut Sarnensis & Saluiatus antecederent, ipse postremum agmen cogeret uultu seuero imperioso, & ad sumenda supplicia, si qui paulo licentius iussa contemnerent, maximè parato. Quærebat enim iustitiæ & præclaræ fidei famam apud ipsos præsertim Turcas, ut eæ gentes religione ac ingenij captu nobis dissimiles, facto periculo manifestè perspicerent, in Christianis ad militare decus non deesse fidem ac humanitatem, qui adeò moderatè uictoria uirtute parta uterẽtur. Exercitu ad Patras relicto, & terrestri itinere subsequi iusso, Auria ad Naupactei sinus angustias triremibus est deuectus: ibi fauces adeò coarctant eum influentis Ionij maris sinum, ut uno minus stadio, à Peloponneso Ætolia distet, qua ad Hellespõtum interfluo mari, Europa atque Asia dirimantur. His angustijs gemina antiqui operis castella imminẽt, quæ Dardanellos appellant. Fuere olim in Achaia Rhium, & in Ætolia Molycreũ: sed Ætolicũ Achaico Baiazetes, superaddita turre ingenti, & duplici muro adiecto, multo ualidius atque munitius reddiderat. In his tormenta inusitatæ magnitudinis, multiplici fenestrarũ ordine ad libellã aquæ, ita cõstituta & collibrata erant, ut uel exiguis & humilioribus nauigijs ingressus, & exitus præcluderetur: nam utrinq; ad aduersam regionem emissæ bipedalis diametri saxeæ pilæ facilè perueniebant, uti eadem ratione ad Hellespõtum hodie fieri uidemus.

Auria citerioris caſtelli præfecto per Græcos homi A nes extrema ſupplicia comminatus, ſi expectandá tormentorum uim putaret, facilè pepigit, ut Turcæ incolumes caſtello excederẽt: quibus nequaquam cunctanter eductis, quicquid uel annonę, uel bellici apparatus in caſtello erat, diripiendum militi con ceſsit. Reperti ſunt thoraces, baliſtæq; ueteres, itęq; loricæ & peltæ more gentis, cum militari & minimè preciosa ſupellectile. Ea ſpolia, quum Aurianarũ triremium milites nauteq; efferrẽt, cęterisq; aduen tantibus oſtentarent, adeò appropinquantium cohortium animos dolore ac inuidia exagitarunt, ut quũ opimiorẽ fuiſſe prædam crederent, & tardius ueniſſent, ob idq; præda penitus excluderentur, cõtinuò ſeditionem miſcerent, ipſi Auriæ uehemẽter irati, quòd primò ad Coronem, & inde ad Patras, & tum etiam ad Rhium, quaſi Turcarum ſanguini paſ ſim parcendum putaret, eas res ciuili factione, q̃ fer ro & bellica ui conficere maluiſſet, ita præmia labo rum & uulnerum ſolatia militibus eripi, atq; interuerti prædam, ut ipſe inde apud hoſtes intempeſti uam humanitatis & clementiæ laudem priuato no mine ferat, & ſoli propè nautæ Ligures ditentur: ipſis uerò armatis militibus terræ & maris incommoda perpeſsis, nec locus ad perfectam laudẽ, nec ſpes ad certa probatæ uirtutis præmia relinquãtur: & quod fortibus uiris minimè ſit ferendum, omniũ ceruicibus & iugulis laquei & pugiones, uel in minimo delicto, & ſublata quidem ſpe dicendæ cauſę proponantur. Hæc, quum multiplicatis per coronas militum ſermonibus dicerentur, & iam planè conſternatæ eſſent aliquot cohortes, Neapolitanus ſignifer, quem ſtrangulari ad Patras amici militis dolor incitabat, uexillum ſuſtulit, alta uoce commilitones inuitans, ut ſe ad opulenta caſtella euntem extemplò ſequerentur, ibi non uiſuros crudelem ducem, & ingentem prædam uirtute quæſituros. Nec mora, illum quinque aliæ cohortes Italorum ſunt ſecutæ, hiſque uexillum Hiſpanorum acceſsit: iere citato agmine, non tam iratis quàm auidis animis in propinquos Græcorum pagos & uil las, execrante eos Auria potius quàm reuocante. Iam Sarnenſis cum ualida manu expeditorum militum traiecerat in aduerſum Ætolię continentem, ut exploraret caſtelli ſitum, & ponendis caſtris mu nitionem inciperet, quum Turcæ in noſtros facien do operi intentos protinus erumpunt: ſed egregiè Sarnenſis per ſclopetarios eorum impetum ſuſtinet, multisque uulneratis intra portam compellit: interim nondum perfecta caſtrorum munitione, equites Naupacto egreſsi, in conſpectum ſe dedere, ut caſtellanis opem ferrent: noſtri quanquam pauci pro caſtrorum ſpacio, quod erat ampliſsimũ, uti ad continendas omnes copias uſitata ratione di menſum, alacri tamen animo in munitionibus con ſtitere, in aduerſos ſclopetis rem gerentes, & nonnunquam erumpentes, ubi audacius prouectos ho ſtes conſpexiſſent. Cæterùm Turcę multis in gyros decurſionibus ad caſtra factis, latè omnia ſpeculati, quum ſeſe prouehere audacius, & cominus pugnare nollent, Naupactum redierunt, intromiſſo equite ad caſtellanos, ut eorum animos ſpe celeris auxi lij confirmarent. At Sarnenſis, qui ea ſpe traiecerat, ut copias omnes confeſtim ſubſecuturas crederet, ubi de conſternatione diſceſſuque militum certior eſt factus, intermiſſo caſtrorum opere, ad Peloponneſi litus, ubi Auria conſtiterat, confeſtim redijt, & ad eos pagos eſt profectus, in quos deſertores milites diuerſiſſe dicebantur, ducibus præſertim Grę cis, qui ſuas iniurias cum lachrymis deferentes, è proximis uicis ad caſtra decurrerant. Eos Sarnenſis nequaquam ſeuerè, ſed comiter reprehenſos, quòd adeò leuiter inſanire cepiſſent, haud magno cum labore ad officium reduxit: iam enim eos ad- B miſsi facinoris pœnitebat, & ſatis uerecundè ſigna & centũriones agnoſcebant, quum uillas & paſtorales caſas omnibus eſculentis raptim conſumptis, & ignobili etiam collecta præda, uacuas feciſſent: ſed reis & ex conſcientia pœnam meritis, Auriæ ſeueritas tantum pauorem adferebat, ut nonnulli metu ſupplicij præſtare dicerent cum Turcis paciſci, & apud eos ſtipendia facere, quàm ad ſæuum ac inexorabilem ducem reuerti. Sed Auria regionis & temporis rationem habendam exiſtimans, cunctis pepercit, ita tamen ut ſeueritatem ac iracundiam uultu ſermoneque retineret, nec ueniam deprecan tes recipere uellet, niſi uti cohortes decumatũtus, ad arbitrium militaris imperij ſe dederent: is pauor omnium animis incuſſus, pro pœna ad retinen dam imperij exiſtimationem Auriæ ſatisfecit. Nec mora, ad delendam feceſsionis infamiam, parati animis in Ætoliam ſunt traducti, ſimulque expoſita in litus tormenta duobus circiter millibus paſſuum ſuprà caſtellum, ut tutiore itinere conuehi poſſent: nam è caſtello Turcæ ea litora tormentis infeſtabant. Ea Chriſtophorus Auria uir impiger, negocio præpoſitus, attracta funibus & impulſa militum humeris, per centurias labore diſtributo, in caſtra conuexit, eodemque tempore Cabanilia cum trecẽtis ſclopetarijs antecedẽs, opportuno & antè, ut diximus, explorato loco caſtrametatus eſt. Dum hæc adminiſtrantur, Turcæ Naupacto magnas peditum & equitum copias educunt, & in noſtros pleno paſſu deferuntur: iam enim & à Corintho, & ab oppidis quæ ſunt ad Acheloum amnem, totaque Peloponneſo & Ætolia, præfecti equitum, raptis quas poterant turmis, Naupactum conuolarant. nec Sarnenſis, haud quaquam ea multitudine territus ſibi deeſt: ad quatuor milia peditum in unum agmen cogit, & quadrata acie contra hoſtes progreditur, extra ordines uerò delectã ſclopetariorum manum rem gerere iubet: in tergo caſtellum relinquebatur, & in noſtris munitionibus præſidium erat relictum, quo eruptiones cohiberi poſſent, & in ipſam caſtelli portam tormenta peritè atque opportunè directa fuerant. Inſultantibus undique & procurſantibus Turcis, nec pedeſtres copias in aciem producentibus, Sarnenſis ſe recipere, & in caſtra ſe conferre cœpit: in tergo extraordinarij ad angulum dextrum quadrati agminis conſtituti, ſine periculo inſequentes Turcas repellebant: circumueniri enim non poterant, & cum aliquantum in aduerſos procurrerent, diſploſis ſclopetis tutiſsimus ad agmẽ erat receptus. Prælio ad occaſum ſolis protracto, Turcæ nulla re memorabili geſta, Naupactum ſunt reuerſi. Sarnen ſis in caſtra copias reduxit, totaque ea nocte quæ ſecuta eſt, ad aggeres foſſasque perducendas milites in opere fuerunt, conſtituteque ſuis locis tormenta muralia, quæ exterioribus ædificijs protegebantur: oriente autem ſole, turres quæ prominebant, magna ui quaſſari cœptæ, nec Turcæ conſtantiſsimè & acerrimè propugnando, ulla in parte timoris ſignum dabant: erant enim in his plerique ueteri Ianizeri, in cuſtodia oppidorum atque arcium relicti. Ad extremum is exitus oppugnationis fuit, ut perfracto muro, multisque intro uarijs caſibus interfectis, noſtri in caſtellum irrumperent, trecenti fermè Turcæ, nemine capto, trucidati, nonnulli inſigni animorum contumacia, media incluſi turri, ſeipſos & turrim totumque penè caſtellum, non ſine noſtrorum clade, ſuccenſo tormẽtario puluere, concremarunt, tanto ruentium murorum crepitu, ut litora ueluti terræmotu pertremerent, & triremes quæ ſuberant ad ſagittæ iactũ, lapidum fragmentis penè obruerentur. Andreas è prora prætoriæ triremis prælium ſpectauit, donauitque Sarnenſem & Saluiatum ſingulis ingentibus

bus tormentis: tanta enim uis æneorum tormento A rum in caſtello reperta eſt, ut ſeptuaginta miliũ aureorum precium excedere diceretur. Ea demũ tormenta ſtupendæ magnitudinis, Arabicis inſcripta literis, ad uictoriæ monumentum, Genuam delata, in portus mole conſtituit, ubi de piratis ad Planaſiã inſulam ſuperatis, ſacellum Deiparæ uirgini ex ma nubijs antea conſecrarat. His confectis rebus, poſito ad Coronem Hiſpanorum præſidio, atque urbe tormentis & multorum menſium commeatu diligentiſsimè permunita, Mendocium ita animo con firmauit, ut fidem daret, & prolixè polliceretur, ſe uel priuato ſumptu, ſi id Cæſar facere differret, in eius auxilium claſſem eſſe tranſmiſſurum. Interim Saluiatus ſuis triremibus in intimum ſinum proue ctus, ad Lecheum uſque portum, hodie diui Demetrij uocatum, ſub ipſa Corintho pauorem circumtu lit, & ueteris Sycionis, quam hodie Baſilicam appellant, & quæ in aduerſa parte eſt, Creuſæ litora ſuccenſis hortorum ædificijs latè uaſtauit. Nec multo pòſt Andreas appetente hyeme, & acceptis à Cæſa re literis, quibus diſceſſum à Pannonia Solymani, & ſuum in Italiam aduentum ſignificabat, felici uſus nauigatione, Neapolim atque inde Genuam eſt reuerſus. Interea Clemens per Tiphernates iter habens, aſperis inuſitatisq; itineribus ſuperato Apęnino, ne ingratæ patriæ mœnia conſpiceret, per Æmiliam Bononiam uenit, excepitque Cæſarẽ Mantua profectum: nec quicquam ea hyeme memorabile, uel quotidianis congreſsibus eſt actum, quàm ut lis de repudio Henrici Britanniæ regis toties agitata, pronunciante Pontifice, finiretur. Repudiarat enim Catharinam, Ferdinandi regis filiam, ipſiusq; Caroli Cæſaris materteram, præſtanti pudicitia, & ſingulari humanitate modeſtiaque reginam, atque in eius locum Annam Boleniam duxerat, in ſpem maſculæ atque legitimæ prolis. Neq; enim Henricus aliam prolem ex Catharina ſuſceperat, quàm puellam iam propè nubilem, quæ ſuauitate formę, & morum elegantia plurimum excellebat. Huius conſilij fautor extiterat Thomas Eboracenſis Cardinalis, ſummum potentiæ locum apud regem conſecutus. Is docebat Catharinam uxorem legitimã eſſe nequiuiſſe, quoniam Arcturo fratri antea denuptam fuiſſet: uetari id ſacroſanctis noui ac ueteris inſtrumenti legibus: neque Iulium pontificem, quæ diui no iure eſſent conſtituta, uel accepto multo auro, re ſcindere potuiſſe. proinde repudiandam eſſe, ne inceſtus crimine perpetuò polluta, poſt mortẽ ſempiternis in ferorum ignibus damnaretur: neque idcirco filiam uideri ſpuriam debere, quoniam optima fide eam factis ritè nuptijs genuiſſet: ſi uerò legitimam ex totius inſulæ delectu uxorem duceret, ipſum, & ſibi & regno ad certam ſucceſsionem, ſuſcepta uirili prole, conſulturum. Addebat Thomas non deeſſe ex Pariſiorum gymnaſio ſacrarum literarum profeſſores, qui ſecundas nuptias ritè fieri poſſe, damnato priore coniugio, ualidiſsimis rationibus cõprobarent. Cæterùm Clemens, qui ut eam controuerſiam aliquandiu aleret, cõtinendis in officio regum animis, tanquam ambigui iuris ad duo decimuirale iudicium reiecerat: ubi uidet diuerſa petentes integra authoritate diutius non poſſe diſtineri, ius & æquũ ita Britanni regis amicitiæ prętulit, ut Henricum omnino moneret, ſe ei intra certum tempus aqua & igni, & Chriſtianis ſacris interdicturum, niſi repulſa Anna, Catharinam in priſtinũ cõiugij locum recepiſſet. Ea inanis intempeſtiuæq; ſeueritatis comminatio, inexpiabili malo ſummoq; detrimento reipublicæ poſtea ceſsit: quando rex ille non multo pòſt ab authoritate Romani pontificis diſceſſerit. Actum ſubinde eſt de tuenda pace, quã tanto ſumptu tantisq; periculis quæſiuiſſent. nam in eam pacem, quæ publico fœdere biennio B antè Bononiæ fuerat conſtituta, Genuenſes nequaquam adſcripti fuerant, queis tum maximè infenſus erat Franciſcus. Genuæ ſiquidem imperium uti antiqui Gallorum regum iuris, necincluſum recentis fœderis legibus repetebat, adeò ut negociatores Ligures Lugdunenſi emporio pellerentur, nec alicui importare eorum merces fas eſſet, & à Maſſilienſibus trierarchis, infeſto ubique mari, Genuenſium nauigia, magno ciuitatis detrimento caperentur. Minabatur quoque Franciſcus ſe in ſubalpinis Salaſſorum oppidis, equitum & peditum copias hybernorum ſpecie tranſmiſſurum, ut clientibus ſuis præſidio eſſent. nam Franciſcus Salaſſus regulus, pulſo fratre, & matre cuſtodiæ tradita, qui partium Cæſaris erant, in Galliam ad Franciſcum ſe contulerat. Venerant quoque Bononiam ſummæ authoritatis uiri, Acromontius atque Tornonius, Cardinales, qui à Pontifice poſtulabant, ut Hiſpani, uti cõfectis bellis, & pace parta, tandem Italia deduceretur, ſi id fieret, Franciſcum regem omnes ſuperiorũ temporum iniurias ſatis æquo animo eſſe laturum: quod ſi inueterari aliquę in Italia Cæſaris copias, ad augendam eius potentiam conſpiceret, ſe libertati dignitatique amicorum & ueterum clientium ſuorum, qui ſibi in Italia non deeſſent, æquiſsimo iure conſulturum. Veneri quoque ullo alio quàm ueteri fœdere illigari nolebant, ſeque omnino præſtaturos profitebantur, quod diſertè in fœderum tabulis eſſent polliciti, maturamque opem Franciſco Sforţiæ protinus allaturos, ſi alicunde bellum eius finibus inferretur: neque enim ex dignitate Veneti ſenatus fore, ſi, ueluti tributi nomine, annuam pecuniam tuendæ paci penderent. Ipſos enim nequaquam uereri nouum armorum motum, nec ſi bellum fortè ingrueret, ut ſemel parram pacem tuerentur, uel magnis ſumptibus eſſe parſuros. Sed Veneti nequaquam permoti ſumptu, qui erat exiguus, dum ſeſe nouo fœdere excluderent, duas res opportunè conſequebantur, in quibus tuendæ exiſtimationis ac libertatis maximum inerat momentũ. Nolebant enim Franciſcũ regem, ueluti deſperata in reliquum tempus ipſorum ſocietate, ab ſe penitus alienare, atque illum eò prorſus adigere, ut commutato animi decreto, nouam ſibi amicitiam, nouamque fortunam quærendam putaret, è qua demum diſſimulata in præſens grauiore iniuria, minores principes, uti ingratos & auerſos, ulciſceretur. Nec Cæſarem omni ſuſpicione metuq; uacuum omninò ſinere, uel ſapientis conſilij fore arbitrabantur, ne ille Gallos penitus contemnendos eſſe putaret, ſi tota in ipſius nomen ac amplitudinẽ conſentiente Italia, undiq; tutus, & principũ longè maximus redderetur: exæquari enim tantorum regũm potentiam, ac uires incolumi Cæſaris amicitia cupiebãt. Propterea nõ obſcura fama ferebatur, admonitum fuiſſe in Pannonia Solymanum, ne uniuerſo prælio decertaret: quoniam copiæ Cæſaris, & numero, & animis, & diſciplina inſuperabiles uiderentur: ſcilicet, ne ex unius pugnæ euentu, in alterutra uictoria, aut Cæſari, quo nihil grauius, aut ipſi Solymano, quo nihil miſerius accidere poſſet, omnibus foret ſeruiendum. In Clementis quoque pectus altè deſcenderat iniuria ex iudicio Cæſaris grauiſsimè concepta, quum Cæſar diſceptator & arbiter, Rhegij & Mutinæ principatum, Ateſtino Alfonſo adiudicaſſet. Optarat Clemens, ut ſi aliqua de cauſa, uel ambigui, uel parũ æqui iuris, ſecundum ſe litẽ dare nollet, iudicialis arbitrij præfixum tempus elabi pateretur: in ea enim dilatione, neq; præiudicari Alfonſo, neq; ſibi & Pontificio nomini multum nocere: ſed iureconſulti Cæſaris, ut ſententiam ferret, Cęſarem propulerant. Eius rei geſtæ nuncius eo ipſo fortè die nonarum Maij è Belgio in urbem uenerat, qui, ut erat Vrbis excidio maximè luctuoſus, ex

acerbiſsimæ cladis memoria, Clementis animũ ma A gnopere perturbauit. Itaq; excludentibus ſeſe Venetis, atq; id diſsimulanter probante Pontifice, fœdus eſt renouatum in ſeſquiannum. Eę fuere leges, ut communibus copijs atq; pecunijs, ſi bellum inferretur, id ad tuendam pacem propulſarent. Dum pax eſſet XXV. milia aureorũ nummũm ex uetere cenſu Pontifex, Cæſar, Franciſcus Sfortia, & Alfonſus Ateſtinus, itemq; liberæ ciuitates, Florentini ſcilicet, Genuenſes, Senenſes, Lucenſes conferret, quę ad alendos centuriones præfectosq; equitum, Antonio Leuæ diſpenſanda traderentẽ. Eum enim bello ducẽ deſignarant, cuſtodemq; pacis & ocij apud Mediolanum eſſe uoluerant. His rebus conſtitutis, quæ præcipua in omni eius uita Clemẽtis laus fuit, Hiſpani ita dimiſsi deductiq; ſunt, ut ad Coronẽ in Peloponneſum multò maxima pars, alij ad Siculorum urbium præſidia, alij in Salentinis, & Calabris ad tuendas arces mitterentur, nonnulli ultro in Hiſpaniam redirent. Ob id factum ſapienter atq; feliciter, populi totius ferè Italiæ, Galliæq; prælertim ciſalpinæ, Pontificis prudentiam, Cęſaris æquitatẽ, Venetiq; ſenatus iudicium atq; operam eximijs laudibus celebrabant, quòd eorum incomparabili beneficio, à rapaciſsimis fæuiſsimisq; militibus liberati, de libertate, de uita, & de reliquis fortunis, tum primum bene ſperare inciperent. At legati Cardinales, Acromontius atq; Tornonius, qui ab initio interſtrepere reclamareq;, & libero ore conqueri cœperant, quòd ea principum coniuratione, nõ iniqui fœderis prætextu grauiſsimam, & minimè ferendã Gallis omnibus contumeliam inferrent: poſtquam eos Clemens ſubtiliter admonuit, ut pacati cõquieſcerent, facilè intellexerunt, quantum in dimittendo diſſoluendoq; Cæſaris exercitu, momenti uerteretur. Per eos dies in gratiam Cæſaris, in numerum Cardinalium aſcitus eſt Gabriël Merinus è Betica, ex infimo hominum ordine. Cæſar primo uere Bononia profectus, Ticinum uenit, ut campos, & ſua uictoria, & Gallorum clade percelebres, & manentia adhuc caſtra & munitiones inſpiceret, monſtrãte ſingula loca Vaſtio, ac eius prælij euentus enarrante. Iuuabat enim Cæſarem tum maximè lætum, & curioſe diuagantem, ipſis in locis ueſtigia figere, quibus inſigne aliquod facinus editum conſtabat. Nec Vaſtius honeſtiſsimo officio deerat, quum de ſeipſo parciſsimè loqueretur, & nomina meritaque fortium uirorum Cæſari cumulata cum laude commendaret. Mediolani demum ſummo omnium, & Franciſci præſertim principis ſtudio ſuſceptus eſt. Is in priuatam domum digreſſus, arcem ipſam Cæſari tradidit, ædificij laxitate atq; elegantia, itemq; bellicorum inſtrumentorum apparatu, toto terrarũ orbe memorabilem. Inde paucos poſt dies, ſuperato Ticino amne, ad Viglebanum uenationibus intentus aliquandiu deſedit, donec paratam eſſe claſſem, & idoneas ad nauigandum tempeſtates eſſe ex literis Auriæ didicit: atq; ita Genuam eſt profectus. Excepit eum hoſpitio Andreas in ſuburbanis hortis, quos regio apparatu ita inſtruxerat, ut diſcedenti Cæſari ea ornamenta dono daret. Erant enim aulęa ſerica, & intertexti auro & purpura lecti, itemq; exquiſitæ artis ſigna & tabulæ: quæ omnia eo nomine ſuſcepit, ut ea ijſdem in cubiculis & conclauibus, ſibi reuerſuro in Italiam aſſeruari, uerecũdè & comiter iuberet: nec multo pòſt oram ſoluit, proue ctusq; ad Stechades inſulas, quarum primæ Maſſiliæ portum efficiunt, biduo ibi conſtitit. Attulere ei dona tenerrimi cõmeatus Tendanus Comes, Galliæ claſsis præfectus, atq; itẽ trierarchi. Suborto demũ ſecundo uento, in altũ uela dedit, & paucis diebus in Hiſpaniã peruenit. Eodem quoq; tẽpore Clemens uia Flaminia Anconã eſt profectus. Eam urbẽ paulo antè per ſimulationẽ Turcici belli præſidio occupatã, Pontificiæ ditionis fecerat, redactis in ordinẽ decurionibus: ea de cauſa ſuſpectos ciues relegandos curauerat, donec arcẽ loco opportuno conderet. Inde Pontifex Deiparæ uirginis Lauretanæ templũ adiuit, & ad aram maximã miraculo & uetuſtate memorabilẽ, ſacra cõfecit, modicisq; demũ itineribus per Recinates & Septẽpedanos, qui Sanſeuerinates hodie dicunt, & Camertes, in Vrbem eſt reuerſus. Ineunte ęſtate eiuſdẽ anni, crebris nuncijs allatũ eſt Turcarũ claſſem Gallipoli eductã, in Pelo ponneſum curſum tenere. Nec multo pòſt Mendocius qui Coronæ in præſidio erat, Petro Toletano proregi Neapoli literis ſignificauit, ſe terra mariq; uehementer obſideri: ſed egregiè defenſurũ urbẽ, dum alimẽta ſuppeterent. Verũ capitũ omnium inita ratione, nequaq; tantũ frumenti, & reliqui cõmeatus omnino reperiri, ut id tota ęſtate ſuffecturũ exiſtimaret. Proinde Cæſarẽ etiam atq; etiam monebat, ut ante omnia Græcorũ ſtudio & uoluntati, quæ eſſet mirifica, deeſſe nollet, ſi Coronẽ defendi uellet, & ad id maiores copias ſummitteret: facilè ſperari, ut Turcæ rebellantibus Græcis tota Peloponneſo, paucis exceptis arcibus, pellerentur. Sed ab Auria præſertim maturam opẽ implorabat, adeò ut quũ hoſtilis claſsis apparatum eleuaret uerbis, ut certa ſpes parandę uictoriæ inijceretur, etiã eum moneret, ut darę ſibi fidei memoriã retinere uellet. His rebus cognitis, Cæſar Aurię præcipit ut claſſem inſtruat: ad id pecuniã curari iubet, & duodecim triremes, quas Aluarus Bazanius in Hiſpania ædificarat, ſe continuò tranſmiſſurũ pollicẽt. Igitur coactis circiter triginta onerarijs nauibus, & uiginti ſeptẽ triremibus Auria Neapolim uenit. Ibi ueterani Hiſpani, qui efflagitatis ſtipendijs ab authoritate Vaſtij, proregisq; diſceſſerant, occupataq; Auerſa urbe & fœdè direpta, magna detrimẽta circũiectis Campaniæ oppidis intulerant, perſoluto ſtipendio nauibus ſunt impoſiti, Roderico Macicao duce, qui erat caſtrorum præfectus. Conſcendit & triremes cum manu nobilium militũ Federicus Toletanus, ipſius proregis filius adoleſcẽs, ut eo ſacro bello prima militiæ rudimenta deponeret. Vaſtius ipſe, qui ſe iturum dixerat, ſuborto uẽtris profluuio, Neapoli ſubſtitit: fuere qui crederent dolore cõtumeliæ adductũ potius, q̃ occupatũ morbo, ea expeditione mari timam operã pręſtare noluiſſe: quoniã nuper Bononiæ dum fœdus initur, ſibi prælatus eſſet Antonius Leua, articulari etiã impeditus morbo, qui in Italia, ſi bellũ ingrueret, fœderatorũ omnium eſſet imperator. Dum hęc parantur, Andreas, ut Coroneorum animos confirmaret, ne deſperatis auxilijs durius ſibi conſulerent, Chriſtophorum Pallauicinum in familiam Auriam adoptatum, expediti & maximè pugnacis ingenij iuuenem, cum uelociſsima trireme Coronem miſit. Is interdiu per mediam Turcarum claſſem directa prora in portum inuectus, obſeſſos ingenti alacritate compleuit: nec multo pòſt inſpectis & diligenter exploratis rebus omnibus, ut de hoſtium conſilijs ac uiribus certiora ad Auriã deferret, meridiano ferè tempore improuiſus erupit, felici audacia inter medias hoſtium ſtationes elapſus, adeò ut ſpectaculum miraculo proximum cunctis præberet, & perſequentes uelis & remis, extento maximè curſu fruſtraretur. At Auriã è Neapoli Meſſanam prouectus, ubi de maritimis terreſtribusq; hoſtium copijs, & de apparatu numeroq; triremium certius didicit, omnem ſpem & rationẽ inferendi præſidij in celeritate poſitam ratus, nequaquam expectato ab Hiſpania Bazanio in Græciam curſum intendit. Audiebat enim prædonum acceſsione quotidie adaugeri hoſtium claſſem, Morumq; præſertim archipiratam Alexandrinũ expectari, cuius conſilio ac diſciplina, præfecti Turcę in omni eius belli adminiſtratione uterentur. Quũ ue rò Zacynthũ ueniſſet, docentibus Venetis, aliquanto ampliorem & inſtructiorem quàm putarat, claſſem hoſtiũ ad Coronẽ ſtare comperit. Nam Luphtibeium Gallipolis Sanzacum, cuius præfecturę maris imperium eſſe cõſueuit, & Solymanum Acarnanem, Morumq; ipſum circiter octoginta triremes coẽgiſſe, magnumq; numerum propugnatorum ex Ianizerorum ordine in triremes diſtributũ eſſe referebant: adeò ut noſtros, niſi pleniore uento uterentur, Ottomannicæ claſſi impares futuros eſſe iudicarent, & nonnulli propterea triremes Hiſpanicas omnino expectandas atq; euocandas arbitrarẽtur. Cæterùm Andreas, ut de claſſe ſtationeq; hoſtiũ certius exploraret, Chriſtophorũ Auriam cum inſigni ſua trireme ſpeculatum miſit. is quum Acritę promontorium ſuperaſſet, in proximo ſinu uniuerſam claſſem conſpexit iuxta litus, obuerſis ad terrã puppibus longo ordine collocatam, confeſtim que inde perſequentibus Turcis, ad Auriam reuerſus, retulit duplo ampliore triremium numero quàm antea ad Coronem uidiſſet hoſtes adauctos, eosq; ſibi uideri non alio conſilio ſub Acrite in ſtatione conſiſtere, quàm ut confligerent, quũ noſtri ſuperato promontorio ad Coronẽ proueherentur. At Auria, qui neq; Bazanium expectabat, neq; multũ ea hoſtilis claſſis amplitudine terrebatur, nihil cunctari, & inſtituti itineris curſum tenere conſtituit. Itaq; ſub orientibus Eteſijs, qui uenti æſtate pomeridianis horis ab occidente perflare conſueuerũt, noſtri hoc ordine acie inſtructa Acritem ſuperãt, & recto curſu ad Coronem deferuntur. antecedebant duo maximi galeones, quorum nauigiorum formam alio loco deſcripſimus: alterum ipſe Auria magno ſumptu ędificarat, alterum pari magnitudine adduxerat Belhomius Siculus: his erat iniunctum, ut in læuam uela conuerterent, & quũ hoſtium claſsis à litore proueheretur, deiectis anchoris medio inter utranque claſſem loco conſiſterent, ut quum opus foret, tormenta quæ erant eximiæ magnitudinis, in aduerſam diſploderent: hos onerariæ naues plenis uelis ſequebantur, in tergo fuere triremes omnes latiſsima fronte onerariarum agmen cogentes, dextrum cornu Pontificiæ Rhodiæq; triremes, quibus præerat Saluiatus, læuum Antonianæ hoſti proximum obtinebãt, mediam uerò aciem ipſe Auria tenebat. Turcæ ad primum conſpectum à litore non diſcedentes, procul tormenta emittere, & demum prouehi cœperunt, ut ex propinquo rem gererent, cohortante ante alios Moro, qui audentius in noſtrorum latera, & deniq; in terga uerterebatur. Nam noſtri, quum propoſitum ſuum tenerent, & nihil in lęuam conuerſis proris rectà ad Coronem contenderent, fugæ ſpeciem præbebant, eò præſertim, quòd triremes à dextro cornu, metu tormentorum addu ctæ in altum magno capto circuitu ferebantur, & pleræq; aliæ, ex media, Antonianaq; acie onerarias conſecutæ, cõfuſius quàm deceret, inter eas ſeſe inſinuabant: quanquam nullum propè detrimentum ab hoſtium tormentis acciperent, nec galeones curſum intermiſerant, quum conſiſtere debuiſſent. In ea perturbatione noſtræ claſsis, Morus Luphtibeiũ eſt cohortatus, ut pulcherrimæ occaſioni non deeſſet: ſed illo cunctantius & conſideratius proueheñte ſeſe, Auria ab onerarijs triremes explicauit, & ad Coronem ſecundo uento eſt deuectus: duæ onerariæ implicatis inter ſe antennis, quum cæterarum curſum æquare non poſſent, in tergo hæſerunt, ad has opprimendas extemplò uniuerſa hoſtium claſsis aduolauit. Tum uerò Hiſpani nequaquã pro ſua uirtute, uti deſerti, & negocij naualis rudes inſano pauore conterriti, in ſcaphas deſilire cœperũt, ut noſtros conſequerentur: nonnulli mirum dictu, quan quam natare neſcirent, quòd eos ſcaphæ non caperent, in mare præcipites ſe dabant, ut ad noſtros e- A natando perfugerent. At Auria perturbato, ſed ingenti animo, ignominiæ loco ducẽs, ſi in oculis noſtrorum naues circumuentæ atque expugnatæ caperentur, cohortatus trierarchos, ut proras conuerterent, & remis contenderent ad opem ferendam, in hoſtes curſum intendit. Id conſpicati Morus, & Luphtibeius & Solymanus, quòd iam pleniore Fauonio ad Coronem ſenſim detruderentur, & ab ingenti colubrina, quæ in turri erat conſtituta, emiſſę pilæ ad ipſorum triremes uel in trium milium ſpacio perueniębãt, magno tumultu explicare remos, & deſertis nauibus ſe recipere cœperunt: in eos Auria ad LX. pilas ferreas cõtorſit, & in multo ſpacio continenter diuerberatis eorum puppibus eſt perſecutus, iam Antonio Auria ad oppugnandas onerarias conuerſo. Ibi Hiſpani, qui egerrimè pugnam ſuſtinebant, quum Turcis, uti paulo antè ipſis acciderat, commutata fortuna animus concidiſſet, in medio nauis ponte repugnare audacius cœperant, & Antoniani mirabili celeritate undiq; ſcandentes in ſumma caſtella euaſere: in ea contentione trecenti fermè Ianizeri, qui ſingulari uirtute naues occuparant, à ſuis q; deſerti fuerant, interfecti aut capti ſunt. In his fuit Iuſuphius ſenex, mille Ianizeris præpoſitus, quem Auria ſericeis ueſtibus, atq; aurea torque donatum, ut ad ſimilem quoque liberalitatem hoſtes prouocaret, ad Methonem ſine precio dimiſit. At præfecti claſsis, uti poſtea cognitum eſt, ad grauiſsimas uerborum contentiones deſcenderũt, quum Luphtibeius à Moro, Solymanoq; Acarnane, & deniq; ab omnibus increparetur, quòd cupiẽtibus militibus, & ſingulis obteſtantibus trierarchis, æquiſsima conditione dimicare noluiſſet: ſed ille ſecretiora mandata à Solymano imperatore ſibi data dicebat, ut omnino ſeruaret claſſem, atq; omnem pugnæ aleam ſedulò deuitaret. Interea dum B ad onerarias naues pugnaretur, Mendocius in deſerta hoſtium caſtra erupit: nam conſpecta noſtrorũ claſſe, atq; inde magno tímore concepto, terreſtris exercitus, nequaquam planè collectis uaſis effugit: in his caſtris non exigua copia cõmeatus & caſtrenſis ſupellectilis eſt reperta. Itaq; Andreas re feliciter geſta, frumentũ, uinum, & reliqui commeatus magnam copiam, tormentarijq; pulueris cados plures exponit, Macicao, cohortibus que eius urbem cuſtodiendam tradit, Græcos conſolatur, hortaturq; ut ea obſidionis & belli incommoda patienter ferant: Cæſarem enim in ea præcipuè cogitatione uerſari, ut ineunte uere, terra mariq; in Peloponneſo cum Turcis bellum gerat: eumq; nihil ducere honeſtius, aut ad gloriam ſplendidius, quàm benemeritam de ſe Chriſtianoq; nomine Græcorum gentem, ex diuturna ſeruitute in lætiſsimam reſtituere libertatẽ. At Auria uetere exercitu in naues impoſito, à Corone diſcedens, ad inſulam Ticanuſſam, quam Veneticam hodie uocant, ſupra Acritem conſtitit, ratus Methonenſi portu egreſſuros hoſtes, ut prælio contenderent. Sed quum nullis artibus elici, neq; tutò oppugnari poſſent, uti erant mole ipſa turribusq; protecti, Corcyrã uenit, atq; inde Meſſanã eſt reuerſus. Nec multis inde diebus, Morus, quũ Venetis onerarijs nauibus, quæ mercaturæ cauſa Syriam petebant, inſidiaretur, cum Hieronymo Canali apud Cretam noctu rno prælio conflixit: ex tredecim Mori triremibus, quatuor perfractæ demerſæq; ſunt, tres captæ, reliquæ magna ex parte remigibus nudatæ Alexandriam ex fuga petiuerunt: in his trecẽti ferè Ianizeri, qui Memphim deportabãtur, itemque ad mille Turcæ ex nauali turba interfecti: neque enim Veneti prædonibus parcunt, quod cathenatis ſeruis ad remum minimè utantur: unus ferè omnium Morus, quum nomen profiteretur, iam graui uulnere tranſuerſa fronte ſuſcepto, ſeruatus eſt, & cura ingens adhibita, accitis medicis ut ſanaretur:

retur:ambo enim mutui erroris ueniam deprecantes,egregia simulatione testabantur se similitudine triremium, & falsa de hoste coniectura deceptos. nam Morus pro Aurianis Venetas se adortum fuisse prædicabat,Canales uerò se pro Moro Barbarussam credidisse,qui tres Venetas triremes superioribus annis intercepisset. Nec Solymanus eam iniuriam iniquo animo tulit,Venetoque legato ad Byzantium demissa,& in erroris excusationem cõposita oratione satisfacere contendenti, Canalem recte militariterque fecisse respondit, qui uim illatã fortissimè repulisset. Ex Cæsarianis uerò tres triremes Adurnio duce, quæ omnium postremæ in ora Brutiorum uecturæ & mercimonij causa aliquandiu hæserant,ad Palinurum à Sina prædone, cui Iudæo cognomen fuit,circumuentæ captæque sunt. Sub id tempus Clemens pontifex Catharinam iuniore Laurentio Medice genitam, Henrico Francisci regis filio despondit,appetenteque colloquium rege Massiliam,ut ibi nuptias insigni conuentu habito celebrarent,nauigare constituit. Maximè decorum enim sibi futurum rebatur,si qui Cęsaris filiam domi suæ tanquã nurũ erat habiturus,regiæ quoq; & longè nobilissimæ stirpi suum sanguinem inseruisset.Ea affinitas uti ambitiosius expetita, atq; id maximè colloquium importuno tempore quęsitũ, uehementer Cæsaris animum commouit, adeò ut minores quoque principes, & Italiæ totius populi magnopere terrerentur, quasi Pontifex renouandi belli causam esset prębiturus. Sed Clemens magno sibi artificio, & temperamento Cæsaris pariter, & Francisci regis amicitiam tuendam esse arbitrabatur:periculosum enim esse prędicabat, unam tantũ amicitiam colere,quæ cum alias excluderet, durissimę seruituti proxima uideretur.Igitur inclinante æstate, Ioannes Stuardus, Albaniæ regulus cum uiginti triremibus è Massilia ad portum Veneris ue B nit:eius uxor, Catharinæ sponsæ matertera erat,ipseque iungendæ affinitatis author, & sponsalium præcipuus interpres extiterat.Itaq; Albanius sponsa ad Niceã Prouinciæ mari deuecta,ut ea inde terrestri itinere Massiliam perueniret,cõuersis inde uelis,Liburnum est profectus. Iam Clemens per Hetruriam Pisas uenerat,expectataque idonea tempestate,quum ad mare descendisset, triremes Gallicas conscendit.affuere ex composito à Messana redeuntes cum sua quisq; classe,ipse Auria, Aluaresque Bazanius, & Saluiatus, qui ante portum decurrentibus cum insigni ornatu uexillorum triremibus, displosisque omnibus tormentis,Pontificem consalutarunt.Eo die qui ipsi omnium lætissimus fuit, Clemens ad Herculis Moneci portum, qui Villafranca dicitur, perflantibus Euris, atque inde biduo pòst Massiliam peruenit.Exceptus est ab Anneo Memorantio,regiæ familiæ magistro,incredibili apparatu sumptuque:postridie rex ipse cum Heleonora regina,tribusque liberis affuit, totius Galliæ nobilitate trahens.Nec multo pòst in solenni Cardinalium Episcoporumq; consessu, medius inter liberos in genua procumbes, hilari osculo exceptus alleuatusq; est. Orauit tum Latinè & luculenter Ioannes Bellaius,episcopus Parisiensis, quum eum congressum summæ felicitatis,maturum iam publicæ pacis fructum,fessis Christianorum rebus,allaturum ominaretur.Grauissimis inde consultationibus extracti aliquot dies,tanto consiliorum silentio, ut ne arbitrum quidem qui lumen proferret,nocturnis collo quijs admitterent: ipsorum enim cubicula paries tantum cum secretis foribus dirimebat. Nobilissimus adolescens Henricus, quanquam ætate tenerior,Catharinam celebratis insigni ceremonia nuptijs,ex uirgine mulierẽ prima nocte reddidit: cui quanquam materna oppida in Aruernis, atq; item centum milia aureorũ nummũm, cum unionibus A multisque gemmis,& preciosa tori supellectile,cõiugalis mundi nomine affluenter accessissent, nihil tamen exæquari uidebatur nõnullis dotem simul, & nouæ nuptæ natales obliquo sermone eleuantibus.unde & illud falsè dictum Philippi Strozzæ legati apud regem in uulgus emanarat. Regijs enim quæstoribus, quum illis repræsentata doris pecunia soluereturadmodum exiguam eam dotem esse pro regiæ domus fortuna dictitantibus, respondera:Se plurimum mirari,quod ea dignitate homines, nequaquam arcani regij participes uiderẽtur, postquam nescirent Pontificem insigni chirographo tres inæstimabilis precij gemmas, quarum insana cupiditate maximi reges deflagrarent, in supplementa dotalia promisisse: illis uerò læto uultu, quænam essent,requirẽtibus,quòd è sacra tiara detractas iri putarent,arridens subiunxerat, apud peritos rerum,eas fore Genuam, Mediolanum atque Neapolim. Quæ res, sicuti risum mouere potuit, ita mox apud Cæsarianos subamaræ suspicionis aculeos reliquisse uidebatur. Cæterùm Massiliæ cõuiuijs saltationibusq; trigintaquatuor dies insumpti,tanta principum,minorumq; ordinum contentione & cura implendis totius munificentiæ ac humanitatis officijs, ut is conuentus eæque nuptiæ, neq; iucundiore comitate, neque effusiore sumptu, neque liberiore lætitia celebrari potuerint. Aderãt tres regis filij, in quos ora hominum uertebantur. In Francisco Delphino eminebat ingenium graue, multa reconditarum rerum cognitione defixũ.Hericus autem iucunditate animi, corporis,& cultus militari habitu,sermonis alacritate, Gallorum naturæ similior, studia fauentis populi promerebatur. In Carolo autem puero id erat decus oris, ea eruditi & admirabilis ingenij suauitas, ut nemo eo rege, prole felicior haberetur.Honestauit nuptias Heleonora regina,serenitate, modestia, mundicijs, tanto rege dignissima. Nec indigna erat noua nupta regio fastigio,quum haud dubiè Leonis decimi maioris patrui indolem,à magnitudine excelsi liberalisque animi, honestissimisque moribus referret. Ipse autem Franciscus sua peculiari liberalitatis laude supra cæteros principes maximè insignis seipso splendidior apparuit: singulis enim Cardinalibus opulentæ ex Galliæ sacerdotijs pensiones dono dataæ,honestatique sunt amplissimis muneribus, qui uel studio partium,uel Pontificis gratia pollebant: & ij ante omnes præcipua benignitate,qui optima rum literarum,& præstantis ingenij fama noscebãtur.Hos rex ipse omnis elegantiæ arbiter, & nobilissimarum artium peracutus æstimator,in summã familiaritatem erudito sermone pertrahebat. Neq; passus est se donis à Pontifice superari: nam quum Pontifex monocerotis bicubitale cornu, aureæ cælarę basi inclusum,ad depellenda epulis uenena, dono dedisset,id latissimo aulæo rependit, in quo Belgarum arte, suprema Christi cœna cum discipulis, serico atq; auro intexta uisebatur. Dedit & cupiditati Hippolyti Medicis Cardinalis, quum ingenuo pudore maiora dona repudiasset,mansuefactũ leonem eximiæ proceritatis, quem è Mauritania Hariadenus Barbarussa cum legatis transmiserat. Discessurus autem Pontifex, quatuor uiros Gallos legit in senatum, commẽdatione atque iudicio regis delectos.Ii fuere Odettus Castellio,cui Anneus Memorantius aulæ magister erat auunculus, & Philippus Bolonius Albani frater, & Claudius Gibrius Philippi Sciabotti Amirantis auũculus, & Ioannes Venurius, ab innocentia comitateque ingenij regi carus,& cæteris ætate superior. His rebus confectis, concluso iam propè hybernis tempestatibus mari,circiter idus Nouembres è Massilia soluit,tenuitque portum ad uada Sabatia, inde conscensis Aurianis triremibus, quũ Gallicas remisisset, Centumcel-

las peruenit, terrestriq; demum itinere in urA bem est reuectus, ita ut aduenies alterutra sui fama frueretur.Aliqui enim,ut in libera urbe impunè accidit, eum sapientissimum appellabant, quòd neptem suam maximi regis nurũ, & in domo sua Augusti Cæsaris filiã rara felicitate conspiceret:& contrà alij crimino se admodum id factum uituperarẽt, quasi deposita sacrosancti pontificis persona, priuatis familiæ commodis, quàm publicæ quieti consulere maluisset.

SVPPLEMENTI
LIBER XVII.

VIx dum exacta hyeme,Cęsar frequẽtibus amicorum sociorumq; literis admonebatur, ut etiam atq; etiam prospiceret, caueretque maximè à Francisco rege,qui conquiescere,& pacẽ pati minimè posse uideretur. Agitare enim illum animo nequaquam pacato ingens bellũ, confssumq; recenti Clementis amicitię, id unum opperiri, ut alicunde bellum erumperet. Propterea perpetuis Gallorum legationibus solicitari aliquos Germaniæ regulos,qui Vlderico Virtẽbergensi propinquitate ac amicitia coniuncto,auxilia præbituri dicerentur.Inter quos eminebat Philippus Lantgrauius Cattorum princeps,ingenio acri, armis & clientelis potens, & super hæc Cæsari uehementer infensus. Hunc enim in disceptatione hæreditatis cum Henrico Nansao litigantem, ab se Cæsar penitus alienarat, quum ipsius iudicio secundum litis euentum tulisset Henricus: unde ille è Ratispona,nondum peracto concilio,perturbatus iratusque discesserat,adeò ut ab eo iudicio ad Mattem B appellaret, & se suo iure fraudatũ quereretur. Itaq; non obscurè parabat bellum, profitebaturq; se Vldericum in paternam ditionem armis esse reductu rum.Errabat exuliam multos annos Vldericus,domo pulsus à Sueuis, quum illi Reitlingensium iniurias uindicassent.Maximiliano siquidẽ uita functo, Vldericus Reitlingũ admotis castris oppugnarat, & ceperat.Id non tulere Sueuorum fœderatæ ciuitates, quarum in fide erant Reitlingenses. Itaq; decreto publico,Vldericum bello persecutæ, eo impetu intulere arma, ut recepta urbe,uniuersa etiã Virtembergensis ditionis oppida in potestatem redegerint.Id Vlderici patrimonium Carolus Cęsar, uti optimo belli iure captum, coẽmit à Sueuis,qui bellicos sumptus ea pecunia resarcire maximè cupiebant,Ferdinãdoq; fratri, & domui Austriæ adiecit. Vlderico demũ opem imploranti à Gallis & Heluetijs,& oppida sæpius repetenti,cuncta irrita aduersaq; obuenerant,iacuitq; in obscuro prouincialibus inuisus : uxorem habebat clarissimis natalibus ortam,quæ Vilermi & Arioui sti Baioariæ principum germana erat:ex ea fusceperat Christophorum,præclara indole iuuenem,in hunc Baioarij auũculi,atq; item Philippus Lantgrauius beneuolentiam, & studia sua contulerant,& in eum apud Virtembergenses mirus amor populari quadam charitate resederat,quum illum immeritas exilij luentẽ pœnas cum dolore conspicerent,adeò ut eum, desiderio ueterũ principum suorum,paratis ad defectionẽ animis,requirere uiderentur. Postularat Christophorus aliquandiu Augusta in aula uersatus, ut certis paterni imperij oppidis,quæ maternæ dotis erant,ęquitate acindulgentia Cæsaris donaretur: sed in eam liberalitatem Cæsar adduci non potuit, utpote qui iuuenem nec obscuro prouincialium studio in spẽ repetendi imperij erectũ,prouinciæ paulo antè suæ castellis minimè insinuandum iudicabat. Ab hac repulsa, Christophorus ad Francisc um Galliæ regem confugerat, qui ea tẽpestate insigni liberalitate alacritateq; Germanorum procerum amicitiam expetere,itemq; miserorum, & exulum cusam tueri erat solitus. Nec multo pòst, ipse & Vldericus pater regi bellicæ arcis Montem,quod hodie Bellicar dum uocant, præsenti pecunia uendiderunt. Id est in finibus Heluetiorum,ad Rauracam Basileam,inter Rhenum & Vosegum montem, quà iter est in Tullingos:maximamq; inde Gallis præbet opportunitate ad cõducendas ex Germania copias. Qua coëmptione,Franciscus iampridem Ferdinãdo,Caroloq; Cæsari non obscuram suspicionem nouandarum rerum iniecerat.Sed tum quietis rebus,in fama erat Lantgrauius, quẽ uulgò ferebant, ubi Christophorum in paterni imperij ditionem reduxisset, continuò in Italiam turbandis Cisalpinæ Galliæ rebus, cum ingentibus Lutheranorum copijs peruasurum.His de causis Cęsar graui consilio dabat operam,nt pacem in Italia tueretur.Iam enim totum id tempus effluxerat, quod in fœdere prescriptum Bononiæ fuisse meminimus.Itaq; Christiernę & Francisci Sfortiæ nuptias omnino maturandas existimauit, ut solicitum & dubia spe nutãtem principẽ in fide confirmaret, liberaretq; omni cura Venetos & Insubres, ipsumque pontificem, qui Francisc um procreandis liberis operam dare, prorogareq; Sfortianum nomen,insigni sobole cupiebant,ne Cæsar cœlibis,& sæpè languentis principis hæres, Medio lanensi imperio potiretur, de cuius possessione ad exitium totius Italię funesto euentu paucis antè annis esset dimicatum. Magna igitur omnium lætitia & gratulatione,adducta è Belgio puella,nuptię Mediolani celebratæ sunt regio sumptu, & ob id populis admodum graues, sed toleratæ tamen alacribus animis,quoniã nudata Cæsaris uoluntate,ampliss i mam spem diuturnæ pacis attulisse uidebantur.Feltrium demum Vrbinatium principem, qui Veneti exercitus erat imperator, restituta ei Sora urbe, incredibili beneficio sibi deuinxit. Abstulerat ei Sorã, ut suo loco diximus, multis antè annis Ferdinãdus Hispaniæ rex:eam uerò Carolus Cæsar Ceurio nutricio suo,qui tum incomparabili authoritate polle bat, dono dederat, cesseratq; demum eius hæredibus,adeò ut Cęsar, qui liberalitatem suam erga nutricij posteros perpetuam uolebat, pecunia ingenti Soram coëmere cogeretur: quo munificentiæ genere, eximium eius studium eo præclarius apparuit, quòd in promerenda hominis uoluntate,eam urbẽ dono daret, quam antea penè promissam in præmium partæ de Gallo rege uictoriæ, petẽti Piscario concedere noluisset. Feltrium enim Mediceo nomini,Clementiq; præsertim ualde infensum,& maximè idoneum disturbandis illius consilijs existimabat, quum ab Vmbriæ Picenique; finibus molientem res nouas pontificem expeditis armis urgere facilè posse uideretur. Quin & Columnæ familiæ proceres,tanquam peculiares pontificum hostes,Cęsarianarumq; partiũ defensores, nouis muneribus prosecutus est,qui è propinquo urbi Romę imminerẽt, explorarẽt consilia motusq; suspecti pontificis,atq; eum in obsequio fœderis,occulto quodã metu continerent.Quanquam pontifex prolixè testaretur,se nunquam eius fœderis & amicitiæ iura uiolaturũ. Sed eum tunc pontifex suæ antiquæ simulationis fructum ferebat,ut quum uera diceret,ancipiti eius ingenio nulla fides haberetur.Honestauit item Cęsar Melphitano principatu Andreã Auriam, ac eius propinquos,& trierarchos uberioribus stipendijs sibi obstrinxit : in eius enim uiri consilio uirtuteque, totius Liguriæ opes & classes, copiæque nauales sitæ erant. Ita Cæsar undique rectissimè prouisum iudicabat, quum nulla omnino defectio ab his foret timenda,quos magnis prœoccupatos beneficijs,

in fide uteretq; obſequio confirmaſſet. Veneti ſiqui i A dem, uti antea pepegiſſent, ſe Franciſcum Sfortiam defenſuros pollicebantur, & Alfonſus Ateſtinus recepta Mutina ſe totum ad Cęſarem contulerat. Nec deerat ſtudium Mantuano, qui Montis ferrati principatum ſibi adiudicari æquitate Cæſaris expectabat, quum Bonifacius uxoris frater, currente equo lapſus, ſine prole deceſſiſſet. Interea ad Coronẽ Hiſpani Græciq;, quanquam aliquot nauigia plena cõmeatu hybernis tempeſtatibus eò ab Sicilia felici curſu peruenirent, multarum rerum inopia labora re cœperunt. Nullos enim egreſſus tutos, Turcarum ſtationes incurſiones q; relinquebãt: nam expediti equites ex inſidijs undiq; prodibant, utpote qui re ctiſſimo & minimè barbaro conſilio, remotã à mœnibus & maximè longam obſidionem inſtituebãt, ut noſtrorum uim atq; impetum fruſtrarentur, nunquam ſeſe ad iuſtum prælium offerrẽt, & nuſquam ex propinquo ad pugnæ caſum expoſiti, conſiſtere uellent. Editis in colliũ iugis ſpeculę erant, in queis die noctuq; uigiles excubabant, ut cuncta quæ uidiſſent, in caſtris nunciarentur. Ea erant ad Andruſſam, oppidũ Meſſenij agri, quod à mari ipſaq; Meſſene urbe quondam nobili, quę hodie Petalidia dicitur, introrſus ſeptem milibus paſſuũ diſtat, & à Corone trigintaquinq; ad Tiffoum amnem, qui Paniſus olim fuit. Exiſtimabant enim Turcæ ex tanto interuallo noſtros nullam unquam expeditionem eſſe deſumpturos, quæ uix quatuor dierum itinere ab armatis hominibus militari paſſu confici poſſe uideretur. Cæterùm milites Hiſpani brumalibus fermè diebus, cùm tædio tam lentæ & diuturnę obſidionis, tum multarum, ut diximus, rerum inopia adducti, à Macicao duce petere cœperunt, ut cõtra hoſtes ad inſigne aliquod edendum facinus educerentur, quando iam planè cuncta deficerent, & lon ginqua ſpes eſſet expectandæ claſsis, quæ uaſto & B ſæuo mari nequaquam ante calendas Apriles, niſi inſano auſu, committi poſſe uideretur: inutili enim equè ac ignobili ocio tempus teri, abſumiq; interea ſenſim cuncta famis ſubſidia, & contabeſcere concepta ualetudine militum uires, & timeri debere peſtilentiam, quæ concluſis, & inuſitato cibariorum genere uelcẽtibus, cum ſeſe aperiret annus, minimè defutura crederetur. At Macicaus, qui muneris impoſiti, ac officij deniq; ſui probè meminerat, compeſcere has uoces, & docere quantum flagitij admitteretur, ſi præſidio temerè excedendum putarent: ipſos nequaquam eo conſilio ueniſſe, ut in mediterraneis Peloponneſi hoſtes quęrendos arbitrarẽtur, quos à mœnibus primo aduentu, deſertis caſtris effugere coẽgiſſent: parſimonia & tolerantia, uti ſæpè antea feciſſent, eas difficultates poſſe ſuperari: neq; ſe dubitare, quin ad prima ueris ſigna, claſſem Cæſaris, & noua auxilia ſint uiſuri. Proinde ſibi in animo ſitum eſſe pro diſciplina tueri urbem, eamq; Cæſari ſeruare, & omnia aſpera prius perpeti, quàm deſertæ urbis, & proditi exercitus infamiam ſubire. Erat Macicaus, uti ab obſcuro Cantabrię oppido non natalibus, ſed inſigni uirtute clarus, fortibus factis, & multa corporis & ingenij patiẽtia, ab infimo peditum ordine, uti antea Nauarro, Ioanniq; Dorbino contigiſſe conſtat, ad prẽfecturam caſtrorũ prouectus: ob id maiore lenitate comitateq; imperij uim exercebat, adeò ut non elato, ſed temperato in genio in conſilijs uteretur, & ad declinandam inuidiam, nunquã uſurpata ducis appellatione ſeſe cæteris centurionibus coæquaret: inter quos eminebat ſpectatę nobilitatis Didacus Touarres, eius ſententiæ facilè princeps, & uſque adeò uehemens, ut quum alios penè omnes ſecũ traheret, uix illi à Macicao reſiſteretur. Cæterùm re in præſens dilata, & continuò demùm triduo magnis diſputationibus in utramq; partem habitis uehementer agitata, To uarres & Hermoſilla Macicaum expugnant: ille uictus precibus atq; iudicio militum, dat manus, eum dumq; eſſe decernit: teſtatur tamẽ ſe inuitum trahi, & nimia eorum cupiditate ac intempeſtiua deſperatione, totius belli ſummam, & ſalutem omnium in id diſcrimen adduci, in quo nulla propè ſpes ſecundi euẽtus, aut omnino tuti receptus emineret: ad id quoq; fortiter audendum magnopere cogebatur à Græcis de ſua ſalute libertateq; ſolicitis, inter quos rei bellicæ peritia, & Turcarum ſtipendijs clari plurimum eminebant, Lazarus citeriore Macedonia oriũdus, & Buſeus dignitate equeſtri, & ipſe ante alios Barbatius Greęcorum longè fortiſſimus: is Turciçæ peritus linguę, ſingularem totius regionis ac itinerum omnium notitiam tenebat, hortabaturq;, ut ſe duce & anteſignano, ad eam expeditionem uterentur: ſe enim daturum operam, ut occulto itinere ad hoſtes conſopitos, aut nihil tale ueretes, maturè atq; opportunè peruenirent. Macicaus, qui alienam temeritatem ſua prudentia & diligentia maximè ſarcire cupiebat, ante omnia integro triduo cauit, ne quis omnino Græcorum urbe egrederetur: ac demum Liſcanio atq; Mendeſio centurionibus urbe commendata, qui cum ægris, ac ætate grauibus in cuſtodia relinquebãtur (his q; iniunctũ eſt, ut portas continuò obſeruarẽt, ne profectionis fama ad hoſtes deferretur) de ſecũda uigilia educto agmine, ad Andruſſam Barbatio duce contendit, ſinuoſis & inuſitatis itineribus, ut culta ac frequentia loca, & Turcarum cuſtodias deuitaret, ea nocte dimidia ferè itineris parte confecta: nam à brumali ſolſtitio longiſsimæ noctes erant, & exorto ſole in caua & nemoroſa ualle copias condidit, atq; eo inclinante in ueſperam, curatis quiete ciboq; corporibus, eo gradu ad Andruſſam perrexit, ut paulo ante auroram hoſtibus appropinquaret. Erat in oppido Caranus, è præfectis prętorianarum cohortium uir tute inſignis, & cum eo circiter tria milia peditum, in queis fuere ſclopetarij è Ianizerorum ordine mille & quingenti, cæteri è genere Aſaporum partim ſagittarij, partim haſtati erant: extra oppidum uerò Acomates, cui à præſtanti forma Iuſello cognomẽ fuit, in ſuburbanis rectis ad mille delectos equites cõtinebat. Summa omnium, & Macicai, Barbatijq; in primis ſentẽtia erat, nullo cum ſtrepitu, & ſuſpenſis quidem paſsibus ſtabula & caſtra equitum pertranſire, adoririq; extemplò oppidum: murus enim uti non uno in loco confectus ex cratibus argillaq; ad lateritij parietis craſsitudinem, & partim uetuſtate, partim incolarum negligentia proruptus, nõ omnino difficilem ſcanſuris, & ſubleuatis aliorum humeris militibus aditum præbebat. Ita diuiſis inter ſe muneribus & copijs, Macicaus ad oppidum progreditur, Hermoſilla contra hoſtiũ equites quietus conſiſtit: ſed tanto ſilentio negocium patrari nõ potuit, quin nonnulli agaſones, & ſtabularij Turcę caſu excitati, noſtros ſentirent, & in dubia luce collucentibus ſclopetorum funiculis perſpicerent: ij primi omnium uigiles, quorum nulla propè erat diligẽtia, & demum equites ſopitos ſomno clamoribus editis excitarunt. Nec cunctatur Hermoſilla, experrectos & adhuc imparatos, prius quã coẽant, atq; equos aſcendant, magno impetu inuadit. Turcæ eo caſu perturbati ædificiorum ianuis ſeſe tutantur, noſtri ſtabula perrumpunt, multos trucidant, ignemq; ſtramentis injiciũt, ut equi, uiri, arma, atq; ædificia eodem igne concrementur. Tum uerò cuncta tumultu clamoreq; miſceri: ſed ualde terribilis erat æquorum hinnientium fremitus, qui dum uincula abrumpunt, & ambuſti terrefactiq; ardentibus caudis & crinibus undiq; deferrentur, inuſitati tumultus ſtrepitum reddebant. Eo modo res ad improuiſum caſum importunè deducta, excitatiſque in oppido Turcis, noſtrorum ſpem fregit, atq; animos im-

mos imminuit: datum enim eſt ſpacium Carano ad A capienda arma, & iam Turcæ ad muri perrupti aditus portaſq; adcurrerant, animaduerſaq; paucitate noſtrorum, denſatis ordinibus, ubi periculum poſceret, intrepidè pręliabantur. Hermoſilla delendis equitibus intẽto, & ſerius quàm oporteret, auxiliũ ferre conante, Macicaus, dum portulæ quæ erat in latere, ualuas reuellit, ſclopeti glande per frontem traiectus cadit. Interficitur & Didacus Touarres, eã demq; fortunam milites muro portæque proximi ſubeunt, auctiq; animis Turcæ, in deprehẽſos clara iam in luce, & diſiunctos facta eruptione deferuntur. Noſtri ab accliui acceſſu in æquum locum retrogreſi, recepto & cõiuncto ſibi ſecundo agmine, & conuerſa in hoſtes fronte, ſe recipere cœperunt. Hermoſilla per ſclopetarios latè in ſequentes ſummouebat, terga agminis tuebatur, atq; expeditos ad latera diſponebat adeò peritè & conſtãter, ut undiq; Turcæ audacius proruẽtes, certis propè ictibus ſternerentur. Iam equites, qui ab incendijs euaſerant, & qui in remotis mapalibus tendebant, eò frequentes adcurrerant. Acomates criſtis cõſpicuus in acie circunfuſis alis uerſabatur: ſed noſtri ea animorum conſtantia gradum referebant, ut orbatis duce, ac itinere planè fatigatis, quum fortuna deeſſet, egregia uirtus ad ſuſtinendum redintegrandumq; prælium ſupereſſe uideretur. Turcę magno ad ſtabula detrimento accepto, & pluribus ex Acomatis militibus deſideratis, quòd oppreſsi deletique penitus non fuiſſent, pro uictoria ducebant: atq; ita lentius urgere abeuntes, & in frequenti peditum agmine perſequi cœperãt. Sed Acomates rapiẽte fato, quũ occaſioni deeſſe nollet, traditos à Carano ſclopetarios circiter ducentos, ab totidem equitibus in clunes equorum cõſeſſores recipi iubet, & noſtros perſequitur, alios equites ſagittarios ac haſtatos aduocat, & à poſtremo noſtrorum agmine non diſcedit: B ſed dum multa paſſuum milia proiectus, audacius in noſtros equum adigit, ſclopeti glande per lunatam peltam traijcitur: eo cadẽte, noſtri purpuream mitram multo auro intertextam cum criſtis, atque item clypeum rapiunt, Turcæ corpore potiuntur. Eo modo duce amiſſo, multisque illatis & acceptis uulneribus, perſequendi finem fecere, indeq; noſtri quietiore agmine Coronem ſunt reuerſi: nec diu ad Andruſſam Turcæ moram traxere. nam auribus ac naribus noſtrorum deciſis, atq; his ad oſtentationẽ æquatæ cladis Byzantium tranſmiſsis, ad Londarium, quod Megalopolis olim fuit, reliquum hyemis egerunt. Turcis uerò diſcedentibus à Corone, iterum Andruſſa à noſtris eſt repetita, ut tot fortiũ uirorum cadauera relicta feris atq; uolucribus humarentur, & in his ſepeliendis, uicini Græci ab oppido Callamata, quod olim Phare dicebatur, ſingulare Chriſtianæ pietatis officium præſtiterunt, & à noſtris Macicai caput, quod hoſtes in prelonga haſta præfixerant, planè agnitum, cum honore Coronem eſt relatum. Nec multo pòſt ſuborta peſtilẽtia, multiplicatis funeribus uaſtare Coronem cœpit, eo grauior, quòd ſupra cęteras difficultates acceſſerat. Quibus de cauſis, Hiſpani utiin ſumma rerum deſperatione accidit, nacti nauigia, quæ frumentum à Sicilia detulerant, ſuſceptis Græcis cum eorum ſupellectile, ablatiſq; tormentis oppidum uacuum reliquerunt. Fuere qui dicerent Hiſpanos non metu autiudicio ſuo, ſed iuſſu Cęſaris Coronem reliquiſſe: neq; enim crediderim tantum momẽti in unius urbis poſſeſsione fuiſſe reponendum, ut in nullum propè exitum, Cęſar grauiſsimis ſumptibus id bellum alere uoluerit: quum conſtet eum Venetis, & pontifici, ac ipſis deniq; Rhodijs, qui in Melita erãt, eam urbem tuendã poſsidendamq; obtuliſſe, poſtquam in eos ſumptus pecuniam conferre grauarentur. Cupiebat Clemẽs, prudenti ſanè cõſilio, in mul tos annos Turcarum metu liberari, egeratq; Byzantij cum Ludouico Gritto per Gerardum Florẽtinis mercatoribus iuri dicundo præpoſitum, ut reddita Corone, in decem annos induciæ eſſent Solymano cum omnibus Chriſtianis, quod maximè ut fieret, Habraymus appetebat: nam excitato iam penè Perſico bello, in orientem animi omniũ atq; arma uertebãtur. Sed dum Cæſar, uti planè intercluſus, hinc dedecoris metu, & illinc præclara commoditate, animi conſilium tardius explicaret, tranſigendi negocij tempus effluxit. Sub id quoq; tẽpus Philippus Lantgrauius, Cattorum princeps, Ferdinando regi bellũ intulit. Aderat Vldericus, uti memorauimus, belli cauſam ad æquitatis ſpeciem præbens, & ob id ab omni nobilitate liberaliter adiutus. Nam Germaniæ reguli, uetuſto more gentis, implorantibus mutuam opem, non adeſſe nefas eſſe putant. Hoc ſanctiſsimo liberalis amicitię iure, humiles & infirmi ſeipſos ab iniuria, & ſuperbia potẽtiorum facilè defendunt. Igitur quum inſigni ſtudio undiq; auxilia gratuitò præberẽtur, Vldericus paucis diebus ad quinq; milia galeatorum equitum coẽgit. Addũctæ item ſupra triginta peditum cohortes, à Villermo Fruſtenbergo, ſummæ nobilitatis iuuene: Argentinenſes quoq; & Vlmenſes tormenta bellica contulerunt. nam liberæ Sueuorum ciuitates, quæ iam pridem ſocietate conſenſerant, diſſoluto demũ fœdere, ſeparatim rebus ſuis ita conſulebãt, ut tum Vldericus earum ciuitatum amicitia, & uiribus opportunè atq; feliciter uteretur, quibus antea dum id fœdus uigeret, ditione ſua, & domo fuiſſet expulſus. At Ferdinandus ſuo more per legatos bella gerere ſolitus, quum ad paranda auxilia per Vindeliciam, Noricum atq; Bohemiam diſcurreret, copias ſuas Philippo Palatino commiſerat. Huic regio genere orto, & defenſæ ab ſe Viennę gloria illuſtri, peritiſsimi ducẽs parebant, Conradus Heſsius, qui in euaſtanda urbe Roma Germanorũ princeps extiterat, & Maximilianus Haberſtenius, in Italia clarus. Hi tres legiones externorum peditum ductabant; acceſſerantq; ſubitarij delectus ex ea regione cohortes, cum iuſto tormẽtorum apparatu, & ad has duo milia armatorum equitum. Interim à Cæſare ſuſtinendo, extrahendoq; bello, per menſarios pecunia parabatur: ſed id aliquanto minore diligẽtia fiebat, quàm grauis & repentinus hoſtium aduentus poſtularet. Lãtgrauius enim Necharo amne ſuperato, trinis caſtris in Virtembergẽſium fines exercitum induxit, adeò celeri ac improuiſa irruptione prouectus, ut regij nullis ſpeculatoribus uſi, non prius de aduentu hoſtium certiores ſint facti, quàm armatæ acies in propinquo colle conſpicerentur. Ea re cognita, Palatinus qui ad uicum Loffen in ualle conſtiterat, equitatum repentè educit, ad explorãdum leuis armatura pręmittitur, Lantgrauiani ſigna promouent, tormenta diſplodunt, prelium equeſtre cõmittitur, admiſcentur utrinque expediti pedites. Quum diu eſſet dimicatũ, & regij multitudine hoſtium premerentur, Palatini equus tormento ictus cadit, ipſe uehementer in talo eadem pila uulneratur. Duce eo modo pugna excedẽte, & urgente hoſtium equitatu, ſit magna perturbatio regijs in caſtris. Non deeſt occaſioni Lãtgrauius, & productis legionibus incumbit. Quũ uerò ab equitibus quæreret, quónam in loco eſſent hoſtes, & eos in Loffen eſſe, qui exploratum excurrerant, reſponderent, Victoriæ, inquit, milites omen accipio, poſtquam hoſtes in fuga eſſe nunciantur. id enim nomen Germanicè fugam ſignificat. Neq; inane eius nominis augurium fuit. Nam regiæ copiæ omnes nec tentato quidem certamine in fugam conjectæ terga uerterunt, grauiadmodum Maximiliani, Heſsijq; pericu lo, qui retentare conglobareq; ſuorum aciem, & cõuerſa fronte ſe recipere conabantur. Ab ea uictoria

Vldericus,& Strocardiæ,& omnibus ferè ueteris im A perij ſui oppidis incredibili populorũ alacritate eſt receptus. Aſperga,in quam Palatinus ex uulnere cõ fugerat, biduo tormentis oppugnata deditionẽ fecit. Auracum poſtremò & ipſum altercatione militum,qui in præſidio erant,ſine uulnere in poteſtatẽ conceſsit. Nec multo pòſt, Ferdinando regi pax data, deprecantibus Germaniæ regulis, ea conditione,ut Vldericus beneficiario iure ab Auſtriana fami lia ducto, ditione ſua potiretur. Inuidebãt quidem Auſtriæ domus felicitati, ſed eã exæquatis uiribus incolumem uolebant:hoſtes tamen ut aliquid ſpecie honoris Cęſaris nomini tribuere uiderẽtur, tormenta bello capta remiſerunt. Interea Clemens diu turno ſtomachi uicio tabefactus,ſexto calendas Octobres moritur,anno pontificatus undecimo,ætatis uerò quinquageſimo ſeptimo. Inerat ei ab ſeuero ore geſtuq;, & ſermone ipſo grauitas naturalis, exculta per omnem ætatem ciuili æquitate,moderatione & patientia inſigni. Sed deerat in eo,qui fortaſſe in Leone fratre ſuperfuit, generoſi & liberalis animi uigor, dignus principe, & uti uolebat exiſtimari, Medicea ſtirpe progenito. Ea ſiquidẽ erat natura eius ingenij parſimonia & diſsimulatione gaudentis, ut illiberalis, & durus potius quàm ſæuus atq; maleficus eſſe cenſeretur. Neminem enim planè oderat,quum neminem adamaret, præterquam ab occultiore cauſa conciliatos: his certẽ unis adeò intemperanter fauit,ut ad ſummos honores,aut ad ſummũ authoritatis locum, ſtabilesq; diuitias nullo pudore proueheret: multorũ uerò conſtanter obliuiſceretur,qui ab optimis literarum ſtudijs, uereręq; obſequio commendationẽ & præmia meruiſſent. Hos quidem perblãdè appellabat, ut imagine gratiæ detineret,ſed occultè oderat tanquam credi tores. Dedit tamen omnia uel ſemper nolens, quæ ſuis parum benigna facie denegarat, & inimicis qui B dem ſæpius & indignis: qua in re aliquando ſuſpirans ſe miſerum eſſe cõfeſſus eſt, quum animus aut præſenti utilitate inductus,aut ignobili compulſus metu,ad id inexplicabili neceſsitate, uel reluctante iudicio raperetur. Ex uno enim & triginta cardinalibus, quos legerat in ſenatum,uix unum atq; alterum probabat: quòd eos præteritis honeſtioribus, nequaquam exquiſito decoroq; delectu,uti deſideraſſe uideri cupiebat, ſed ui ſubita inter impotẽtes regum preces, armorumq; ſtrepitum circumuẽtus, & coactus ediderat. Cæterùm qui occultare naturæ uicia,& ſtudia hominum promereri expedita liberalitate neſciebat, eximiã certè laudem adſequebatur, facilitate aditus, perurbana comitate, & populari quadam moleſtiſsimarum rerum tolerantia: nunquam enim infimorum etiam hominũ uel preces,uel ſpes ipſas,iratus aut faſtiditus abrupit. In eo quoq; enitebat, quod certè familiæ proprium fuit, rerum propè omnium, præcellentiumq; artium notitia atq; cenſura ſingularis: eo admirabilior quòd nullis propè literis inniteretur, uerũ ingenio ad infimas artes ſumptuarias q́ue rationes adeò demiſſo hærẽtiq;, ut opificum arcana ſubtilitates q́; operum nimia,& propè turpi ſolertia ſcrutaretur. Et certè is fuit, quem nemo unquã in paruis rebus fefellerit, ut obiter non ſit mirum, ſi in magnis demum, quæ publicam ſalutem reſpicerent, ſæpiſsimè fuerit deceptus. In grauiore etenim cõſilio omnem uim ſummæ eius prudẽtiæ fatalis auaritia penitus elidebat: utpote qui in proferẽda pecunia,quum opus foret, adeò ſuſpenſus, & anceps triſti cunctatione torqueretur, ut in perleui momento gerendarũ rerum occaſio facilè deperiret. Hic uir profectò alioqui pere gregiè cautus, & maximarum rerum experiens,nequaquam ullo planè illuſtri uel expedito ſpiritu,ultima animi decreta promere,& cõſilia terminare dicerat, uti tum maximè publicæ ſalutis interfuit, quum ipſo conſultante non omnino improuiſa clade obruti fœdè perijmus. Sed excuſare cũ hoc loco lubet,& profectò iuuat,tãquam nõ minori ignauia ſuorum ducum, quàm hoſtium perfidia in eas miſerias præcipitatum,poſtquam excellenti demum cõſilio,ab inſigni Cęſaris æquitate feliciter ducto,pacem peperit, magnamq; Italiæ partem luctuoſa Hiſpanorũ militum acerbitate liberarit: hoc certè honeſtiſsimo facto, & in ipſa ſaltẽ morte, qua omnis inuidia facile extinguitur, præclaram uirtutis laudẽ meritus,niſi uti poſthumus, patre crudeliter interfecto priuſquam ab utero matris in hanc lucem ederetur,planè infelix malè auſpicatam, & uerè lugubrem pontificatus ſui memoriam reliquiſſet. Sęuum enim id bellum,& quo Roma funeſtius à multis ſeculis non ſenſit,peſtilentia propè ineuitabilis, dira fames,& prodigioſus Tyberis auctus,accumulatis cladibus excepere:adeò ut omnis ordo, & deniq; populus uniuerſus,diu expectata,& demũ audita eius morte,magnopere lætaretur,iocatiq; ſummam libertate, nonnulli gratias agerent Curtio medico, qui firma utentem ualetudine, innatoq; membrorum robore pręualidũ, in multa ſpe longioris uitæ,nouis præceptis,& cõmutata uitæ ratione, dubiò procul occidiſſe credebatur. Laudauit eũ in funere Laurentius Granius, Signinus antiſtes Romana facundia. Peractis in funere nouẽdialibus ſacris, Cardinales triginta quinq; cõclaue ſunt ingreſsi. nã pleriq; è prouincijs in urbẽ ad comitia cõuolarant. Eminebat inter omnes in toga candida Alexander Farneſius,ſenatus princeps,quem per quadraginta annos ſenatorẽ, atq; omnes ętatis honore ſuperantem, Roma patria, præclaræ maiorum imagines, eximia atq; inueterata uirtus,& præcellentes literę magnopere commendabãt: adeò ut Clemens,quũ toties repreſſo,& rurſus erumpẽte morbo, omnem uitæ ſpem conſtanter abieciſſet, eum ſibi ſucceſſore teſtamento ſcripturũ affirmaret,ſi pontificatus hæreditate pararetur. Propterea Hippolytũ Medicẽ etiam atq; etiam fuerat adhortatus,ut unum omnino Farneſium collatis amicorum ſtudijs, attollendum ornandumq́ue ſuſciperet,quando nemo in administranda republica, & tuenda dignitate ſacroſanctæ maieſtatis eo potior eſſe uideretur. Subinde aſſeuerans eius ſummi beneficij memoriam, uti in homine pernobili ſanguine progenito, nequaquã eſſe perituram. Itaq; Medices, & ſua ſponte,& ſuorum omnium hortatu,& amicorum cardinaliũ propenſione adductus, cum Ioãne Lothoringo, quem propter morum ſimilitudinem uehementer adamabat, adapertis ſenſibus arctè cõiungitur. Hi duo longè nobiliſsimi totius ordinis,quum ſupra uiginti ſenatores in ſuffragium adducerẽt, pontificatum uti uellent, & dare, & eripere poterant. Igitur uix paucis communicato conſilio ad Farneſiũ pergunt, eumq́ue primos comitiorum æſtus pacato animo in cella expectantem aduoluti pedibus pontificem ſalutant. Cõſequuntur ſtatim amici cardinales, idẽ faciunt dubij:nec ipſi demum competitores,& aduerſarij diu cunctantur quin accedant, atq; eum ueluti ſubita tacti religione protinus adorẽt. Nulla unquam comitia à multis ſeculis maiore cõcordia inita peractaq́ue ſunt. Non enim ſyngraphis ſuffragiorum obſignatis, & de more in ſacratam urnam conie ctis,ſed publico conſenſu,& præclara uoce totius ſenatus, pontifex eſt renũciatus, coronatusq; demũ triplici tiara,deſumpto Pauli tertij nomine, ſecũdo nonas Nouembres, qua die ab eo felici auſpicio publica hilaritate percelebri in eius honorem nobiliſſimi Romanæ iuuentutis per Vaticanam aream, ſimulachro equeſtris pugnæ edito,iucundiſsimè decurrerũt. Iiſdẽ fermè diebus,quibus defuncto pontifici nouendialibus ſacris de more parentabatur, Aloyſius Grittus, Andreę clariſsimi Venetorũ principis

cipis filius,in Tranſyluania, uehementi multarum A gentium coniuratione obſeſſus, interfectusq́ue eſt. Venerat is è Byzantio miſſus à Solymano cum ampliſsimis mandatis ad Ioannem Pannoniæ regem, ut Budæ conſideret,tueretur in his regionibus Ottomannicum nomen, conſilijsq; omnibus belli & pacis intereſſet. Nolebat enim Solymanus contra Perſas ad longinquum bellum profecturus, quicquam in ea prouincia commoueri. Nam fama erat, Ioannem prouincialium cohortationibus inductũ, pacem appetere, & id demum agitare, ut quietem atq; ociũ à Germanis atq; Bohemis impetraret, ea conditione ut dum uita ſupereſſet tranquillè regno potiretur,ab exceſſu uitæ autem,iura omnia Pannonici regni ad Ferdinandi liberos tranſirent. Itaq; ijſdem fermè diebus quibus Solymanus in Armeniã cõtendit, & Hariadenus cum ualida claſſe in Italiã, atq; inde in Africam adnauigabat, Grittus Byzãtio profectus in Valachiam ſuperato Hiſtro peruenit. Ducebat ſecum præſidij cauſa, aliquot Turcarũ equitum alas, atq; item eximiam peditum manum, in qua erant pleriq; Ianizeri ex numero prætorianorum, præterea multi ſerui liberaliter inſtructi, amiciq; & familiares Italici generis, & ante alios Hungari duo duces cum ſingulis turmis, Vrbanus Batianus, & Ianus Docia,quorum numerus ſeptem millium ſummam facilè implebat:nam & ingens lixarum turba cum inſigni apparatu caſtrenſi, multisq; camelis & impedimẽtis ſequebatur. Valachia olim Myſia ſuperior fuit,finitima Baſtarnis & Getis, nũc ea in duas partes diuiſa eſt:altera propinquior Hiſtro, Moldauia,altera uerò quę ad Pontum atq; Boriſtenem uergit, Tranſalpina uocatur. In Moldauia imperabat Petrus,iam pridem certo fœdere ab Ottomanis in amicitiam receptus. Ab hoc Moldauo, Grittus explicato Solymani diplomate, prolatisq; eximijs muneribus poſtulabat,ut ſibi in Pánoniam B cõtendenti, conſilio opibusq; adeſſe uelle:habere enim ſe mandata à Solymano ad Ioãnem regem,ut de pace cum Germanis ageret, ſtatumq; eius regni maximè perturbatum componeret. Accepit dona barbarus, amicitiæ dextram iunxit, dediteq; fidem, ſe ubi opus foret,neq; Solymani cauſę,neq; iure hoſpitij initæ amicitiæ defuturũ. Nec multo pòſt Grittus hac noua Moldaui ſocietate auctior & elatior factus in Tranſyluaniam deflexit, edicta paſsim proponens, ut ad ſe proceres,ciuitatumq; legati cõuenirent,tanquam ad rerum omnium diſceptatorem & arbitrum, legatumq; Solymani,qui cum ampliſsimo munere regiæ poteſtatis ſingulas Hungarici regni cõtrouerſias eſſet cogniturus. Erat Docia præfecto Tranſyluaniæ admodum infenſus, quòd ſibi in quadam altercatione uociferanti genam pugno contudiſſet. Is erat Americus Cibachus, epiſcopus Varadinẽſis,uir ſingulari nobilitate, ſumma potentia, præcellentiq; uirtute, cui Ioannes ſecundum regiam dignitatem, primum honorẽ detulerat. Nam & rex ipſe ſub Ludouico Tranſyluaniæ præfectus, quem Vaiuodam uocant, multis annis extiterat, ita ut in unius Americi fide uirtuteq;, opes ſuas collocaſſe uideretur. Igitur Americus Gritto prouinciam intrante, quum tardius & cũctantius iter facere, & parum eius aduentu commoueri, ueluti deſpecto Solymani imperio diceretur, Gritti animum uehementer offendit, qui præclaro initio exiſtimationẽ ſuam egregia prouincialium uoluntate, præfectiq; obſequio excitari, cõfirmariq; uolebat. Etiam fama erat Americum Chriſtiano animo,ab amicitia Turcarum plurimum abhorrere,neq; pati ut Turcę prouinciæ finibus infueſcerent: utpote qui uigiliter & ſtrenuè cauendum arbitraretur, ne prouincia uiris & equis abundans,rerumq; omnium & auri præſertim,fruticis modo paſsim naſcentis, maximè opulenta, in poteſtatem Mahometanorum hominũ de ueniret. Conſederat ad oppidum Braxouium Grittus, quum pluribus nuncijs affertur Americum aduentare, caſtrametatumq; inde decẽ millib. paſſuũ, apparere ſeſe, ut cum ornatiſsimo comitatu in colloquium deueniret:habebat enim ſecũ multas equitũ turmas militariter inſtructas. Nam Hungari ciuitatum antiſtites, ex ſacris redditibus ualde opulenti,uetere inſtituto alere equites, ductareq; eos in aciem aduerſus Turcas ſolebãt, quum ualde decorũ putarent religionis cauſam à ſacratis maximè ducibus defendi. Sed tum præcipuè ſinitimi quiq; proceres liberaliter adornati ad Americũ concurrerãt, ut antiſtiti ſummæ dignitatis, & præfecto,cuius imperio parerẽt, officij cauſa frequẽtes adeſſent,adeò ut is comitatus iuſti propè exercitus ſpeciem præberet. Ea res Gritto ingenium uehementer commouit,quaſi apertis in campis,ueluti cum hoſte, ſpectãtibus copijs eſſet colloquẽdum. Quum è conuiuio diſcedens Grittus concepta ira fremeret,& his non obſcurè minareť, qui imperijs ſuis minimè paruiſſent, tegumentum capiti detraxit, quod erat Turcarum more oblongum,ex preciosis Scythicarum Sibellinarum pellibus, manibusq; dilatans, Hoc,inquit,duo capita non capit,neceſſe ergo eſt ut uni tãtum coaptetur:idq; rurſus capiti impoſuit. Eum ſermonem Ianus Docia ad uindictæ ſuæ occaſionem excipiẽs,Rectè,inquit, aſsimilas Gritte:nam & hęc quoq; prouincia duos ex æquo præfectos & dominos capere non poteſt, nec tu hercle iure tuo poteſtatis acimperij unquam potiere, niſi hodie expedito uirilíq; decreto,& tuam & Solymani cauſam defendis. Americum profectò,illam inquam, immani ſuperbia belluam non noſti, cuius ego feritatem ac inſolentiam, ſi iuſſeris celerrimè frangã. Solymanũ enim odit,nec regi paret, & nomen tuum contemnit,utpote qui nõ obſcurè ad regnum aſpiret,& decere ait, ut Tranſyluaniæ præfectus in regium nomẽ adoptetur. pura hoc homine neminem inflatius & arrogantius de ſe prædicare, neminem aſtutius & ſimulantius amicitias colere. Dona quidem afferet ad benuolentiæ ſpeciem,atq; etiam dextram perfidia potius quàm fide præſtãtem iunget, ut quum prętergreſſus fueris,edictis ac imperijs tuis illudat. Non ferendus hercle tibi eſt hic æmulus & contemptor, atq; etiam iure optimo tollendus, ut nominis tui dignitatem in limine operum tuorũ, petendęq; gloriæ aditu tueare. At Grittus ubi hęc ad animum admiſit, iam planè turbidior factus, maturandum, utendumq; imperij uiribus cenſet: Dociam collaudat, gratiamq; egregij ſtudij erga ſe breui relaturũ pollicetur, ſi aliquo inſigni facinore edito, Americi ſuperbia contundatur. Ferunt Grittũ nihil omnino durius ſtatuiſſe, quàm ut Americũ quoquo modo comprehẽderet, ut demum Turcico more cathenis uinctus,ſub cuſtodia Byzantiũ mitteretur:prouinciam autem regẽdam traderet Hieronymo Laſcho Polono,qui maximarum legationũ honoribus functus, Byzantij, & in Gallia egregiam fidelemq; operam Ioanni regi præſtiterat, in eam ſpem tot aditis aſperrimorum itinerum periculis,ut ſicuti ſibi promiſſum ferebat,Tranſyluaniæ præficeretur. Cæterũ Dociæ ſeparatim ab Vrbano Batiano, iuſſu Gritti ualidiſsima Turcarum ala, & in primis Hungarorum turmę traduntur. Is noctu à Braxouio maximè occultus diſcedit, & ad caſtra Americi repentinus aduolat. Quũ paulo antè per Hungaros ſpeculatores didiciſſet,eum parẽtibus in campis uitãdi æſtus cauſa,iuxta pagum tentoria collocaſſe, & ut in nullo metu,ſine uigile, & ſine cuſtodia militari, cũ pueris & familiaribus in tabernaculo pernoctare:comitatũ uerò eius undiq; diuerſos in pagos eſſe diſpartitũ, ita ut tot equites non facilè coire poſſent, quũ etiam edicto in craſtinum diem profectioni ſeſe cõpararent. Ita Americus ignarus ſuæ ſortis, quũ inimicos

micos contĕneret potius quàm timeret,à Docianis satellitibus opprimitur. Iacĕti, & uix dum à cubicularijs experrecto,quum latè inuadentium equitum fremitus & clamor audiretur,ipse Docia caput detruncat,castra omnibus in locis trepidatione, luctu & fuga complentur,Turcę equos ornamentaq; diripiunt, excitantur proximiores, cunctiq; demum Turcis agnitis, inermes discinctiq; in multa rerum omnium cōturbatione profugiunt. At Docia tanto patrato facinore Braxouium reuersus, Americi caput ab Auricula manu suspensum Gritto spectandum defert. Aderat Laschus eius consilij & cædis prorsus ignarus, qui quum in re atroci & subita, ut sępè fit, omnem simultatis memoriam naturalis misericordia superaret, & ob id indigna inimici morte minimè lætaretur, conuersus ad eum Grittus, An tu, inquit, Lasche non agnoscis hoc derasum caput? magni quidem uiri est, sed ambitiosi, contumacis, & maximè superbi. Ad id Laschus, qui cōtracto, & tristi uultu inhorruerat, Tale mihi, respondit, nō est uisum, quum suis in humeris conspiceretur, ueluti qui planè id crudele factum non probaret. Tum uerò omnis in Gritto uerborum ac animi fœuitia refrixit, adeò ut non sine quodam pudore iam pœnitere uideretur, statimq; subiungeret, Americū quidem iure cæsum esse, sed eum capi potius quàm interfici cupiuisse. Nec mora, plerique Hungari Turcęq; discedūt ad occupandos Americi thesauros, qui in remoto inde oppido seruabantur. Cæterùm ubi de eius cæde fama percrebuit, propinqui, prouinciales; fermè omnes incredibili dolore concepto, ad uerbus Grittum coniurant, uindicandā armis sacro sancti atq; optimi antistitis mortē decernunt, ipsique publico decreto Siculi, & Saxones p colonias Transyluaniæ antiquitus inserti, & Podolij Semisarmatæ ad ferendam opem euocantur. Nunquam ullæ gentes pro salute sua & publica dignitate ad propulsandam iniuriam, uel intentiore studio, uel grauiore impetu, uel maiore celeritate ad arma concurrerunt. Paucis enim diebus supra quadraginta milia peditum & equitum coiuere, adducēte Gothardo Saxonicæ stirpis, in ea prouincia claro, Stephanoq; præcipuè Mailato duce electo, qui unus maximè Americū percolebat, & in luctu publico princeps, nefariæ crudelitatis authores, latronum more persequendos puniēdosq; cēsuerat. Porrò Grittus, quum tantus iratæ multitudinis tumultus cum ingenti armorum strepitu, uel ex remotis regionibus fama atq; auribus sentiretur, incertus quid faceret, ad oppidum Meges expeditis itineribus se recepit. Oppidani quum Turcas ab edito cōspexissent, nullo modo adduci poterant, ut portas aperirent: tamē Dociæ & Bationi cohortationibus id impetratum est, ut in inferiorem oppidi partem copię omnes reciperentur, ipsi uerò in ædiriora sese resq; suas subducerent. In colle enim erat templum cum sacratis ędificijs peramplum, & excelsum, quod arcis speciē spectantibus præbebat. Gritto id erat consilium, ut refecto muro, adiectisq; nouis munitionibus, & cōparato commeatu tantisper se teneret, donec auxilia conuenirent, quibus incondita hostium multitudo, acri & repentina eruptione pelleretur, atque inde ipse, uel amissis impedimēris, superato Tissa amne, qui olim Tibyscus fuit, in Pānoniam euaderet. Erat ferè undique cinctus, hinc Danubio, & Tibysco magnis fluminibus, inde Hercynia sylua, quæ non facilè penetrari poterat, ita ut nullum nisi redeundo ad Moldauiam effugium patere uideretur: sed eum receptum uti fugæ persimilem, nequaquā pro dignitate sui nominis esse statuebat, quādo mori præstaret quàm indecoro deformique reditu demandatum legationis munus deferere. Itaq; dum impigrè ad munitiones materiā comportari iubet, aggerem extruit, ad laborem suos adhortatur, nunciosq; simul plures, & tabellarios ad impetrandam opem, in amicas regiones dimittit: superueniūt hostes terribili clamore edito, munitiones adoriūtur, temeritate tamen ac audacia potius quàm ordine, & bellica ratione. Propterea non terretur Grittus, per sagittarios Turcas, scloperarios q; maximè Ianizeros rē gerit, multos uulnerat, & interficit: ita hostes, qui sine apparatu tormentorum accesserant ad murum, sagittis confixi, & glādibus traiecti repellūtur. Eo accepto detrimento Mailatus belli rationē commutat, obsidionē instituit. Docet si leuiter tantum lacessant, breui hostes sine ullo ipsorū uulnere in potestatē cogēte fame deuēturos. Ita distributis per interualla copijs, latè oppidum corona præcingitur. Interim in tanta auxiliorū expectatione uersantem Grittum, ac omnia obsidionis incommoda forti animo sustinentē, inuasit morbus, eo grauior, quoniā nihil omnino de auxilijs afferebātur. Nam Ioannes qui æmuli incommodo atq; periculo non obscurè lætabatur, quū tot gentibus equissimo iure ad arma cōsternatis, nisi summa cum inuidia, periculo obsistere posse iudicaret, alam tātum equitū ab æstiuis euocarat, quæ lentis itineribus in Trāsyluaniam mitteretur. Balibeius etiā, & Halis, Bergradi Samandriæq; præfecti, malignitate simul & ignauia, neq; prouincia excedere, neq; Danubiū transire iniussu Bellerbei, magistri equitū sibi licere perscribebant. Ipse quoq; Laschus, ex socio alieni periculi spectator factus, quū paulo antè discessisset, ut equites cogere adduceretq; maturaret, adesse nō potuit, & Megesani qui aliquandiu pacati constiterant, & perseuerantia suorum obsidentiū & Turcarū incōmodis inuitati ex superiore loco præliabantur, & iam alimenta defecerant. His tantis circunuentus malis Grittus per Hungaros dabat operam profuse largiendo, ut Transyluanis magno auri pondere di stributo, in Pannoniā abire permitteretur: sed omnem auaritiam in efferatis dolore animis uindictæ libido superabat. Egit demum separatim cum Moldauo, ad quem hospitalis amicitiæ iure suppliciter ope implorans, gemmas & uniones dono miserat, ut loci custodiā a suis laxari iuberet, & se cum liberis ex composito erumpentem, in pacatum abduceret. Paulo antè etiam à Batiano erat desertus, qui in eo metu è castris hostium, significantibus, & eripientibus quibusdā uereribus amicis, fuga sibi consuluerat. Itaq; dubia spe, & urgēte fatali necessitate, ad condictā horam ab ea porta, quæ ad Moldauos ducebat, erupit, dextra Solymani diplomata prætendens: sed barbarorū fraude nequaquam inuentis Moldauis, in Franciscū Scendenum incidit, Americi propinquū, & Mailati maximè familiarem. Hic primus omnium cōtumelioso ululatu, tegumentū illud capitis è Sibillina pelle preciosum rapaci manu insolenter inuasit, eumq; morbo inualidū, & nihil resistentem immissis equitibus comprehendit. Tum uerò à Trāsyluanis horribili clamore sublato, eius comites copiæq;, & Turcæ præsertim cæduntur, atq; ita undiq; uertūtur in fugam, ut cuncti ferè in eo tumultu admodum cruento, quū indagine in gentiū copiarū clauderentur, interfecti captiq; sint. Seruauere tamē Turcas quantū licuit Moldaui, sed eos demum infesta latronibus itinera equis & armis exutos exceperunt. At Grittus quum ante prætorium armatorum corona circunseptus interrogaretur, cur Americū iussisset interfici, nihil se tale unquam imperasse constanti animo, & graui fronte testatus est. Cōclamantibus uerò cunctis ut ea hostia Americi manibus mactaretur, Mailatus eum Francisco ad supplicium tradidit: atq; ita caput ei ingenti machera detruncatū est. In eius cruore proceres, & propinqui penulas militares, solenni ceremonia, more gentis intinxerūt, ut diu secum exactę uindictæ memoriā deferrēt. Sed Ianus Docia maiore ira, &

& grauiore supplicio affectus discerptusq; est. Grit A
ti liberos nemo nostrorum hominum amplius uidit, sed non desunt qui eos adhuc uiuere apud Moldauum dicant, ueluti grandi pecunia ab auo principe redimendos. Quū Gritti truncus à carnifice nudaretur, loculus in femorali cum gemmis immensi precij repertus est, adeò ut ea omnis præda aureorū nummūm quadraginta myriadas superasse dicatur ab his, qui domesticum Gritti apparatum in rationes uera æstimatione contulerunt. Nec multo pòst & ipse Laschus à rege Budam euocatus, nō mediocre uitæ periculum adijt, quum in quæstione sub tormentis Gritti consilia explicare cogeretur. Sed is demum, deprecante pro eius salute Sigismundo Sarmatiæ rege, custodia eductus, è regia aula in Poloniam se recepit.

SVPPLEMENTI
LIBER XVIII.

Adem æstate Solymanus Turcarū imperator, effusis ultra Euphratem ingentibus copijs aduersus Tamasum, magni Hismaëlis filiū, bellum suscepit, ualidaq; simul instructa classe inuasit Africam, occupandæ Siciliæ atq; Italiæ maximè opportunam. Conceperat enim ingenti spiritu totius orbis imperiū, facilè Alexandri Magni potentiam æquaturus. Cęterùm Persici belli causas ab ipsis usque auorum odijs repetitas, & euentus mutuis cladibus memorabiles, suo loco narrabimus. Inuadendæ uerò Africę author & concitator extitit Hariadenus Mithylenæus, uetere Horucij fratris cognomēto Barbarussa à nostris appellatus: is in Numidia proxima Mauritaniæ Algerij regnum à fratre antea partum, adeò frequentibus uictorijs amplum clarumq; reddiderat, ut nostri æquè ac finitimi Pœnorum reguli, & uagi Numidæ, eius opes atq; audaciam magnoperè timerent, & Solymanus ad fortissimi uiri famā iam publica uirtutis commendatione illustrem, frequenter excitaretur. Non alienum erit ab instituto opere breuiter recensere, quibus artibus Mithylenæi fratres ab una tantum prædatoria bireme ad regium fastigium irrepserint, ut hinc quoq; in hac rerum humanarum uarietate colludentis fortunę ostenta posteri mirentur. Igitur patre Græco, atque eo Mahometis sacra secuto, in insula Lesbo geniti, quum in opiam domi ferre non possent, arrepta bireme spes suas omnes mari commiserunt, sese Camali archipiratæ in disciplinam tradentes. Sub hoc Camale Horucius, qui uti natu maior ad se ducis nomen trahebat, cum Hariadeno multa præda multisq; seruis atq; nauigijs adauctus, ac demum ascitis in societatem minoribus piratis prædabundus in Mauritaniam peruenit. Eo tempore Algerij regulus cum fratre armis de imperio contendebat, hic quum Numidas equites, qui hodie Arabes appellantur, precio sibi in auxilium asciuisset, alter opportuno nouæ gentis aduentu magnopere lætatus, pecunia cum Horucio transegit, ut se defendendum susciperet: paucisque diebus Horucius cum ualida manu scloperariorum, quibus præcipuè Numidæ terrentur, eo impetu gessit atq; confecit bellum, ut Turcarum nomen cùm Numidis, tum Mauris omnibus terribile esset. His rebus gestis, uti erat ingenio ualidus, uiribus pollens, & regni maximè cupidus, quum eo bello comperisset Mauros per se inermes, ignaros q; militiæ, ac ingenio mobiles, nullaq; inter se stabili concordia nixos, facilè per partes oppressurum & subigi posse: Numidas uerò uagos & inter se dissidentes, uel in amicitiam trahi, uel si abnuāt, nullo propè negocio sustineri: improuiso fidē abrupit, repenteq; hostis factus, quos cœptis suis aduersari posse putarat facilè sustulit, breuiq; post sæuitiā liberalitatem exercendo, Algerij regno potitus est. Nec multo pòst finitimum quoq; regulum Circello imperantē ui dolisq; aggressus expulit. Distat Circellum, antiquis Carcenna Colonia uocatum, ab Algerio, quod Iulia Cæsarea fuisse dicitur, ad occasum sexaginta passuum milibus, antiqua ad portum mole, & operoso aquæ ductu, multisq; Romanæ magnificentiæ uestigijs adhuc insignis. Inde & ab Algerio mare undiq; infestum reddebat, & in mediterraneis cum expeditis cohortibus euagabatur, ita militiæ munera cum fratre alterna sorte partitus, ut nihil terra mariue pacatum relinqueretur. Ab eo rerum successu, ut regni fines aliquanto latius proferrentur, Bugeam magno apparatu inuasit, Hispanis, qui in præsidio erant, ad summas rerum difficultates redactis: nec prius abstitit tam forti incœpto, q; ei dextra manus tormenti ictu abrepta est, inde ferream sibi fecit, qua ad cubitū religata multis in prælijs postea feliciter est usus. Nam Algerij non contēnendum Hispanorum exercitū Didaco Vera duce circumuentū fusumq; deleuit, & aliquanto pòst Vgonem Moncatā, qui ueteranos Hispanos ab Italia transportarat, egressum in litus, iniquo nostris loco cōmissa pugna compulit in naues, subortaq; tempestate, copias ferè omnes luctuoso naufragio fluctibus eiectas crudelissimè trucidauit, aut ad remum trierarchis distribuit. Ad extremū immodicæ spei plenus, & rerū prouentu factus audacior, quū Tremisenij regem, amicū sociumq; à Carolo appellatū, regno expulisset, immineretq; Orano, Portuiq; magno, quæ Hispanorū præsidijs tenebantur, Punica simul & Christiana arma aduersum se cōcitauit, eo bello, uti loco memorauimus, superatū, & fuga in solitudines euadentē, Hispani Mauriq; equites consecuti, cum paucis ex familiaribus interfecerūt. Horucij caput in Hispaniam transmissum, circumlatumq; in lancea, populis præfertimq; maritimis insignem attulit lætitiam, quòd sublato prædonū rege, diu exoptata securitas litoribus reddita uideretur. Sed Hariadenus neq; spiritu, neq; bellica laude Horucio inferior, acclamantibus militibus imperium suscepit. Is non modò regni, sed uirtutis & deniq; artium cogitationumq; omnium, quę in fratre eximiæ fuerāt, hæres factus, adoptatusq; etiam in fratris cognomen, ad imperium totius Africæ aspirare cœpit, ratus ea, quæ parta essent, animo suo minora angustioraq;. Itaq; arma proferre, Mauris & Numidis terrori esse, modò cum his pace acindu cijs uti, modò bellum gerere: porrò aucta classe Hispaniæ, Sardiniæ, ac Balearium oram prædari, ascisce re sibi nouos piratas, clarus æquè ac formidolosus finitimis esse. Hæc audentē & molientē nusquā fortuna destituit. Nam Hametē Numidam, magni agminis ducem, sibi in festum, per insidias interfecerat, & ad Cocum oppidum Benchades inter reguB los Numidas longè clarissimus, multis prælijs superatus, in solitudines abscesserat, Amidamq; in finibus Tremisenij regni adeò frequētibus detrimētis attriuerat, ut sedes mutare, ac in interiora profugere cogeretur. Mari quoq; ea fortuna res gessit, ut Vgo Moncata supra Sardiniā nocturno prælio uictus, grauiterq; uulneratus, amissis aliquot triremibus, uix effugerit, & Portundus Hispanicæ classis præfectus, amissa fœde classe, cū filio impigro iuuene fuerit interfectus. His captis triremibus, quū ali quot etiā, cùm Siculæ Neapolitanæq;, tum Venetæ rostratæ, uarijs interceptæ casibus accessissent, maximè ualidus atq; terribilis esse cœpit: auxitq; sibi uiriū atq; animi famam, ipso Andrea Auria ad Circellum repulso, quū ille oppido tam fortiter expugnato, q; fœdè amisso, ad quingētos milites discipli

næ oblitos, nec Turcarum eruptionem sustinentes amisissent, duæq; tum onerariæ Liguſticæ, dum ad Circellum cursum haberēt, onustæ armis, milite, cō meatu, supra Populoniam, quod ingentē Genuæ lu ctum peperit, expugnatæ atq; demersæ. Postremò arcē scopulo impositam, Algerio urbi imminētem, defensamq; per aliquot annos ab Hispanis, summa ui adortus, cepit atq; deleuit, ruinis profundo mersis, & iacta mole, ut percommodus regiæ urbi portus adderetur. Quum hac rerum gestarum fama floreret, Solymanus è Pannonia reuersus ad eum legatos misit qui euocarent, summosq; honores, & maris præfecturam Byzantium uenienti pollicerētur. Ita Sinas, unus ex intimis ianitoribus ad eum legatus mittitur, aduehitq; eum celeri trireme Mangalis pirata, Rhodi præfectus. Is ubi in Mauritaniā peruenit, ab Hariadeno summo cum honore susceptus est: audita legatione Hariadenus incredibili lætitia afficitur, inde haud inani spe concepta potiundę totius Africæ, si colloquendi cum Solymano potestas fieret, ut quinam in Africa rerum status, & quantæ Christianorum classes, quiue animi & dissensiones eorum essent, appositè atq; ordine doceretur. Itaq; Agim uirum fortem, & Ramadam Celebim patruelem suum Algerio præficit, his Asanem filium duodeuiginti annos natum cōmendat, classeq; circiter quadraginta triremium biremiumq; instructa profi ciscitur: circa uerò Tyrrheni maris oram adeptus aliquot Liguſticas naues, quę ad coëmendū frumentum in Siciliam cursum habebant, difficili & maximè cruento prælio eas expugnat & incendit, qua in pugna Delisufum piratam opulentum ipsius Hariadeni dolo interfectum ferunt, ut eius trireme de Venetis capta, quæ erat eximiæ celeritatis, itemq; seruis atq; pecunia potiretur. Inde cōuersus ad Iluam insulam, Rium in ea oppidum nocturno prælio capit, atq; omnibus Riensibus in seruitutem abductis, ingenti onustus præda Byzantium peruenit. Deductus est à principibus aulę ad Solymanum, ab eoq; lætissimo uultu est susceptus: uel ob id quòd dono dabat, quos insigni cultu produxerat, aliquot pueros decora facie, itemq; lectissimas uirgines, eunuchosq; & Libycas feras, leones & pardos. Porrò reliquis diebus quum de gerendo bello, & de tota ratione Punicarum Christianarumq; rerum differet, aliquanto quàm solebat, rarius & difficilius admittebatur. Suborta enim erat inuidia crescentis dignitatis semper comes, ita ut pleriq; dicerent, non esse Othomannici moris, homines è piratarum ordine latrocinijs infames, regiæ classi præficere: non defuisse unquam, nec defuturos ex principis aula, qui uirtute magnitudineq; animi, & deniq; optimis artibus ualerent, & ad proferendum Turcicum nomen terra mariq; fortiter ac feliciter operā præstarēt: occupasse illum in Africa contra fas & æquū, hoc est dolis ac insidijs, aliena regna, impijsq; armis semper esse persecutum regulos, & gentes quæ Mahometem colerent, nullos profectò ei certos deos esse, nullā fidem: utpote qui uanissimo, atq; eo quidem paternæ religionis desertore, patre Græco genitus, ab ineunte ætate prędo immanis, & publicus humani generis hostis extiterit. Quū hæc efferrentur, Hariadenus facilè intellexit quàm importunè abesset Habraymus, cuius amicitiam exquisitis officijs, annuisque muneribus colere erat solitus. Is eo tempore ad Persicum bellum profectus, in Comagena ad Alepum hyemabat, Euphratem ad primaueris signa traiecturus. Solymanus tamen per Aiacem & Cassimum Bassas respondit, eius suscipiendi negocij summā ad Habraymi iudicium deferendam uideri, quòd eius præcipuè hortatu suasuque è Mauritania esset euocatus. Proinde si quid impetratum uellet, ad eum in Syriam proficisceretur, ut ex eius authoritate atq; sententia quæ in rem forent decerni atq; apparari possent. Eo modo in Syriam reiectus, quanquam non obscuro repulsæ nomine existimationis suæ iacturam facere uideretur, id tamen dissimulanter tulit, atq; eò terrestri itinere omnino perualendū esse iudicauit: uir enim noui belli nouiq; imperij maximè auidus, neq; ætati neq; laborī parcendum putabat, quo minus Amani montis iuga, uel tum obsessa niuibus, transiret. Erat tum Alepi Habraymus, is singulari cum honore susceptum, & in colloquijs de genere atq; ordine gerendi belli, occupandaq; Africa differentem, ita admiratus est, ut neminem eo peritius atq; felicius mari gesturum bellum arbitraretur, Solymanoque demum rescriberet, in Hariadeno ingeniū uigere omni bellicæ uirtutis laude cumulatum. Propterea ipsum rectè facturum, si in grauissimis cōsilijs ei uiro fidem adhibeat, honoris causa inter Bassas annumeret, atque ei uniuersæ classis imperium tradat. Eo modo Hariadenus Habraymi mirifica uoluntate Solymano commendatus Byzantium redit, susciputurque propēsissimis animis: nam tanta erat authoritas & gratia uel absentis Habraymi, ut omnium planè uoluntates sermonesq; adulatione uel metu, ad nutus eius tanquam ad summa imperia uerterentur. Aduexerat secum Algerio Hariadenus Rosceterem Pœnum, Muleassis, qui Tuneti imperabat regis fratrē, pulsum domo aliquot antè annis, & ex calamitate ad profugum, uti mox dicemus: huic facilè persuaserat, ut unà Byzantium ueniret, fore enim, ut se authore duceq; à Solymano in paternum regnum reduceretur. Itaq; hoc Rosceterē in occasionem Africani belli purpuratis ostentato, multisq; de suscipiendo bello disputationibus habitis, ad Solymanū introductus, multa de Africis, de Hispanicis atq; Italicis rebus & belli gerendi ratione disseruit. At Solymanus qui excellentum principū more, graui aure excepta ad animum transmittere, perpendereq; inde cuncta, ac ingenti demum iudicio consilia terminare erat solitus, collaudato Hariadeni studio, consilium dimisit. Nec multo pòst in sententiam Habraymi decretum est factum, ut Hariadenus tribus Bassis, qui est supremæ dignitatis honor, quartus adderetur, esseteq; ei summum maris imperium, ita ut insulæ, portus, urbes, populiq; maritimi ei parerēt, ius ei fasq; esset quos uellet, ubiq; uellet, remiges, nautas, milites conscribere, & in naues cōpellere. His promulgatis Solymanus postridie idus Maias ei uexillum, sceptrū, gladiumq; de manu tradit, monet ut promissis insigni facinore edito fidem præstet, eūq; regia egressum, Aiax & Cassimus Bassæ, ipseq; prætorij præfectus celebri pompa prælatis nouis honoris insignibus, ad naualia deducūt, octiesq; ei centena milia aureorū nummūm in bellicos sumptus ex ærario depromuntur, attribuunturq; ei ex ordine prætorianorum Ianizeri circiter octingenti: nec multos Byzantij moratur dies, classeq́ue octoginta triremium atq; aliquot biremium armis, uiris, & cō meatu abundè instructa, Hellespōto egressus in Italiam cursum intendit, relicto cum duodecim triremibus Amurate trierarcho, qui Solymanum eiusq; exercitum ad Persicum contendentem bellum, ab Europa in Asiam transportaret: isq; demum omnibus transuectis, Hariadenum ad Methonem est cōsecutus. Quum improuiso aduentu Messanæ fretū transiret, Mamertini ad arma cōclamantes, urbi portuiq; magnopere timuerunt: sed præteruectus Hipponiatem sinum, in Brutiorū ora sancti Lucidij oppidum inuasit, id olim Tempsa dicebatur, impositū rupi, qua mare despectat, & muro haud temerè munitum: sed is à terra subeuntium Turcarum impetus fuit, ut deiectis propugnatoribus diu defendi nequiuerit, eo maiore incolarum calamitate, quòd nemo fuga est elapsus, quum prætor in ea trepidatione auersam ab hostibus portam diligentius recondi-

conditis clauibus obseraſſet. Inde ingenti omnis generis rerum ac hominum potitus præda, ad Citrarium contendit, ubi classem ædificari à captiuis dicerat: id uti uacuū incolarum fuga statim est incensum, atq; eodem igne septem triremes, imperfectis adhuc puppibus, & foris cōcrematæ: ubi uerò à Capreis supra Neapolim uniuersa classis in conspectū est data, adeò terribili spectaculo totam eam oram conterruit, ut pleriq; affirmarent, si hostis expositis copijs ad mœnia repentè succesſisset, Neapolitanos in subito metu ægrè urbem fuisse defensuros. Eo cursu ad Prochytam prouectus, oppidum cepit, arcisq; exiguæ custodibus sub fide se dedentibus libertatem reliquit: & quū in Caietæ portum noctu inueheretur, ita ad Speluncam superato promontorio cursum deflexit, ut occupandæ Caietæ occasionem parum nauiter præremisisse crederetur. nam & præsidium urbi arciq; exiguū erat, præsertim repentino nocturnoq; in metu, & Caietana iuuentus assueta maritimis quæstibus, & in prædijs occupata ab urbe per eos dies aberat. Spelunca oppidum extremis Fundanis montibus adiacet, qua desinentes rupes, plagæ maris planiciem excipiunt, ex ruina quondam antri Tiberij Cæsaris insigni periculo in historijs Cornelij Taciti celebratum. Speluncani inexpectato appulsu tantæ classis territi, uix tentata defensione animos desponderunt, ingressusq; hostis circiter mille & ducentos imbellis maximè sexus & ætatis cepit. Refugerat in arcem Pelegrinus, qui inter Speluncanos diuitijs eminebat. Hunc Hariadenus monuit, ut se dederet, nec uim experiretur: id si extemplò faceret, integra fide libertum futurum, si conaretur sese atq; arcem tueri, breui stultæ pertinaciæ pœnas crudeli supplicio, atque incendio oppidi protinus daturum: nec ille metu exanguis diu cunctatur, quin spem uitæ uel in barbara fide, certi propè exitij periculo potiorē ducat: ita egresso in litus, & ad genua procumbenti cōcessa libertas, & quod fuit humanitatis, uxor, filius, & neptis inter lachrymas præ gaudio utrinq; manantes restituti. Eadem quoq; nocte ad duo milia Turcarū è classe per asperos uepribusq; impeditos colles ad urbem Fundos, decem inde milibus passuum peruenerunt: uti creditur, ducibus indigenis ex eorum numero, qui superioribus annis mari capti, tædio prædurę seruitutis ad Mahometis sacra defeciſſent. Ea uerò aduolantium & refringentium portam celeritas fuit, ut Iulia Gonzaga, Prosperi Colūnæ quondam nurus, uix spacium sit nacta, quo seminuda iumento imponeretur, atq; inde iam cōspectis hostibus ad montes se properet. Ferunt Barbarussam, uti ipse postea minimè diffiteri est uisus, eam cùm admirabilis formæ, tum uirtutis fama florentem capere cupiuisse, ut Solymano dono darer. Cæterùm Fundani cædduntur, atq; omnes ferè capiuntur: facit & deditionem Stecatius, prætor imbellis, qui cum turba mulierum in turrim confugerat, quum succensis iam foribus, & barbarorum clamore, & fœminarum ciulatu terreretur. Turri in potestatem redacta, Turcæ ad spoliandum fanum conuersi, sepulchris Columniorum procerū ornamenta detrahunt, uexillaq; item militaria picta auro dilacerant, onustiq; præda ad classem reuertuntur. Alia quoq; triremium manus Tarracinam diuertit, ibi quoq; populo ad montes fuga elapso, in templa sæuitum, inualidiq; senes, & ægri aliquot in lectulis trucidati. Is terror à Priuernatibus properè Romam delatus, ita consternauit omnium animos, ut si hostis eo impetu ad Ostiam esset prouectus, tota ciuitas sese in Sabinum, Hetruscumq; agrum effusura crederet. Nam neq; Clemens tum grauissimo cōflictatus morbo, consuli poterat, neq; amplius omnino q̄ centum uiginti spiculatorum Germanorū, & quadraginta septē leuis armaturæ equitū præsidio, quo tum principis atq; prætorij custodia stetit, publica salus nitebatur: nec ullus erat cum peregrinis & inquilinis Romanorū consensus, quū quisq; priuatis potius quàm publicis rebus studeret. Coiuere tamen in eo periculo Cardinales, & effractis ærarij repagulis, ex authoritate senatus Hippolyto Medici Cardinali pecuniā deprompsere, ut tuendæ oræ maritimæ curā susciperet. Is alacriter cohortes conscripsit, sed eas, uti in subitario delectu accidere solet, ex pessimo & incondito hominū genere: adeò ut per summam iniuriam Priuernatibus ex itinere cædis atq; direptis, oraq; Pyrgensi & Tarquiniensi fœdè uexata, nullo pudore in hostilem rabiem animos uertisse uiderent. Porrò Barbarussa uetere cum filio suo innixus, quū statim in Pontias aquādi causa diuertisset, in Africā traiecit, tanta usus celeritate, ut prius eò peruenerit, q̄ ab nostra ora discessisse crederetur: uoluit enim ea diuersa nauigatione fallere Muleassem, ut imparatū opprimeret, & ipse antea famam simulanter ediderat euastandæ Italiæ, Liguriæq; præsertim & Hispaniæ: uindicandis scilicet iniurijs, quas Auria Coroneis atq; Patrēnsibus intulisset, ita ut nō omnino inani coniectura, postquam Messanæ freto superato, Italiæ litora legere, & cuncta urere cœpisset, Liguriam, ac demū Hispaniā inuasurus esse putarētur. Et Veneti quoq; Muleassi, & Pœnis aliqua ex parte timore minuebant. quum ualidam classem instruxissent, quinis decumis ex fœneris redditibus sacerdotū ordini, uel id ægrè ferente Pontifice, impositis, ut ex ea pecunia remigibus stipendia præberētur. Ad hæc quoq; Muleasses per speculatores didicerat Rosceterem fratrem, quē maximè metuebat, Byzantij in libera custodia esse relictum, ueluti aliena tum ab Africæ rebus expeditione suscepta. Neq; enim ullis armis ualidius se peti atq; inuadi posse existimabat, q̄ producto regni æmulo, in quē ex conscientia scelerum suorū omnes propè Pœnorum ordines, & Numidas inclinaturos appareret. Sed quoniam ad hunc locū est deuentū, operæprecium erit paucis enarrare, quę de Muleassis imperio moribusq; didicimus. Hac tēpestate in Africa opibus ac amplitudine imperij cæteris præstant Tunetani & Fessani reges, sed Tunetanis ab longa imperij uetustate, eximiaq; stirpis claritudine, authoritas maior & augustior: nam ab his sacra, & iura omnia petebantur. Imperium Tunetanum octingentis ferè milibus passuū in ora ab occasu ad orientē extendebatur: nam Bugea & Tripolis, emporio & gymnasio claræ urbes, quas Nauarrus in diuersis regni finibus bello cepit, Tunetanæ ditionis erant, quum & ea introrsus ad Æthiopum barenas usq; pertineat. Fuit Lentigesia Muleassis mater, uirilis animi mulier, Doracis reguli soror, cuius ingenio uirtuteque Muleasses adiutus & impulsus, regnum arripuit. Nam Mahometes, qui multo luxu & multa cum gloria triginta duobus annis regnauerat, quum sibi uitæ finem adesse cerneret, Maimonem inter duos & uiginti filios natu maximum legitimo iure regni hæredem scripturus esse uidebatur, nisi Lentigesia corruptis precio regijs satellitibus, maritum in supremis uitę angustijs fatigatum precibus, dolisq; deceptum pręuertisset, ut in filium regij nominis fortuna transferretur. Itaq; Maimo, qui paulo antè affectati regni suspicione, ob præclaram bellicæ uirtutis indolem, à patre in carcerem fuerat coniectus, eo expirante, dum è custodia ad imperium se proripere sperat, iussu Muleasis interficitur. Roscettes natu secundus, qui extra arcem cum uxoribus habitabat, comprehendi nō potuit: cæteri fratres grassante Muleasse, in suū sanguinem barbarico more, partim iugulātur, partim candenti ferro oculis admoto, lumine priuantur. In his fuere Barcha & Belethes, atque Saëthis stata ætate, & in spem imperij una matrum nobilitate procreati,

creati, qui quum Tunetum in ipsa Cæsaris uictoria A caperetur, ob eam calamitatem cum graui probro atque inuidia reducti regis, apud nostros homines Punicæ fæuitiæ fidem fecerunt. Ex fuga quoq; biduo pòst, Laselles & Habraymus, & cum his fratres quatuor uixdum puberes, in Bagrada amne tũ fortè hyemalibus aquis larè inflato trepidè uadũ quẽrentes, Solax Numidarum dux intercepit, acceptoque precio, uir æquè uenalis & fæuus, Muleasi ad supplicium tradidit. Porrò cæteri omnium reliqui Rosc̃ettes & Abdemelech, dum supra Hadrumentum profugerent eodem penè casu, sed non iniqua sorte, in Morhabitum inciderunt, à quo aduoluti pedibus, & salutem suam regiæq; stirpis sanguinem commendantes, ita seruati sunt, ut quum in Numida opulento generosi animi laus quæreretur, sæuitiæ tamen arbitrium Muleasi uenditaret: accepta enim est traditionis merces, & interim illi uti deceptis custodibus, ad Bentiesem amicum suum, ulteriorem Numidarum ducem, opportunè emissi. Verùm & apud hunc proditores passim grandi pecunia subornante Muleasse, alijs atq; alijs petiti insidijs, ad Biscarim urbẽ maximè mediterraneam recessere: ibi Abdemelech tædio tam ancipitis fortunæ, omni spe regni prorsus abdicata, sacrato in ocio religionibus se deuouit. Rosc̃ettes uerò apud Abdalam urbis principem, & mox socerum, adeò solicitè atq; accuratè ab omnibus Muleasis dolis est custoditus, ut etiam ueneni metu, non alia temerè in conuictu, quam semesa ab se uxore q; esculenta genero præberentur. Eo modo Muleasses paterno potitus regno, quum nemini ex regia sobole parcendum esse statueret, aliquot etiam pueros fratrũ filios enecauit, paternos q; amicos Manifetem & Mesuarem in primis summæ authoritatis, quorum studio atq; ope Maimonem præoccuparat, uarijs cruciatibus diu tortos & laceratos interfecit, quòd pręclari beneficij gratiam exoluere nollet, atq; eos idẽ aliquando contra se tanquam ingratum facilè molituros arbitraretur. Desæuijt & in aliquot nouercas, impellente Lentigesia, atque etiam concubinas patris nefaria crudelitate, quum ipse præposterus, & in mares procliuior, in Mahometem patrem palàm inueheretur, tanquam mulierosum ac effœminatum, qui exhausto ærario ingentes fecisset sumptus, ut ducentæ simul ad libidinem fœminę regijs in hortis alerentur, è quibus tot suscepisset liberos, qui in imperio æmuli forent, ob idq; sibi in his occidendis pergraue & plenum inuidiæ negocium reliquisset: & fuere qui existimarent patrem in supremo morbo, quũ ex subita animi defectione ad spẽ uitæ subleuaretur, medicata potione à parricida filio fuisse necatum. Nec multo pòst Dorax, qui fauẽte sorore delectus erat imperator, aduersus Meschinem regulum Numidam peculiari nomine bellum suscepit: ab eo enim aliquot antè annis, uiuo Mahomete, cuius gratia plurimum ualebat, graues acceperat iniurias, & parte agri fuerat expulsus. Sed Meschines præpotenti hosti facilè cessit, uti imparatus & inualidus, scilicet ut coactis auxilijs ad propulsandam iniuriam, dum hostis recederet, opportunè reuerteretur. Ea contentio utrinq; uario belli euentu sæpius agitata, ad extremum regem ipsum in id bellum traxit. Itaq; Muleasse in Doracis castra cum magno equitatu, & Turcarum mercenarijs peditibus profecto, res eum habuit euentum, ut Meschines profligaretur, & rex ardentius ostentato erga auunculum studio suo, iam planè maturas segetes incenderet. Ea inusitatæ ac immanis iniuriæ acerbitas, quum frangere Meschinis animum nequaquam posset, adeò uehementer permouit, ut eo adeunte, & tota penè Africa concitante singulos Numidarum duces, ingẽs & maximè periculosum Muleasi bellum sit conflatum, Rosc̃ettes q; à Biscari in spem regni sit euocatus, nõ uno tantũ, sed proximo quoq; regulo Numida, equites, arma, opes insigni studio aduersus Muleassem conferente, quũ quisq; nisi omnes in unũ icto fœdere consentirẽt, Meschinis exemplo rebus suis timere cogeretur. Contulere cum Meschine consilia, copias & opes, Vlethes, Iacob atq; Morhabitus clarissimi Numidarũ duces, Rosc̃ettes q; à Biscari educto, & regijs insignibus adornato, castra fecere nõ longè à Bechia urbe, quę iti nere unius diei à Tuneto distat. Ea aduentantiũ hostiũ fama Muleassem, quanquã suopte ingenio pugnacem, sed tum solito timidiorẽ factum, & ex scelerum conscientia sibi diffidentẽ magnopere cõterruit: uerùm is nõ minus astu q̃ sęuitia insignis, adeò egregiè metũ dissimulabat, ut compressis diligenti portarum custodia de Rosc̃ette rumoribus, festa hilaritate nuptias Amidæ filij celebraret, uniuersoq; populo solenne epulum præberet, & singulis tribubus, præterid nouum munificentiæ genus, esculenta omnis generis congiarij nomine largiretur: Numidas uerò propinquos, & Pœnorũ optimates uarijs artibus & donis sibi conciliaret. At ubi Rosc̃ettis aduentus diutius occultari non potuit, uexilla, arma, tormenta, ex arce proferre per Doracẽ, Numidas quos poterat mercede conducere, ex Afris equites & pedites conscribere, ob secrare prædones Turcas, ut accepto stipendio pro se militaret. erat enim ea tempestate ad Tunetũ tantus piratarum concursus, quum ibi cunctis huiusmodi generis hominib. tutissimus esset receptus, ut ea urbs Turcarum colonia uideretur. Cum his antea Muleasses certo fœdere pepigerat, ut captiuorum prædę q; omnis pars quinta in fiscum referretur, magno quidẽ suo quæstu, & Tunetanorum emolumento, adeò ut sibi nullum omnino ex tot urbibus uectigal atq; portoriũ, uel uberius uel certius esse censeretur: sed is prouẽ B tus dignam sæua atq; auarissima gente peperit calamitatẽ. Quum Rosc̃ettes appropinquaret, qui superato Bagrada amne in profluentis ripa cum Vlethis filia, epulante exercitu nuptias celebraret, Dorax ante portã urbis, quę ad Bardeos defert hortos, in acie constitit, Muleasse degeneri animo arcis mœnibus se tenente: cum eo erant Solax, & duo fratres reguli cognomine Benaones, cum septem ferè milibus equitum Numidarum, magnaq; Afrorum peditum multitudo, & in quo ab uirtute & disciplina, genereq̃e armorum firmissimum erat præsidium Caradinus Turca, cum delecta cohorte scloperario rum, & septem curulibus tormentis: his accesserat ala prætoriana Christianorum equitum, qui ex reliquijs ueterum expeditionum in Africa remanserant, & ob uirtutem in honore habiti uxores duxerant, & nihil intereunte sobole & disciplina, extra meridianam portam in oppidulo Rebatto, à quo ipsi Rebattini dicti, templa & domos & familias habebant, quum Tunetani reges uetere instituto salutem suam externis, & Christianis tutius quàm Mahomethanis & Pœnis committendam existimarent. Prouolauit ante alios Meschines, proprius Doracis hostis, cum quatuor milibus equitum: hunc Morhabitus cum ampliore agmine continenter est subsecutus: Vlethes ipse postremam ueluti subsidiariam, progressis & pugnam ineuntibus cum Rosc̃ette aciem tenuit. Reltitere aliquandiu regij, Dorace primos impetus fortiter sustinente, sed Morhabiti uim non tulere Benaones & Solax, quum undique perturbati, & cum multa cæde præcipites acti in fugam uerterentur: defuit spacium Caradino ad dirigenda tormenta. nam repentini hostes obliquo alarum flexu non in frontem, sed in transuersos incurrerant, tantusq; eo tumultu excitatus erat puluis, ut in incertum tormenta emitterentur, nec planè dignosci posset, utram in partem prælij fortuna, in eo maximè turbulento &

& cõfuso certamine, uictoriam inclinaret. Constat A ab ea pulueris nube occupandę portæ, & ingrediẽdæ urbis facultatem Meschinianis fuisse ereptam, quum rarescente sensim, desidenteq; puluere, & parefacta regiorum strage, & fuga Rebatini primò equites, & demum Caradinus densata cohorte, sed amissis tormẽtis ad portam se recepissent, atq; eam simul atq; urbem cõglobato præsidio seruauissent. Rosc̃ettes cruentiore quàm pro more gentis potitus uictoria: sed urbe exclusus, quum nemo ex Tunetanis se commoueret, nullusq; omnino uel à timore, uel à seditione, uti futurum putarat, in urbe tumultus oriretur, ad proximam regionem quam Martiam uocant, deflexit: ea est circa magnæ Carthaginis ruinas omnium rerum copia & fertilitate, multisq; puteis & fontibus abundans, & pulcherrimis uillis ac ædificijs frequens. Ibi circiter uiginti moratus dies, quum frustra expectando urbanos motus, nihil proficeret, uel populátibus cuncta Numidis in oculis Tunetanorũ, ut grauiore tandẽ periculo damnoq; eorũ animos aduersus Muleassem concitaret, totum id oliuetum immani crudelitate succendit, quod summa pariter amœnitate atq; ubertate conuestitis collibus, à summa arce Carthaginis ad Tuneti usq; mœnia protenditur. Sed conturbatis ac incensis indignitate tam immanis iniuriæ ciuibus rex aderat, consolando ac adhortando, ut eam calamitatem æquissimis animis ferrent: se enim ea detrimenta singulis præsenti pecunia liberaliter exoluturum, & daturum operam, ut comparatis maioribus auxilijs, Meschinis atq; Morhabiti, & Vlethis prædia ad eorum prædam effusa populatione uastarentur. Nec multo pòst quum Tunetani supra præstitæ fidei sacramẽtum, & portas externo milite custoditas, efferatos iniuria animos à Rosc̃ettis studio penitus auertissent, Numidę dilabi, quod eis post confectum prælium minimè probro datur, B atq; Rosc̃ettem ut longè secederet, seruaretq; se felicioribus consilijs, monere cœperunt. At ipse quũ alij atq; alij suspensum & nutantem in diuersa distraherent, Numidarum perfidiam, & fraternas insidias timens, eò animum inclinauit, non improbante Vlethe socero, ut Algerium ad Barbarussam confugeret, scilicet ut illic ulteriores spes suas ad inuadendum paternum regnum securius atq; nobilius agitaret. Eo modo apud Turcam, iam tum larè subactis finitimis regulis dominantem, aspirantemque ad imperiũ totius Africæ, in cultu propè regio permansit usq; ad id tempus, quo Byzantium, uti diximus, est deuectus. Is Punicarum rerum status erat, quum Hariadenus Pontia profectus, perpetuo cursu ad Bisertã improuisus appulit classem. Bisertani & tædio Muleasis, & sua mobilitate impulsi, audito statim Rosc̃ettis nomine, Turcas oppidò recipiunt, præfectumq; repugnantem oppido expellunt: descenderant enim Hariadeni iussu aliquot Afri familiares comitesq̃e Rosc̃ettis, qui eum adesse, sed prodire non posse nunciabant, fatigatũ scilicet nauſea lacessente, atq; accedente febricula mentientes. Adiacet Biserta piscosi stagni faucib⁹, per quas subiectũ mare statis suis æstibus irrumpit, & infusum aquæ dulci sensim exorbetur & emittitur, efficitq; portum lato alueo, uel magnis nauibus commodũ, ab Vtica triginta ferè passuum milibus distantem, ab antiquis à circumfluente lacu, qui olim Tritonius fuit, Hippodiaritos appellata. Collaudatis Bisertanis Hariadenus, utpote qui consilij sui summã in una maximè celeritate reponebat, classem celeriter eduxit: præteruectusq; Vticam, & Carthaginis promontorium, eius turris atq; munitionis, quam Gulettam nostri uocant, in conspectum se dedit, ita ut eam dispłosis omnibus tormentis, in lætitię atq; amicitiæ signum de more salutaret. Gulettani custodes quũ salutem redderent, amicè & grauiter re sponderunt, se in eius potestate statim futuros, qui A Tunetanæ urbis imperio potiretur. Iam ab excelsa Tuneti arce conspecta classis, & à Biserta totisq; litoribus frequentes nuncij, ingentẽ in urbe tumultum excitarant. Erat enim ciuitas erecta in expectationẽ noui regis, cùm ipsius Rosc̃ettis amore, quòd mite ac liberale ingenium præ se ferret, tum odio Muleasis, quem auarè & crudeliter imperantẽ, aliquot iam annos in luctuosa seruitute pertulissent. Nec ipse adeò famæ suæ erat ignarus, ut alienatos ab se ciuium animos nequaquam intelligeret, nec præsentiret, q̃ parum spei in populi studijs esset reponendum, quum principũ ciuitatis ora atq; oculos intueretur. Erant enim Tunetani uel ob id ei uehemẽter irati, quòd uti Rosc̃ettis bello solenni pronunciatione fuerat pollicitus, nequaquã eorũ inopiam liberalitate subleuasset, qui exustis atq; euastatis oliueris & uillis, dum constanter ei studerẽt, miserabilem clarissimarum rerum iacturam fecissent. Itaq; egressum arce, & in foro concionantem deseruerunt, quũ ea præmia, si pro se arma caperent degeneri uultu pollicereẽ, quæ nec incolumis & uictor præstare posset. Monuere quoq; restitantem adhuc nonnulli, specie amicitiæ, & in his Abdahar (gerebat is tum magistratũ, qui Mesuar appellatur) ut cederet fortunæ, exemploq; profugeret: & tum forte de aduentu Turcarum rumor increbuerat, quæres per se pauidum, & ex merito insidias undiq; timentem, destitutumq; à ciuibus in fugam concitauit, adeò turbata mentis ratione, ut in arce aurũ, & gemmas, & regia ornamenta relinqueret, occultata scilicet secretioribus latebris, ut his demũ hostis potiretur. Primi omnium duo Hilpani abrupta sacramẽti fide à Muleasse ad Hariadenum defecerũt: Abezes ex Granata urbe, is erat in magistratu, qui dicitur Monifetes, & Fetuches Tarraconensis, qui custodiæ arcis erat prępositus. hic Rosc̃ettis uxorem liberosq; eius, qui à Muleasse in custodia seruabantur, statim eduxit, & regio cultu ornatos in solio Muleasis constituit: Mosesq; item & Caradinus, & Agis prædones Turcæ detractis cathenis exoluuntur, ut cum aduentante rege, Hariadenoq; his dono oblatis, eximium sibi gratię locum pararet. Abezes autẽ phaleratum insignem equũ Hariadeno misit, quo in urbẽ adueheretur, itemq; alios trierarchis & ducibus distribuẽdos: hortatusq; est ut maturaret, egregia etenim uoluntate Tunetanos, ut eum susciperent, sese obuiam adapertis portis effusuros. Nec mora, Hariadenus expositis in terrã copijs, conscensoq; equo cum quinq; milibus Turcarũ ad eam portam peruenit, quæ stagno atq; naualibus est cõiuncta: ab ea ad aduersam urbis partẽ, ubi amplissima & edita arx in tumulum exurgit, lata & oblonga regio pertinet, officinis rerum uenalium frequens, & mercatorũ porticu conuentuq; percelebris. At Tunetani quũ Hariadenum per mediam urbẽ ad regiã contendentẽ, magnis gratulationibus excepissent, & in perpetua Turcarum acclamatione nihil præter Solymani, aut ipsius Hariadeni nomen audiretur, cõmoueri uehementer, perturbariq; cœpere, incensis scilicet dolore animis, quòd Rosc̃ettes nusquã compareret, diu frustra oculis requisitus expectatusq;, ut æger tandem lectica aut nauigio ad urbem subueheretur. Auxere tumultũ Rosc̃ettis familiares nequaquam sponte Byzantio aduecti, qui nullo metu cõtineri poterant, quin mœsti oblatis ueteribus amicis summisse dicerent Rosc̃ettẽ frustra expectari, qui Turcarum & Hariadeni fraude in Asia, & in cathenis quidem esset relictus. Eo modo detecta fraude, Tunetani frementes ira circa forum conglobantur: concitatis ducem se præbet Mesuar, quem antea diximus, authoritate, spiritu & eloquentia Pœnorum facilè principem. Is dudum nobilioris gratiæ locum apud nouum regem quærẽs Mu-

Muleassem repentino Turcarum aduentu perturbatum,& ab amicis opem,fidem, fortemque operam implorantem,non modò cõtempserat,uerùm difficultates atque pericula uerbis adaugendo, hostili planè animo egerat,ut ille urbe atque arce protinus excedere properaret. Tum uerò sua spe deceptus, uti erat mobili ardentique ingenio, reuocare Muleassem, & Turcas in arce obsidere atque oppugnare statuebat. Itaque ad populum ad arma consternatum ab altiore porticu conuersus, magna uoce, Nefaria, inquit, fraude decepti sumus fortissimi ciues. Roscettes enim quem pro legitimo rege expectatis, in cathenis Byzantij calamitatẽ suam luget: nos uerò nisi pro libertate extemplò captis armis enitimur, externis prædonib. perpetuò seruiemus. Nec mora, omnes ad arma conclamant, repentino impetu Turcas inuadunt, obuios ac nihil timentes obtruncant: attollitur undique clamor, magno tumultu arma proferuntur, Muleasses reuocatur, qui cum Dorace ad Restabianos hortos substiterat, ciuium ingenijs diffidens, sed tamen retẽtante matre euentum expectans. Erat Tunetanorum ualde ingens, sed incondita multitudo, nequaquam militaribus instructa armis, quæ uix sustineri posset, nisi uecordi impetu potius & præcipiti temeritate, quàm periti ducis imperio & disciplina regeretur. Itaq; concursu undique facto ad arcem contendunt, aduolantq; ad id propugnaculum, quod ascensu facilius esse uidebatur, portamque habebat pertinẽtem ad oppidum suburbanum, Babasuechum ab Tunetanis appellatum. In eo Turcæ uexillum præfixerant, ac inde fortiter ac intrepidè propugnabãt: sed scandentibus Afris, atque omnis generis tela iaculantibus, ardentesque faces concremandis foribus itidẽ ingerentibus, ægrè sustinere, & sese in retractiorem munitioremque locum recipere cœperant, quũ Baëtius Hispanus, quem abiurato religionis cultu Turcæ Ramadam uocabant, tormentum æneum in editiorem arcis speculam, expedito consilio, ingentique celeritate impulsum humeris militum atque eductum, in confertissimos hostes emisit: eo ictu multorum strages edita, & multo maximus cæteris illatus est pauor, quum ab tota etiam muri corona à sagittarijs peterentur, & quod maximè terrebat, sclopetorum glandibus sternerentur. Verùm Dorax cum ala equitum Numidarum, & ipse Muleasses reuersi, prouectique per Babasuechum suburbanum usque ad portam, uel nomine ipso & clamoribus oppugnationem iam bis intermissam atq; redintegratam adiuuabant. In ea rerum asperitate Halis Leuanus, è Malacha Bæticæ urbe, qui ad Mahometis sacra defecerat, uir belli peritus, utpote qui in Nauarri & Piscarij castris in Italia aliquot annis militasset, conuersus ad Hariadenum, Eruptione, inquit, nobis est dimicandum, si arcem defendere, ac omnium salutem recentemq; nominis tui dignitatem tueri egregiè uolumus. Quum Halis sententiam ferè omnes laudarent, & in primis Moses & Agis, uiri fortes, quos custodia eductos fuisse diximus, atque item Haidinus Smyrnæus, cui Caccia diabolo cognomen fuit, inter piratas longè fortissimus, comprobante Hariadeno, & prælij signum dante, duabus portis erumpunt, circumuentos ab diuerso latere trucidant: in signis tribus in locis editur pugna, magna uis inermium Pœnorum interficitur, & ipse Mesuar glande traiectus cadit. Tum uerò ab oppugnatione discedit unaquæq; tribus pulsa loco in suam regionem. Instante demũ prementeque Turca milite, in plateis & compitis cruento maximè prælio aliquot horis est decertatum. Ad extremũ Tunetani superati, atque intra domos cõpulsi, quum non pro rege, sed pro uxoribus & liberis certaretur: inde Halis recepit suos, cęde, æstu, siti, & multo labore defatigatos. Ferunt ea die supra

A tria milia Tunetanorũ desiderata, uulnerata uerò ad triplum. In eo successu Muleasses desperatis rebus ingenti cursu se proripuit, comitante protegenteq; Doracis equitatu. nam persequentibus Turcis, quũ in tumultuosissima fuga ægrè sese inter hortorum macerias explicasset, parum abfuit quin in potestatem hostium deueniret. Dorax superato Bagrada amne, in pacata loca suæ ditionis eum perduxit, nõ longè à Constantina urbe, aluitque eum liberaliter, & summa fide protexit, usque ad Cæsaris aduentũ. Constantina, ut literæ saxis ad mœnia incisæ manifestò indicant, Cyrtha Numidiæ regia olim fuit, distatque à proximo maris litore, ubi nunc tenue oppidum stationem habet, nomine Collum, Collonia Cullu antiquitus appellatum. Cęterùm ea nox, quę prælium & regis fugam secuta est, Tunetanis pariter & Turcis insomnis fuit. Nam Pœni qui satis improsperè uirium suarum periculum fecissent, cæso Mesuare, pacem quàm bellum malebant: pręsertim quum rex ipse pro cuius imperio ac dignitate certabatur, opibus atq; animo fractus in solitudines effugisset, & id quoque Hariadenus impetrare cupiebat. Itaque impetratis inducijs Hariadenus, solenni sacramento dat pacem & accipit, alloquitur urbis primores, ostendit eo consilio se uenisse, ut ciuitatem sæuissima Muleassis tyrannide liberaret, liberatamq; quantis maximè posset beneficijs atque muneribus augeret simul ac ornaret: qua benignitate Tunetanos sub longè maximi atq; optimi principis tutela, breui sperandum foret diuites atq; beatos ex egentissimis atq; miserrimis euasuros. Proinde id se unum ab ipsis postulare, ut Solymano & sibi eius præfecto fidem seruent, & in ea libertate conquiescant, quam multo suo labore & sumptu, deorumque præsertim immortalium beneficio potius quàm ipsorum merito susceperint. Quòd si ali-
B quando futurum esset, ut ipsius ac Turcarum imperij & amicitiæ Tunetanos pœniteret, & Roscettem omnino desiderarent, se minimè dubitare, quin Solymanus regna uel Christianis dono dare solitus, si per legatos id peterent, eum in Africam concesso regno & regalibus donis adauctum, esset transmissurus: sed etiam atque etiam cauerent, ne eo consilio exitialis belli potius quàm tranquillæ pacis materiam quærere uiderentur. Ad ea Abilchirinus, qui postea Mesuar est effectus, respondit non debere eũ Tunetanis succensere, si uti ab omni annalium memoria regibus antiqua stirpe editis assueti, eo eiecto qui tyrannidem per decem annos exercuerit, alterum qui æquitatis atque iustitiæ fama floreret, sibi regem exoptarint, præsertim quum is ab ipso classe aduectus & penè dono datus esse crederetur. Non mirum idcirco fuisse, si in contumeliæ nomen commutata beneficij fama, ipsi uti fraude, aut certè opinione decepti, adeò insanire sint uisi, ut uinci armis quàm dolo subigi maluerint: quando ipsis atq; Muleassi multo satius fuisset occlusisse urbis portas, quum externa classis Africæ litoribus appulisset, quàm incertis omnino rumoribus incautè credidisse. Proinde Tunetanos tanquam fortunæ iudicio in deditionẽ acceptos, optimo iure paratos esse iurare in uerba Solymani: atque eo quidem æquiore animo, quòd pro egenti & in suis miserijs iniqua sorte iactato, longè amplissimum & felicissimum terrarum orbis regem, nequaquam uoto, sed præter spem arridente fortuna, quòd Punico nomini bene uerteret, essent consecuti. Compositis Tunetanis rebus, & creatis magistratibus, Hariadenus ante omnia operam dedit, ut Numidarum principes sibi fœdere ac beneuolentia iungerentur: quod ubi largitione atq; muneribus apud homines egenos, & ad ineundam dissoluendamque amicitiam ab uenali ingenio procliues, celeriter est consecutus, Asanagam eunuchum, genere Sardum, cui maximè fidebat,

debat, atq; item Halim Leuanum, cum Ianizeris & tormentis aliquot curulibus ad recipiendas Africæ urbes misit. Paucisq; diebus, nullo labore aperientibus cunctis portas, mediterraneæ pariter atq; maritimę urbes deditionem fecere: una omnium urbs Caruenna, quum se uetusta sacrorũ religione, & sacerdotum domicilio immunem ac liberã existimaret, aliquandiu restitit: sed uicta excidij metu Turcarum, armis facilè cedens præsidiũ accepit. Inde Hariadenus regiam nouis ędificijs exornare simulatq; munire orsus, septum in Cauedio, in quo Turcarũ more pro tribunali ius diceret, instituit: conatusq; est multis seruilibus operis, aperire nouas fauces, ac immittere per eas id mare, quod à promõtorio Carthaginis lunato flexu ad stagni munitiones extenditur. In eo litore geminæ sunt turres, ab aquæ salisq; nomine à nostris appellatæ, ubi olim ille insignis Carthaginẽsium portus uisebatur. Id opus ea ratione Hariadenus efficere contendebat, ut tuto, peramploq; & maximè expedito portu uteretũ. nam uadosæ admodum erant angustiæ, quibus Guletana turris ab ortu aduersæ continenti ligneo ponte cõmittitur, ita ut triremes ęgrè humeris seruorum, & tractorijs machinis in stagnum impellantur & educantur. Ab his faucibus Pœni leuibus tantũ nauiculis, propter humilia uada, ad urbem Tunetum adnauigant: uideturq; id stagnum centum ferè stadiorum diametro in orbẽ ueluti circino circũductum, & id multo cœno multaque uligine passim uadosum. Cæterùm id opus Aquilones facilè disturbarunt, inuecta scilicet aggestaq; continuis æstibus ac fluctibus arena: adeò, ut quum priscarum molium fundamenta reperissent, Hariadenus, ne ueteris portus quanquam parum commodi iactura fieret, suadentibus piratis incœpto absisteret, quum stagnum exiguo tempore expleri penitus atq; obstrui posse uideretur. His rebus quę in Africa gesta sunt explicatis, ad Persas (uti promisimus) ex ordine temporum reuertemur. Sophus Hysmaël, qui apud Persas ab admirabili rerum gestarum felicitate Magni cognomen promeruit, quum immaturo prorsus, nondum quatuor & quadraginta natus annos fato concessisset, quatuor reliquit filios, ex unica legitimaq; uxore susceptos. Eorum natu maximus totius imperij hæres extitit, nomine Tammas, ea cõditione, ut reliquis fratribus regnorum præfecturas impartiretur. Hi fuerunt Helcas, Becramus, & Somirza: qui sortiti eas inter se, uti ex testamẽto patris adscribebatur, in prouincias suas concesserunt. Assyria, urbsq; ipsa Bagada, quæ Babylon Semiramis fuit, Helcasi cum Mesopotamia cessit: Becramo Media, Hiberis, & Albanis Caspioq; mari finitima: Somirzæ Parthia obuenit, uicina Hircanis, qui Coraxeni hodie sunt, & ad Zagataios pertinent, qui fuere antiquitus Arij, Aracosij & Margiani. Hi sunt Sogdianæ, Bactrianæque regionum populi. Ipse Armenia, Perside, & prouincijs Oceano Indico proximis cõtentus, idem quod pater Hysmaël odium aduersus Ottomannos induerat: & tum ægerrimè ferebat Selymum, qui penetrasset in Armeniã, & Calderanis in campis iusta acie uictor apparuisset, quanquã nõ omnino inultum, Persarum inuictam antea uim, sagittasq; ipsas, & acinaces euasisse. Persico siquidem imperio subiectæ gentes, quæ hodie uno nomine Agiamij uocantur, usq; adeò turgẽtibus dolore animis eius Selymianæ irruptionis detrimenta sustinebant, ut aduersę eius pugnæ memoriam renouato bello, rediuiuaq; uirtute abolendam esse decernerẽt: quòd antiquum Arsacidarũ decus illustre semper antea, uno eo accepto incommodo obtritum, planeq; obscuratum arbitrarẽtur. Is animorum habitus apud Persas uiros militares, facilè iuuenem regem, & per se paternos gerentem spiritus, magnopere excitabant, ut Solymanum sibi hostem destina-

A ret, optaretq; nobilissimum bellum, quo ipsius uirtus, uindicatis paternis iniurijs enitescere posset. Sed Tammasum nonum iam regnantẽ annum, nulla alia exercuerant arma quàm Hircanorum, Zagataiarumq; gentium quas diximus: nam penes hos ex professo diuersæ factionis, & uti inter finitimos, bellicososq; facilè accidit, apud quos armorum causæ nunquam desunt, semina simultatum relicta ab Hysmaële adhuc uigebant, uel hoc uno cognomento, quòd hæ gentes Bacepas à uiridi capitum integumento uocarentur, sicuti Persæ ab initio ciuilis discordiæ, propter nouæ superstitionis causam, Guselbasæ, hoc est, rubra capita, appellari consuessent. Verùm his bellis ex multa fatigatione uiriũ utrinq; enatæ induciæ finem attulerãt, sic ut pacis compos Tammas, regnorum suorũ tranquillitate frueretur, nec tamen à finibus usquam Persæ, Gordiq; præsertim populi, latrocinijs abstinerent, & aliquando insolentius prouecti, superato Euphrate è Mesopotamia in Comagenem irrumperent, uti antea Sulthanorum temporibus audere cõsueuissent. Cæterùm Selymi præsides, qui Syriacis rebus præerãt, sępius sibi inferri iniurias frustra questi, quum & ipsi tanquam uiolatis ab hoste inducijs, arma expedirent, transuectiq; nõnunquam Euphratem circa Byrthã incursiones in Mesopotamiam repentinas facerẽt, sensim præludentes graui inchoando bello initia præbebant. Quibus rebus nunciatis Solymanus uehemenrer excitabatur, uiriumq; suarum cõscius, & paternæ felicitatis memor, elato animo Persicum agitabat bellum, indignabaturq; se à Christianis regnis quibus inhiaret, importunè reuocari, quando Christiana arma lacessenti, fortiterq; audenti nunquam fortuna defuisset. Pari nanq; odio in nostros, & Persas infensus, utrobiq; religionis causas expendebat. nam sicuti Christianos continentibus armis
B persequi maximè piũ rebatur, ita si Hysmaëlis progeniem, quæ nouæ sectæ, peruersæq; opinionis circa sacras leges authoritatẽ tueretur, excindere atq; delere honestissimum iudicabat. Eum itaque pari studio diuersissima bella meditãtem, Habraymus, qui incomparabili adeoque summa pollebat gratia inter purpuratos principes, frequentibus alloquijs impellebat, ut in Orientem arma conuerteret. Sed quoniam præpotentis, & iniusto immensæ gratiæ sub põdere perituri hominis fœdum exitum posteris tradere iuuat, Habraymi conditiones & mores, paucioribus quàm potero uerbis attingam. Is ignobili pago supra Pergam uicum Buthrociæ regionis in Epiro natus, more Turcarum pręsidum, Christiani nominis puerorum delectus habentium abductus, Scanderbassę à prima pueritia seruiuit. Hic ille est qui truculenta superatis Natisone, Liquẽtia, Soncioq;, & Tiliauento altissimis fluminibus, per Euganeos fines in conspectum usq; Venetiarũ excurrit, tum fortè quũ Venetus senatus, indignante Baiazete cum Gallis ad excidiũ Sfortiani imperij coniurasset. Apud hunc Scãderbassam Habraymus Mahometanis initiatus sacris, stupenda celeritate, uti erat arguto ingenio, Arabicè legere, scribereque, & cithara scitissimè personare didicit: & quod ad muliebres illecebras pertinebat, ingenio mirus, facetissimoq; sermone periucundus, ita in gynęceo gratiã famamq; promeruit, ut productus ab uxore ad uirũ Scãderbassam, uiri militaris naturaq; seueri animũ, in omni munere tenerioris officij peracutus & dicax, semperq; elegans oblectaret, ideoq; Solymano Selymi imperatoris filio tanquam festiuissimi moris seruus dono mitteret, uiuo adhuc Baiazete auo, atque eo etiam iucundas garruli pueri præcoces delicias admittente, sicut cum Solymano ætate sibi æquali educaretur, & ad heri genium cunctis numeris elegantiæ responderet. Per hunc modum unicè adamatus adoleuit, tantisq; arridentis fortunę suf-

fragijs usus,usq; adeò enituit,ut eum cunctos aulæ gratia præteruectum,inter purpuratos legeret, eiq; defuncti Scanderbassæ filiam opulentissimæ hæreditatis,in matrimonio collocaret,Memphiticaq; demum præfectura ornaret atq; ditaret. Exinde Habraymus Hungarico bello totius Europei equitatus magister,Belarbecci nomen obtinuit,& singulari prudentia uirtuteq; militiæ munia implens, Vesiris inter purpuratos dignitate,qua nulla maior dari potest, adeprus est:quum Solymanus honoribus adaucto,ei quoq; regij scrinij sigillum tribuisset, & non modò consilij arcani particeps esset, sed voluptatũ horarumq; omnium comes aulam circũageret, & toto summæ authoritatis honore potiretur, ac in immensum crescentis potentię nomine, à cunctis aulæ ordinibus usq; adeò eminenter coleretur, ut nemo iam esset,qui ei parendũ esse non duceret, postquã eum tanquam cõsortem imperij uel graui cum inuidia domi & foris amplissimi quiq; suspicerent. Hac itaq; præclara gratia dignitateq; ualidus, quam ei peregregiæ uirtutes animi, & cunctarum aulæ artium officia paratis semper in omnes obsequijs adstruxerant, Solymanum secretis alloquijs hortabatur,ut postquam Pannonia esset potitus,victoriæ suæ modum imponeret, quando Germanię gentes, quæ omnibus seculis armorum gloria floruissent,minimè lacessendę uiderẽtur. His frequentibus alloquijs in ocio pariter atq; negocio excitatus Solymanus uehementer impellebatur,ut ab Europa in Asiam uertenda arma decerneret, ob idque Habraymus in arcano uoti compos magnopere lętaretur. Is nanq; iusti & æqui natura tenax, quũ uel Arabicis imburus literis nũquam ex intimis animi sensib. à Christiana professione discessisset, tactus non dubia religione Deo Christo uota faciebat, ipsam Mahometis disciplinam usque ad affectationem palam ostentãs, scilicet ut impotens tyrannus B tãtis subnixus opibus, à Christianorum principum odio commutata uoluntate in Persas uerteretur. Quod præclarè agnosci poterat ex perpetuo atque mirifico in mercatores Christianos patrocinio fauo req;, quo multa lucra atq; emolumenta ex uectigalibus,uel inuitis & indignantibus Turcis parabãtur. Propterea compositè egerat cum Solymano,ut cõcessis decem annorũ inducijs, Christiani nominis principes omni suspicione Turcici belli, si Corone esset reddita, liberaret. Sed res ita cecidit,ut priusquam hęc Byzantij à Ferdinando offerri & transigi possent, Hispani præsidiarij, ducis Macicai clade exterriti,ut antè diximus,Corone excedere cogerent. Cęterũ Habraymus Mulearabẽ Damascenũ sacrarũ literarũ,abditissimarũq; artiũ & magicę etiã diuinationis opinione Byzãtij clarũ,in Solymani amicitiã insinuarat, ut per eum tanquam uatem speratæ uictoriæ, Solymanus magis & magis accenderetur, frustra eum contrarijs obtestationibus dehortante matre,quę bella orientis infausta Ottomannis esse prædicabat, quandoquidem Persæ suo more refugientes, absumptas incendijs regiones frustra pugnam poscentibus relinquere, atq; hostem acie cõgredi paratũ intentissima fuga eludere cõsuessent, ut Turcę qui manu superari nequeãt, difficultate rerum omnium,atq; inedia,sicuti Selymo patri uel acie uictori penè acciderit,cõficiantur. Maternis quoque consilijs Roxolana uxor teneriores preces addiderat. Ambę siquidẽ multis nominibus Habraymi potentiam perosę,uel ob id quòd imperatorem longius abducẽdo,ab ipsarum complexibus diuellere contenderet,eum sæpius Pseudoturcam, & ex animo Christianum per contumeliam appellabãt. Sed hæc muliebria impedimenta facilè reijciebat Solymanus, non obscura cupiditate maximi trium phi incensus, & præ insita magnis regibus uanitate in appetenda gloria uaticinatione Mulearabis faci- A lè inflatus: quã in re persuadenda, mirus & efficax magister extiterat Vlamanes Persa,qui à Tammaso ad dicendã causam citatus, quòd eius milites apud Taurisium auarè seditioseq; egissent, metu pœnæ ad Solymanum paucis antè annis transfugisset. Hunc enim uirtute bellica illustrem, atq; inimicorũ æmulatione & inuidia circumuentũ,Habraymus fouendum,attollẽdumq; susceperat, sic ut Vlamanes Persico bello se fortem fidelemq; operam præstiturum profiteretur. Itaq; Solymanus bona spe perpetuæ felicitatis confirmato animo Habraymi consilia cõplectitur, utrumq; militiæ magistrum admonet,ut Sagiachos excitis atq; instructis omnibus ipsorum copijs ad signa uocent, Europeiq; omnes in Asiam traijciant,& ad Niceam inter se coniungantur. Lustibeium autem cum parte copiarum in Peloponneso Coronem obsidere iubet, & ab se Aloysium Gritum in Pannoniam dimittit, ut ibi in procuratione regni Ioanni regi adsistat, derq; operam ut rex in officio permaneat, Hungariq; proceres in fide contineantur,& quantum fieri possit in Germaniæ finibus pacem tueatur. Ipse ex suæ superstitionis consuetudine uotis pro uictoria nuncupatis,in templo ritè seipsum lustrat, & Vlamane Persa itineris duce usus,in Lycaoniam ad Iconium, quod hodie nomẽ retinet,progreditur. Nõ enim eò quo ierat Selymus pater, in Persas eundum censebat, quũ ille sinistrorsum per Ancyram, Sebastam, & Amasiam,per Trapezũtios fines superato ad Arsengam Euphrate in Armeniam penetrarit, quoniam id iter multo longius, & asperius putabatur, quã id quod ab Iconio per Cæsaream ad Malathiam,ubi Euphratis per Antitauri ualles erumpentis celebris est traiectus, quã urbem antiquitus Amaltham fuisse,ut ex dimensione Ptolomæi constat,conijcimus. Hinc Mesopotamiæ Persarum ditionis fines sese aperiunt,quos Solymanus sine maleficio præteruectus,pabulo, & uenali commeatu, qui passim ab infirmis incolis præbebatur,contentus,quartis, & quinquagesimis castris, ex quo è Nicea Bithiniæ discesserat Coim peruenit(quod oppidum in Armenia maiore in ruinis Artaxatæ clarissimæ quondam urbis,conditũ fuisse alibi diximus) tanta Turcarũ admiratione,quòd nulla paulo ualidior Persarũ manus occurrisset, ut Solymanus ueritus insidias subsistere,castraq; munire cogeretur, quum nondum fidelibus nuncijs ubinam Tammas esset,& quid pararet, pro certo diciisset. Sed Vlamane cum Alcanzarum equitatu præeunte, & ex notitia locorum diligentius consilia hostium explorante,reperiebat eam esse Tammasimentem;ut nullo in loco diu consistere,uerùm urbes deserere,& sese in montes subducere cogitaret, nulloq; modo iusta acie confligendum arbitraretur, ratus expectanda Hiberorum & Albanorum auxilia, qui leuis armaturæ operam præstare,& cataphractos Persas antecedere consuessent,ut ex occasione Turcas tãti itineris cursu fatigatos,& commeatibus indigentes,ac uti accidit,sub alieno cœlo aduersa ualetudine tentatos adoriretur. His rebus exploratis Solymanus castra mouit, rectà profectus in eam regionem,in qua Tammas copias cogere ferebatur, & quum eum deserta urbe regia Tauri sio ulteriorem montibus suppositam regionem petiuisse perspiceret, ita Taurisiũ nudatum mœnibus intrauit, ut continuò ostentatis tantum copijs, nihilq; uexatis incolis egrederetur,& ad urbem Sultaniam non multum inde distantem cõtenderet. Diximus alibi Sultaniam Persarum olim regiam,quæ adhuc uetustæ suæ dignitatis templorum ornamẽta retinet,à Tamerlane Scytharum duce clarissimo fuisse deuastatam: quum ad eam urbem per multos dies regionis ubertate fretus,Solymanus statiua haberet castra, expectabundus ut Tammas è montibus descenderet, atque in aciem prodiret, ut direpræ

ptæ prouinciæ iniurias uindicaret, & nominis sui A ducia Solymano confirmabat,si rectà Babyloniam famã nihil reformidato hoste tueretur. Eam regionem quam Solymanus nõ procul ab urbe Sultania amplissimis occupabat castris, altissimi præcingũt montes, quorum iuga perpetuis obsessa niuibus, è longinquo etiam spectantur. Hi mõtes antiquitus fuere Niphates, Caspius, Caotras & Zagrus, orti proculdubio ab ipso patre mõtium Caucaso. Cum in ea loca campis utiq; ad edẽdam nobilem pugnã aptissimis, Tammas descensurus putaretur(is nanque in Coraxenos penitus abscesserat) turbidior & sęuior tempestas quàm unquã antè per id anni tempus Persæ meminissent, ex illis montibus descẽdit, usque adeò inusitata,quòd esset paulo ante equino ctium æstiuum, ut plenissimis imbribus, atque his cõcreta ex niuibus glacie,repentina hyems inuecta uideretur. Nam certantiũ inter se uentorum ea fuit rabies,ut transuersis flatibus, niuosa montium culmina uerrerentur, prælataq; nix subiectis campis incideret,qua horribili procella,Turcarũ castra euersis tabernaculis sternerentur,iumentaq; & ante alia magnus camelorum numerus interiret,& ingens lixarum, & ægrorum militum multitudo oppressa, protinus extingueretur:non paruo etiam ipsius imperatoris periculo, quum circa eum pleraq; tentoria, eadem procella disijciente, concidissent. Cuius mali remedia intempestę noctis tenebræ, & extincti passim ignes,præpediebant, ut Turcę eo aduersissimo omine magnopere terrerentur, donec orta luce, sol utiq; præclarus, saluraribus radijs multos propè regentes & attonitos refouit, & quod ad reliquam uitæ securitatẽ opportunè pertinebat,campos hoste uacuos derexit. Nã supra totũ usqueadèo tantæ procellæ detrimentum, improuisi hostis aduentus,& incursus maximè timebatur:nec deerant qui affirmarent eum intempestiuæ uehementissimæq; procellæ turbinem, à Persarum hostium magis diro carmine,& notis gentis cãtaminibus cœlo euocatam ad Turcarum exitium. Quo graui incommodo, & quod maximè efficax uideri poterat, non leui ostento permotus Solymanus, recreato tantisper exercitu, & collectis uasis, castra sinistrorsum mouit,capto itinere in Assyriam,multis de causis id suadente Vlamane,qui Solymano non dubiã spem occupandæ Babyloniæ iniecerat. Eam urbem cum totius prouinciæ præfectura tribuerat Tãmas, post Becrami fratris mortem,Mahometi satrapæ,cui Cani cognomẽ fuit. Hunc Vlamanes uetustæ amicitię nomine sępius antea solicitarat,magnis oblatis muneribus,ut ad Solymanum deficeret:id enim si faceret,ipsum pro annui, & circumscripti honoris præfectura perpetui atq; opulenti dominatus, satrapiã esse cõsequuturum à Solymano, qui neq; rationem à præfectis exigere, neq; eos uel mediocriter ditatos expilare consuesset, contraria ratione ac Persarum reges, qui nobilissimis prouincialibus perpetua non obscuræ seueritatis officia, tenuissimo stipendij munere obiecto,imponere essent soliti. Sed Mahometes his Vlamanis muneribus atq; promissis incorruptus, nunquam adduci potuit ut fidem falleret, sicut Vlamanes hominem obstinatum admotis armis terrendum,& ad defectionem cogendum arbitraretur, quoniam eum nequaquã firmis militum præsidijs munitum esse didicerat:propterea quòd paulo antè, ad primos rumores traijciẽtis in Asiam Solymani,magnam partem sui equitatus, & defloratis quidem omnibus reliquis alis,ad regẽ id postulantẽ mississet,neq; eum egregia Babyloniorum uoluntate uti constaret: propterea quòd nonnullos ciues, quorum nomina non omnino certis criminum indicijs delata fuerant, seuerius in quæstionibus distortos præcipitiq; demũ iudicio damnatos, ut bona in fiscum redigeret,ultimis affecisset supplicijs. Ob eas res Vlamanes maiore animi fi- B

do recedentem, & aliquot dierum itinere prouectũ Vlamanes fruſtra perſequutus, & per captiuos inco las exploratis Tammaſi conſilijs, uti iuſſus erat, ad Solymanũ redijt, ſuaſitq; ei, ut Tauriſium deflecteret, & confeſsione hoſtis retro per aſperos montes fuga elabentis ſeſe uictorem oſtenderet, ex uſuq; uictoriæ eius regia potiretur. Itaq; Solymanus indignante animo, Tauriſium quod nullo præcinctum eſſet muro, hoſtili irruptione inuectus eſt, miſeros incolas magnis affecit detrimentis, quanquam iner mes eſſent, ideoq; uictoris imperiũ ſe paratos ſubire demiſſe profiterentur. Ante omnia autẽ Solymanus Vſſumcaſſanis atq; Hyſmaëlis ornamẽta ex regia, quã antea Selymus properãter deformarat, tolli iuſsit, ſic, ut nec picturis quidẽ, & auratis laqueari bus parceretur, & integras quaſdã familias telæ ſericæ opificijs celebres, abducẽdas iuberet, magnũq; ſeruorũ numerũ, & delectæ iuuẽturis gratis & formæ, omnisq; ſexus, diſceſſurus comprehendi & ab duci ſineret: atq; hac illuſtri occupatæ atq; direptæ Perſarũ regię, ad nominis famam laude contentus, circa æquinoctiũ motis caſtris in Meſopotamiã eſt reuerſus: uixq; Coim, & Calderanos cãpos paterna uictoria claros præterierat, quum inexpectata Perſarum agmina abeũtes hoſtes in tergo laceſſere, im pedimenta diripere, fatigatos & ægros trucidare, nunciatũ eſt. Crebri quoq; rumores totis caſtris per manarant, ipſum Tammaſum auxiliaribus confirmatum copijs breui affore, qui ijſdẽ ueſtigijs Arme niæ prouincia decedẽtes hoſtes perſequereꝛ. Quod à Turcis ideo facilè credi poterat, quòd iam ex opportunis uallibus frequentes Hiberorũ alę, prędandi atq; inſidiandi cauſa ab certis locorũ & temporũ interuallis ſeſe oſtentarent, notisq; euadentes ſalti bus, tanquã confiſi impeditis regionibus, audacter pugnaturi uiderẽtur. Qua hoſtiũ audacia permotus Solymanus, eo ordine profectioni intentus, ſingula agmina expeditis præſidijs confirmanda ſtatuebat, ut è duobus Ægypti Syriæq; præfectis, quos Baſſas honoris cauſa uocabãt, alterum in nouiſsimo agmi ne cõſtitueret, alterum uerò ad ipſa medij agminis latera, partitis utrinq; copijs applicaret: Vlamanes porrò, uti locorũ & hoſtium peritus, ſicuti eorũ incurſus depoſceret, prouidendo atq; adhortãdo om nibus in locis uerſaretur. Ad hanc præſtandam ope ram, quũ amplius quadraginta equitũ milia eſſent conſtituta, circiter duo etiam milia ſclopetariorum ex numero prętorianorũ, qui uniuerſos incedentiũ agminum ordines corona quadã circumſeptos tue rentur, erant inſtituta: qui maioris etiã præſidij cauſa curules paruos aliquot falcones cõuehebant, ut è longinquo in perſultantes & prouectos hoſtes di ſploderentur. Quibus præſidijs aprè conſtitutis, facilè fiebat, ut Perſæ minus audacter erumperent, rarius ſe darent in conſpectũ, & remiſsiorem quàm antea impetum facerent. Per hunc modum triparti to exercitu rectà ire pergens Solymanus, nuſquam conſpecto hoſte, ita iter intendit, ut emenſis campo rum ſpacijs, cum primo agmine antecederet, & nõdum exacto autumno, Amidæ conſiſtere, atq; ibi re liqua ſuorũ agmina operiri ſtatueret. Amidam hodie frequentiſsimã Meſopotamiæ urbem Caramidam incolæ uocant, hoc eſt cognomento Nigram: quòd pingui & ſubatro ſolo, ad fertilitatem ſegetis aptiſsimo, arua nigerrima paſsim oſtendat. Interea Tammas iuſtis comparatis copijs è Coraxenorum montibus erumpens, Tauriſium repetit, ratus hoſtẽ Turcã urbanis delicijs hęrentẽ, repentina irruptione oppreſſum iri. Sed eo elapſo, & inſpectis eius ciuitatis incommodis, ad iniuriam deformatæ regiæ uehementer indignatus, ſtatuit eum omnino quocunq; iret perſequendũ, & ad Coim uſq; progreſſus eſt. Ibi uerò mutauit conſilium, quòd multo ſpacio Solymanus anteceſsiſſe nunciaretur, & nobilitas omnibus grauibus protecta armis, niſi certo cum equorum detrimento fugientes perſequi nõ poſſe confirmaret: & ſe in uſum conſerendæ tantum pugnæ, non ad longinquos curſus, inſtitutos & paratos eſſe dicerent: Tammasq; ipſe, remiſſa utiq; iracundia, ad diſciplinæ rationem reuerſus, idem fateretur. Tum uerò pollicente præcipuo atq; fortiſsimo ſatraparum Delimenthe, ſe nouiſsimum agmẽ adepturum, ſi ſibi expeditorum & delectorũ ab ſe equitum tertia pars tribueretur, præferocem reſum pſit animum. Erat Delimẽthes è Caramania oriundus, qui inter pugnaciſsimos tantam uirium & ani mi magnitudinem in prælijs oſtendere erat ſolitus, ut nõ temerè inſanus ab inuſitata temeritate Delis uocaretur: quod nomẽ hodie apud Turcas ſtrenuiſ ſimis, & uitæ contẽptoribus imponitur. Ab ea polli citatione Tammas Delimẽthem multa cum laude commendatũ, oneratumq; ampliſsimis promiſsis, bene auſpicato demiſit: tenuitq; ille cõfeſtim nota indigenis uiarum compendia, ea feſtinandi celerita te adhibita, ut hoſtes poſtremi agminis non magno itineris antecedentes ſpacio, apud Tauri montis ra dices (uti euenit) ad Bethlim ſe aſſequuturum confideret. Bethlis oppidum eſt ſatis clarum in finibus Perſici imperij, quibus Meſopotamiã attingit, poſitum in ualle non iniucũda, quam exiguus amnis ex Antitauri iugis delapſus alluit, habetq; arcem Perſa rum præſidio cuſtoditã. Ad id duo, quos diximus, Turcarum præfecti cum poſtremo agmine ductãre Vlamane peruenerant, ratiq; cuncta ſe euaſiſſe peri cula, quę paulo antè à ui crebrisq; hoſtium incurſio nibus timuiſſent, idoneo in loco conſederãt, recreã dis iam tãdem copijs, poſtquam Solymanum, atq; item ſecundum agmen Amidã perueniſſe fama con ſtaret, neq; ideo inſequuturos Perſas ſuſpicarentur. At Delimenthes fidelibus & diligentiſsimis incola rum exploratoribus uſus, quum nõ plus unius diei itinere ab hoſtibus abeſſet, certior factus Turcas ad Bethlim feſſos itinere, timoreq; omni uacuos, nulla propè cura uigiliarum & ſtationum ſeptos conſide re: deligit obſcuriſsimam noctem, multaque etiam pluuia impeditam, & hoſtes adoriri conſtituit, certiorem facit cuſtodẽ Bethlinę arcis de cõſilio quod agitabat, ut & ille ſigno accepto ab arce deſcendẽs, diuerſum in hoſtium caſtra impetum faceret. Tanta autem fuit atq; adeò felix temeritas Delimenthis, ut ipſo ingruente, conſopiti & nihil tale timentes Turcæ undiq; opprimerentur, ingensq; eorum cædes fieret, & ipſis penè Baſsis ad inſternendos & cõ ſcendendos equos ſpacium eriperetur, nec in tenebris ſummiq; periculi tumultu prætoriani pedites, ſclopetos expedirent, & curulia tormenta caperen tur. Perſis autem ſeſe aggregarãt montani agreſtes, qui ſuperioribus temporibus Aladolo regi paruerant, eoq; debellato, ſumma à uictoribus Turcis for tunarum detrimenta acceperant. His caſtrenſis apparatus omnis, & ſarcinæ camelorum in prędã ceſſerunt. Delimenthe uerò uſq; quaq; cõcidente Turcas, aliquot Sangiachi reſiſtere auſi obtruncati ſunt, nonnulli deditionẽ fecerunt, & prętoriani iam Baſſis ambobus cũ Vlamane è media clade elapſis, circiter octingenti, cohortante eos Delimenthe, ut ſe ſub fide dederẽt, exuti ſclopetis & reliquis armis in poteſtatem conceſſerunt. Ferunt nuſquam Turcis maius incommodum, uel cruentiſsima acie fuiſſe illatum: quandoquidem amiſsis tormentis atq; tentoriijs, omnibusq; ſpoliatis caſtrenſibus uaſis & impedimentis, ſupra dimidiam partem equorum amiſerint. Incidit ea clades Turcis ad tertiũ Idus Octobris, qui dies ingenti Perſarum omnium lætitia poſtea celebratus eſt, quum Delimẽthes onuſtus ſpolijs, & cruentã clauam, qua ea nocte mactandis hoſtibus plurimum uſus fuerat, elata dextra oſtentãs, ad Tammaſum rediſſet. Ea uerò clades tanquam è naufragio

naufragio euadẽtibus præfectis Solymano renun ciata, uſq; adeò eius animum concuſsit, ut omnem renouandi contra Perſas belli cogitationem abijce ret: quòd id acerbiſsimũ uulnus, ſicuti prædixerat mater ipſo Mulearabe certior uates, nequaquã uirtute hoſtium, ſed dolis, ueluti ſuperis eorũ inſidijs non obſcurè fauentibus, inflictum accepiſſet, atque obiter profundè & diſsimulãter iratus Habraymo Byzantium redeundũ eſſe decerneret. Redeunti Solymano ad Iconium, obuij fuerunt Hariadenus Barbaruſſa, & Sinas cognomẽto Iudæus, qui nuper ab Algerio cum reliqua quæ ſupererat claſſe Byzantiũ peruẽerant, terreſtrẽq; iter ſuſceperãt, ut de parta Meſopotamia Aſſyriaq; imperatori coram gratularẽtur, & ut (quòd eorum exiſtimationis intererat) quo euentu tantã Chriſtiani belli molem, & ipſius Caroli præſentis impetum ſuſtinere conati, ex ſum ma rerum iniquitate elapſi fuiſſent, certius enarrarent, facilè demonſtrantes, neq; Turcis uirtutem, ne que ſibi ducibus induſtriã, ſed unam omnino, quæ humanis conſilijs bellicisq; præſertim impotenter dominaretur, fortunã defuiſſe. Clementi uultu eos accepit Solymanus, atq; ita ad pedes proiectos eꝛexit, ut teſtaretur aliquanto eſſe præclarius ab infracti animi conſtantia, quàm à felici uictoriæ ſucceſſu laudem tuliſſe, quòd innatæ fortitudinis, inuictiq; animi munus peculiaris ipſorum uirtutis ſpecimẽ extitiſſet: nec multum referre, ſi uel bene conſulta uti multis ſubiecta caſibus fortuna præuertiſſet. Pro inde eodem animo quo tuliſſent aduerſa, eiuſdem fortunę indignationes expectarent: ipſum enim in nixum potentia felicitateq; perpetua ſuarum actionum maturè daturum operam, ut ſarciendi incommodi, ſpectataq; iam ipſorum uirtutis latius extendendæ locus daretur. Applicantem uerò confectis itineribus ad Boſphorum, ut Byzantium traijceret, Habraymus qui anteceſſerat, litus ei honoris cauſa triũphali ſerico ſtrauit, atq; ita bireme peculiariter adornata; ſublatus in oppoſitos ſeptæ regię hortos ſe intulit. Tum uerò multis de cauſis in Habraymũ atrox inuidia ſenſim erupit, immodicæ eius potentię fæda comes, ſicut in arcano apud principem tota eius gratia conuelleretur, ingenti conſpiratione multorum procerum, qui uel æqualem, uel inferiorem rebus omnibus, unum ante omnes gratia emineritem ferre non poterant. Ea fatalis odij ſemina à fœminis, matre ſcilicet atq; uxore iacta fuiſſe conſtat, quę imperatorem ad nutus Habraymi circũagi flectiq; pro libidine tam impotentis ſerui, in dignũ eſſe dictitabãt: mater quidem quòd filius aduerſus auguria Perſici belli periculis obijceretur, cuius pro uincię bella maioribus abominata ſemper fuiſſent, uſq; à ſuperioris Baiazetis memoria, in quem à Tamerlane clades dirę calamitatis incidiſſet, & recentibus etiam Vſſumcaſſanis & Hyſmaëlis exemplis, quorum prælia nunquam niſi detrimentoſa uel uictoribus Ottomanis fuiſſent experti: Roxolana uerò quę coniugem delinimentis quibuſdã atq; adeò etiam philtris uxoriũ feciſſet, uel ob id Habraymũ oderat, quòd Muſtapham priuignum, uti ex liberis natu maximum impenſiſsimè coleret, atq; ei imperatorios honores adaperto ſtudio intempeſtiuè deferret. id enim Roxolana muliebri libidine accenſa, Baiazetem filium nefaria pręuaricatione Muſtaphe anteponere contendebat, ut certus imperij hęres & ſucceſſor, ſi fata Solymano uitã abrumperent, Ottomannicę domui pararetur. Propterea, priuignũ lon gè ablegandũ in Cappadociam curarat, ne ad inuadendam paternam ſedem, ſi pater uita excederet, è proxima Magneſię præfectura celeriter adeſſe poſſet. In id conſiliũ occulta largitione ſolicitabat prętorianorum principes, quos ad id audendũ facinus idoneos rebatur, exemplo Selymi, qui proſtremus regiæ prolis, fauore prætorianorũ maioribus natu fratribus regnum præripuiſſet. Verùm ambitioſæ mulieris peruerſæ artes, una Habraymi diligentia atq; authoritate turbabantur. Is nanq; quod rectũ eſſet, naturæq; muneris, atq; inueteratę conſuetudinis, Solymano erga filios æquiſsimo patri probari intelligebat, tametſi uxoris molliores preces nonnunquam illum inflecterent, ut eadem quæ ipſa cuperet, quanquã abſurdi iuris, quàm quicquã aliud æquius & iuſtius malle uideretur. Cæterùm totam Habraymi exiſtimationẽ, nõ obſcura fama magnopere prægrauabat, odioſa Turcis, quòd Chriſtianos adaperto ſtudio complecti foueręq; diceretur: nonnulla ſiquidem extabãt indicia corrupti eius animi, quòd Venetis largitionib. parata in eos, & Auſtriacos fratres arma, ad orientem conuerteret, gratificaꝛeturq; ea in re Carolo Cæſari, cui dudum Venetus ſenatus icto nouo fœdere ſeſe coniunxiſſet, ſcilicet ut maritimis opibus potentia Cæſaris augeretur, ſingulari damno atq; periculo Ottomannici nominis. Habraymus quoq; per eos dies Marcũ Nicolai Venetũ ignobilem mercatorem, qui ab Italia mutatis ad celeritatẽ iumentis, ad eum Babylonię agentem cum ſecretis mandatis ac literis percurriſſet, re diſſẽtq;, enatis non temerè paulo poſt his de ipſius perfidia ſuſpicionibus, Byzantij pro ſpeculatore cõprehẽdi, noctuq; iugulari, & in mare proijci iuſſerat, ſcilicet ut detegendo crimini certius indiciũ tolleretur, nec inde totius inſtitutæ atq; obitæ legationis cauſa iudicio caperetur. Paulo antè ſiquidẽ Turcæ ſolito ſuſpicaciores facti, Andream Quirinũ patritium Venetum, apud Alepum in Comagene clarum mercatorẽ, teterrimo ſupplicio affecerãt, quòd Caroli Cæſaris legatum, nomine Robertũ, natione Britãnum, in Perſidem ad Tammaſum penetrantẽ iumentis, ducibus, atq; pecunia iuuiſſet. Deſtinabatur enim Cæſar Solymano poſt Tammaſum debellatũ, uſq; adeò procul præcipuus hoſtis, qui cũ Perſis amicitiã & fœdus agitaret, ut per eum Tammas maiore tormentorũ apparatu ituaretur, ſuppeditãtibus è finitima India Luſitanis, qui ſe propter odiũ Turcici nominis, Perſarũ amicos & ſocios quũ expediret fore profitebantur. His tantis circumuẽtus inſidijs Habraymus, & conceptæ perfidiæ reus factus, menſe Martio circiter Idus, ſuperiore conſuetudine quũ admitteretur in regiam, nuſquã poſtea comparuit. Ferunt eum ſeueriſsimè obiurgatũ fuiſſe à Solymano, quòd ſummis honoribus auctus, & dignitate ſibi ferè æquatus, ingratiſsimo animo ſummæ amplitudinis beneficia nefario ſcelere corrupiſſet, & meritã uitæ exitus pœnam deprehenſus inueniret, neq; Solymanũ ullis iacentis ad pedes lachrymis ad miſericordiã flecti potuiſſe, quũ interceptas quaſdã eius literas immiti uultu oſtenderet, & an ſignũ agnoſceret ferocibus uerbis identidẽ interrogaret. Eadem autẽ quæ ſequuta eſt nocte, in cubiculo per eunuchũ carnificis munus obire ſolitũ, in puluino dormitans, cultro adunco quod de manu imperator tradiderat, iugulatus eſt. Ferunt Habraymum quũ ſumma Solymani gratia potiretur, familiari ſermone aliquando poſtulaſſe, ne ſe tantis honoribus onerare cõtenderet, ne demũ amplitudine odioſa ſupra æquũ floreꝛentẽ, è gradu tanquã è faſtigio ſummæ fortunæ præcipitẽ dare, atq; occidere neceſſe haberet: fidẽ uerò in ea uerba ita principem dediſſe, ut nunquã ei uiuo uitã erepturũ polliceretur, ſic ut ea inanis iuramenti religione obſtrictũ, ne datam falleret fidẽ, non aliter quã altè ſtertenti neceꝛ intuliſſe: quoniã Taliſmanes ſacerdos, diuini interpres iuris, dormientẽ nequaquã cenſeri inter uiuos, quum una uigilia totius uitæ actus cõſtaret, aſſeueraſſet. Oborto ſole quæſtores ſupellectilẽ atq; pecuniam eius omnem in fiſcum retuliſſe cõſtat, ita cõturbatè, raptim & diligenter, ut nihil ferè præter dorem miſertimæ uxori relinquerẽt. Hunc uitæ po

tentiæq; ſuæ exitū tulit Habraymus, quo nemo eo
rum unquam antea, qui maximorum regum gratia
potentes euaſerint, ad exemplū illudentis fortunæ
ante obitum fortunatior atq; felicior fuit. In eius lo
cū Veſir cooptatus eſt Aiax, & Barbaruſſa propter
rei naualis peritiam Amiras declaratus, purpurato-
rumq; collegio additus: Foreſtius autem Galliæ re-
gis legatus, qui paulo antea Habraymi opera fuerat
dimiſſus, ne diſcederet admonitus eſt imperatoris
iuſſu, quòd ad ueterē diuq; antea inſtitutā Europei
belli cogitationē, uti euenit opportunè reuerteret.

SVPPLEMENTI
LIBER XIX.

Annus longè omnium ætatis noſtrę
ſecura domi pace, mira cœli clemen
tia, lætaq; paſsim agrorum uberta-
te, & Punica uictoria inſignis, Pauli
tertij pōtificatus initia nobilitauit.
Ipſe Paulus in adminiſtranda repu-
blica, illuſtri quodam in ſpeciem diuerſarum uirtu-
tum temperamento, ita pontificis ſimul & princi-
pis nomen tuebatur, ut in omni conſilio ſingularis
pietas emineret, nec tamen obſcura eſſet amplifican
dæ ſuorum potentiæ uoluntas. Nam ante omnia
quod in rem magnopere expediebat, ſe neque harū
neque illarum partium, ſed communem omnium
parentem futurum profitebatur. Propterea nequa-
quā adduci potuerat, ut id fœdus renouaret, quod
Bononiæ Clemente Cæſareq; authoribus pro tuen
da Italię pace, haud obſcurè ad arcendos Gallos per
cuſſum fuerat, quum ab utroq; aliquod fortuna ſua
dignum munus expectaret. Quin & concilium to-
B ties à Germanis efflagitatum, à quo grauiſsimis de
cauſis Clemens diffugiſſe uidebatur, ultro ſe appete
re, & ad id locum tempusq; decernere paratum eſſe
prędicabat. Miſsis quoq; pro tuenda ſacroſancti no
minis dignitate, qua priuatæ ſpes tegerentur, &
Galliam & Hiſpaniam legatis aſsiduè dabat operā,
ut Franciſcus uno conſenſu ad oppugnandos Tur-
cas cum Carolo Cæſare iungeretur. Sed quanquam
eximia eſſet pōtificis authoritas apud Gallos, nihil
tamen quod ad conferenda auxilia pertineret, im-
petrari potuit. Franciſcus enim, uti erat animo ex-
celſo apertoq;, amplitudinem & fēlicitatem Cæſa-
ris ferre non poterat: utpote qui adeò acerbè mul-
ctatus ac Italia pulſus, donec amiſſum Gallię decus
recuperaret, nequaquam in ea, ueluti parum hone-
ſta, uel indecora pace quieturus eſſe uiderer. Quic-
quid enim tot caſibus aduerſa fortuna rapuiſſet, id
totum iniquo iure, & ſæua rerum conditione ſibi
ademptum eſſe exiſtimabat: & eo quidem animo,
ut non obſcurè Mediolanum Genuamq; repeteret.
Id ſi Cęſaris æquitate, & Pauli intercedentis ſtudio
conſequeretur, non modò nauales terreſtres que co
pias Cæſaris opibus adiuncturum, ſed ipſum quoq;
ad Turcicum bellum alacriter uti legatum adiuto-
remq; Cæſari, quò iuberet eſſe profecturum. At Ca-
rolus qui antiquiſsimo ſuperiorū Auguſtorū iure
per manus tradito, ſingulos ferè totius Italiæ prin-
cipatus ad ſe pertinere arbitrabatur, & Marte iudi-
ce ad arbitrium regulis, & liberis ciuitatibus leges
dederat, indignabatur ea à Gallis per obliquas que
rimonias repeti, quibus diſertiſsimè ex fœderū ta-
bulis exceſsiſſent: præſertim quum ipſe dudum in
gratiam Clementis, Venetique ſenatus, imperijs ur
bium antiquis poſſeſſoribus liberaliter adiudica-
tis, & inſigni pace conſtituta, non ſine præclara æ-
quitatis & abſtinentiæ, moderationisq; animi lau-
de exercitus deduxiſſet. qua in re etiam plurimum
Gallis eſſet gratificatus, qui nihil magis cupere, po-

A ſtulareq; eſſent ſoliti, quàm ut ueteres Hiſpani, Ger
manique milites Italiæ aſſueti dimitterentur, quo-
rum præſidio ipſius potentiam & exiſtimationem
magis ac magis confirmari ac amplificari maximè
indicaſſent. Is erat animorū habitus in duobus lon
gè maximis Europę regibus, nequaquam adeò ob-
ſcura contentione diſsidentibus, ut amicitia, quæ
inter eos publicis tātum fœderibus, legationumq;
officijs, & quadam affinitatis imagine ſuſtentaba-
tur, aliquando in aperta odia, & funeſtum bellum
euaſura crederetur. His de cauſis Cæſar uti erat cau
to grauique ingenio, & eo quidem quū decoris cu-
ra, rerumq; neceſsitas accederent, flagranti atq; ex-
pedito, omnium conſilijs anteuertendum ratus, ar-
ma parare conſtituit, ut qui res nouas occultè mo-
liendo pacem turbare cogitabant, ſe parato inſtru-
ctoque rebus ſuis timere inciperent. Summa conſi-
lij in eo uertebatur, ut Barbaruſſam ad Tunetū prę-
occuparet: fama enim erat, eum ualidiſsimis prędo
num omnium coactis claſsibus, non modò uti ſupe
riore anno feciſſet, Italiæ litora prædaturum, ſed e-
tiam proxima æſtate traiecturum in Siciliam cum
ingenti Turcarum, Afrorumque multitudine, ut ad
reliquas ſpes proferendas, quibus barbarè atq; arro
ganter Neapolitanum imperium concepiſſet, Italię
horreo potiretur. Erat eius belli ratio plena pietatis
& gloriæ, utpote quæ publicū Chriſtiani nominis
decus, publicamq; omnium, & maritimarum præ-
ſertim gentium ſalutem reſpiceret. Extinguebat e-
tiam Cęſar hoc honeſtiſsimo auſu omnem inuidiā,
quam tot partis de Chriſtiano hoſte uictorijs antea
uitare nequiuiſſet: ſic ut illam in eos reiecturus eſſe
uideretur, qui Punici belli ſpectatores, quàm ſocij
atq; adiutores eſſe mallēt. Porrò pontifex cum ma-
gno honore uerborum collaudato Cęſare, ei ſtatim
in bellicos ſumptus, ſacerdotiorū totius Hiſpaniæ
decumas concedit, ipſeq; pecunia ſua nouem trire-
mes Genuę exornari iubet. Has ad ueteres tres, quę
in cuſtodia Romani litoris eſſe cōſueſſent, adiūgit,
omnibus præficit Virginium Vrſinum nauandæ o-
peræ cupidum, eiq; attribuit Paulum Iuſtinianum
Venetum, cuius conſilio uteretur, nauali peritia in-
ſignem. Eaſdem quoque decumas exæquata libe-
ralitate Franciſco regi concedit, quo ille munere ac
cepto, ſi uſus poſceret, ad tuendā Etruſci maris pon
tificiæque ditionis oram, Maſsilienſes uiginti trire
mes ſe miſſurum pollicetur, quāquam pari conceſ-
ſione pontifex Cæſarianos offendere crederetur,
quòd ea ſacra pecunia Galli minimè iuuandi uide-
rentur: utpote quos religionis cauſa nullam omni-
no operā ea æſtate mari præſtaturos appareret, oc-
cupatis ſcilicet proprio bello ad Tunetum prædoni
bus. Excitata ad pium bellū uniuerſa Hiſpania, con
uentibusq; peractis, Cæſar è Carpentanis Barchino
nem uenit, eius aduentus omnium opinione cele-
rior, tantusque naualium & terreſtrium copiarum
apparatus, haud dubie inimicorum animos in pa-
ce continuit, adeò ut rumores qui de Gallis, Britan
noque rege, & de Heluetijs allati erant, penitus ex-
tinguerentur, regulique Italiæ, uti cæco metu libe-
rati, cupidius atque liberius in id bellum officia prę
ſtarent. Soli Veneti in amicitia Solymani perſeue-
rantes ex fœdere, quod ante triginta annos cum Ba
iazete eius auo percuſsiſſent, neutri parti ferenda
auxilia cenſuerunt. Interim Andreas Auria, quem
Cæſar toti maritimo negocio prefecerat, cuique u-
ni propter ſpectatam fidem rerumq; peritiam, pro-
fectionis ſuæ atque ſupremi conſilij decreta com-
municarat: incredibili adhibita celeritate, ac diligē-
tia, multarum ingentium nauium, ac triginta ro-
ſtratarum claſſem inſtruxit, in queis erat quadrire-
mis una, quæ prætoriæ loco Cæſarem ueheret. Ea
erat laqueari aurato, & cælata pictaque introrſus
puppe, contecta item umbraculo ex auro purpu-
raq;

raq; intertexto, remigibus ſerica tunica, & epibatis
omnibus ueſtitis, ac armaturæ cultu plurimū exor-
natis. Præterea uim ingentem nautici commeatus,
inſtrumenta naualia noui artificij, tormentorumq;
omnis generis, ac telorum copiam, uel maximo ſuf
fecturam bello in naues diſtribuerat, quibus totius
Liguriæ iuuentutem, & ex nobilitate fortiſsimum
quemq;, certatim cunctis nomina dantibus impo-
ſuerat. Ad eum hæc ipſa ingenti cura famaq; admi-
niſtrantem, ut præclarè uirtuti ſuus honos habere-
tur, Paulus pontifex gladium de more ſolennibus
ceremonijs conſecratum dono miſit: is erat gemma
to capulo, cælataq; uagina cum baltheo, aureis bul
lis, & fibulis ualde conſpicuo: & præter eum etiam
uilloſo è ſerico pileū margaritis Phrygio opere de-
pictū. Ea ſunt eximij pijq; ducis aduerſus Chriſtia-
næ religionis hoſtes depugnantis inſignia, magnis
regibus dono dari ſolita: ſic ut non immeritò ſtre-
nuus ſenex, quanquam multa iam nauali gloria ple
nus, ad petendam noui decoris laudem accendere-
tur. Dum hæc Genuæ ingenti Auriæ atq; Ligurum
omnium ſtudio parantur, Alfonſus Vaſtius bellica
laude illuſtris, ab Ænaria literis Cæſaris euocatus,
ad Andream Auriam peruenit, atq; inde tranſgreſ-
ſus Apœninum, in urbe Viglebano Franciſcū Sfor-
tiam, & Antonium Leuam conuenit. Iubebat enim
Cæſar, ut Vaſtius ſuo antiquo pedeſtris militiæ im
perio fungeretur, legionesq; Germanorum ac Italo
rum in Africam tranſportaret, Antonius uerò Leua
in Galliæ Ciſalpinæ præſidio permaneret. Huic au-
tem præcipuè eſt iniunctum, ut ſeuero edicto pro-
hiberet, ne quis è numero ueteranorum Hiſpanorū
noui belli cupiditate ad mare dilaberetur. Nolebat
enim ſolitis ſtationibus prouinciā nudari, adeò pro
pinquam Gallis Heluetijsq; finitimam. Deliguntur
itaq; Itali tres præfecti, qui circiter uigintiquatuor
B cohortes conſcribant. Is numerus quinq; miliū ho-
minū ſummā efficiebat. Hi fuere Hieronymus Tu-
tauilla, Sarnenſis comes, qui ſuperioribus annis in
Peloponneſo egregiam fortemq; operam pręſtite-
rat: & Federicus Carectus in Epantheris Liguribus,
& in ora Ingauriorum ad Finarium oppidum clien
telis atq; opibus potēs, cui Auria uitricus erat, itēq;
Auguſtinus Spinula bello clarus. Hi ſtatim hinc at-
que inde digreſsi, celeriter ex optimo genere mili-
tum cohortes implent, tanto ueterum nouorumq;
militum concurſu, ut conſcriptis pleriq; uoluntarij
ſine ſtipendio miſcerentur. Interim Maximilianus
Eberſtenius, dux uetus, per Tridentinas alpes octo
milia Germanorum in Lunenſem agrum perduxit,
in queis fuere pleriq; nobiles è ſtirpe regulorū ſine
mercede Punici belli famam ſequuti. Hos humani-
ter liberaliterq; ſuſceptos, ſimul & Italos pulcherri
mis armis Mediolano aduectis inſtructos, aduoca-
ta cōcione cohortatus eſt, ut patientiſsimè dum na
uigarent maris tædia perferre, ac ubi terram Africā
attigiſſent, optimè de uictoria ſperare uellent. Pu-
gnaturos enim ipſos pro dijs immortalibus & pro
Cæſare, qui nunquam pijs & fortibus defuiſſent.
Ita ſumma omnium alacritate conſcenſæ ſunt one-
rariæ naues trigintaocto, quarum præſidio Anto-
nius Auria, magnitudine animi & nauali uirtute u-
ni magno Aurię ſecundus, duas & uiginti roſtratas
adducebat. Nec multo pōſt Vaſtius è portu Veneris
ſoluit, ita ut triremibus oram legeret, onerarię uerò
ad conſpectū in alto uelis uterentur. Sed alternanti
bus ſæpe uētis, & inflato nonnunquā mari, tardius
q̄ ſperarat in Traiani portū ad Centumcellas perue-
nit, quò iam Pontifex ab Vrbe decurrerat, ut ſacris
precationibus Deum opt. max. diuosq; Chriſtiani
imperij tutelares, ad uictoriam de hoſte parandam
nauigantibus propitiaret. Ita ipſo Pontifice præeū-
te, uerba & hymnos ſacerdotū choro decantante,
triremes nauesq; onerariæ, quę mira felicitate adę-

A quato curſu ab alto in conſpectum ſe dederant, ab
excelſa ſpecula expiatæ luſtratæq; ſunt. Datū eſt itē
uexillum & ſceptrum Chriſtianæ religionis in tem
plo de manu Pontificis Virginio Vrſino, poſtridieq;
Vaſtius cum eo nactus idoneam tempeſtatē, Nea-
polim curſum direxit. Ibi Petrus Toletanus prorex,
reguliq; peculiari ſtudio impenſaq; ſingulas trire-
mes ædificarant. In his fuere duo Sanſeuerini, Saler
nitanus & Biſennianus, itemq; Spinellus & Carafa,
Hiſpanusq; Alarco, Neapolitanæ arcis præfectus.
Ad has ſeptē aliæ acceſſerant, quas ipſe Toletanus
publica pecunia confectas deduxerat, & noxijs ne-
farijsq; hominibus ad remū damnatis impleuerat.
Dum cuncti in eo apparatu eſſent occupati, Vaſtius
in quoſdam more militiæ animaduertit, qui pertę-
ſi nauſeam maris, & longinquæ nauigationis incō-
moda reformidantes, cōceptas de uictoria ſpes ma
lignè extenuare, ſtipendij tenuitatem deteſtari, con
ſternareq; multitudinem, ut ſigna deſererent, ſedi-
tioſis ſermonibus cœperant. Ad authores tantū pœ
na pertinuit, adeò ut inuoluti ſaccis, profundo ma-
ri ſpectante claſſe mergerētur. In his fuere Michaël
Tarraconenſis, & Molina, qui apud Caueanum op-
pidum excitandæ ſeditionis initia prębuerant. Pa-
rato, & in naues omnis generis commeatu abundè
congeſto, impoſitisq; militibus, Hiſpanisq; præſer
tim ueteranis qui à Corone redierant, oram ſoluit.
Eum ſecuta eſt uniuerſa propè totius Campaniæ iu
uentus, arreptis undiq; nauigijs, tanta omnium cu-
piditate, ut nemo Neapoli relictus eſſe uideretur.
Inuitarat enim comitate inſigni quoſq; opibus æta
teq; florentes, ac notos ſibi militię ueteranos, quòd
his atq; illis pulchrum eſſet, uel emerita ſtipendia,
uel tyrocinij pręclaram indolem memorabili uicto
ria nobilitare. Profectus eſt & unà Federicus prore-
gis filius, ingenio bellici decoris auido iuuenis: pau
B cisq; diebus Panhormum in Siciliam eſt peruentū.
Iiſdem quoq; diebus & ipſe Andreas Auria diuerſa
nauigatione in Hiſpaniā ad Cęſarem peruenit, cum
uetere ſua ſedecim triremium claſſe, tribusq; celoci
bus quos galeones uocant. Ea ſunt nauigia ſtructu-
ra militari formaq; ad omnem uel tormentorū uel
tempeſtatis contumeliam egregiè ſuſtinendam ido
nea, paulo minora onerarijs, humilioraq; inſtructa
quadratis uelis, atq; etiam aliquot remis, ut è por-
tubus in apertum mare ad captandos uentos facilè
ſit ſeſe prouehere, & promontoria ſuperare. His fer
mè utuntur qui piraticā exercent: quoniā innume-
rabilem tormentorū copiam ferant, quibus uel plu
rimas triremes in multa malacia ad ſe oppugnan-
dum appropinquantes, perfringere maioribus tor
mentis atq; demergere facilè poſsint, quū directis
ad libellam ſummæ aquæ per feneſtellas ualidiſsi-
mis colubrinis in orbē undiq; ferreæ pilæ, ad mul-
tum maris ſpacium emittantur: perflantibus uerò
uentis, reliquorū nauigiorū curſum antecedant. Cę
ſar delectibus habitis circiter octo milia peditū, ma
gna ex parte tyronum conſcripſerat, & ſeptingētos
equites ulterioris Hiſpanię regulis imperarat, ex ue
tere eius regni conſuetudine legeq;. Nam ſuperiori
bus bellis, quibus cum Mauris de Bæticæ imperio
dimicatū eſt, nemo procerū fuit, qui non certā equi
tum manū conferret, & cōtra hoſtes in caſtra perdu
ceret: cuius impoſiti oneris cauſa, magnas tulerant
immunitates. Ii leuis armaturæ equites dicebant,
quòd nihil præter apertam galeam & thoracem fer
reis laminis ſquamoſo opere conſertam, leueq; itē
ex præduro corio ſcutum Maurorum more, & lan-
ceam latæ cuſpidis, gladiumq; habilem geſtarent.
His omnibus copijs præerat Mendocius, Tendilij
filius, cognomento Montegius. Sed pleriq; illuſtres
reguli, & ex toto nobilitatis ordine frequentes euo
cati, ad Cæſaris aulam conuenerant: qui grauiori-
bus protecti armis, ac inſtructi generoſis equis pro

censu & amplitudine ditionis, aliquot clientes liberaliter armatos trahebāt, ut loco stipendij gratiam Cæsaris, & ex alacri pioque studio ad nauandam operam certæ laudis decus promererent. Inter hos authoritate nominis eminebat Ferdinandus Toletanus, Albæ regulus, non dubiam magni futuri ducis spem præbens, quum publico pietatis nomine, & priuato uoto uehementer incitatus, in Barbaros deferretur, ut Garziæ patris cædem uindicaret, quē ab Afris ad Girapolim Mœnicē in insula cæsum fuisse docuimus. Venerat etiam ab Oceano portuque Gallico Ludouicus Lusitaniæ regis germanus frater, cuius soror in matrimonio Cæsaris spectabatur, cum classe uigintiquinq; nauium eius generis quas caruellas uocant, Indicis nauigationibus assuetas, magnaq; rerum omnium & tormētorum onera, & quantumlibet irati maris iniuriam facilè perferentes. In his uidere erat excelsum galeonem, incomparabili tormentorum apparatu permunitum. Ea in classe duo milia peditum descriptorum præter nautas recensebantur. Applicarant etiam è Belgico Oceano per Gaditanum fretum supra sexaginta onerariæ naues, quæ copias passim paratas, & cōmeatus singulis mediterranei maris portubus susciperent. His aduectus fuerat magnus damnatorum numerus, quibus per Belgicas urbes uita ex decreto Cæsaris idcirco fuerat concessa, ut in supplementū remigum in triremibus operam præstarent. Nam eius generis hominum ærumnoso in labore facilè deficientium inopia, momenti minimè leuis futura credebatur. Itaq; Cæsar copijs & commeatibus in naues distributis, totoq; ad edictum exercitu designata nauigia ea lege conscendere iusso, ut nemo scortum aut puerum nisi ætate militari secū adduceret: è Barchinone oram soluit, tenuitq; cursum in Magonis portum, minoris insulæ Balearis, atq; inde turbulenta nauigatione in Sardiniam Caralim peruenit, quò nuper Alfonsus Vastius ex Sicilia cū sua classe applicuerat. Nec multo pòst Cæsar, ipso Auria reliqui conficiendi cursus rationes explicante atq; adhortante, ut omnis moræ causa precidere tur (nam Hispanica classis iam penè tota conuenerat) in Africam traiecit, & in Vticæ portum, quē Farinam nautæ uocant, leni Coro remigū labore subleuante, uniuersam classem intulit. Magno autē casu una omnium prætoria quadriremis, qua Cæsar ipse uehebatur, dum intraret, sabuloso in uado hæsit. Quo animaduerso periculo, Auria expedito cōsilio dimidiam partem uectorum & remigū in aduersam spondam declinare iussis, tanta agilitate, ut ad imperium canentis fistulæ, quadriremis uti pondere subleuata impulsaq; demum dextro remigio eum arenæ tumulum euaderet, & incolumis cum plausu uniuersæ classi redderetur, nequaquam leui ter commoto Cæsare, qui simile uitæ discrimē Philippum patrem subijsse memorabat, quum ille in Oceano transuersa abreptus tempestate, in arenæ cumulos periturus incidisset, nisi ingentis fluctus beneficio elata nauis, atq; ultra extantem sabuli cumulum transportata, magno miraculo in Britanniæ litus euasisset. Ab Vtica mox discedens classis circūuecta promontorium Carthaginis, totumq; eius regionis litus quam Martiam uocant, excisæ quondā superbæ urbis ruinis, & noua regionum hortorū amœnitate celebratum, appulit contra turrim, quam de subiecto fonte Aquariam uocant. Hæc est in ea plaga, ubi stabula elephantorum florente Carthagine fuisse putamus. Nam & Cotū insulam, & totius antiqui portus formam, naualiaq; quibus Rōmani uictores inuiderint, tanti ęui uetustas murare & abolere facilè potuit. Barbari qui ab imminētibus Vticæ collibus, alijsque passim speculis, & ab excelsa arce antiquæ Carthaginis, quam Byrsam fuisse memorant, aduentum & cursum explicatæ classis conspexerant, Hariadeno Barbarussæ renunciarunt, ho stilem classem innumerabilibus omnis generis nauigijs constare. Erant enim septingentæ fermè naues, in queis duæ & octoginta rostratę triremes frequentibus exornatæ uexillis conspiciebantur, quæ speciem æquo maiorem & terribiliorem hostium oculis præbebant. Verùm id Barbarussæ animū magnopere perturbauit, quòd alij atq; alij præcurrentes nunciabant, in classe pro certo esse Cæsarem ipsum, Christianorum maximum imperatorem: tantasq; equitum & peditum copias amplissimæ classi fuisse impositas, ut nemo qui arma ferre posset, in Hispania atq; Italia relictus esse uideatur. Hoc affirmari à quibusdā seruis Mahometani nominis, qui præterita nocte exutis compedibus ex hostili trireme in proximi litoris dumeta feliciter enatassent. Non putarat enim insolens Barbarus, nostrarumq; uirium contemptor, Cæsarem periculosis inexplorati maris casibus, in ignota præsertim, sterili ac æstuosa terra, dubio bello se cōmissurum: sed quòd captiui à piratis Tunetum perducti dicere solerent, per legatos, ipsumq; præsertim in Auriam non Tunetum quidem ipsum, uerūm ignobilia tantū eius oræ oppida tentaturū. Cuius confirmandæ opinionis ante alios author fuerat Aloysius Præsenda, honesto loco Genuæ natus, qui in itinere supra Adrumentum captus, in libera propè custodia Tuneti habebatur. Ab hoc Barbarussa crebris percontationibus multa de Italicarum rerum statu moribusq; nostris, tanquam à perito diserto; homine, spem præbens maturæ libertatis, sibi opportuna didicerat. Hunc itaq; ira percitus, quòd falsa pro ueris de Cæsare astutè perfidioseque narrasse crederetur, ad se perductum, oneratumq; malignitatis contumelia in uestigio interfici iussit. Hac immiti insontis hominis cæde, tanquam uanissimæ suæ crudelitatis expiato dolore, Barbarussa ad gerendi belli cogitationes se conuertit, primumque omnium aduocatis in consilium trierarchis, quibus propter spectatam uirtutē maximè fidebat, docuit uiris fortibus nihil omnino de uictoria dubitandum: quādo eam ipse ijsdem de causis iam pro certa atque explorata perciperet, quibus Cæsarem in difficile atq; anceps bellum (si non omnino insanus foret) minimè suscepturum credidisset. Hoc profectò bello, uiri fortes, nouum & incomparabile trophęum in terra Africa defigemus, quòd Carolus summæ opulentiæ & dignitatis hostium imperator, aut trucidatus cōcidet, aut opimæ futurus prædæ in nostram uenietpotestatem. Quod ad me attinet, enixè dabo operā ut nihil uel armorum, uel cōmeatus, uel auxiliorū administrando atq; gerendo bello uobis desit. Vetera enim armamentaria pandam, apertam horrea, reserabo ærarium, & ad Numidas, quos iam amicitia conciliatos habemus, pecuniam in stipendium, exoptataque genti munera confestim mittam. Tunetanos uerò in spem præmiorum exigua mercede in officio contineri, & hostibus obijci facilè posse scitis. Hoc autem unum militiæ munus à uestra uirtute uehementer expostulo, ut Guletam, quæ non urbis modò, sed totius imperij, & subductæ præsertim classis certissimum est propugnaculum, acerrimè & constantissimè defendatis: in eam enim hostis primo impetu deferetur. Vos itaque eam mihi, & Solymano imperatori, inuictis animis seruatote, ut irrito incœpto tentata, & à uobis fortiter defensa, hostis Cæsar deceptus sua inani opinione, & tota existimatione sui nominis spoliatus, non iam de expugnanda urbe Tuneto, sed de reditu saluteque desperet. Hæc quum dixisset, trierarchi uno consensu respondere unt, se paratissimis animis cuncta facturos quæ imperaret, nec commissuros, ut dedecus pristina sua uirtute indignum admitteretur: & id iureiurando singuli confirmarunt. Hos omnes Sinas Smyrnæus dextro captus oculo, quem Turcæ Cæfutem (hoc est Iudæū) uocabant, cùm ætatis honore, tum militaris prudentiæ authoritate facilè anteibat. Huic proximi accedebant Haidinus Cilix, cui propter terribilem impetum Cacciadiabolo cognomen erat, & secundū hos Salecus ab Ionia, & Tabaches pirata Laodicenus, & ex ordine Ianizerorum Giaffer centurio, uirtute animi, & corporis uiribus insignis. Is Guletæ situs est, ut lateritia turris cum adiecta munitione his faucibus immineat, per quas Carthaginensis sinus mare ad australe litus allidēs, sensim in stagnū sese insinuat, quo paruis nauigijs ad urbem Tunetū aditus patet. Neq; enim hæc palus longior est, aut latior duodecim miliaribus: sed utrinq; ita humilia sunt uada, ut nisi medio, eoq; profundiore alueo per nauigari queat. Ingressum à mari turris prohibet, quam circumadiectæ munitiones augent ea amplitudine, ut iustæ manus præsidiū facilè capiat. Hanc Barbarussa multis tormentis instruxerat, ut suam classem, quam intra stagnum propulerat, ab hostili iniuria tueretur. Carthaginensis aūt sinus ea forma est, ut eius ingressus ab alto adnauigantibus abscondatur: quoniā Clupeæ promontoriū antiquis Mercurij & Pulchri uocatum, multum in occidentē solem sese extendit, & introrsus demum se reflectēs, alterum efficit promontorium, olim Apollinis, hodie Zafranium à nautis appellatum: inde uerò luna to ambitu ad Guletæ fauces recurruatur, & ad læuā Radæ urbis calidarum aquarū salubritate celebris, regionem relinquit: ex aduerso autem collapsę Carthaginis situm spectat, atq; item colles oliuetaq;, & litus ipsum Aquariæ turris, qua nostra classis appulerat. Cæterùm Guletæ fauces pons ligneus cū aduersa orientali parte coniungit, quo transirent qui ab Tuneto terrestri itinere commeabāt. Huc enim atq; illuc Turcæ iter habentes, sese diuisis per uices excubijs, permutare erant soliti. Nam rerum omniū copiæ in quotidianos usus per stagnum leuioribus lembis aduehebātur. At Cæsar tota classe ad anchoras constituta, pronunciari iussit, ut milites expediti in triremium magnarum nauium scaphas desilirent, & toto litore descensiones facerent: quod usqueadeò compositè administratum est, ut tota undiq; litora Barbarorū agminibus nudarentur. Neq; enim nostrorū clamorem, & sclopetorū strepitum ferre potuerunt, quin in fugam nullo contracto certamine protinus se darent. Veteranos Hispanos Itali, & hos demū Germani subsecuti sunt: cunctosq; munitis castris Vastius consistere, nec temerè uagari iussit, donec equites & reliquæ omnes copiæ, totusq; tormentorum apparatus in terram exponeretur. Descendit & Cæsar ipse bonæ spei & certæ alacritatis plenus, qui alas hostium occupantes litora, & descensum nostrorum prohibere conantes, in fugam uersas conspexerat. Erexit autem prętoriū idoneo in loco inter duas turres, quarū alteram uocari Aquariam diximus, alteram Barbari Salinariam appellant. Interim uariæ militum manus emissæ sunt, quæ proxima explorarēt loca, & cisternas puteosq; quæritarent, hostiumq; simul casas & uicos mapalibus similes occuparent, usq; ad summos colles, ubi uetusti templi ædificia uidebantur, quo in uertice duarum cohortium Italicarū uexilla, prędidij causa constituta sunt, iuxta antiqui operis aquæductū, quo olim magna perennis aquæ uis in urbem Carthaginē perducebatur. Afri pedites equitesq;, præsertim Numidæ, uelox, insidiosum, & summi laboris militū genus, omnibus horis locisq; repentini ac infesti nostris occurrebant, locorumq; notitia cōfisi, uti erant inermes & agiles, nostros sæpe incautos ac impeditos armis circumsistebant, sagittis, iaculis atque lapidibus rem gerentes, tanta feritate, ut nemini uel dedito parcerent. In quibus fuit Hieronymus Spinula, Ligur cēturio, cui Numida eques ictu inuersæ lanceæ prostrato, ab equo desiliens, priusquam subueniri posset, caput præcidit, & conscenso rursus equo, celeriter asportauit. Eadē quoq; mala sors incidit Federico Carecto regulo: is quum à Vastio exploratum duceretur, eius lateri hærens, sclopeti glande traiectus est. Sed ea hostiū agilitas ferociaq; Cæsarem minimè retardabat, quin ipse cū paucis exploratū iret, & in conspectu uolitantium undiq; Numidarum, cuncta oculis perlustraret: ea quidem animi constantia, ut ab amicis grauioribus frustra admoneretur, ne minorū ducum munia tanto suo publicæque salutis periculo usurpare uellet. Iam Vastius non longè à Guleta legiones promouerat, crebris passim obliquis fossis sinuose perductis, & constitutis munitionibus, ut tutò milites cō meare, in opereq; uersari possent, & continuos tormentorū hostilium ictus paueſcere desinerent. Tantos siquidem spiritus barbari prædones sibi desumpserant, ut ultrò erumpere, & nostros ad conserendas manus prouocare, accedereq; propius ad munitiones, atq; eas subire auderent. In prima erecti aggeris fronte, præcipuum sibi locum depoposcerat Sarnēsis regulus, elatus spectatæ uirtutis fama, quā Peloponnesiaco (ut diximus) bello fuerat adeptus. Is rotundi ambitus aggerem, muralis instar propugnaculi, sed paulo quàm ex disciplina oporteret angustiore erexerat: nam in medio tabernaculū splendidè extensum, fermè totum loci spacium occupabat. Intra hunc aggerem, quanquā arctè cohortes suas cōtinerat. Sed uir æquo acrior, & parandæ laudis auidior, quum fortè hostes in conspectū se dedissent, quin in eos confestim erumperet, contineri non potuit: Salecus enim ausu astuq; piratico insignis, cum delecta suorum manu, ad eius munitionē excelso tabernaculo conspicuā aduolarat, magnūq; & repentinum tumultum apud nostros excitarat: sic tamen ut sclopetorum glandibus repulsus, coactusque se recipere uideretur. Tum uerò Sarnensis quibusdam præfectorum suorū contumelioſe appellatis, quòd eos timidius & cunctantius egressūros & subsecuturos appareret, in hostem callidè tergа uertentem, ira feruidus erupit, obuios acriter uulnerans atq; prosternens, scilicet ut fato suo nō inhonestam uiam aperiret. Ita Salecus nostros satis magno interuallo à cæteris disiunctos, edendæq; cædi opportunos uidens, ad suos conuersus: Milites, inquit, quam exoptastis de hoste prædam, indagine clausam tenetis. proinde conuertite ferrum, fortiterq; pugnate, ut nemo ex his audaculis tyronibus uiuus aut integer euadat. Nec mora, conglobantiū sese ea fuit impressio, atq; is in hostem impetus, ut nostri pauciores aduersus multos nō diu resisterēt, sed tumultuosissimè terga darent. Sarnensis ipse ante alios acerrimè depugnans, cum Belingerio affine suo cohortis præfecto trucidatur: reliqui eandē in fuga oppressi fortunam subeūt. Cæteros intra munitionem confugientes, irretitosq; tabernaculi funibus, quo minus expedita fuga se reciperent, Turcæ audacter intrantes contrucidant, à quibus argētea supellex ipsius Sarnēsis properè direpta est: neq; fuit quisquam ex proxima Hispanorū statione, qui satis maturè socijs perturbatis & profligatis opem tulerit. Caput Sarnēsis cum dextra ad Barbarussam delatum est. At nostri Barbaris ex successu eius diei lætitiā crebris tormentorū bombis celebrantibus, magnopere tristes, uix animis accepti incommodi ignominiam sustinebant, querebanturq; itidem ab Hispanis nequaquā alacriter fuisse adiutos. Sed fortuna non iniqua, plerunq; libidine bona pariter & mala inter mortales dispensare solita, id Hispanis nō indulsit, ut ab hesterno inflicto uulnere, diu socios cōtemnerent: parēnim eis dedecus Tabacches attulit. Sub auroram nanq; erumpens tecto, & festinato pro-

to procursũ Hiſpanorum munitiones adortus, uſ- A queadeò uehementer ſtationem perturbauit, ut cõ
ſcenſo aggere, aliquot deſides & operis labore feſ-
ſos, alios repoſita repetentes arma, in foſſa oppreſſe
rit, clamoreq; edito reliquam cuſtodiæ manum ual
de perterritam terga dare coëgerit. Atq; ità Barbari
momento temporis foſſorijs potiti ferramentis, &
rapto Franciſci Sarmenti uexillo, quod erat in ſum-
mo aggere defixum, interfecto q; in foſſa Mendeſio
cohortis præfecto, qui ab multo abdomine grauis,
fugam capeſſere nequiuerat, multis improuiſo cæ-
ſis & uulneratis, prius ſe receperunt, q̃ auxilia adcur
rentium cohortium ſuperuenirent. Adcurrit & ipſe
Cæſar armatus ad tumultũ totis caſtris excitatum,
ſeuerè increpitis qui cõmiſſum ſtationis locum tre
pidè deſeruiſſent, & uſqueadeò ſegniter & ſupinè
cuſtodias obiſſent, aduerſus eum hoſtem, qui ſuo
aſtu, uelocitate atq; audacia repentinus, & inſolens
& ferox, à peritis ipſis q; præſertim ueteranis, niſi te
merè contemnendus uideretur. Id inſigne editum
facinus pudorem Italis abundè deterſit, quum de-
decus Hiſpanis opportunè cõmunicatum uideret:
& eo quidem acerbiore aduerſi euẽtus ſorte, quòd
ueterani diſciplinæ parum memores, aliquanto in-
uſitatius & turpius deprehenſi cæſiq; fuiſſent, q̃ Ita
li tyrones, qui committendæ pugnæ ſtudio temerè
progreſsi, & elici & cõſerto certamine à multis tru
cidari facilè potuerint. Sedato tumultu, Vaſtius ue-
teres præfectos, primorumq; ordinũ centuriones
in tabernaculum uocauit, conuerſuſq; ad eos: Viri,
inquit, alioqui ſemper fortes, qui multas incõpara-
biles q; uictorias mecũ Cæſari inuicta uirtute ueſtra
peperiſtis, paucis omnino uerbis cohortandi uide-
mini, ut priſtinum ſpectatum q; ſemper bellicum ui
gorem ad animos reuocetis. In uobis enim (ut ui-
deo) quod piget pudet q;, antiquæ partæ laudis me
moria penitus refrixit, & inſolito metu obtorpue- B
runt manus, & noua pigritiæ corpora elanguerunt,
ut non horum inermium prædonum inſolentiam,
ueſtro forti auſu frenandam uindicandam q; pute-
tis. Irriſiſtis, ut nonnulli obiectant, heri ſociorũ in-
auſpicatæ promptitudinis coniunctam cum pœna
temeritatem: at illi hodie ueſtram incuriã degene-
rem q; ſegnitiem iure optimo rident, ſic, ut hoc com
mune dedecus, ueſtro præſertim aliquo celebri &
pulcherrimo facto abolendum eſſe fateamur. Cen-
ſeo itaq;, & ſeuerè iubeo, ut ad nouã parandã laudẽ,
arma atq; animos quamprimùm præparetis, & ho
ſtes, ſi rurſus laceſſant, & munitiones tentent, erup-
tione facta fodiendo eorũ inermia pectora, & ter-
ga cædendo, malè mulctatos intra Guletę portum
cõpellatis. Strenuè inſtantibus atque prementibus
fortaſſe aderit fortuna, ut immixti p turbato agmi-
ni, munitiones intretis ſimul & occupetis, in quib⁹
ipſorum ſpem omnem repoſitam uidemus. Quòd
ſi hoc ſecus acciderit q̃ ſperandum ſit, ſaltem cùm
Cæſari, tum mihi decori q; ueſtro, uel hoc uno inſi-
gni conatu abundè erit ſatisfactum. Ad ea cõtinuò
Aluares Gradeus, Ciſnerius, Rodericus q; Ripalta,
& cum his Sarmentus, Didacus Abyla, Franciſcus q;
Ruitius, reſponderunt, ſe uſqueadeò præſtantę ope
ram nauaturos, ut in ipſis neq; uim, neq; omnis pe-
riculi contemptũ, aut expectatæ quærendæ laudis
ardorẽ, uiris fortib⁹ impigrè pugnare ſolitis, dignũ
deſideraret. Nec Barbari aduerſo noſtrorũ ſucceſſu
elati, quin eadem conſuetudine audacter erumpe-
rent, plus tridui mora conquierunt: meridianoq;ue
tempore Giaffer, cui id munus fortè contigerat, cũ
Ianizeris, Afrorumq; iaculatorũ manu, ſuperiores
munitiones inuaſit, ratus ſe ea hora noſtros, cùm la
bore operis, tum ſolis feruore confectos, in ſtatio-
ne ſegnes & imparatos aggreſſurum. Iam Barbari
inopinantibus noſtris, uti remiſſa paſsim eius fer-
uentiſsimæ horæ cuſtodia, aggerẽ conſcenderant,
& certatim in ſubiectos undiq; glandes, ſagittas &
lapides conijciebant, quum extemplò ad leuẽ tym
panorum ſonitum ſclopetarij noſtri ſicuti fuerat im
peratum, duobus ſimul locis eruperũt. His Vaſtius
ſubſidiarium manum ex galeatis thoracatis q; mili-
tibus, qui alabardis, breuioribus haſtis, aut parteſa-
nis lato ferro, Italorum conſuetudine rem gererẽt,
opportunè ſubmiſit. Phalanges autẽ ſuo ordine cõ
poſitas intra munitiones conſtituit, ut ſi quid leui
armaturæ durius accideret, eam referentem pedes
reciperent, & ad pugnam parati ſimul caſtra tueren
tur, cœptiq; certaminis euentum expectarent. Pu-
gnatum eſt utrinq; ſumma contentione. nam Iani-
zeri quanquam graui noſtrorũ impetu repellerentur, uti milites pro dignitate prætoriani ſui ordinis
nuſquam terga dare ſoliti, nõ multũ conſtantia aut
uirtute animi noſtris cedebant. Sed Giaffere ipſo,
qui ante alios ardentius dimicabat, duabus ſimul
glandibus traiecto, cadenteq;ue, ora conuertere, fu-
gamq; reſpicere cœperunt, & mox expirante ducẽ
erigere atq; referre conantes, redintegrata ob id a-
criore pugna, quum alij ſupra examinem utrinque
cecidiſſent, effuſe in fugam ſe dare coacti ſunt, no-
ſtris tanto ardore perſequentibus, ut Guletani rece
ptis primis, periculum ueriti, quartam ferè ſuorum
partem obſeratis repentè portæ ualuis excluſerint.
Verùm hi deflectẽtes uerſus ſtagnũ, poſtico aditu,
qui noſtris erat inexploratus, intra munitionem ſe
receperunt. In eo tumultu, quòd Sinas totam mu-
nitionis coronam propugnatoribus egregiè muni-
uiſſet, periculoſus atq; difficilis noſtris receptus eſt
datus: Didacus q; Abyla nouellariæ cohortis ſigni-
fer, in hoſtili aggere uexillum defigere auſus, mul-
tis ſimul glandibus petitus, & ſagittis confixus oc-
cubuit. Neq; tamẽ uexillo potitus eſt hoſtis, quum
illud proximus miles ex occupãtium manibus in-
trepidè rapuiſſet. Rodericus quoq; Ripalta craſsio-
ris ſclopeti glande, colliſa uehementer galea, graue
uulnus accepit, multoq; plures è noſtris in receptu
q̃ in pugna deſiderati ſunt: quoniã è tota munitio-
ne Barbari omnis generis tela & tormenta (quod
extra ſuorum periculum antea tanquam in permi-
xtos fieri nequiuerat) certatim contorquebant. Eo
tamen die barbarorum audacia egregiè repreſſa eſt,
& ſpes expugnandæ munitionis noſtris non obſcu
rè præbita, quòd ex propinquo munitionis natura
conſideratius explorata, certam uictoriam aggreſ-
ſuris promittere uideretur. At Cæſar paucis diebus
in ipſo rerum apparatu deliberationeq; cõſumptis,
ſtatuit non eſſe terendũ tempus, quin protinus Gu
letanis uim omnem, & uerum terrorẽ admoueret:
multæ enim eum res ad expediendã conſilia uehe-
menter hortabantur, ſuorum in primis animi abun
dè reſtituti, hoſtium uerò non uano planè metu per
culſi, quos nouo præſidio erigi in ſpem cõfirmarig;
nolebat. Didicerat enim uaria Numidarum agmi-
na mercede conducta ad Tunetum appropinquare, contrà, ſuos aduerſa tentari ualetudine, utpote
qui interdiu immoderato ſolis feruore torrerentur,
noctu uerò largiſsimo cœli rore madefacti, aſtrictis
& propè gelatis artubus rigerẽt, nec aqua dulci aut
planè ſuaui leuandæ ſitis deſiderium explerent, nec
exoptata ægris recẽtis obſonij ſubſidia claſsis præ
beret. Itaq; ad idus Iulias promotæ ſunt munitio-
nes in conſpectũ hoſtiũ, prolatus q; omnis tormen-
torum apparatus. Hæc omnia protegebat oblonga
munitio ex uimineis corbibus uſitata ratione cõfe
ctis, & ligneis item uinarijs dolijs, quæ arena ſola
complebantur, quòd Africę ſolum his in locis, neq;
glebam neq; ceſpitẽ ad opus faciendum præberet.
Auria ſuo uſus munere à mari oppugnãdæ Guletæ
negociũ ſuſcepit, ita totius claſsis diuiſis ordinib⁹,
ut roſtratæ naues ſibi per uices tripartitò ſuccede-
rent, diſploſis q; tormẽtis cędendo, ſequẽtibus locũ
darent,

darent, maiores uerò onerariæq; naues idoneis in A
locis ad anchoras conſtitutæ, ex caſtellis prorarum
& puppium, & ab excelſis ſummi mali carcheſijs in
giter operam nauarent. A terra autem tribus in lo-
cis tripartito pariter ſingula munera, diuiſis inter ſe
per nationes copijs, Vaſtius partiebatur, ut ſingulę
acies ex æquo attributi laboris onus, & ſperatæ lau
dis fructum ſentirent. Nunquam ab ulla hominum
memoria, poſtquam tormenta ad excidium huma-
ni generis reperta ſunt, uel acriore ui, uel maiore ap
paratu, exactioreq; diligentia, munitus uſquã locus
eſt oppugnatus. Tanto enim crepitu, adeoq; horri-
bili reboatu, fragor ingentis terræmotus inſtar eſt
editus, ut nõ quati modò & grauiſsimè concuti, ue-
rùm tota paſsim terra hiſcere, & iamiam mortales
abſorbere uideretur. Mare autem quod modò tran
quillitatem pacati æquoris oſtenderat, fluctuoſius
concitari in orbes, remotaq; etiam pelagi ſpacia, re-
pentè excitata flauenti ſpuma conturbari, lateq; fer
uere ſpectarentur, quum cœlum ſuperfuſa tot excì-
tatis ignibus fumea caligine, omnium oculis eſſet
ereptum. Ab aurora ad meridiem maioribus colu-
brinis nuſquam eſt ceſſatum. Itaq; turris cum adie-
cto ſuo antemurali terebrata undiq;, & penitus diſ-
fracta ſic concidit, ut tormenta ſuis appoſita fene-
ſtellis, horumq; libratores, corruentium parietum,
& proſciſſæ teſtudinis ruina contegeret, munitio-
nesq;ue circum omnes, nudatæ propugnaculis latè
paſsim perfoſſæ atq; diſiectæ, non omnino diffici-
lem noſtris aſcenſum præberent. His ad accenden-
dos animos cucullatus ſacerdos crucifixi Chriſti ſer
uatoris ligneam imaginem præferebat. Nec mora,
cohortes quibus ſingulis ſenæ ſcalæ erant attribu-
tæ, eo ordine ut tum hoſtilem munitionem inuade
rent, quum ſignum tubarum cantu eſſet datum, no
ſtrorumq; tormenta ceſſaſſent, cohortante iuben-
teq; Cæſare procurrerunt. Neq; diu Barbari, quan- B
quam in ſubeuntes tela omnis generis, naualiq; ar-
tificio miſsilem ignem tenaci flamma armis adhæ-
rentem conijcerent, uim noſtrorum tanquam terre
facti, magnaq; introrſus obruti clade ſuſtinere po-
tuerũt: ſed occupatam à ſcandentibus munitionẽ,
amiſſa ſpe defenſionis deſerere, præcipitesq; ſe in
fugam dare coacti ſunt. Sinas ipſe cum ducibus põ
te ligneo ſe eiecit in aduerſam continentem, lęuoq;
litore intento curſu Tunetem profugit, quo itinere
multo maxima pars ſuorum ſeſe proripiebat. Alij
cæſi pulſiq; in ſtagnum detrudebantur, quos enata
re conantes, & dextri litoris appetentes marginẽ,
Hiſpani equites, & ſclopetarij præſertim, uenatoria
conſuetudine paſsim opprimebant, tanta cõſectan
di uoluptate, ut tota palus Barbarorũ cadaueribus
conſtrata uideretur. Noſtri paucis amiſsis, omni tor
mentorum apparatu, totaq; iampridem ſubducta
(ut diximus) hoſtium claſſe ſunt potiti, quo nihil
iucundius Cæſari, Hariadeno uerò acerbius accide
re potuit. gemẽtibus piratis, qui maris & totius na-
uigationis facultatem, qua una maximè ualerent,
amiſiſſe querebantur. Cæterùm Barbaruſſa tanto
accepto incommodo perturbatus & exterritus, ue
nientem ad ſe cum reliquis ſudęum, ita turbido in-
feſtoq; ſupercilio excepit, ut ignauiam cunctis, fœ-
dumq; terrorem nimis properè conceptum expro-
braret, grauiq; admiſsi dedecoris contumelia pro-
ſequeretur. Ad ea tamen Sinas pro omnibus reſpõ-
dens, Hariadene, inquit, quamdiu cum hominibus
armatis certandum nobis fuit, uti planè ſcis, nec
hoſtes diffitentur, operam exiſtimatione noſtra, &
tuis auſpicijs dignã edidimus: ubi uerò nobis cum
diro ſatana, furijsq;ue eius infernalibus, qui in nos
horribili cum incendio terræmotum extremi ter-
roris atq; periculi excitarũt, repugnare neceſſe fuit,
tibi mirũ uideri nõ debet, ſi immortalium humani
generis hoſtiũ inuſitatã uim effugimus, ut tibi me-
liore fortuna de imperij urbisq; tutela certaturo, in
tegri ſeruaremur. Neq; nos diſpudet, tanquam ite-
rum pugnaturos, eo periculo ereptos uideri, è quo
tu ſi interfuiſſes, ſummæ conſtantiæ uetus dux &
miles, non turpè modò, ſed planè honeſtum (ſi libe
ro ore tecum loqui licet) incolumem emerſiſſe arbi
trarere. Haria denus compreſſo animi dolore, uerbo
rum contentioni finem imponens, leniore oratio-
ne ſingulos uehementer eſt cohortatus, ut ſecũ pro
republica ſaluteq; omnium, aduerſus hoſtes bellũ
ſuſtinere, intentiſsimaq; cura gerere uellent. Spera-
re enim ſe, poſtquam ampliora iam Afrorum pedi-
tum auxilia, & ingentes Numidici equitatus turmę
appropinquarent, hoſtes non diu Guleta capta læ-
taturos: indeq; mox ad paranda quæ opus erant, o-
mnem induſtriam ſtudiumq; conuertit. prolata ſta
tim ex ærario ampliore pecunia, diſpenſataq; libe-
raliter inter Afros & Numidas, ut propenſiorũ con
firmaret amicitiam, & nouo beneficio dubios ob-
ſtringeret. Interea rex Muleaſſes ex ulteriore Numi
dia cum modico propinquorum & clientium comi
tatu ad Cæſarem in caſtra peruenit. Confederat in
ſella regia Cęſar medio in prętorio, in quod admiſ-
ſus eſt Muleaſſes ſuo cultu mitratus, cui lintea fa-
ſcia à mento demiſſa guttur protegebat, & tibias ta
laris adornabat ueſtis è ſerico uiridi, & cyaneo diſ-
color. Erat is procera ſtatura, ſubfuſco uultu, plane-
que uirili, ſed oculorum lumine ita peruerſo, ut ſpe
ctantes malignè contueri uideretur. Poſtquam ue-
rò exoſculatus eſt Cæſaris dextram, tapete ſubſtra-
to, humi collectis cruribus more patrio ſedens, per
interpretem in hanc ſententiam eſt locutus: Nullo
meo, ter maximè imperator, inſigni officio prouo-
catus, quod ita religiones quibus diſſentimus tule-
runt, in hanc terrã armatus, præclaro inſtinctu ma-
gni numinis, quod & nos pari pietate colimus, ſci-
licet ulturus ſummæ perfidiæ & crudelitatis tyran
num & prædonem, humani generis hoſtem atro-
ciſsimum, de quo propè iam partã, expugnata Gu-
leta, & capta claſſe, uictoriam ita prouideo, ut pro-
pediem eum maleficiorum omnium, te uindice, pœ
nas daturum ſperem: & eo quidem meo uberiore
gaudio, quòd fœlicitatis atq; uictoriæ tuæ fructus
ad me ſit rediturus, me quidem in paternũ & aui-
tum regnum reſtitues, quod à ſumma tua æquita-
te atq; uirtute ſupplex & exul ſperauerim. Erit e-
nim tibi in primis utile planeq; decorum, ſi me re-
gem antiquiſsima ſtirpe progenitũ, & magnis Nu-
midarum & Pœnorum propinquitatibus clientę-
liſq; ualidum complectare. Nec recuſo uel tributũ
pendere, uel me beneficiarij iuris nomine, Chriſtia-
ni imperatoris clientem profiteri. Fidei uerò meæ
nullus erit locupletior uades, quàm accepti benefi-
cij memoria, quæ apud me liberoſq; meos erit in-
delebilis, uel ob id præſertim quòd ingrati nomen
abominer & exhorream: perenniq; amicitia ueſtra
adeò propinquis è Sicilia Sardiniaq; præſidijs con-
firmari mihi opes, & Punicæ gentis ſtudia concilia
ri, non ignarus rerũ intelligã. Cæſar ad ea reſpondit
ſe eo animi decreto in Africã traieciſſe, ut multorũ
temporũ iniurias, quas Barbaruſſa cunctis regnorũ
ſuorum litoribus intuliſſet, armis uindicaret, male-
ficentiſsimum q; hominũ genus piratas excinderet.
Huic uoto ſuo piè concepto, Chriſti Dei numen ſe-
cundum belli ſucceſſum dare, aſpiraturum iam pro
culdubio, ut Tuneto capto, ſumma uictoria potireꝛ.
Tum uerò ſe cuncta ei quæ ex uſu rerũ fructuq; ui-
ctoriæ forent benignè conceſſurũ, modò fidem non
falleret, quę ſibi ſuſpecta tanquã Punica uideri poſ-
ſet, niſi eam beneficij memoria, regio in animo gra-
tiſsimè confirmaret, aut armorum metus abundè
tueretur: quando eiſdem uiribus, & regna beneme
ritis dari, & rebellibus adimi facilè poſſent. Muleaſ-
ſes maximè grauem ſe præbuit, tanquam priſtinæ
fortunæ

fortunæ ſuæ nihil oblitus, quum eum Cæſar porre A
cta manu humaniter complecteretur. Ita uerò co-
mem ducibus ſeſe oſtendit, ut ad ſpectaculum in e-
quo conſpici uelle, quum haſta longa peritiſsimè
quaſſata, & conuoluta in auerſos, & aduerſos i-
ctus, admirabiliter ſe exerceret, & ferò præliãtibus
noſtris admiſceri cupere uideretur: per ocium autẽ
cum philoſophis de natura uniuerſi, & de motu cœ
li, poteſtateq; ſiderum, exactiſsimè ex Auerrois di-
ſciplina diſputaret. Ei Cæſar tabernaculum tendi,
& hoſpitalis munificentiæ munera in quotidianos
uſus præberi iuſsit. Vaſtius & Albanus, & ſecundũ
hos reliqui proceres omni honore adhibito ſuſce-
perunt: cupientem uerò caſtra conſpicere, ſpectatũ
comiter deduxerunt. Nec multo pòſt, duces conſer
tis in arcano ſermonibus, diligenti percontatione
multa ab rege ad gerendum bellum opportuna di-
dicere. Hæc ſuo ordine ad Cæſarem perlata, eum in
ſua ſpe non dubiæ uictoriæ confirmarunt: isque to
tus in eam cogitationẽ generoſo conſilio incubuit,
ut nihil militaris ſtudij curæq; remittens, quàmpri
mum uniuerſas copias Guletæ, & Tuneto admoue
das decerneret. Cæterùm parandis his rebus, inſtru
endisque militibus, & noſcendis hoſtium conſilijs,
quum impenſe uacaret Cæſar, uaria noſtri quotidie
cum Numidis prælia ſerebant, ſic ut ſemel iuſta pro
pè pugna cum Barbaris certaretur, quæ initiũ hoc
modo habuit. Barbari æneis aliquot tormentis in-
ter oliueta diſpoſitis, pilas continenter in caſtra ia-
culabantur. Ea re cognita Cæſar, omnibus Italis, &
ueteranis compluribus Germanorũ Hiſpanorum-
que cohortibus aggeri & caſtris præſidio conſtitu-
tis, reliquas copias & equitatum educit, quum pau
lò antea Montegium equitatui Hiſpanico præfectũ
contra hoſtes præmiſiſſet. Cum Barbaris aliquan-
diu uario euẽtu certabatur, donec & ipſe dux Mon
tegius uel acerrimè pugnans, ſolido thorace Numi B
dica cuſpide perforato grauiter ſauciaretur, atq; æ-
grè ſeruaretur: & idem uitæ periculum uulnere ac-
cepto adiret Garzias Laſsius, non genere modò, ue
rùm poëtica lauro perilluſtris. In eo concurſu Cæ-
ſar ipſe, uti anre agmen armatus conſtiterat, diuum
Iacobum, quod eſt Hiſpanorum equitum tutelare
numẽ, pro teſſera clariore uoce inuocauit, & in Bar
baros ira inuectus eſt, ut non ducis modò intrepidi,
ſed pugnaciſsimi etiam militis officium præſtaret,
coronæque ciuicæ honorem promereretur, quum
Andream Pontium equitẽ è Bętica nobilem equo
perfoſſo deiectum, & grauiter in facie uulneratum,
ideoque circumuentum ab hoſtibus ſuo interuen-
tu ſeruauiſſet. Vni eo die è noſtris pauciſsimi equi-
tes Græci, duce Lazaro Coroneo, Barbaros ųſquea
deò mirabili feriendi atque eludendi arte præſen-
tique audacia repellebant, ut ſæpe dare terga coge-
rent. Per eos quoque dies accidit, ut Barbarorũ cir-
citer triginta milia ad occupandam turrim, in edi-
tiore antiquæ Carthaginis tumulo ſitã, magno ſtu-
dio & uelocitate contenderent. In ea turri Cæſar
quòd caſtris immineret, paulo antè præſidium pau
corum militum reliquerat. Barbarorum agmẽ ma-
gus quidam, ſacerdos Numida ſuperſtitioſo ululą-
tu edito præibat, ſpargens circumquaque quaſdã
ſyngraphas, quibus Chriſtiani nominis militibus
dirum exitium imprecabatur: iamque noſtros in-
cluſos turri, atque igne & fumo circumuentos ue-
hementer premebant, quum Cæſar ipſe protinus
promotis equitum & peditum aliquot ordinibus,
Barbaros inuaſit, atque omnes celeriter mago ſacer
dote ante alios interfecto, terrore perculſos in fugã
coniecit. Cæſar præſidio Guletæ impoſito, dirutæ
munitionis aggerem inſtaurari, captaque tormen-
ta, more noſtro ſubditis rotis reconcinnari iuſsit,
quæ magnis inſerta trabibus, & nauali rudique ar-
tificio armillis præcincta ferreis, neque uerti com-

modè, neque aptè dirigi facilè poterant. Indeque la A
tè explorata regione, quæ inter oliueta & dextros
ſtagni margines nudum & expeditum iter ad urbẽ
oſtendebat, caſtra promouit, ita compoſito agminũ
ordine, ut parati ad pugnã inſtructa acie, aduerſus
omnes inſidias incurſusque Barbarorum iter face-
rent. Ad lęuam Itali ſtagno proximi, Hiſpani ad de-
xtram oliueta ſpectantes, mediam Germanorũ pha
langem ſuo incedentem paſſu utrinque tuebantur.
Iuxta hanc erant tormenta, & ſecundum hæc impe
dimenta totius exercitus. Is principijs Vaſtius, pe-
nes quem conceſſu Cæſaris eo bello, eoque præſer-
tim die militaris imperij poteſtas erat, ſpeculabun-
dus & hortabundus uerſabatur. Albanus ualido e-
quitatu delectisque cohortibus confirmatus, in po
ſtremo agmine curabat. Cæſari in medio apud ue-
xilla locus fuerat attributus, cuius lateri cohærebat
Ludouicus Luſitaniæ regis frater. Italis peculiaris
erat adhortator princeps Salernitanus, Hiſpanis A-
larco dux uetus, & Germanis Maximilianus Eber-
ſtenius: ſed cunctis ordinibus adequitans armatus
Cæſar aderat, alacri uultu & fiduciæ pleno, comme
moratis ſuperiorum temporum uictorijs, quas ſibi
inuicta uirtute peperiſſent. Eo autem die ab ipſis o-
peram longè glorioſiſsimam expectare, poſtquam
aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes, qui eſſent iner
mes dimicandum foret. Itaque fortibus animis ar-
morum pondera, cedentis arenæ moleſtias, puluę-
ris & ſolis æſtum, & ipſam denique ſitim tantiſper
ferrent, dum conſpecto hoſte conferi manus poſ-
ſent. Victoriam profectò Deum diuosque omnes,
pro quibus pugnarẽt, haud dubiè prębituros. Ipſos
autem manere opulentæ prædę præmia, quæ ex di
reptione ditiſsimæ urbis expectari poſſent. Succla-
matum eſt à cunctis agminibus, ne his quas com-
memoraſſet difficultatibus angeretur, ſed ſperaret
ſuos milites cuncta incõmoda æquiſsimis animis B
toleraturos, ut egregiè pugnando ueterem ſpecta-
tæ uirtutis opinionem non fallerent, & ipſum non
in Africa modò, ſed Hieroſolymis recepto Chriſti
ſepulchro, ſupremum ſummæ glorię imperatorem
conſtituerent. Subduxerat Vaſtius è dextra Hiſpa-
norum acie quæ oliueto erat coniuncta, duas ſclo-
petariorum manus, quas manicas uocabant, quòd
cornuum inſtar diuerſo Italorum agmini, eo modo
erant coniunctę, ut admixtis eorum ſclopetarijs ad
olieta uſque longo tractu ſeſe extenderẽt, & cum
Barbaris diſperſim extraordinario pugnæ genere
præliarentur, Barbarię; ad poſtremum uſque agmẽ
carpendo ſigna uerterent. Verùm eos Albanus pa-
ri ordine per ſclopetarios, & inſtitutas ad id equitũ
turmas egregiè reprimebat. Iam ad ciſternas quas
Muleaſſes & plerique alij periti regionis indicarãt,
erat peruentum: hisque procul conſpectis, noſtri
ſub ardentiſsimo ſole ponderęque armorum, laceſ
ſente immodica ſiti fatiſcentes, potandi deſiderio
abruptim ordines deſerere, & ad eas citato curſu
deferri cœperunt, fruſtra uetante comminanteque
Vaſtio, qui magno incommodo diſſolui aciem, &
propinquos hoſtes ultrò ad rem bene gerendam ac
cerſiri noſtrorum impatientia prouidebat. Quum il
le retentando uerberandoq; nihil proficeret, eò de-
currit Cæſar, ut præſenti authoritate ægrè parentes
in ordine atq; acie contineret. Verùm ubi ualida atq
intoleranda ſitis ſudantia corpora perurgeret,
neque conſpectus Cæſaris, neque uis imperij quic-
quam ualebat, quòd multi tum propè exanimes in
arena procumberent, ita ut Cæſar quoſdam prope-
rantius ſe demergentes ut potarent, haſta tragulæ
percuteret. Tum quoque Arpinas inſignis centu-
rio, qui Tullij Ciceronis nomen ferebat, & ſub Cle-
mente pontifice Vrbis prætori Magaloto dextram
detruncarat, auidè potabundus in ciſterna perijt.
Per hunc modum temeritate caſtigata, celeriter or-

dines

dines ſunt reſtituti. Hoc autem meritò illis accidiſ- A
ſe uidebatur, quoniam Vaſtius pridie totis caſtris
pronunciari iuſſerat, ut quiſq; miles utriculũ aquæ,
aut uini lagunculam ſibi ad zonam ſubligaret: quã-
quã publica diligentia per acies opportuna aduer-
ſus ſitim remedia plenioribus uaſis circũferrentur.
Nec defuere qui propemodum exanimati, à proxi-
mo commilitone aquæ ſemihauſtum binis aureis
ægrè impetrarent. Compoſita igitur acie, ſigna ad-
uerſus hoſtes promota ſunt: Barbaruſſa enim ma-
gnis peditum & equitum explicatis agminibus, in
quibus Barbarorum conſuetudine multa ad terro-
rem inanem; ſpeciem uexilla ſpectabantur, ad ter-
tium ab urbe lapidem peruenerat, productisq; ali-
quot curulibus tormentis noſtrorũ aciem, uti præ-
dixerat Muleaſſes, perturbare conabatur. Vaſtius
crebrò diſplodente Barbaruſſa, neculum tameñ de
trimentum Chriſtianis ordinibus afferente, tormẽ-
ta proferri in primam aciei frontem iuſsit, ut his ad
uerſi hoſtes impeterentur. Ea uerò quum ægrè tar-
deq; adduci animaduerteret, quòd iugatis ſeruis &
funibus traherentur, curruumq; rotas arena deuora
ret, & pilæ ferreæ, ſulphureique pulueris cadi, remi
gum & nautarum humeris ſegniter comportaren-
tur, conſilium repentè mutat. Cæſarem edocet ſibi
nequaquam uideri contendendum eſſe tormentis,
in ea occaſione, qua milites pugnæ deſiderio incita
ti, ſumma omnium alacritate ſignum ſibi dari uehe
menter expeterent: rem omnino fortiſsimis militũ
dextris, fortunæque ipſius bono euentui ſemper a-
ſpirantis audacter eſſe committendãm, ne dum (in
quit) tormenta non ſemper magno uſui repentinis
in prælijs futura, ſerò expectantur inutili mora, au-
geatur Barbaris animus, & totus hic non dubiæ ui-
ctoriæ prænuncius militum animis conceptus ar-
dor importuna cũctatione refrigeſcat. Ad ea Cæſar
ab erecto in ſpem inuictoq; animo pugnæ auidus, B
Dauale, inquit, ſi tibi hoc probatur, quod diſciplinę
ratio mihi pariter oſtẽdit, ſigna canere iubeto. Hoc
ille extemplò faciam, reſpondit: ſubiungẽs æquum
eſſe, ut qui toti propè terrarũ orbi imperaret, ei pa-
rere condiſceret, quem graui cum onere pudoreq;,
eo die tanti exercitus ducem, abdicato imperatoris
nomine, eſſe uoluiſſet. Itaq; iure meo, inquit Daua-
lus, iam utor, iubeoq; ut hinc abſcedas ad mediam
aciem ubi ſunt uexilla, ne fortuito incidentis pilæ
caſu, uniuerſa communis fortunę ſalus uniuſ homi
nis periculo, inexpiabile ſubeat diſcrimen. Ad id
ſubridens Cæſar, & ne id timeret ſubdens, quando
Auguſtorum Cæſarum nemo unquam tormenti ui
olentia concidiſſet, confeſtim ad ſigna ſe contulit.
Itaq; pugnæ ſigno multo tympanorum crepitu, &
tubarum clangore edito, in hoſtes eſt procurſum,
aliquanto pleniore ordinum gradu, impetuq; præ-
ſertim leuis armaturæ, quàm ſol cuncta exurens de
poſceret, ut emiſſas ab hoſte pilas periculi ſpacium
emenſi, celeriter euitarent. Erat in primo procurren
tium fronte Ferdinandus Gonzaga, cuius eo die ex
traordinaria opera utebatur Cęſar, quòd nullum ei
eſſet certum in exercitu militaris imperij munus. Is
cõcitato equo primus omnium inſignem Afrorum
ducem haſta tràsfixit, diſtrictoq; gladio & repetitis
ictibus ita proximos perturbauit, ut conſequenti-
bus noſtris hoſtilem aciem facilè perrumpendã fu-
dendamq; præbuerit. Tanta autem exitit glandiũ
procella, ut ante congreſſum trecenti amplius ex
Barbaris ſternerentur: ex reliquis peditibus conſi-
ſteret nemo, ſed agminatim deſertis tormentis ad
Barbaruſſæ aciem confugerent. Is incumbentium
noſtrorum neq; uim, neq; conſpectum diu tulit, ſed
præ dolore atque ira dentibus infrendens, equum
cõuertit, in urbemq; cum Turcis eſt reuectus: poſt-
quam ſuſcepti cõſilij initia aduerſo conatu minimè
proceſſerant, nequaquam uniuerſo prælio decertari

dum rebatur, ut qui Cæſaris copias intolerandi æ- A
ſtus incommoda, multarumq; rerum, & aquæ præ-
ſertim inopiam non diu perferre poſſe crederet, ſpe
raretq; ab his hoſtium difficultatibus, præberi ſibi
poſſe occaſionem rei bene gerendæ, ſi tantiſper de-
fenſis urbis mœnibus cunctaretur. Numidarum au
tem, & Afrorum agmina, quæ noſtris undiq; circũ-
fuſa nihil memorabile geſſerant, ad Babaſuecham
atque Reſtabiam ſuburbana tecta diuerterunt: alij
ad Bardeos uſque hortos ſeſe extendere; reliqui in
Rabatinorum ædificia urbi coniuncta recepti ſunt.
Cæſar ea hoſtium fuga quorum centum miliũ nu-
merus eſſe ferebatur, magnopere lętatus, eodem in
loco ubi hoſtis cõſtiterat caſtrametatus eſt, inito ſta
tim ſuſceptoq; conſilio, ut ſequenti die omnem tor
mentorum apparatum Tunetanis mœnibus admo
ueret. Interim Barbaruſſa nõ obſcuro pericuſus me
tu multisq; ſimul diſtractus curis, ſeiplo factus atro
cior, iniuſtitiæ crudelitatis conſilium cepit, occiden
di ſcilicet ſeruos Chriſtiani nominis, ita circumpo-
ſito & incenſo tormẽtario puluere, ut ad unum om
nes in ergaſtulis concremaret: certus id exequi, ni-
ſi Iudæus Sinas execrabile facinus diſſuaſiſſet, teſta
tus huiuſmodi conſilium uiro forti, tot uictorijs in
clyto, regijq; diadematis honorem præferenti, indi
gnum exiſtimari, quando non multo pòſt eſſet fu-
turum, ut patrati tanti ſceleris ipſum maximè pœni
teret. Quid enim eſſe aliud quàm concepti ſummi
timoris, & ſupremæ deſperationis indicium? quæ
duæ res aſperum ſuſtinenti bellum grauiſsimè no-
cerent, & anteactæ uitæ decora deturparent. Cauẽ-
ret proinde, ne ex atrociſsimi facti fama, Solymani
imperatoris inexpiabile odium aduerſus ſe concita
ret, qui omnis inhumanæ feritatis expers, immania
ſcelera deteſtari, & uindicare conſueſſet. Viuere igi
tur ſineret Chriſtianos fatalibus ſuis uinctos cathe
nis, quàm diu ſors ferret, qui diligentiſsimè cuſtodi
ti atque inermes, non multo pòſt uſui eſſe, nec ſine
certa pernicie ſeſe commouere poſſent, ſi inauſpica
ta libertatis cupiditate tenerentur: ab his profectò
nec dari hoſti, nec ſibi eripi, uel deniq; morari ſpera
tam uictoriam poſſe. Erubuit ad hæc tyrannus, con
ceſſaq; miſeris uita, arce eſt egreſſus, & in longè ma
ximum urbis templum concionaturus ſe contulit:
illuc enim principes Tunetanorũ euocarat, ut quæ
ad defenſionem urbis paranda eſſent perdoceret,
eorum uerò animos adhortatione confirmaret, qui
bus iam pridem arma tãquam ſuſpectis ademiſſet.
Hæc agente Barbaruſſa, maximè lætus & felix mi-
ſerrimis ſeruis dies illuxit, mox ateſ conuerſa fortu
na, ualdeq; funeſtus Barbaris reditурus. Id namque
diri tyranni uotum non diu tegi celariq; potuerat,
certus ſiquidem barbaræ crudelitatis imminẽtisq;
adeò atrocis periculi rumor per totam arcem, uſq;
ad ergaſtula permanarat, miſericordia quorundam
libertorum, qui domini truculentiam abominati ta
ctiq; religione, animos ad ueterem ueramq; pietatẽ
reuocarant, primates ſeruorum ſibi notos per ſecre
ta colloquia ad libertatem excitantes. In his fuere
Franciſcus è Medelino Hiſpanię oppido, & Vincen
tius Cataſeus Dalmata, deſectæ uirilitatis eunu-
chus. Hic Giafferagas uocabatur. Illum à pueritia e-
ducatum, & Arabicas edoctum literas, Hariadenus
in delicijs habuerat, & Memim appellabat. Hi duo
memorabile maximeque pium facinus auſi, patefa
cto carceris aditu, erectis in occaſionẽ, & audacter
conſurgentibus, ad abrumpendas cathenas inſtru-
menta præbuerũt: atq; ita præclaro magni Dei mi-
raculo, circiter ſex milia nudorum hominum, uarijs
rebus, ſaxisque præſertim dextras armantium, in
Turcas erupere, tumultuarieq; interfectis aliquot
Turcis, totam occupant arcem, armamentarium re
fringunt, atque omni regia gaza, commeatu, armis-
que potiri, ab excelſa parte arcis de ſua uictoria Cę-

sarianis significât, partim fumo, partim flammis ab incenso sulphureo puluere excitatis, expansoq; demum uexillo, quod Sarmentinę cohorti apud aggeres ademptum fuisse docuimus. Hęc tametsi dubię significationis argumẽta, nostri in multo spacio nequaquam pręclarè perspicerent: crebris tamen Tunetanorum ad Cęsarem, Muleassemque transfugijs adducebãtur, ut grauem omnino apud hostes exortum esse tumultum crederent, & Cæsar cum expedita manu Giahenum & Buccanigram, qui seruis opportunè rebellantibus opem ferrent, ad explorãdum urbi atq; arci appropinquare iuberet. Interea Hariadenus Iudæo in primis, qui importunè obsistendo expeditum, & salubre consilium euertisset, falsisq; item dijs suis crebrò maledicens, ad arcem reuertitur. Obserata ianua supplex & propè lachrymans seruos orat, mœnia portamque tenẽtes, ut se cunctis parcere integra fide paratum extemplò recipiant. At illi ueteris nouæq; fortunæ suæ memores, iustoq; exacerbati odio, in eũ certatim lapides conijciunt, adiectisq; contumeliosis uocibus submouent, sic, ut ille ira & dolore præceps, & furens, in cõspectos sua manu sagittas dirigeret, & rebus planè perditis & conclamatis, deformem in fugam uerteretur. Secuta sunt fugientem Turcarum agmina, quorum numerus septem milium summã implebat, eo cõsilio, ut ad urbem Hipponam, quam hodie Bonam uocant, diui Augustini præsulatu celebratam, se conferrent. Ibi enim suas triremes conscendere, mariq; potius quàm terra reliquos fortunæ suæ casus experiri uolebant: quoniam Hariadenus in stagno iuxta urbem & arcem influente, triremes quatuordecim tanquam in statione tutissima reliquerat, ad incerta belli, si opus foret deducẽdas. Armamenta autem cum remis atq; tormentis depositа erant in arce, quam suo præsidio tuebatur. Cæsar ubi hostem desperatis rebus effugere, Bardeosq; prętergressum hortos, extentis itineribus properare certius didicit, Tuneti portis omnes copias admouit. Aduentanti præstò antè affuere ciuitatis magistratus, qui allatis portarum clauibus deditionem facerent, eique incruentę uictoriæ felicitatem gratularẽtur: se autẽ gratissimo animo, quòd essent sæuissima Turcarum tyrannide liberati, cuncta quæ imperaret, protinus esse facturos. Id unum petere ab æquitate optimi & clementissimi imperatoris, ut milites extra urbem in castris continere, & ciuitatem cumulato obstrictam beneficio, inuiolatam prestare uellet, postquam Muleassem antiquissimæ stirpis ipsorum regem, singulari benignitate reducẽdum adduxisset. nihil enim milites ex urbanis rerum omnium copijs, quę suppeditari possent, esse desideraturos. Pro suis quoque ciuibus deprecator aderat Muleasses, uehementer de ciuitatis salute solicitus. Sed Cæsar quanquam ad id præstandum satis propenso animo esse uideretur, tamen quòd de Punica fide nõ temerè dubitabat, & quam Tunetani per Muleassem pecuniam se in stipẽdium præbituros antea promisissent, astutè & cunctãter extrahendo tempus expedirent, utpote qui de supremis Barbarussę consilijs euentum expectabant, utid prolixè polliceretur adducinõ poterat, & quo minus Pœnis quicquam certum de eorũ salute promitteret, uel ob id admonebat, quòd turbidas frementium militum uoces audiebat. Suspẽso adhuc Cæsare, Vastius cum parua manu ad arcis portam accessit, & à seruis qui se in libertatem uendicarãt, cum insigni gratulatione receptus est. Inspectanti autem Barbaricas opes, & totum arcis apparatum, seruus Ligur absconditæ pecuniæ latebras indicauit. Demersserat enim Barbarussa in cisternã ad triginta milia nummũm aureæ monetæ, pluribus infutæ culeis. Hos expiscatus Vastius, à Cæsare prædæ donatiuiq; nomine, ut sibi concederentur faciB lè impetrauit. De se enim omnibus bellis optimè meritum, & ex natura liberalis ingenij inter principes eius ætatis maximè largitorem, eo munere dignissimum existimabat. Verùm arce inexpectata felicitate in potestatem redacta, & iam diripientibus cuncta seruis, miles diutius contineri non potuit, quin agminatim intraret urbem, & per cunctas regiones ad prædam discurreret, Tunetanis nihil ferè hostile expectantibus, & magno ciulatu edito, Muleasis fidem frustra implorantibus. Primus inhian tium prædę impetus, uti inuadentium, & effringentium fores uarij casus tulerũt, promiscua cæde cruẽtus fuit. In eo cadentium miserorum strepitu, lugente obtestanteq; Muleasse, Cæsar fœuitię modum imposuit, pronunciarique iussit capitale fore, si quis Tunetanum uiolaret ciuem, aut in seruitutem abduceret. Cæsar ingressus arcem, seruos, qui clarissimo facto summæ parandæ uictoriæ occasionẽ præbuerant, collaudauit, diuisaq; uiritim certa pecunia qua sese alerent, liberos fore dixit, pollicitus nauigia, & commeatum quibus in suas terras transportarentur: Medelinum autẽ, & Giafferam, quos Barbarussæ alumnos, & effringendi ergastuli authores fuisse docuimus, pecunia uestęq; donauit, à quibus postea multa de Barbarussæ consilijs, arcanisq; moribus didicimus. In ea arcis direptione tria incomparabilis iacturæ detrimẽta Muleasses deplorauit, Arabicorum uoluminum in primis, quæ conturbata atq; direpta bibliotheca perierunt. Asseruabãtur enim antiquissimi codices, non disciplinarũ modò omnium præcepta, sed superiorũ etiam regum res gestas, & Mahometanæ superstitionis interpretationem continentes, quos rex ipse postea se unius urbis precio (si fieri posset) auidè redempturũ disserebat. Secundo loco fuit unguentorum odoratique Indici aromatis officina, in quam patris Mahometis exemplo, prodigiosi sumptus, inusitatęque luxuriæ orientis opes contulerat. Siquidem pumbeis in loculis, eburneisque arculis tanta uis ambræ, muſci & zibeti (harum rerum antiqua uocabula adhuc ignoramus) in balnei quotidianos usus, & nocturnos diurnosque cubiculorum suffitus erat recondita, ut ingentis auri ponderis precii excederet. Quæ tamen omnia Hariadenus uictor, militari duritia subagrestis, & damnarat, & effuse cõtempserat. Postremò uaria maximeque preciosa pigmentorum genera, ab ignaris seruis atque militibus, præsentis tantum, & manifesti lucri spolia quærentibus, stultè prętermissa dissipataque sunt. Nam acerui plures cærulei trãsmarini, quod cyaneum efficit colorem, & à Græcis authoribus lazurium uocatur, in armarijs reperti sunt: multique culei, cocco, & lacca Indica pleni, quæ purpuræ colorem æmulantur, & à pictoribus eximijs, & lanarum telæque sericæ infectoribus magno coëmuntur precio. Quæ omnia tũ fœdè pessundata nemini prædæ futura disperierũt. Ingẽs quoque baliſtarum, & nostri moris telorum & armorum, thoracumque pręsertim ex laminis, & galearũ apparatus est repertus: agnitæq; sunt in his calsides, ocreæ, femoraliaque Gallorum equitum, ab eo tempore quo Ludouicus rex Galliæ Tunetũ ante trecentos annos obsederat, à Pœnis de Christiano hoste parta, quæ ad eius belli memoriam custodita seruabantur. Interea Hariadenus ad Bagradam amnem, qui Maiordech à Barbaris appellatur, iter intendit, uadoque propter ætatis siccitates facilè reperto, transgressus est, nequicquã persequente uel lacessente Numidarum ala, quam Muleasses ex ueteribus amicis, aunculique Doracis clientibus coactam, abeuntes Turcas persequi iusserat. Eo nanque ordine Barbarussa iter habebat, ut postremo suorum agmine, certis sclopetariorum & sagittariorum prædijs more militiæ confirmato, neq; manus conferere, neq; appropinquare quidem aufos fa-

sos facilè cõtemneret, & Hipponam omnibus suis A incolumib. uti statuerat, intactus euaderet. In trãsitu tamẽ Bagradæ amnis, Haydinum Smyrnæũ inclyti nominis piratam desiderauit, quũ is in magno solis ardore, longoque itinere fessus, & multo adipe prægrauis, cogente siti ex profluente auidius potando, disruptis prærcordijs in ripa expirasset. Hariadenus ubi Hipponam peruenit, primum omnium recreandis copijs bidui quietem dat, concioneque habita uniuersos consolatur, hortaturque ut quodcunque incommodum iniqua fors attulerit, id nequaquam hostium uirtuti, sed seruorum perfidiæ tribuendum existimare uelint: fortunam inuictis patientissimisque animis ferendam, eamque nouæ uirtute conciliandam arbitrarentur. Sibi esse in animo classem educere, atq; inde continuò Algerium proficisci, ubi maioribus præsidijs comparatis, classeque adaucta, & nouo suscepto consilio, rem ipsorum uotis parem, & sua existimatione non indignã sit ausurus. Nunquã ulli duci ab aduerso rerum euẽtu fracto subactoq;, alacrioribus animis à militum corona fucclamatum fuisse memorant, quum ultro deposcerent, ut quæ uellet, uel grauissima atque asperrima uniuersis imperaret: nihil enim se recusaturos, modò ad rem gerendam educerentur. Itaq; incredibili studio & promptissimis suorũ uiribus fretus, triremes quatuordecim demersas in stagno, ipsoq; profluentis fluminis uado, admirabili celeritate educit, suisq; impositis armamentis protinus exornat. In margine stagni aggerem erigit, productaq; munitione in eam tormenta cõfert, non inani coniectura iudicans, non multo pòst nostrorũ classem affuturam, ut egressum impediret. In eo quoq; consilio Cæsar & Auria pari ratione uersabantur, ut hostem euadere parantem præoccuparent: rati eius classem priusquam deduci adornariq; posset, si pars ipsorum classis eò mitteretur, tormẽtis in statione B demersuros. Ad eam rem cõficiendam, ab Auria deligitur Adamus centurio Genuensis, non magnopere rei naualis peritus, sed affinitate Auriæ & multis diuitijs æquè fidus & potens. Is certum triremium numerũ socijs imperat, & sublato uexillo cum quatuordecim tantum rostratis ad Hipponam prouehitur, certam facilemque uictoriam, ingentemque inde sibi laudem de imparato hoste se adepturum sperans, quòd in apparatu instruendæ classis occupatum Barbarussam fore crederet. Sed postquã Bisertum præteruectus Hipponæ appropinquare cœpit, Barbarussam incomparabili celeritate classem eduxisse, & munitionem tormentis instruxisse certius didicit. Qua re uehementer perturbatus consilium mutat, monẽtibus trierarchis, ut omnem certaminis aleam deuitaret, quòd in sociorum triremibus, Hispanicis præsertim, Siculis & Neapolitanis, rari essent propugnatores, ut qui ad prædæ spem antea iniussu in terram descendissent, ideoque iniquissima conditione cum Barbaris numero feritateque præstantibus pugnaturus censeretur. Itaque opportunè prudens obuerti proras iubet, & uelis remisque regreditur, ut maiorem partem classis ac cersar. At Barbarussa, uti postea cognitum est, diu in incerto habuit, an nostrorũ classem ad spem uictoriæ consequeretur, postquam pari triremium numero foret confligendum: an potius in uetere proposito petendi Algerij persisteret. In hanc sententiam inclinarunt trierarchi, ignari prorsus infrequentiæ imbecillitatisq; nostrorum, atque ita occasione magni certique prouentus prętermissa, modico Turcarum præsidio arci impositio, oram soluens Algerium enauigauit. Redeunte autẽ Adamo rebus infectis, pleriq; principes ęgerrimè tulerunt, quòd incuria quorundam imperio ægrè parentium, & flagitio socium naualium, qui ininssu in litus descẽdissent exoptatæ uictoriæ occasio elapsa uideretur. Cæterùm

Auria grauiter indignatus sibi & suis, nec tamẽ desperans hostem se adipisci posse, cum tota sua peculiari classe, cæterisq; ualidioribus sociorum rostratis, Hipponam contendit. Cognito autem Barbarussæ discessu, urbem cepit, murosq; diruit: arci uerò quam tormentis in potestatem redegerat, præsidium imposuit, duce Aluaro Gometio, regressusq; est ad Cæsarem. Cæterùm Gometius, tametsi uir erat bello fortissimus, usque adeò tamen auaritia et ga hostes pariter & socios euasit infamis, ut iudicij metu manus ad turpem uitæ exitum sibi conscisceret, & Cæsaris iussu arx ipsa, quę nõ nisi magno sumptu defendi poterat, funditus euerteretur. Exinde consultatum est de Muleasse, Cæsarq; eum Tuneti regem maiorum suorum cõsuetudine regnaturum constituit, binosq; tantum falcones ad aucupium, & binos è Numidia pernices equos tributi nomine quotannis imposuit, ea cõditione, ut Christiani nominis amicus, Turcarum uerò gentis perpetuus hostis, Cæsaris nomen coleret, & Guletano præsidio, quod ex Hispanis amplius mille imponebatur, stipendium persolueret. Cogitatũ subinde est de oppugnãda urbe Africa, quæ in Adrumentino sinu ualido Turcarum præsidio tenebatur. Hæc urbs antiquitus parua Leptis fuit, hodie à nostris Africa, & à Barbaris Mahemedia appellata. Sed aduersæ tẽpestates, classem superare Clupeæ promontoriũ (hæc hodie Calibia dicitur) & sese in sinum Adrumentinum, quem uocant Mahometæ inferre prohibuerunt, atq; ita classis Siciliam tenuit. Cæsar Panormi & Messanæ triumphali pompa exceptus est, donatusq; passim pecunia, Rhegium traiecit, & per Brutiorum oppida hospitaliter à Sanseuerino Besennino regulo susceptus, Neapolim peruenit. Quũ esset in itinere, nunciatum ei est Franciscum Sfortiam è uita decessisse, cuius morte grauissima exorta sunt B bella. Nam Franciscus Galliæ rex, Cisalpinæ Galliæ imperium à Cæsare sibi cõcedi postulabat, cum suo iure antiquæ hæreditatis à Valentina Vicecomite repetito, tum præclara Maximiliani Cæsaris cõcessione, qui id tabulis ritè confectis, acceptaq; honorarij muneris pecunia, Ludouico regi post exactum captumq; Ludouicum Sfortiam adiudicasset. Sed Cæsar non ignarus quantum sibi authoritatis, potẽtiæ, & certi quotidianæ pecuniæ prouentus ex Galliæ Cisalpinę possessione imperioq; accederet, ullis precibus adduci non poterat, ut opulentissima Italiæ pars, præpotentibus Transalpinæ Galliæ regibus adjiceretur. Hos enim parto Mediolanensi imperio (uti eos iampridem feciſſe meminerat) minimè quieturos existimabat, sed auiditate proferẽdi imperij aliena ipsius q; in primis regna protinus inuasuros. Neq; eum quo minus constanter in sententia sua maneret, Italię principes deterrebãt, quibus potentiam suam tot auctam opibus, magnopere suspectam, ideoq; formidãdam intelligebat, uti recenti exemplo didicisset, quum illi authore põtifice ad arma consternati, cum dira rerum omnium perturbatione, uel sæpè uicti multatiq; omnibus aduersæ fortunæ malis, hoc pertinacissimè expostulassent, & demum impetrassent, ut Mediolanum Francisco Sfortiæ redderet, Hispanosq; milites omnibus populis graues, deduceret. Ex aduerso Frãciscus nihil æquum, in seq; propensum à uoluntate Cęsaris expectans: nec tamen ea in re animum desponděs, ut qui armis aduersus Cæsarem primus uti nollet, extincto Sfortia, in Carolum Sabaudium arma uertit, ut per eius ditionis fines expeditum sibi iter in Italiam pararet. Causam autẽ inferendi belli hanc præferebat, quòd Sabaudius Nicæam Prouinciæ urbẽ, antiquitus à Gallis certa pecunia oppignoratam sibi eripi nollet, ne opportuna & munitissima urbe, quæ Galliam ab Italia disterminaret, exueretur, rege eam plurimum flagitãte, restitutaq; pecunia redi

mere contendente. Is enim urbem excelsa arce uali
dam,& propter Herculis Monœci portum,magnas
nauigationibus commoditates afferentẽ, si bellum
gerere oporteret, magno sibi usui futuram prouide
bat. Alienarat rex iampridem animum ab amicitia
Sabaudij grauibus ictus offensionibus. nam is, ta-
metsi Francisco erat auunculus,uxoris tamẽ Lusita
nę illecebris deprauatus,defatigatusq; assiduis pre
cibus (hæc erat uxoris Cæsaris germana soror) ne-
glecto Gallo, se totum ad authoritatẽ nutumq; ui-
ctoris Cæsaris ita contulerat,ut urbem Astam ab eo
sibi dono oblatã accipere non recusaret, filiumque
tanquam fidei obsidem in Hispaniam Cæsari edu-
candum mitteret, quæ tum importunè atq; impu-
denter admissa fuisse Galli differebãt:nullum enim
Gallo certius erat, in Italia patrimonium ipsa urbe
Asta,quam amplius centum annos sine controuer-
sia possedisset. Verùm eam Cæsar qui Gallos Italia
penitus eiectos, ulla ad spem reditus in Italia certa
sede potiri nolebat, auidè expetenti Lusitanæ, nec
abnuenti uiro eius facilè concessit, quæ urbs con-
iuncta incluſaq; Subalpinis oppidis,Allobrogico re
gno præclarum amplitudinis & roboris decus ad-
ditura uideretur.Fuit aliquandiu magno consiliorũ
æstu iactatus Sabaudius, uir egregiè probus ad æqui
tatemq; procliuis,nec alieni unquam appetens,nisi
esset uxorius, an Gallo regi de Nicæa obsequẽdum
foret, quum in ea nullum aliud quàm inueteratæ
possessionis ius sibi esse fateretur. Verùm Fráciscus
Sfondratus,senator è Mediolano, Cæsaris nomine
legatus in Allobroges missus, eũ ab huiusmodi con
silijs impense deterruit,testatus eum aduersus Cæ-
sarem facturum,si quicquam cum rege Gallo pepi-
gisset.Eo modo Sabaudius ne Cęsarem offenderet,
cognationis iura,& Allobrogum principum ueterẽ
amicitiam,quæ hactenus cum Gallię regibus inuio
lata permanserat, ea minaci obtestatione perterri-
tus,tueri non potuit,miserabili profectò conditio-
ne,quòd quum neutrum offendere uellet, utriq; de
mum, sicuti mox euenit se prædæ futurum prospi-
ceret.Nec mora Galli,duce Philippo Sciabotto,quẽ
à prefectura maris Ammirantẽ uocabant,coactis co
pijs,eum Transalpinis oppidis,quę pertinẽt ad Al-
lobrogum fines, inermem desertumq; ab omnibus
exuerunt: transgressiq; alpes,aliquot munita oppi
da Subalpinæ regionis,in primisq; Taurinum,Fos-
sanum,Penarolum, & Cherium occuparunt:ac nisi
Antonius Leua eductis Mediolano copijs, cuncta
inuadentibus occurrisset, repressaq; Gallorũ auda-
cia,iusti exercitus uim rebellantibus ostendisset, fu
turum erat,ut Vercellæ, & magna pars Subalpinæ
ditionis in potestatem Gallorum deuenirent.Neq;
tamen ulla res in ipso bene cœptæ, prouenientisq;
uictoriæ cursu Philippum magis retardauit, quàm
Ioannis Lotheringiæ cardinalis aduentus. Is enim
à rege ad Cæsarem cum amplissimis de pace man-
datis missus, ubi in castra ad Taurinũ peruenit, sua
authoritate, quæ apud regem erat eximia,Philippo
persuasit ut subsistere citra Duriam amnem, neq; ul
terius arma proferre uellet, ne summæ spei paratæ
pacis atq; concordiæ occasionem,offenso exacerba
toq; Cæsare corrumperet.Id Lotheringi consilium
ægrè admittebat Philippus, detestantibus præser-
tim ducibus,peritioribusq; præfectis tanquam im-
portunum, inutile & graue mox incommodum ex
sera pœnitentia gerendis rebus allaturum. Aderant
enim lectissimi proceres ducesq;, & præter Gallos
in queis eminebant Montegianes, Palicia, Burrias,
etiam Italici nominis Stephanus Columna, Paulus
Rentij Ceritis filius,& Sergianus Carraciolus Mel-
phię regulus.Sed contra omnes Lotheringi senten
tia ualuit,uel ob id quòd Philippus eius uiri digni-
tati,& ad rem cõficiendum ab arcano regis peculia-
ris officij summam authoritatem afferenti tribuen-

A dum putaret, & se satis his belli prosperis initijs ad
laudem profecisse uideretur. Ad id inexpectatũ in-
gratę pacis nomen, milites gerendarũ rerum studio
uehementer incensi,extẽplò perturbatis deiectisq;
sua spe animis,usq; adeò indignanter in iram exar-
serunt,ut pleriq; præ dolore gladios abijcerent,ha-
stasq; diffringeret, iactis in ducem probris, tanquã
non postea resumpturi, uel si imperio iuberentur,
postquam importuna cessatione imperator uti pa-
rum bellicosus imperitusq; rerum,sese à cogitatio-
ne belli,cursuq; uictoriæ,ad incertæ pacis spem con
uertisset.Neq; id postea militaris iudicij factum ira
ne extitit,quando & tum paratam uictoriam inter-
pellasse, & graues demum Gallico nomini clades
importasse uideri potuerit. Eo namq; intempestiui
consilij decreto,non multo pòst Philippus,non in-
scitiæ modò,sed proditionis propè apud regem ac-
cusatus,tanta exarsit inuidia, ut honore bonisq; se-
uera damnatione spoliaretur,atq; inde summã cala
mitatem aditurus esset, nisi fœdis probris laceratũ
prostratumq; ab exilio,uxoris affinitas & clemẽtia
regis erexissent.Hyemarat Cæsar Neapoli amœnis-
sima in urbe, excultus procerum omnium liberali-
bus officijs:& quod ad popularitatẽ pertinuit, per
ocium carneualium dierum, qui pro Lupercalibus
à nostris instituti sunt,Tunetanę uictoriæ lętitiam,
editis equestribus ludis, magnificentissimè repræ-
sentarat, in quibus ipse Mauritiaco cultu decurrit,
saltantiumq; illustriũ fœminarum choreis, remissa
ingenij seueritate, personatus interfuit:eo quidem
licentius,quòd per eos dies Margaritã filiam,Alexã
dro Medici iam pridem destinatam , celebratis nu-
ptijs in matrimonio collocarat,præclara cum laude
summæ probitatis, quòd nõ secus ac uiuo Clemen
te uereribus promissis integrã fidem attulisset: quã
quam ne id faceret,interpellaretur à Florentinis pa
tritijs,qui exules facti Neapolim coibãt,usq; patro
cinio Saluiati & Rodulphi cardinalium,Alexandrũ
omni existimatione,principatuq; Etruriæ,& denique uxore, uel paratis nuptijs spoliare nitebantur,
quum uno consensu ingentia auri pondera quotan
nis offerrent, si repudiato genero, eoq; Florẽtia exa
cto,ciuitati pristinam libertatem restitueret.Eum si
quidem spurium ex agresti ancilla genitum, immi-
temq; nobilissimæ patriæ tyrannũ, scriptis atq; edi
tis orationibus appellabant. Sed Cęsar ciuitatẽ Gal
lico nomini non obscurè fauentem, optimoq; belli
iure propter infidelitatis noxam, omnia hostilia de
se meritam ira oderat, ut omnes restituendæ liber-
tatis conditiones repudiandas iudicaret: eo præser
tim tempore, quo excitari ingẽs bellũ prouidebat,
quum paulo antè ab ipsis exulibus Hippolytũ Me-
dicem cardinalem ab Alexandro, qui patruelis erat
frater,deprauatum atq; diductũ meminisset,ut eo-
rum dissidio Mediceæ domui excidium pararetur.
Hippolytus siquidem exules Florẽtinos, ueteresq;
familiæ hostes sibi asciuerat,uanitate ingenij indu-
ctus,ut per eos Alexandro atroces insidias molire-
tur.Eum enim astuti homines,ualidaq; facundia &
miris consulendi artibus instructi, eò peruersa atq;
insana ambitione correptum perpulerãt,ut Etrurię
principatum in sua fata præproperus affectaret,ab-
dicareq; se honore purpurei galeri uellet, atq; inde
ad eiusdem filiæ Cæsaris nuptias aspiraret,quod ni
si sublato Alexãdro fieri non poterat. Cuncta enim
tum sibi secunda,si Cæsaris gener euaderet,ob uen-
tura confidebat. Itaq; dum in eius insani sceleris co
gitatione uersaretur, per Baptistam Ciboum Massi
lienſem episcopum,Innocentijq; pontificis nepotẽ,
teterrimam necem ex incenso tormẽtario puluere
Alexandro machinatus est.Harum autem insidiarũ
indicia Deo maximo detegente ab Alexandro de-
prehensæ sunt,atq; illico Romam ad Paulum pon-
tificẽ delata. At pontifex tametsi ruituræ Mediceæ

domus

domus excidio, quod aliena cũ inuidia pararetur, A
mirè gauderet, in spem scilicet ingentis lucri ex am
plissimis sacerdotijs,quę in Farnesios nepotes trãs-
ferrentur:tamẽ Alexandri iniuriã omnino negligere uideri noluit, quũ Octauianũ Zengã hominẽ fa-
cinorosum ex Hippolyti satellitibus,nefarij cõsilij
cõscium comprehendi iussisset. Eo capto Hippoly
tus uehementer exterritus, detectæq; malignitatis
suæ pudore confusus, ex urbe in Catilũ Tiburtini
agri castellũ profugit, atq; indenon multo pòst ex
pœnitentia cõcepti facinoris commutata uolũtate,
ad sanitatem redire, & quorsum euaderẽt maligna
exulum consilia serò agnoscere cœpit, sic ut Alexan
dro se conciliare,& à Cæsare pacis conditiones acci
pere percuperet. Qua de causa Neapoli cõducto na
uigio, ad Cæsarẽ in Africa bellum gerentem enaui-
gare properabat.Verùm Petro Toletano prorege ei
nauigiũ pernegante, ad oppidũ nomine Iter,Funda
ni agri, quod est uiæ Appiæ impositũ, inops cõsilij
substitit:ubi oborta pestilenti febre, iuuenis longè
omniũ eruditi ingenij nobilitate, decore uultus,&
il lustris uitæ splendore florentissimus, sexto die ex
humanis est ereptus, magna hercle exulum lætitia,
quorũ Philippus Strozza erat princeps, & põtificis
cõmodo, quũ hic eius spolijs suos ditaret, illi uerò
uno erepto alterũ tanquã fratris ope destitutũ, uti
mox euenit facilè tolli posse diuinarẽt.Nec defuere
exules authore Strozza,qui eius immaturæ mortis
causam ad uenenũ referre contenderent, ut Alexan
dri existimatio, ea infami suspicione suggillari uide
retur. Verùm obid Andreas Etruscus epulas mẽsis
inferre solitus, temerè accusatus, quum diu tortus
fuisset, & nihil de ea re confiteretur, carcere tanquã
insons eductus est,affirmãtibus præsertim medicis
nullũ esse uenenũ, quod certo ex interuallo laceſſe-
ret & fureret, sicut in tertiana febre bilem efferue-
scere uidemus.Nec multo pòst Cæsar audiendis po B
pulorũ querimonijs, qui inusitata regulorũ acerbi-
tate auarissimè se uexatos & expilatos conquerebã
tur,seuerè intentus,didicit minoris insulæ Balearis
populũ,à Barbarussa supremam cladem accepisse.Is
enim,ut suprà docuimus,fatali nostrorũ incuria,er-
roreq; maximè pœnitẽdo,Hippona elapsus,ubi Al-
gerium peruenit, refecta classe,eaq; nautico cõmea
tu optimè instructa, & cura rerũ Asani filio,cui tu-
tor atq; adiutor Salecus aderat,demandata Byzan-
tium enauigare cõstituit,eo animo,ut ex itinere pre
dabundus Cæsarianæ ditionis orã percurreret.Pri-
mum autẽ omniũ in Ramadam Boëtiũ, Tunetanæ
arcis præfectum,capitali supplicio animaduertit,q;
minus intẽta custodia carcerem ergastulaq; nexorũ
obseruasse, indeq; totius amissi regni cladem attu-
lisse putaretur. Hunc inter libertos Christianæ reli
gionis desertores, longè charissimũ habuerat,soler
ti eius planeq; Bętico ingenio,in omni hactenus rei
bellicæ negocio magnopere delectatus & adiutus.
Ab Algerio itaq; oram soluens,in Magonis portum
minoris insulę Balearis, Barchini Magonis,ut credi
par est,unde nomẽ acceperit,morte & tumulo nobi
lem,se intulit,Punicoq; ad fallendum usus dolo,ita
intrauit,ut Cæsarianæ classis specię,explicatis Chri
stianorum insigniũ uexillis præberet, & ab effusis
ad spectaculũ oppidanis,multis de more tormento
rum bombis salutaretur.Magnum enim numerum
huiusmodi uexillorũ, Barbari uarijs casibus, Portũ
doque præsertim Hispanicæ classis præfecto,super
Sardinia aliquot ante annos oppresso, nostris ade-
merant. Adiuuit etiam astum dolosi hominis Lusi-
tana nauis,quę in eundem portum tempestate im-
pulsa anchoras iecerat. Præfectus nanq; eius Con-
saluus Perelia, eadem captus imagine,pilas ferreas
tormentis eximi, eaq; inani sonitu ad lætitiæ signũ
honoris causa displodi iusserat. Sed postquam à tot
rostratis repentè circumuentus,Barbarorum ora,&

peregrina arma,simulatæq; amicitię dolos propius A
& certius agnouit,serò sese atq; nauigiũ strenuè tu-
tari conatus, à Barbaris cruẽto certamine expugna
tus,trucidatusq; est:iniquiore etiã eius sorte, quòd
nauigium reticulato ex funibus uelamento cõtegi
muniriq; solitũ, tum fortè tanquã tutissimo in por
tu minus necessario, eo munimine careret. Capi e-
nim non posse uidebatur, nisi certa cum pernicie in
silientiũ,quum inferius per castella & foros parata
essent uenabula, quibus conscẽdere ausi transfode
rẽtur:& ualidis colubrinarũ ictibus rostratas facilè
perfringi demergiq; posse appareret, nisi Perelia ea
rũ globos pernicioso adulationis officio incautus
eximi iussisset. Eo modo Lusitanis ad unum inter-
fectis,Barbarussa ad oppugnandũ oppidum tormẽ
ta conuertit:sed quum oppugnatio,fortiter se tuen
tibus oppidanis,Turcis durior euaderet, præfectus
imbellis,metuq; occupatus,de oppidi deditione cũ
Barbarussa transegit,ea cõditione, ut cum uxore &
liberis incolumi libertate seruaretur. Atq; ita scele-
sto præfecti consilio, Magoniani ad unũ omnes mi
serabili infortunio capti, & in Africã abducti sunt.
Verùm præfectus integra fide seruatus, non multo
pòst admissi flagitij pœnas dedit,quum eum Marti
nus Durrea insulæ præfectus, laquei supplicio pu-
niendũ imperasset.Barbarussa autẽ uniuersam prę-
dam Algerium retulit,atq; inde autumnales Boreæ
flatus contemnens,pari audacia,felicitateq; longis-
simę nauigationis,uti ante statuerat,Byzantiũ per-
uenit. Interea Cæsar acre bellũ aduersus Gallos co-
quens,nec obscurè parans,quod summi eius consi-
lij summæq; prudentiæ fuit, Venetos in partes tra-
duxit, diu opinione suspensos ab excessu Francisci
Sfortiæ: nec temerè de Italiæ libertate dubitantes,
quando longissimè prouideret, si Galliæ Cisalpinę
imperiũ reliquis tot Cæsaris regnis accederet, prę-
potentem accolam sibi præcipuè formidandũ para
ri,quòd Cæsar regna regnis adnectere solitus,quæ
sibi legitimo iure ab indulgente fortuna tribueren-
tur,uti immensa auctus potẽtia, si æquitatis ac ami
citiæ obliuiſci uellet, uicinas ultra Abduam urbes
inuasurus esset, recenti Maximiliani & Ferdinandi
auorũ exemplo, qui eas Mediolano antiquitus con
tributas,abreptasq; impotentibus Venetorũ armis
repetissent.Sed tum Cæsaris nomẽ in tanta erat gra
tia atq; existimatione apud Venetos, ab ea præser-
tim Punicæ uictoriæ laude, ut pleriq; ei fauere,pro
uehereq; eius opes dictis sententijs minimè dubita
rent:ipso præsertim Vrbinate Feltrio copiarum im-
peratore ante omnes propensissimo, qui uti erat in
defessa atq; admirabili facundia potẽs,multos quò
uellet patritios impellebat. E senatorio autẽ ordi-
ne, aut præmiorum spe allecti, aut suopte ingenio
accensi, quòd ita fore è republica crederent, Cæsari
mirificè fauebant, M. Antonius Contarenus, qui ei
aderat longa functus legatione: domi uerò & in se-
natu M.Antonij Cornelij perpetuo studio,illustriq;
eloquentia,partes Cæsaris subleuabantur. Nec dee
rant pleriq; seniores, in quibus multus semper fuit
Aloysius Mocenicus, qui nihil nisi pacatum, & ab
summa æquitate moderatũ, uel ab armato,uti sem
per inuicto Cęsare, expectandũ esse dissereret:quã-
quam exactæ prudentiæ grauissimarumq; rerum
experiens ipse Grittus princeps, multa reipub.pror
sus aliena detrimentosaq; ex eo fœdere obuentura
diuinaret. Sed ea quæ Grittus diceret, uti facilè a-
pud imperitos euenit,uehementer eleuabat perpe-
tuum eius & pertinax studium erga Francisci rem
gem,quòd tantus rex, præclarus Veneti imperij re-
stituror, nisi ingratè & improbè deserendus uidere
tur:eo præsertim tempore,quo Mediolanensis im-
perij hæreditatem, aut beneficio liberalitateq; Cæ-
saris, aut ui & armis, uti sæpè antea, esset adituras.
Itaq; facilè electi fuerant in legatione,quæ ad Cæ-

sarem de Punica uictoria gratulatũ Neapolim mit A
tebatur, Cæsariani nominis apprimè studiosi: cõtrà
uerò, ijs patritijs honorifico diuersę legationis mu
nere impositо, qui reipub. studentes, cõmodo Gal
li regis fauerent, Romam nõ obscurè ablegati sunt,
ne domi consilia Cæsarianæ factionis, intercedendo atq; impediendo perturbarent. Nec multo pòst Neapoli de fœdere trãsactum est, his fermè legibus, quibus Sfortię principatũ tueri tenebantur, spemq; præberet Cæsar id flagitantibus, futurũ esse ut Mediolanense imperium sua Augustali authoritate, nouo regulo maturè concederetur. Hoc tamen disertè conditionibus non adscripsit Cæsar, qui id se factu rum uideri uolebat, quãdo id ut faceret, ullo modo adduci non posset. Statuebat enim in arcano, nunquam Mediolano esse decedendũ, nisi armis pelleretur, sic ut eum præclarè pœniteret, id paulo antè Italiæ precibus condonasse, quum in Norico Turca rum arma perstreperẽt, & Solymanus grauiores opinione pauentiũ hominum clades illaturus crederetur. Hoc fœdere Cęsar peropportunè cõfirmatus, certius & efficacius consilia de bello aduersus Gallos gerendo inire explicareq; cœpit, atq; ingenti cura in Germania delectus equitũ & peditum per fratrem Ferdinandum, amicissimosq; sibi proceres haberi iussit: dedit q; operam per legatos, ut ab Heluetijs impetraret, ne ullam in partem se commouerẽt, sed eius belli spectatores tantum esse uellent, quod sibi necessariò suscipiendum foret pro salute Caroli Sabaudij, qui à Gallo rege, ipsoq; sororis filio, impro uisis armis undiq; uexaretur. Pertinere enim ad dignitatem Romani imperij, ut fœderatorum beneficiariorum, & ipsius præsertim Sabaudij propinqui sui opes, præsidio suo defendantur, ac quantum fieri possit, ex æquo Christiana arma cõquiescant. Proinde Heluetios tanquam imperio Sabaudiæq; principibus antiquo fœdere cõiunctos, nihil utilius atq; B
honestius facturos, quàm si ab ea cõtentione abessent. Heluetij nihil se temerè decreturos respondẽrunt, memores q; officij sui, utriusq; partis iura fœderum ac amicitię seruaturos, donec eorum arma reipub. Heluetiæ neq; periculosa neq; incommoda fore, summi ipsorum magistratus iudicarent. Apparebat enim regem Gallum, nullas omnino alias quàm Heluetiorũ copias, pro salute defensione q; regni esse coacturum. Verùm, quod maximo usui fuit, Cæsar his legationibus impetrauit, ne cohortes apud eos mercenariæ conscribi, & adduci in Italiam aduersum se paterentur, quòd eos Cæsar retineri non posse intelligebat, ueteribus utiq; obstrictos fœderibus & præmijs, qui laboranti externo bello Galliæ præsidio forẽt. Egit quoq; Cęsar cum Maria sorore, quæ Belgis imperabat, ut quãtas ea maximè posset pecunias cogeret, quibus ualidæ copię è Germanis conduci, Belgarumq; item & Sequanorũ equitum alæ, equis & armis instrui atque exornari possent, quando sibi in Galliã cum duobus magnis exercitibus initio æstatis irrumpendum esse statuisset. Proterea cogendæ pecuniæ studio diligenter incumbens, dabat operam, ne unus, qui timeri poterat, auri defectus, se diuerso sumptu aduersus præpotẽtes hostes, graue & geminatũ, nec cirò desiturũ bellum molientem, in cursu gerendarum rerum impediret. Nam præter eam signati auri summam, quæ à Neapolitanis & Siculis honorarij muneris nomine conferebatur, supra triginta myriades aureorum nummũm, ab Hispaniæ regnis expectabat. Id autẽ præsides exactis ante diem uectigalibus, aut his publicanorũ Ligurũ societatibus cum graui fœneris impẽdio addictis, suppeditabãt. Multam quoq; auri uim singulis Mediolanẽsis imperij urbibus imperabat. Nec deerant qui experientẽ liberaliter adiuuarent, cùm Senenses & Lucenses, tum ipse maximè Alexãder Medices gener, Etrusci principatus compos factus. Ea autem imposita bellici sumptus incommoda, Hispani quæstores ducesq;, Cæsarem maturè & cumulatè relaturum, remissurumq; onera prædicabant, ex ea ingenti auri copia ditatus, quę ex auriferis occidentalis Indiæ regionibus in Hispaniam ad ueheretur. Tum enim reperta fuerant ad Australem Oceanum, in aduersis Pariæ & Darienæ terrę regionibus, Peruræ & Cuschæ, regna immenso auro refertissima, quod nullo fodientiũ aut legentiũ labore paretur: quando id in domesticos coquinarios q; usus, rudi artificio fabrefactũ, sed non planè putum Hispani apud Indos inueniant. Eius autem omnis copia aduecta Hispalim, in officinam publicanorũ ea lege conferebatur, ut uectigalis nomine quinta pars esset Cęsaris, reliquũ negociatores conflarent, & demũ admixto purioris uenę auro, reiectisq; exactæ conflaturæ intertrimẽtis, ad pondus puritatẽq; monetæ Cæsaris Hispanica nota cudi curarẽt. Non ineptũ hoc loco fore existimauerim, si qui hæc reperirent, tanquã publica laude dignissimi, memoriæ prodantur. Nam postquã Columbus Ligur admirãdo ingẽtis animi captu, eruditoq; iudicio uir, & utiquibuldã apparet, Hercule Græco inusitatæ famæ gloria maior & illustrior, alterũ propè terrarũ orbẽ uasto atq; intẽtato prioribus seculis Oceano, ad occidentem nobis aperuit, non defuere alij atq; alij ex Hispanis, eo apud Hispalim defuncto, qui pari æmulatione laudis, & spe quęstus, eadem litora sequuti, ulteriores nouæ terræ, quam Pariã uocabant, terminos quæritarent: dispari quidẽ fortuna suscepti cursus, quum nonnulli eorũ (ut credi par est) immenso inexploratoq; absorpti Oceano, nusquam apparuerint, & aliqui ab Anthropophagis, qui Canibales appellantur, capti comestiq;, fœdam miserabilis audaciq; memoriã reliquerint. Ea terra æquatori subiecta (ut suo loco memorauimus) à Gaditano freto rectà inter occidentem atq; meridiem, nauigantibus, emẽso bis mille amplius Leucarũ itinere, occurrit, frondoso ingentium rupiũ promontorio, tanquam rostro Oceanum proscindens: nam æquis lateribus litora infinito tractu, hinc ad occidentem, illinc ad meridiem immensis adhuc spacijs extenduntur. Sed post Columbum, tres ante alios ex Hispania, felici ausu, & rebus gestis maximè clari & memorabiles exiterunt. Ferdinandus in primis Cortesius, qui in postremum occidui litoris sinum delatus, ad Mexicana regna terrestri itinere contendens, subactis Indis, Themestitana urbe potitus est, quum fabricatis nauigijs eam urbem salso in stagno positam, ædificijsque & incolarum frequentia Venetæ urbis instar admirabilem, multis prosperè factis prælijs expugnasset. Mexicanæ genti, superis uiuos homines, sed maleficijs damnatos, immolare fas est, placariq́ue numina humano sanguine credunt, & post mortem non interire animas persuasum habent, ut credi par est, ex disciplina superstitioneq́ue Druidarum, quorum summa authoritas antiquissimis temporibus in Gallia pariter atque Britannia uiguisse constat. Ita ut Cortesio non omnino difficile fuerit, subactam armis gentem per se ingeniosam & docilem, tormentorumq́ue miraculo terrefactam, ad Christi cultum, abdicatis idolorum superstitionibus, traduxisse: literas enim iam nostras admirantur & lubenter discunt, reiectis hieroglyphicis imaginibus, quibus annales conscribere solebant, uarijs picturis regum suorum memoriam posteris tradentes. Quorum annalium uolumen ex perpetuis, sed introrsus complicatis foliijs confectum, tigridisq́ue maculoso tergore protectum, uir illustris Franciscus Couos, Cæsariani scrinij magister, Iouio dono dedit. Mexicanos pro rege suo, & pro libertate dimicantes, nulla res magis exterruit, quàm equestris turmæ impetus, quũ equitem integrum esse animal Centauri specie putarent.

tarent. Sed postquam equi duo Indicis confossi spa A
ris, mactatiq́ue clauarum ictibus conciderunt, deprehenso errore, detracta statim equis coria, usq́ue adeò exactè tomento repleuerunt, ut uiuorum effigiem repræsentarent, & in templo tanquam admirabilis rei spectaculo suspenderent. Cæterùm Cortesius è Mexicana regione per occidentalem lineam terrestri itinere profectus, nõ longè abesse maria ab incolis didicit: paucisq́; diebus ad litus exterioris Oceani peruentũ est, unde si classes adessent, peti posse cõsideret per Antipodas, Sinarum regna, Catainasq́; oras ad orientem nostrum, iampridem aditas Lusitanis, nõ longè à quibus in eo tractu, beatæ multo aromate atq; unionibus Molucchæ insulæ, sub æquinoctiali linea sitæ esse dicerent. At Cortesio perpetuis Hispanorum historijs celebrato, claritate nominis æquari potuit Blascus Nonius, nisi turpissimo uitæ exitu pristinæ laudis decus obscurasset. Ab hoc enim diu peruagante Pariæ terræ, & Darienæ regionis litora, repertus est Isthmus ad Vrabanum sinum, quo duo ingentia maria dirimunt. A Comogro siquidem ingentis amnis ostio Darienis q; litore per inaccessos propè montes, monstrantibus iter indigenis, Blascus summa iuga tenuit, & subiectum in aduerso litore uastissimi pelagi sinũ conspexit, in quo auri & unionum ditissima regna reperta sunt, atq; item conspectæ aditæq́; aliquot insulæ earum rerum opulentia insignes. Itaq; inuẽto multo auro, Blascus breuiorem transitum quærens, non plus inter se distare diuersa maria q̃ centũ miliaribus deprehẽdit, sicuri in Oceanis decadibus Petrus Martyr Anglerius scitè refert: uerùm itinere adeò densissimis nemoribus & abruptis petris, frequentibus q́ue fluuijs impedito, ut non nisi magno cum labore periculoq́; illac nostri permeent, quum passim inhospitę ac insidiosæ gentes uenenatis instructæ sagittis occurrãt. Quibus de causis Blascus B
eius tractus regulis, aut muneribus delinitis, aut cruenta acie subactis, quatuor castella, ut commeantibus ab utroq; mari tutissimus esset receptus, opportunis interuallis constituit: ędificata etiam classicula in proximo portu, cui diuo Michaëli nomen fuit. Cæterùm dira auri sitis, nouiq́; imperij libido, Blasci animum non multo pòst occupauit, eo rerũ exitu, ut affectati regni crimine dãnatus capite plecteretur. Indignus herclè eo supplicio, nisi perfidiosę defecisset, quòd ad lęuam longo tractu Perurana & Cuscana regna auro & gemmis scatentia, successoribus Almagro atq; Pizarro demonstrarit. Ibi enim ferunt nullam aliam, quàm solido ex auro priuatis in domibus uasorum omnis generis supellectilem reperiri. Montium rupes ingenitis adamantibus, præcipueq́; smaragdis & cyanis, & carbunculis collucere, flumina prope uniuersa aureã arenã trahere. Solum fœcunditate rerum omnium incredibili & perpetuo ferè autumno florere. Ex mira quoq; cœli clementia, homines integra ualetudine seculi ætatem implere, sic ut intẽpestiua mors Blasci uideri possit, quo author tanta ut diximus, uis auri & gemmarum in Cæsaris ærarium deferatur. Sed supra Cortesium & Vaschum, portentosa nauigatione inclytus fuit Magalanes; Lusitanus exul, qui auspicio Cæsaris alterum Pariæ terræ litus in orientem obuersum, quinq; nauium classe percurrit, legendoq́; oram præterue ctus lineam capricorni, atq; ostia imensi Argentei fluminis, uti Hispani uocant, ferorũ gigantium instar prægrandes homines belluarũ pellibus cõtectos reperit. Nec multum inde, uti autè quærebat, prope antarcticũ circulum in anfractuosas fauces audacter inuectus est, non inani coniectura iudicans noui orbis terras illa irrumpente Oceano esse permeabiles, eumq́; pro fecto sinum non longo tractu in apertum ad occidentem pelagus desinere, Neq; eum ratio ex naturę lege ducta fefellit, qua terra omnis circumfluente Oceano uarijs finibus ambitur. Ad læuam niuosæ rupes spectabantur, suis culminibus primã aëris regionẽ excedentes. Eæ pertinebant ad eam plagam perpetuo gelu (ut credi par est) rigentem, quę antarctico subest. Sed nec in ea cœli parte polus, uti apud arcticum contingit, lucidiore aliquo astro notatur, quũ paruæ stellæ nullo uel certè languido fulgore nitentes, polare punctum designent, duabus nubeculis stabili pigroq; rotatu immobilis poli sedẽ ita circumeuntibus, ut Vrsæ nostræ tenorem & speciẽ nautis obseruatoribus, nusquam fallente magnetis usu certissimè præbeat. Procedenti per occiduam lineã Magalani, tortuosæ & inæquales semper fauces occurrebant: mare autẽ modò fluctuosum, spumosisq́; uorticibus & sæuo mugitu reboans, modò tractabile & pigrũ, prout obiectis incideret cautibus, aut in latos sinus expansum deferueret, uario uelorũ flexu persulcabat, nusquam arctiorẽ sinum trium miliarium spacio, nusquam septẽ latiorẽ nactus, quũ à dextra depressiora litora arboribusq́ue uestita, nulla tamen apparẽte hominum cultura, ad læuam uerò cuncta gelu horrentia, maximeq́; scopulosa spectarentur: collucerent tamen ad dextram excitati introrsus ignes ab incolis, ut de aduẽtu nouæ classis proximis populis significarent. Cæterũ Magalanes diu crebris orationibus sustentatos delinitosq́; nautas, qui iã animos desponderant, quòd neq; progredi neq; regredi, nisi incerta uitæ ipse posse crederent, post uigesimũ & septimum diẽ, ex quo sinũ intrasset, in apertissimũ uastissimũq́; Oceanũ eduxit, ad eam uela deflectens, utpote qui terras ad antarcticũ ultimę continentis esse putaret, & ad lęuam mitiora omnia se inuenturũ arbitraretur. Quando iam ad tropici capricorni circulum, & ad ipsam æquatoris lineã rediret, sub qua Moluccas, B
quas quærebat insulas omnino sitas esse didicisset. In dextra itaq; Perurana & Cuscana regna, totumq́; illud immensum Pariæ terræ occidentale litus relinquebant, quòd Blaschus post transcensum Vrabanum Isthmũ, Hispanis successoribus ad condenda regna, serendaq́; etiam propter auri sitim, infesta prælia demõstrarat. Nihil enim inde Magalanes terrarũ usquam uidit, præter duas insulas quæ desertæ appellantur: perhibentq́ue eas Cosmographiæ periti, ex diametri ratione Italis esse antipodas. Discessit inde Magalanes planè consumpto omni commeatu, lenissimis atque his uno tempore perennibus usus uentis, trimestri confecto cursu, obuersis semper ad æquatorem proris, non Moluccas quidem attigit aromatum precioso rum fertilitate celebratas: uerùm immensi propè ambitus insulas, Iauanam, Pornem & Subutham, ipsa Britannia maiores, è quibus Moluccæ satis exiguæ, sed præstantia rarioris aromatis insignes incolarum digitis tanquam propinquæ monstrabantur. Sed Magalanes fatalis uoti sui compos, in limine qui eas uiderat, adire non potuit: cum Mauthane siquidem insulæ regulo, Suethani socij regis auspicio, acie dimicans, occubuit, eiq́ue suffectus est Serranus, qui nihil commodius duxit, quàm ab his insulis inhospitaq́ue terra perfidiosæ gentis protinus excessisse, quòd sibi ad paucos redacto, numerosa bellicosæ eius gentis manus iustum incuteret metum, quoniam ferreis gladijs, & præpilatis hastis uterentur. Verùm dum adit regulos Serranus, amicitias q́ue & fœdera iungere, ac Christianæ religionis cultum inducere contendit, & quod instituti erat, naturam & magnitudinem Moluccarum scrutatur, regulis uno consensu aduersus peregrinos ad arma concitatis, in Bornæ insula captus, miserẽque à socijs destitutus est, qui insidias ueriti publicam salutem noui ducis libertati & uitæ anteponendam censebant. Atque ita caryophyl

li & cinamomi nucis; myristicæ surculos ex natali solo colligentes, ut testimonij certam fidem referrent, ex quatuor nauibus uetustate semicorruptis, duas magna cura, usi illarum armamentis, materia & clauis refecerunt, Eurisq; uela dantes, incogniti Oceani immensis spacijs usqueadeò audacter se crediderunt, ut præteruecti auream Chersonesum, & Samotarum, quę Taprobana olim fuit, Gangeticiq; item sinus emporia, & Cumerum promontoriũ, ac deniq; Calecutham superarint, nusquá à Lusitanis conspecti, qui Indicam oram præsidijs obtinebant. Inde uerò ad Bonæ spei promontorium cursum habentes, eo superato, dextrorsum per Æthiopiæ litora ad Hesperides insulas contra Praxiũ promontorium, altera tantum naui, non amplius quàm uigintiduo homines semiuiui peruenere. Ibi qui totũ undiq; emensi orbis ambitũ circuierant, Barbarorumq; mille insidias & omnẽ maris sæuitiem euasserant, à Lusitanis insulæ præsidibus, custodiæ traditi sunt. Nec multo pòst tamen ex his Hieronymus Plegaphæta Vicentinus, uoto pro salute reditũ; suscepto, ad Clementẽ Romam uenit. Is tanto subternauigati orbis miraculo fidelibus testimonijs comprobato, multa nostris admiranda obseruandaque posteris, pictura & scriptis adnotata deposuit.

SVPPLEMENTI
LIBER XX.

ADulto iam uere, Cęsar Neapoli profectus, nonis Aprilibus à Capena porta Romam intrauit, triumphali exceptus pompa ab omnibus sacerdotum Romanorumq; ciuium ordinibus. Adduxerat præsidij causa ueteranam Hispanorum legionem, & septingentos equites cataphractos, eo minore populi lætitia, quòd pleriq; eosdem militum atroces uultus agnoscerent, qui recentis cladis, omniumq; suppliciorũ quæ perpessi essent, memoriam renouabant. Exceptus est ea parte Vaticanæ domus, quæ exornata laquearibus aureis, & marmoreo insigni podio despectat Vrbem, qua etiam Alexander sextus Carolum Galliæ regem susceperat. Exinde dissimulata persona, cum paucis perambulauit Vrbem, miratusq; rotundi templi, quod olim Pantheon fuit, incomparabilem structuram, in summum fastigium eius testudinis per plumbeos gradus ascendit, ut uniuersam Vrbem oculis subijceret. Quatriduo autẽ moratus Romæ, non obscura succensus bile in Gallos, pridie quàm proficisceretur, grauissimã habuit concionem, qua animi sui intimos sensus ardentissima facundia denudauit, quòd Gallorũ legati penè conuiciose postularent, ut Henrico regis filio Mediolanensis principatus dominatũ beneficiario iure adiudicaret. Id siquidem Cæsarem concessurum perplexis paulo antè sermonibus promisisse Claudius Velleius asserebat. Quibus propè importunis refragationibus Cæsar ita offendebatur, ut fidem suã nulla certa pollicitatione obstrictam, Gallorũ uerbis suggillari ægerrimè ferret, respondendumque ideo Gallis, & nomen suum à calumnia defendendum generosa concione arbitraretur. Itaq; grauiter commotus, in eo conclaui, in quo Paulus pontifex iturus ad sacra obeunda solennes amictus induere, & gemmata tiara exornari consueuit, aduocatę cõcionis instar in corona stans uerba fecit, astãte Pontifice cunctoq; senatu, & principum ferè omniũ legatis, sicut circumfusa totius aulæ turba Hispanico sermone loquutus audiretur: adeò graui concitatoque ore ut subiungeret, se inuitum in id bellũ trahi, in quo multas gẽtes nihil mali meritas & insontes, ipsorum principum iracundia atque obstinatione, cladem essent subituræ: propterea pietate Christiana tacto sibi satius uideri, & reipublicæ quidem utilius, ut ipse & Franciscus ad singulare certamen descenderent, ensęq; & pugione dimicantes, cõtro uersiam finirent. Tum uerò Pontifex clementiora ominatus, Cæsaremque complexus, obsecrauit, ne iracundiæ impensius quàm pietati indulgere mallet, Gallosque oratores Maconiũ & Velleium quędam respondere paratos diremit. Per hũc modum prolato animi sui decreto, & reiectis regijs legatis, per Casiam uiam in Hetruriã contendit. Senenses intrantem ipsorum fines Pientia urbe liberaliter excepere, uetereque suo studio Cæsaribus addicti, quum Senis appropinquaret, erectis passim triumphalibus ornamentis, cum exquisita Tunetanæ uictoriæ gratulatione, subeunti portam urbis claues ad declarandam antiquæ propensionis fidem obtulerunt. Alfonsus Picolomineus, Amalphi regulus, equi frena rexit, cunctiq; demum ciuitatis ordines, uirique sacrati præcinentes hymnos, ad aram templi maximi deduxerunt. Suscepit eum pereleganti hospitio, miroq; ornatu perpolitó, Marius Bandinus, in quo uel ob id quòd Archiepiscopi Germanus esset frater, summum Cæsarianarum partium, & popularis factionis studium eminebat. Nam eo tempore populares in factiosa ciuitate principes euaserant, quum obsolescente potentia antiquæ nobilitatis, reliqui duo ordines, qui tum nonarij & reformatores appellabantur, eximia authoritate in re pub. Pandulfo Petruccio principe potiti, impotenti demum popularium impetu per cruentas contentiones interfecti pulsique fuerant, quoniam Clemẽti pontifici & Gallis fauisse credebantur. Inuisit Cæsar urbem luculentissimè omnibus, quæ excogitari poterant, elegantiæ ornamentis instructam, spectauitque mirabundus innumerabilem propè fœminarum multitudinem. nam hæ inter Italicas præcellentis formæ & elegantis ingenij singulare decus constanti omnium ferè fama obtinent. Exinde iuuentus extremę iucunditatis spectãti Cęsari theatrales ludos edidit, per histriones uariarum linguarum cum multo sale leporem affectantes: pugil omnisque Senensium ætas, ab inueterato iudicri certaminis studio, ad Cæsaris oblectationem incomparabili ardore dimicauit. A Senensibus autem ad Florentinos prouectum Cæsarem Alexander Medices gener excoluit, & Cosmianis in ædibus ita suscepit, ut Hetruscis artificibus ex mirifica ingeniorum solertia simulacra, uarijque generis pegmata erigentibus, non modò superasse Senenses, sed ueterũ Romanorum magnificentiam æquasse censeretur. Inuisit Cæsar arcem nuper ab ipso Alexandro conditam, instructamque admirabili tormentorum apparatu, usqueadeò mirabundus, ut quum tanta uidisset præsidia, quando reliqua sibi curæ fore diceret, grauiter obtestaretur generum, ut liberis operã daret, de unaq; præsertim salute corporis solicitus esset, tanq in subacta armis ciuitate regnãti, insidiæ à multis forẽt pertimẽdæ. Paucos pulcherrima in urbe moratus dies, discessurus ex itinere Caianã adijt uillã, admirabili structura terreno in cliuo ædificatã à magno Laurentio Medice: nullũq; tum ea loci facie, tum erudito ornatu, iucundius ędificiũ se uidisse testatus est. E Caiana Pistoriũ, atq; inde Biscią, & mox Lucã intrauit, tanta alacritate amicę ciuitatis, ut neq; splendidius excipi, neq; donari liberalius, neq; uberius ali exercitus, comitatusq; omnis posse proceres iudicarẽt. Inuisit etiã urbis de sua libertate solicitæ munitionẽ, intra extraq; muros circumiẽs, laudauitq; militaris peritiæ erecta propugnacula, triduoq; moratus, ornatissimę quanquam modicę ciuitatis opulentiam, quę tyrannis aliquando seruierit, & superioribus tẽporibus Cæsarũ auspicijs libertatis

bertatis iura defenderit, decurionibus commendauit, & ut in colenda fide perseuerarẽt, admonuit. Luca profectus per Macræ amnis ualles, Apuanosque saltus, Apœnino transgresso, ad Astam urbẽ contendit, ubi reperit Fossanũ ab Antonio Leua expugnatum, & Franciscũ Salassum regulum alienatũ à Gallis: propterea; deficientẽ Antonij opera in partes traductum, quanquã eius equites fide integra erga regem, eum ad hostes euntẽ minimè sequerentur, sed ad Gallorum præsidia, detestati præfecti sui facinus, redirent. Quo felici rerum initio Cæsar ut Alpes maturè transiret, magis & magis accendebatur. Philippus siquidem Sciabottus Ammiras, uti suprà docuimus, damnosa interpellatione Ioánis Lothoringiæ Cardinalis spe pacis deceptus, à cogitatione belli discesserat, & oppida quæ redegisset in potestatem, præsidijs confirmans, audito Cæsaris aduentu ad regem redierat, existimabatq; occupata facilè defensurum aduersus Cæsarianos: nam Taurini custodiam Buriæ uiro forti attribuerat, & Paliciam illustri Sciabania stirpe progenitum iuuenem, propterea; auiti decoris auidum, cum duabus alis grauis & leuis armaturæ equitum, & tribus peditum uexillis Fossani collocarat, quum paulo antè Hanebaldus Penerolum tuendum suscepisset. Cæterùm Palicia aliquandiu tormentis oppugnatus ab Antonio, & multarum rerum inopia pressus, quòd maliguitate atque perfidia Francisci Salasi ad Cæsarem transire cogitantis, ut ille iussus erat, nec satis commeatus accepisset, nec demum frustra expectatus, uti promiserat, ullam opem attulisset, planè deceptus uictusq; his malis atq; periculis, Antonio deditionem fecit, ea conditione, ut cum suo omni præsidiario milite incolumis abiret: sed generosos equos & militares ad unũ omnes, retentis tantũ ad iter in Galliam obeundum humilioribus, cunctaq; simul tormenta uictori relinqueret. Habebat in animo constitutum Cæsar omnino inuadere Galliam, ut ita faceret, ab Antonio Leua in arcano persuasus, sic ut de itinere tantum rationeq; inferendi belli à ducibus sententias esset quęsiturus. Exploratam enim & planè certam fore uictoriam differebat Antonius, si domi suæ Gallos nihil hostile metuentes, & imparatum adhuc regẽ adoriretur, & copias quę erant magnæ atq; mirificæ, ad prædam ditem opulenti regni statim induceret, lateq; euagaretur. Neq; enim apparebat regem prælio certaturũ, nullis præsertim Heluetiorum auxilijs fretum, & ad Flandricos fines nouum contra se Belgarum exercitũ expectantem. Antonius ex prouentu uictoriarũ suarum usqueadeò Gallicæ militię elatus contemptor euaserat, ut ex uaticinatione quorundam futura prędicentium, Carolum Galliæ regem euasurũ, & se uoti compotẽ apud Parisios in ipsa uictoria fato concessurum profiteretur. Huic tanquá immodico intempestiuoq; consilio, unus ante alios Vastius ipse & Ferdinandus Gonzaga ita refragabantur, ut Vastius de scripto sententiam suam proferret, & postea publicaret, & Taurinum ante omnia expugnandũ censeret. Eadem erat sententia Gonzagæ, qui Gallos Fossani expugnatione perterritos, si tot uires, quæ iam paratæ essent, Taurini mœnibus admoueretur, minimè laturos arbitrabatur: quòd si fortius aliquandiu sustinerent, nullam tamen tanquam undiq; obsessos, qua se alerẽt commeatus facultatem habituros, ideoq; breui facturos deditionẽ affirmabat. Taurino siquidem, quòd esset prouincię caput, in potestatem redacto, cuncta facilè reliqua oppida ad pristinã ipsius Caroli Sabaudij naturalis atq; humanissimi principis fidem esse reditura: atq; eo modo firmissima Pœninis & Coctijs Alpibus claustra posse imponi, ut in posterum ab Italia Transalpinæ gentes arcerentur. Porrò Cæsar ire in Galliam certus, præterquam quòd unius Antonij Leuæ iudicio uirtutiq; plurimum tribuebat, tribus etiam de causis in id bellum ingenti animo ferebatur, quòd Mariam sororem Belgis imperantẽ, uti erat uirilis animi mulier, è Belgio Gallis arma inferre iussam, & iam peramplas cogentem copias, cõmutato consilio, neq; eludere, neq; deserere uolebat. Pro certo quoq; didicerat Gallos ab Heluetijs auxiliarias legiones sua consuetudine oblatis stipendijs in communi eius gentis concilio impetrare nequiuisse. Postremò quòd Franciscus Salassus Antonij Leuę opera à Galliæ regis amicitia ueteris cliẽtelæ, militiaq; diductus, in partes transisset, & Galli nullum propè peditatum præter duas Germanorum mercenarias legiones, quas Gulielmus Furstembergus adduxerat, essent habituri. Reliquas enim copias ex Galliæ delectibus cõstare, quod genus militum è singulis eductum prouincijs, nõ magnum militiæ usum habere iudicabat. Quod si paulo audacius atque felicius in media Galliа res gereretur, Gallos profectò domesticis incommodis permotos, & Taurinũ & reliqua oppida sine uulnere deserturos. Adiuuabat etiam decretum Cæsaris Andreas Auria, qui nõ du biam spem præbuerat, Rhodanum amnem stabili triremium suarum cathenato ponte posse cõiungi, & per Narbonensem regionẽ ab Hispania, tum cõmeatus, tũ omnis generis auxilia, bene gerendo & conficiendo bello, expectari posse prędicabat. Suberat etiam in arcano Cæsaris occulta spes potiundę per proditionẽ Massiliæ. Itaq; coëuntibus iam undique longè maximis equitum & peditum copijs, Cæsar multiplici itinere, sed præcipuè per maritimas alpes, & per Tendanos colles Prouinciæ fines intrauit, subsequente à Sauonę portu Auriana classe, quæ multas Italicarum cohortium copias sustulerat, quibus Ferdinandus Sanseuerinus Salernitanus princeps imperabat. In his clari ueteresq; præfecti eminebant, Augustinus Spinula Ligur, & Petrus Maria Roscius Parmensis, sancti Secundi regulus, Hippolytusq; Corregius, & Hieronymus Sanctouitales Salensis. Horum primo impetu capta direptaq; est urbs Antipolis, quæ est ultra Varũ amnẽ posita contra eas insulas, quas Lerones antiqui, nostri hodie Leres uocant. In ea oppugnatione, quòd ab armatis agrestibus impigrè defenderetur, & triremes à mari admotis proris tormenta in socias cohortes tumultuario procursu murum inuadentes aberrante ictu disploderent, amplius trecentos milites Salernitanus amisit: atq; inde Ferdinandus Gonzaga cum suo equitatu adductis secum aliquot Salernitani cohortibus ad urbem Gratiam prouectus, eam sine uulnere in deditionẽ accepit, subsequéteq; uniuerso exercitu, ipsoq; Cæsare ad Forum Iulij celebrem olim urbẽ, & Vocontiorũ planam frequentemq; ædificijs regionẽ penetratum est: in Alpibus quodam omine capto ex syluarum incendijs, quæ continenti flamma ardentibus facilè pinetis, non paruum numerum calonum atq; lixarũ, mercatorum, & mulierũ præsertim castra sequentiũ turbam combusserat, cõcremati multis impedimentis & sarcinis, quibus milites, ne eodem igne corriperentur, opẽ ferre nequiuerant. Fuere enim tum qui dicerent his ignibus uictoriã portendi, quòd prælucentes undiq; flammæ lætitiam prænunciarent. Alij à periculoso ingressu infausto belli successum & iacturam impedimentorum, uti postea euenit, significari contendebant. Cæsar circa Forum Iulij aduenientes copias in unum coëgit, productasq; sub uexillis lætus inspexit. nam nusquam maiores & ornatiores copias Christiano bello Cæsarem unis in castris habuisse constabat. Nam Germani quinquaginta ferè cohortiũ uexilla implebãt, q̃ Germanica cõsuetudine paulò minus quingẽtos pedites singulę cõtinebãt. Has legiones imperio regebãt Tamisius dux uetus, & Gaspar Georgij Franispergi clarissimi

mi ducis filius: Hiſpanos aũt octo milium numerũ A
ſuperaſſe, cuius gentis nuſquã antea tantam multitudinẽ, adeoq; militariter inſtructã ſe uidiſſe dux ipſe teſtabat. Hunc Hiſpanorum numerũ ſuperabãt Italici, qui præter deſcriptos cõductosq; ſtipendio, uoluntariam & liberam prædæ ſpe militiam ſequebantur. Magnũ autẽ grauis armaturæ equitũ numerum, Maximilianus Ilelſtenius Belga, ex Burgũdia, inferioreq; Flandria adduxerat. Sed cataphractos omnes uel Italici uel Hiſpanici generis ductabat Ferdinandus Toletanus, Albæ regulus: ueterano autẽ leuis armaturæ equitatui prærat ex ſuo ueteri munere Ferdinandus Gonzaga. Huic adiunxerat Alexander Medices alam Hetruſcam Valerio Vrſino duce, quæ manus in uniuerſum mille galeatorũ equitũ ſummam efficiebat. Tormenta uerò magna ex parte ſuppeditabat claſsis, quæ oram legere iuſſa, cõmeatibus etiã ex propinquo litore caſtra ſubleuabat. At Franciſcus de animo Cæſaris aduerſum ſe uehementer concitato, & de ſingulis inſtituti ab eo belli conſilijs edoctus, quòd ad eum Ioãnes Bellayus cardinalis Pariſiẽſis, memoriter excepta atq; deſcripta ea Cæſaris concione, quæ in Vaticano habita fuerat, diſſimulato habitu, mutatisq; ad celeritatẽ iumentis in Galliam percurriſſe, tota ſua inani ſpe cõcordiæ deiectus, facilè agnouit, quanto cum incõmodo Philippus Ammiras paulo antea ad Taurinum, in ipſo curſu bene gerendarũ rerum fuiſſet retardatus. Hæc anxiè quoq; confirmabat Cardinalis Lothoringius, qui apud Senas fruſtra cum Cæſare de cõpoſitione fuerat colloquutus: aſſerebatq; ea mente eſſe Cæſarem, ut non modò Mediolanenſis imperij poſſeſsionẽ ſibi retinendã eſſe, ſed aſperrimo in uiſceribus Galliæ excitato bello, Burgundiam citeriorẽ, quę ad Heduos pertinet, armis repetendam decerneret. Itaq; Franciſcus, uti periculapoſtulabant, undiq; euocatis ad bellum beneficiarijs ſuis, & tota nobilitate arma capere iuſſa, legiones iampridem inſtitutas in prouincijs accerſebat: cogebatq; circa Lugdunũ, ut inde ad Auinionẽ progrederetur, & ex propinquo irrumpentiũ hoſtium aduentum & impetũ diſpoſitis præſidijs exciperet. Interim per legatos dabat operam, ut ab Heluetijs iuſta auxilia cõpararet, & Piccardiæ fines ualidis copijs aduerſus Belgarũ irruptiones confirmaret. quapoterat etiam diligentia eos duces, quos in præſidijs Subalpinæ regionis decedens Ammiras reliquiſſet, pecunia & nouis copijs confirmabat. Nam Iacobus Medices ad obſidendum Taurinũ relictus à Cæſare, & Franciſcus item Salaſſus paſsim bellũ gerebant aduerſus Gallos, ſic ut cruẽta minuta prælia in expugnatione oppidorũ ederẽtur, quibus clari nonnulli fortiſsimiq; uiri utrinq; caderent. Nam M. Antonius Cuſanius Inſuber, quum emiſſus Taurino ad oppugnandum Sabinianũ contendiſſet, potitusq; exteriore templi ædificio, magnam uim telorum, & armorum omnis generis à Cæſarianis ibi præparatam ſuccenſa domo cõcremaſſet, & Scalengum ſubſidio cum cohortibus ire auſum, cõmiſſo certamine profligaſſet, in ipſa uictoria uir excellenti uirtute gladę traiectus occubuit. Interea Franciſcus nihil, quod ad ſalutem Galliæ pertineret, intentatum relinquens, in Italia parandas nouas copias, Genuamq; Cæſari opportuniſsimã urbem detrahi poſſe ratus, ad Mirandulam conſcribi nouum exercitum iuſsit: quain re ſtudioſi Gallici nominis duces, cogendis undiq; cohortibus operam dabant, Caninius Gonzaga, Cæſar Fregoſius, Annibal Nouellarius, & Pallauicinus, Vicecomes Inſubrum clariſsimus, quibus etiam acceſſerat Petrus Strozza Florentinus. His omnibus rex præfecerat Guidonẽ Rangonum, cuius militari ingenio magnopere confidebat. Itaq; Guido cum octo milibus peditũ præter Parmã atq; Placentiam ire pergens, Derthonen
ſibus ex itinere cõmeatum ei præbentibus, præter Scriuiam amnẽ, Genuam, ſuperato Apœnini iugo, prouectus eſt. Interea Cæſar è Foro Iulij motis caſtris, ad ſancti Maximi Vocontiorũ oppidum peruenit, paſsim effugientibus incolis, ſed plenos uarijs cõmeatibus uicos ita relinquentibus, ut Cæſariani alerentur ſimul, & aliquantam prædam reperirent, quum nulla hoſtiũ armata manus occurreret. Erat autẽ adeò multa ſingulis in pagis ruſticanisq; tugurijs, præter triticum multiplexq; legumen, aridæ ficus, & amygdalæ, caſei & ſalitæ carnis copia, ut ſi frumenta deeſſent, his cibarijs multo amplior exercitus per multos dies ali poſſet, poſtquã adulta iam tum æſtas fructus recentes affatim undiq; ſuggereret, propter admirabilem pomiferarũ arborum, quibus ea terra paſsim conſita eſt frequentiam. Auria quoq; in Tolonæ portum claſſem intulerat. Is antiquis Taurenta portus fuit, turrimq; habet, quã metu tormentorũ territis cuſtodibus, Auria in poteſtatem redegerat, cõmodeq; terreſtres copias cunctis ſubſequentis claſsis per orã copijs ſubleuabat. Galliautẽ edicto regis, quantum poterant frumenta & cõmeatus omnes longè ab ora maritima itinereq; hoſtium, ad remotiora ædificia, munitaq; loca reducebant, cui negocio præpoſiti fuerãt Montegianus, inſignis equitum præfectus, & Boiſsiuus Gofferius Arcturo patre, aulæ regiæ quondam magiſtro, Gulielmoq; Ammirante, qui ad Ticinũ cecidit, patruo clarus. Hi cataphractorũ & leuis armaturę equitum binas alas adduxerant, & tres peditũ cohortes, quæ equitibus præſidio forent: progreſsiq; in eas partes per quas Cæſariani iter facturi uidebantur, paganos excedere ædificijs, & demigrare, & domeſticas copias retro auehere, ne his potiretur hoſtis, cogebãt: qui ſegnius id feciſſent, atrociter mulctabantur, ſic ut accumulatis antea pabulis faces ſubdere, & fœdè uini dolia perrumpere, ac frumenta quæ aſportari non poterant, eodem igne corrumpere, lugentibus incolis properarent. His conficiendis rebus occupatos hoſtes, exploratores Epirotæ anteeuntes, ſuoq; more prædam quæritantes, ad Brugnolam oppidum proceſsiſſe Gallos, Gonzagæ renunciarunt. Is uti maximè cupiebat, longius & introrſus ad hoſtes nondũ percurrerat, ægreq; à Cęſare impetrare potuerat, ut ſuo munere fungi, quod eſſet utiliſsimũ & propè neceſſarium noſcendis hoſtium conſilijs permitteret. Cæſar enim uni Antonio cuncta deferebat, qui ſine ſe quicq; tentari ut laudis cupidiſsimus nolens, hoſtes ipſos tota mole copiarũ inuadendos, nec aliter excitandos eſſe diſſerebat. Itaq; cohortante Vaſtio, & Cæſare permittẽte, Gonzaga omnẽ ferè leuis armaturę equitũ multitudinẽ ad iter expedit, poſtulatq; ut Tamiſius cum legione Germanorũ ſecũ eat, ut equitibus præſidio ſit: primosq; omniũ præmittit Paulum Luciaſchũ, & Zucerũ Epirotã, ſpectatæ ſolertiæ atq; uirtutis uereres præfectos. His præcurrentibus ad Brugnolam, Montegianus atq; Boiſsiuus ab incolis qui refugiebant, de aduentu hoſtiũ cognoſcunt, & quũ alter extẽplò abeundũ eſſe, nec ullũ pugnæ diſcrimẽ ſubeundũ eſſe diceret, alter Montegianus ingenio elato ferociq; turpe ſibi fore teſtabat, ſi de profectione prius cogitaret, q̃ ora hoſtium uidiſſet. Nec multo pòſt undiq; Cæſariani uolitantes conſpiciunt, & Boiſsiuo ſe ſubducere parante, Montegianus equitibus tuba ſignũ dat ut arma capiant, & conſcendãt equos. Gonzaga nouas turmas primis ſubmittit, imperatq; ut præliando hoſtes diſtineãt, donec ipſe cum reliquis alis, & Tamiſius cũ legione ad oppidũ peruenirent. Itaq; inuadentibus Cæſarianis prælium oritur, obuertunt ſe Galli equites, & fortiter repugnãt, tanta cõſtantia roboreq; denſatæ ale, ut primi pellerent, ſed auctiſubſidijs pugnam inſtaurarent: quo caſu Sampetrius Corſus, qui cohortibus præ-
B
erat,

erat, ad equitatum utrinq; lunato flexu cohortes pe A
rirè applicat, & per ſclopetarios rem gerit: multiplicatisq; & inſultãtibus Cæſarianorum turmis, atrox prælium editur, duoq; fortiſsimi præfecti, Pelacanes Bononienſis, & Stephanus Puueius, uirtute animi, & decore formæ nemini ſecundus, interficiunt. Sed ſuperuentu Valerij Vrſini, & Cantelmi Populenſis reguli, cohortes perturbantur, proculcataeq; equorum impetu, capto Sampetrio, proteruntur, funduntur equites, peditum præſidio deſtituti, paucisq; interfectis, ad unum omnes, ita ut nec tubicen effugeret, capiuntur. Montegianus ipſe ueſana ferocia diu repugnans, à Marſilio Brixiano equite capitur: eandem ſortem ſubijt Boiſsiuus, repertusq; abiectis inſignibus gregarij equitis habitu ad Gonzagam de facie agnitus deducitur. Eo die Brugnola effuſe direpta eſt. Exinde cognitũ eſt ex captiuis regem ad Auinionẽ copias cogere, nihil tamen de pugna cogitare, niſi Heluetiorũ auxilia recepiſſet, quę iam eſſe in itinere Galli dictitabant. Cæſar eo felici initio lætatus, ſupra Maſſiliam ad Aquas Sextias caſtra promouere conſtituit, atq; ité propius Maſſiliæ mœnia intueri, & certius explorare, an aliquis in ea urbe tumultus à proditoribus, nouisq; rebus ſtudentibus ciuibus ſentiretur. Itaq; diu urbis munitiones ex propinquo contemplatus, quum nemo ſuorum ſciret, cur in conſpectum ſe dediſſet, paulo pòſt ad caſtra redijt, & Vaſtius in Arelatenſem uſq; agrum excurſionem fecit, eo euentu, ut pleriq; Arelatenſes nihil hoſtile expectantes, uagatiq; per illas ruraq; ab equitibus interciperẽtur. Per eos dies Franciſcus rex, Franciſcum Delphinum filium hæredem regni & nominis deſtinatum, repentino oppreſſum morbo amiſit, tanta totius aulæ mœſtitia, ut ab omnibus æquato dolore iuuenis florentiſsimus, uirtuteq; bellica inſignis, & regijs præditus uirtutibus, tanquam immiti fato ereptus, effuſiſsimè lugeretur. Nec defuere qui ſuſpicarẽtur eum ueneno fuiſſe ſublatum: cuius nefarij criminis repentè reus factus quidam Sebaſtianus Montecuculus, pœnas dedit, quum ab equis in compito in diuerſa currentibus diſcerperetur. Nonnulli præcipiti iudicio eum damnatum ferebant, tanquam inſonte, qui dolore uictus inter immania tormenta, ut calamitati ſuæ finem imponeret, ſe reum miſer feciſſet, & authores tanti facinoris Antonium Leuam, & Ferdinandum Gonzagam nominaſſet, qui obruti tantæ infamiæ nomine, calumniam à perdito impudẽtiſsimoq; homine temerè impoſitam, anxiè diluere contendebant, quum nonnulli Delphinũ ex nimia iactatione in ludo paruæ pilæ æſtuantem, ſudoreq; madentem, frigidam intemperanter hauſiſſe prædicarent, nullis præſertim apparentibus ueneni indicijs, quando præcordia uiſceraq; eo immodico rigore correpta, extincto penitus innato calore, mortem accerſerint. Quum ad Aquas Sextias caſtra haberet, nec iam claſſe iuuaretur, quòd magnũ regionis ſpacium à Tolonæ portu ad Aquas Sextias intercederet, itinere præſertim latrocinijs infeſto, q̃ incolæ deſperatione rerum ſuarũ notos ſaltus inſiderent, & uiatores præſidiaq; eorum inuadentes interficerent, fames in caſtris ſentiri cœpit, quòd cocta Cerere carerent, & fructibus noxijs milites uterentur. nam tametſi frumenta undiq; ſuppetebant, nulla tamen molendi tritici erat facultas, quoniam à Gallis paulo antè molæ frumentariæ perruptæ diſiectæq; fuerant. Quibus de cauſis fiebat, ut Germani præſertim morbos conciperent, atq; eo peſtilentiores, quòd muſto ex uuis non planè maturis expreſſo, è galeis auidè biberent, ſic ut internecina profluuia paſsim orirentur, & funeribus caſtra complerentur. Quibus malis obuiam ibat Cęſar, ualidis iuſtisq; præſidijs ad claſſem miſsis, ut inde opportuna famis ſubſidia peterentur. Mirabantur homines
B
cur Cæſar tãdiu apud Aquas Sextias ferè inglorius A
hæreret, nec quicquã priſtino ardori ſuo ſimile moliretur, nec generoſa conſilia digna ipſo celeriter expediret, priuſquam exercitus grauioribus morbis tentaretur, & Heluetijs hoſtibus auxiliares ſuperuenirent, qui breui affore nunciabantur. Languebat fermè quarta pars legionum, & multo plures morbus abſumpſerat, inter quos fato ceſſerat alter ducum Gaſpar Franiſpergus cum minoribus præfectis atq; ſigniferis ſupra uiginti. Ipſe quoque Antonius Leua prioris ſui conſilij non obſcurè pœnitens, rarius & ſegnius apud Cæſarem ſententiam dicebat, perplexus atq; obrutus magnitudine difficultatis, fortunæ manus dabat, decumbebatq; corpore æger, atq; animo deiectus, ita ut Cæſar ipſum de uictoria deſpondentis animum agnoſceret. Cæterũ quum in his uerſaretur Cæſar, mari delatum ab Auria triſtem nuncium accepit, quo Guidonem Rangonum ad inuadendam Genuam appropinquare, & in Pociferam uallem ſe demittere ferebatur. Igitur Auria de patriæ ſalute uehementer ſolicitus, expedito conſilio ſeptingentos circiter milites Auguſtino Spinulæ legendos attribuit, continuoq; triremibus Antonij Auriæ deuehendos imponit. Antonius pari ſtudio ſolicitudineq; ad ferendam patriæ opem incitatus, uſuſq; nocturnæ auræ flatibus, uelis & remis ire contendit, ingreſſusq; portum, ciues magna trepidatione liberauit. Iam hoſtes ad ſancti Thomæ portam, quæ eſt ad occidentem, peruenerant, allatisq; pluribus ſcalis & conſcẽſis, in ſummũ murum euadere, coronamq; occupare nitebantur. His conſpicui cohortatores aderant, Guido ipſe atque Fregoſius, qui quum fruſtra portam ſibi aperiri amicè ingreſſuris poſtulaſſent, aduerſum à ciuibus reſponſum retulerant, propterea q; uim admouendam rati, acerrima atq; audaciſsima cõſcenſione facta, in urbem tranſcendere conabantur: eo quidem maiore Genuenſium periculo, quòd ad orientalem portam, quæ ad Feritorem hodie Biſamnem fluuiũ ducit, Pallauicinus Vicecomes, & Hercules Fregoſius Cæſaris frater altera caſtra feciſſent, ut diuerſo pauore illato, ciues ad deditionem cõpellerent. Cæterùm ſupra ſancti Thomæ portam, non longè ab ea turricula per quam Piſcario duce Adurnios proceres reducente, urbẽ ante quatuordecim annos captam fuiſſe meminimus: magna cõtentione certatum eſt, eo ſucceſſu, ut Baptiſta Corſius cognomẽto Farina, ægrè locũ defenderet, & Guidoniani uexilla in ſummi muri pinnas audacter efferrẽt. Verũ ſuperuentu Spinulę ingenti animo propugnãtis, ereptũ eſt aſcendenti ſignifero uexillũ, ipſoq; uulnerato atq; in præceps deturbato, repreſsisq; ſubinde & uulneratis qui ſcalas ſubibant, ea mœniũ pars uſq; adeò egregiè defenſa eſt, ut quũ Hector Neapolitanus inuadentium pugnaciſsimus cecidiſſet, Guido multis ſuorũ amiſsis & uulneratis, receptui canĩiuberet, tanq; redintegraturus pugnã, uti uideri uolebat. Cæterũ dux prudens, quòd nulla ad quaſſandũ murũ, atq; ideo ad terrendũ hoſtem tormenta ſecũ adduxiſſet, neq; uti ſperarat Fregoſius, ullus omninoin urbe fauentis populi tumultus oriret, admonitis ſocijs qui erant ad Feritoris portã, copias collegit, regreſſusq; per dextros Pociferæ uallis montes in agrũ Subalpinum, Tanaro amne ſuperato, ad Gallicos duces peruenit, ingenti equidẽ metu atq; periculo, uti inopinatis caſibus accidit, liberata ciuitate, quanq; Guido in diſceſſu oblata exitinere oppidula diripuiſſet. Inde Guido prouectus ad Aſtã, quũ nemo Cæſarianorũ prodiret, abacta aliquanta præda maioris pecoris, ad oppugnandũ Carinianũ contendit: quod oppidum infirmo cuſtoditũ præſidio adortus, uno atq; altero tumultuario certamine ſub mœnibus edito, ad deditionẽ compulit, ibiq; magnam uim parati à Cęſarianis cõmeatus nactus,

Taurinenſium & reliquorum præſidiorum inopiã, æqua diſpẽſatione opportuniſsimè ſubleuauit. Nec multo pòſt admotis copijs Catmognolæ, munito oppido, quod Salaſsi erat ditionis, potitus eſt. Quibus rebus geſtis, tametſi ab irrita ſpe potiundæ Genuæ fruſtra bellum ſuſcepiſſe uideri poterat, his tamen captis oppidis egregiè nominis famam tuebatur. Quibus cognitis rebus Cæſar & Auria, periculoſa lenati cura, magnopere lętati ſunt. Per eos dies Cæſare circa Aquas Sextias commorante, & peſtilentibus morbis legiones peruaſtantibus, quũ Nanſous cum ualido Belgarum exercitu Gallię fines ingreſſus, leuibus quibuſdã equeſtribus prælijs proſperè factis, ad oppugnandum Peronam, quæ eſt urbs Picardiæ ad Somarobrinam amnẽ poſita, contendere nunciaretur, Heluetij uel nihil ex decreto magiſtratuum impetrante rege, uiginti milia peditum uoluntariorum eius gentis ad ſtipendia quæ offerrentur, excitata, duce Calcemito deſcenderũt, & Gallos aduentu ſuo ita confirmarunt, ut Cæſar de belli exitu timere uideret. Nam ſicuti antea magiſtratus publicè Cæſari ſe in neutram inclinaturos partem promiſerant, ita pagorum ferè omnium iuuentus exercendis nata armis ferre non poterat, ut ei bello non intereſſet, quum plures eminerent, qui ex fœdere ueterum pactionum minimè committẽdum prædicarent, ut Galliam tanto circumuentam periculo cõtrarius & æquum indefenſam diripi paterentur. Habendam enim eſſe rationem perpetuæ ſocietatis, qua ad tuendam Galliam præclaro fœdere Galliæ regibus eſſent obſtricti, à quibus omniũ temporum perpetua atque opima bello & pace præmia retuliſſent. Calcemitus autem, quanquam corpore puſillus, ingentis tamen animi præfectus, qué prælio ad Bondincum proſperè facto aduerſus Ferrarienſes multum inclaruiſſe memorauimus, in corona dixiſſe ferebatur, nequaquam eſſe ex commodo dignitateque Heluetiæ gentis, circumuentum diuerſo bello, grauiq; luctu oppreſſum regem, qui florentiſsimum regnique hæredem ex liberis amiſerit, parum pia atq; inepta magiſtratuum ceſſatione deſerere: ſcilicet, ut uiri fortes ſtipendia facere, & uirtutis præmia ferre ſoliti, ſua ſpe lucri, atq; occaſione parandæ laudis defraudentur. His tantis confirmatus auxilijs Franciſcus rex, certius exploratis hoſtium conſilijs atque eorum incommodis, quæ contagioſa planè lues peſtilentiæ modo indies ualidius ſerpens afferebat, animaduerſaque apud eos ſalubris & expetiti commeatus difficultate, ſecundo Rhodano deuectis exercitus impedimentis, ad Cabellonem proceſsit. Ea uetus colonia poſita eſt ad amnem Druentiam in Rhodanum influentem, egregiamque habet ponendis caſtris opportunitatem. Ibi Anneus Memorantius, totius Galliæ equitum magiſter, cuius tum propter eximiam militiæ peritiam, maximeque ſobrij & perſpicacis ingenij præſtantiam, ſumma erat apud regem authoritas, dimenſus accurata ratione, admirabiliq; munitione complexus latiſsimũ ſpacium, uallata caſtra erexit, quibus undique tormentorum corona permunitis, ampliſsimę copiæ contineri, atque his infeſta reddi itinera poterant, quæ ad Cæſariana caſtra, & ad maritimas commeationes, uiasque Alpium pertinerent. Nam per ſuperiores dies Paulus Ceres cũ ualida manu Italicorum & Gallorum equitum, expeditarumque cohortium, Druentiam flumen tranando, nonnulla detrimenta ex occaſione diſperſis hoſtibus intulerat. Perfectis igitur ad Cabellonem caſtrorum munitionibus, atque intra has equitatu è tota Gallia recepto, & collatis in eas Furſtembergi Germanis, & Gallicarum legionum copijs, Heluetij expectabantur, qui iam aderant, uſqueadeò multiplicatis cohortibus, ut nemo eius gentis domi relinqui uideretur: quoniam plerique, & belliA coſiſsimus quiſque ſuopte ingenio ad iter incitati, neque ducẽs, neque uexilla expectanda cenſebant. Qua re Cęſar imminuta ſpe eius cõceptæ uictoriæ, procedendi atque audendi conſilio frangebatur: nam (ſicuti nõnulli paulò antea probarant) ſi diſcederet longius à mari, & per Lugdunenſem agrum in Burgundiam penetrare percuperet, id neque tutũ, neque facile uidebatur, quòd maximis hoſtium copijs in tergo relictis, atque his quas antea deſpexerat, aduentũ Heluetiorum mirificè confirmatis, rex proculdubio ex occaſione certaturus credebatur: cuius rei conſilio ſi caſus incideret, nihil alienius & iniquius accidere poſſe Cęſari, cuncti ferè duces affirmabant: & tum maximè in Antonio Leua intolerandi totius corporis, omniumque propè artuũ dolores, ita animum lethifera uexatione fatigabãt, ut omnem eius ingentis animi uim eliderent, ipſeque deceptus ſua ſpe immodica deſtinatæ uictoriæ, intra pauciſsimos dies ad mortem adigeretur. Viſus eſt Leua accepti uaticinij ſui fidem impleuiſſe, quũ in Gallia, uti cupiebat, extremum uitæ diem obierit, & relatus in Italiam, apud templum ſancti Dionyſij, penes Mediolanum, inſigne ſepulchrum meruerit: ſed non apud Lutetiã, uti crediderat, ubi Dionyſiano celeberrimo in templo tumulum cum elogio funeri deſtinaſſet. Eo mortuo, Cęſar de conſilio reliquorum ducum, nihil ultra eo bello tentata prælij fortuna ſe recipere, atque in Italiam redire conſtituit. Interea à Paulo pontifice binæ legationes in Prouinciam peruenerant, altera Triuultio Cardinale legato, quæ Franciſcum regem reſpiceret: altera Rodulpho pio Carpenſe, quo Cæſar adiretur. Quæ legationes, quanquam nihil quo ad leuandas ſimultates, & minuendam eius ſuſcepti belli controuerſiam pertinerent: eximium tamen ſacroſanctæ æquitatis in Pontifice, qui pacificatoris nomen quęrebat, ſpecimen præbuerunt. Eo modo Cæſar magis & magis ingraueſcente autumno, deductis undique præſidijs, & conſtitutis agminibus per eaſdẽ maritimas Alpes ſubſequente claſſe, in Liguriam ita eſt reuerſus, ut ipſe cum tota ferè aula ad mare iter haberet, turrimque quandam agreſti Gallorum præſidio munitam, quod iter illac habentibus Cæſarianis infeſta eſſet, & Garziam Laſsiũ lapide ictũ interfeciſſet, multa ui expugnaret, defenſores q; deditos, quòd pertinacius reſtitiſſent, ſupplicio affici iuberet. Tum uerò Franciſcus quibuſdam Gallorũ facili paratæque uictoriæ defuiſſe uiſus eſt, quòd abeuntis hoſtis ueſtigia ſtatim non eſſet ſubſequutus. nam plerique etiam ex Cæſarianis affirmabãt, nouiſsimis agminibus graue incommodum afferri potuiſſe: quoniam Germani, & non parua pars Hiſpanorum lentioribus morbis tentarentur, & equites Germani, Belgæque præſertim, magnam equorum multitudine, aut exuſtam feruoribus æſtiuis, aut turgentibus talis debilitatam amiſiſſent. Sed rex cùm alijs de cauſis, tũ multis eruditus antiquorum documẽtis, à certo & tutiſsimo diſciplinæ militaris præcepto diſcedere nolebat: quo fugienti hoſti non fabricandos modò pontes, ſed auro etiam ſternendos uereres cenſuiſſent, ſatisque ſibi gloriæ & laudis partum eo bello fuiſſe, poſtquã tantos impetus, tum Cæſaris in Prouincia, tum Nanſoi in Belgis egregiè regno incolumi ſuſtinuerit, & finibus expulerit. Per eos nanque dies Nanſous irrito conatu, magnis Belgarum & Germanorum adductis copijs Peronam urbem oppugnarat. Cæterùm Cæſare triremibus Genuam aduecto, Aurianiſque in ædibus ornatiſsimis ſuſcepto, Vaſtius per Ingaunos Ligures exercitum, Hiſpanoſque præſertim in Subalpinam regionem reduxit: quòd ibi Gallorum præſidia acceſſu Guidonis Rangoni firmiora, nihil his in partibus bellum remitterent, nouoque auſu uicina oppida inuaſuri uiderẽtur. Quo ſucceſſu aũt

Nanſous

Nanſous bellum geſſerit, Peronamq; oppugnarit, paucis operæprecium erit enarrare. Perona oppidũ eſt Galliæ Belgicæ, ad Samarobrinam amnem, quẽ Somam hodie uocant, Veromanduris antiquis uicinum populis, qui etiam nunc uetus nomen retinent. Id autem diſterminat Gallorum ditionem à Flandris Cæſaris imperio ſubiectis. Paluſtris ea eſt regio, & quod ad ſacra attinet, Nouioduni antiſtitis authoritatem reſpicit. Perona, tametſi neq; magna ſit, neq; ideo urbis nomen habeat: frequentes tamẽ habet incolas generoſos, & Galliæ regibus ualde addictos. Exercentur Peronẽſes belli tempore quotidianis ferè excurſionibus & prælijs cum finitimis, Bapalmenſibusq; præſertim. Bapalma ſiquidem ad Flandros pertinet, extremoq; in limite poſita aduerſæ ditionis Peronam reſpicit. Hoc itaq; oppidum quum Cæſariani duces, neq; præſidio ualido, neq; multo commeatu, neq; exquiſito opere ſatis munitum exiſtimarent, omnibus copijs aggredi ſtatuerunt, quòd Perona capta, facilem ſibi in Galliã aditum patefactum iri prouidebant. Priore autem conſilio, ſancti Quintini oppidum, Samarobrinorũ præcipuum, hybernisq; olim C. Iulij Cæſaris clarum, inuadere cogitarãt: ſed accuratæ & præaltæ munitionis ualidiq; præſidij fama Nanſoum auerterat. Hic enim genere Semigermanus, ſummæq; dignitatis regulus, apud Cæſarẽ fauente regina copijs præerat: habebatq; in caſtris circiter uiginti milia Germanorum peditum, equitum uerò partim è Menapijs atq; Sicambris, qui nunc Cleuenſes appellãtur: atq; item ex Eburonibus reliquisq; Belgis ſeptem milia equitum, magnum autem numerum tormentorum muraliũ, magnãq; uim militaris inſtrumenti expugnandis urbibus undique ſibi aduehi iuſſerat. Hæc dum à Nanſoo parantur, Galli ſenatorij ordinis publicis negocijs præfecti apud Lutetiam, quoniam rex abeſſet, atq; in Prouinciam Cęſari ſibi obuiam eundum ſtatuiſſet, animaduerſo Peronenſium periculo, priuſquam Nanſous hoſtis peruenireт, eius oppidi cuſtodiam Florantio Roberti Sedanij filio tribuerunt. Is pluribus bellis clarus, uti paternæ uirtutis æmulum decuit, Mareſcalchi dignitatem fuerat conſequutus. Mareſcalchi ſiquidẽ muneris eſt, ordinarium regis equitatum inſpicere moderariq;, & in arduis prælijs primã aciem ductare. Itaq; Florantius equites cataphractos cẽtum quinquaginta, milleq; legionarios pedites delectos ducens, celeriterq; Peronam contendens, ante Nanſoi aduentum peruenit, & Peronenſes ex ueteре ſuo ſtudio promptiſsimos ad ſuſtinendum hoſtium impetum, defendendamq; patriam, magnifica concione in foro habita cõfirmauit. Dammartinum regulum ſummæ uirtutis atq; conſtantiæ uirũ, arci tuendæ impoſuit, qui ſuam peculiarem alam cataphractorum dimiſsis equis introduxerat. Cercheiũ autem uirum egregiè fortem peritumque militiæ, peditibus præfecit: equitatum uerò omnem attribuit Ioachimo Hangeſto, ſummæ ſpei & iam ſpectatæ uirtutis iuueni. His rebus quæ ad munitionem pertinerent, inſtituendis atque parandis occupato Florantio, Nanſous cum omnibus copijs ſuperuenit: complexusque oppidum lunatis caſtris Idibus Auguſti tormenta promouit, quæ erant, cùm numero, tum magnitudine, obſeſsis maximè formidanda. Itaque quum Peronenſes poſtulanti Nanſoo, ut ſe dederent, alacriter reſpondiſſent, ſe nequaquam adeò demiſsi eſſe animi, ut ſe patriæ mœnia defenſuros dubitarent: poſtquam his regiorum militum præſidijs eſſent confirmati, qui ſæpenumerò ipſos hoſtes obſediſſent, & ipſi aliàs arctiſsimè fuiſſent obſeſsi, nõ modò hoſtium minas contemnere, ſed armatos uim inferre auſos multis in locis fortiſsimè repuliſſent. Adactis autem tormentis, Nanſous uſque adeò terribili uiolentia murum quaſſauit, ut

Sabell. tom. 5.

A mœnia per partes conuulſa perfractaq; procideret, & patentes aditus per ruinas Cæſarianis præberentur, quibus ſuccedentibus & audaciter irrumpere conantibus, ferrea atque perpetua cataphractorum acies dimiſsis equis pedes pugnans opponebatur. Certabatur autem cominus haſtis atque ſecuribus, ſicut Gallica acies immota conſtantiſsimè irruentes ſuſtineret atq; propelleret: nam Florantius ſubmittendis recentibus ſubſidijs diligenter intentus, huſquam deerat, exemploq; ſuo ardentiſsimo propugnans, & unumquemq; uel militum uel oppidanorum ad reſiſtendum accendens, in muro impaui dus uerſabatur: ſic, ut quum per quinq; horas cruento prælio eſſet dimicatum, Nanſous multis ſuorum amiſsis & uulneratis, ſe reciperet, atque alia ratione oppidum expugnandum eſſe arbitraretur. Erat arx oppidi non multum ab his mœnibus, quæ ab hoſte quaſſata fuerant, antiquiſsima turri inſignis, quam à Iulio Cæſare olim conditam, fama per manus tradita, Galli prędicabant. Hanc Dammartinus, quem diximus, defendendam ſuſceperat, atque inde tormentis rem gerendo, ſubiecta hoſtium caſtra detrimentis afficiebat. Proinde Nanſous nequaquã tormentis demoliri eã poſſe ratus, cuniculos inſtituit, ut ſuppoſitis tormentarij pulueris cadis, noto artificio erumpẽtibus flammis turrim excinderet. Nec Nanſoum cõcepta fefellit opinio: nam actis ſubter fundamẽta binis cuniculis, Dammartino nihil ſentiente, intra paucos dies perfecto opere, ſubditis ignibus repentè conuulſa funditus turris corruit, ruinaq; Dammartinum oppreſsit, & cum eo nonnullos ex præſidio. In ea turri Peronenſes referebãt ſuperioribus temporibus regem Galliæ à Veromãduorum regulo per inſidias captum, ibiq; cuſtodię traditum, uitæ finem inueniſſe. Cæterùm Nanſous, expugnata uel exciſa turri, penitusq; adaperta, nihil profecit, ut inde uel arcem uel urbem iterata ingenti cõnatu oppugnatione caperet. Nec multo pòſt deſperata uictoria obſidionem ſoluit, & intra Flandriæ fines regreſſus eſt. Florantius uerò reſtitutis tumultuario opere mœnibus, ad regem contendit, qui Cæſare prouinciæ finibus excedente, in interiora Galliæ redierat, ab eoque, quónam euentu hoſtes Peronã oppugnaſſent, certius didicit: collaudatoq; Florantio, Cerchioq; & Ioachimo Hangeſtio, militaria dona ad argumentum eximiæ eorum uirtutis tribuit, & ut dijs immortalibus gratias ageret, qui Galliam propitio numine ſummi periculi diſcrimine liberaſſent, per ttiduũ ſupplicationes haberi iuſſit. Florantius autem non multo pòſt, ardentiſsimis ſolibus & Peronæ dudum militari labore exuſtus, lethali concepto morbo, fato conceſsit: paremque non multum inde Hangeſtius, qui Florantio ſuffectus fuerat, eodem bello apud ſancti Pauli oppidũ interfectus, honeſtum uitæ atq; militiæ finem impoſuit. Sub id tẽpus, quo Cæſar Prouinciæ finibus exceſſerat, & Nanſous improſperè oppugnata Perona armis atq; incendijs Galliæ fines populatus, in Flandriam diſſolutis copijs redierat, Franciſcus pares hoſti rependendas clades ratus, quas coẽgerat cõpias in Belgicos fines induxit, magnoq; apparatu Hedinum munitiſsimum oppidum, Britannico limiti uicinum, in ea Belgij parte, quæ Arteſia uocatur, adortus eſt, multoq; maximo tormentorum apparatu admoto, quinquageſimo obſidionis & oppugnationis die in poteſtatẽ redegit, quòd Belgæ multis imparati rebus, inopinatum hoſtium aduentum ſuſtinere nequiuiſſent, nec regina poſt dimiſſum à Nanſoo exercitum obſeſsis maturam opẽ afferre potuiſſet. Id oppidum amiſſum, maximè pupugit Cęſarem, qui facilè intelligebat Gallos nullis parſuros ſumptibus, quin illud egregiè atq; celeriter permunirent; tuerenturq; iuſto præſidio, tanquam opportuniſsimum ad reliquam eius prouin

Vuuu ciæ re-

ciæ regionem inuadendã. Itaq; sororem admonuit, A ut uires repararet, & per idoneos duces redintegra to impetu, hostes nihil tale expectãres inuadere ma turaret. Nec mora Belgarum proceribus ad bellum excitis, uexilla explicantur, & milites ad signa cogũ tur. In his fuere Hadrianus Beurenus, & Philippus Arescotus è Croia familia, quæ est summæ dignita tis apud Belgas, & uetere suo studio fida Cęsari, Gal loq; maximè infensa. Cæsariani itaq; magnis freti copijs, quanta belli clade poterãt, fines Gallicos in trantes, ad Hedinũ delati, quòd ualidioribus quàm putarant præsidijs teneretur, læuorsum ad Taruan nam Morinorum urbem deflexerunt, atq; acri obsi dione oppugnationeq; instituta, expugnare conati sunt. Obsessorum res ad graue periculum deducta uidebatur, propter cõmeatus & tormentarij pulue ris inopiam. Sed Galli qui apud Ambianos castra habebant, certiores facti de sociorũ difficultatibus, coactis undiq; farcinarijs iumentis & plaustris, his rerum copijs quibus Taruannenses egebant, opem ferre statuerunt: susceptq; negocium Hanebaldus cum ingenti præsidio ordinarij equitatus, & euoca torum atq; nobilium eius prouinciæ, qui ei muneri deesse sibi ignominiosum fore iudicabant. Itaq; u sus nocturno itinere, fretus q́ue peritis itineris duci bus, Taruannam feliciter peruenit, atq; urbem uti oportebat, non commeatu modò, sed nouo etiam præsidio permuniuit, serò sentientibus, & prohibe re conantibus Belgis. Sed Hanebaldus, quum alio quàm uenerat itinere, tãquam breuiore tutioreq; se reciperet, conficiendiq; itineris liberũ ab hoste spa cium relinqueretur, quosdam è suis Gallicæ nobili tatis immodico pugnæ desiderio incitatos, neque prohibendo, neq; iure imperij comminando, conti nere potuit, quin illi in proximam, nec se commo uentem Belgarum aciem, stolida irruptione incur rerent. Quorũ insolentia permoti Beurenus & Are scotus, ita illos exceperunt, ut multis interfectis & captis, densatas alas in reliquum Gallorum agmen immitterent. Erat apud Hanebaldum Georgius Ca puzmadius Epirota, uir multis uersatus in prælijs, qui quum Cęsari militaret, paulo antè in Subalpina regione à Gallis quadam excursione fuerat interce ptus: Cæsare uerò eum minimè redimente, oblata à Gallis stipendia accepit, quibus eius uiri uirtus mi nimè cõtemnenda uidebatur. Is Hanebaldo suade bat, ne quod egregiè perfecisset, stolidè corrumpere uelle: propterea q́; sibi uideri deserendam esse eorũ procacium iuuenum manum, quę temerè neglecto imperio certamen contraxisset, tanquam periculo sum omnibus futurum, nisi se ad receptũ celeriter expedirent. Sed Hanebaldus, quum neq; ea quæ di ceret Epirota, facilè probaret, neq; quosdam ex sibi notis circumuentos ab hostibus deferere uellet, in cumbentibus demum Belgis, ita in fugam tumul tuosissimè cõiectus est, ut quum per paludẽ ligneis constratam pontibus esset euadendum, perfractis passim primorũ transitu pondereq; pontibus, equi cœno haurirentur. In his fuere ipse Hanebaldus & Capuzmadius. Ea autem fuga eum habuit exitum, ut quingẽti ferè equites leuis armaturæ, Italici Epi roticiq; generis anteirent, & persequentibus hosti bus ad Hedinum cõfugerent, ubi in præsidio custo diti æstiuabant. Hi fermè trecenti numero, recẽtes in oppido nacti equos conscenderunt, atq; eruptio ne facta persequuti hostes, & prælij & itineris labo re fessos tanto impetu tergis instando perturbarũt, ut nemo ferè eorum madentibus sudore equis resi steret, multiq; sine uulnere caperentur: quorum per mutatione, adiecta aliquanta pecunia Hanebaldus dimissus est, & Capuzmadius iniqua forte iussu Cæ saris tanquam trãsfuga, capitali supplicio affectus. Eiusdem anni, qui fuit trigesimus sextus supra mil lesimum & quingentesimũ, ineunte æstate, qua hęc à Cæsare atq; Nansoo aduersus Gallos tentata, im prosperè gesta sunt, Henricus Britanniæ rex, nouũ inusitatæ leueritatis facinus edidit. Nam quum Ca tharinæ uxori repudij libellum misisset, Annam Bo leniam in coniugalem torum recepit. Causam autẽ repudij probasse ferebatur Thomas Volseius cardi nalis Eboracẽsis. Prætenderat siquidem religionis titulum, quòd Catharina Arcturo ipsius regis fratri germano antea nupsisset: asserebat enim ex placitis Christiani dogmatis, nefas esse eam ducere uxorẽ, quæ in fratris toro inter maritales complexus con cubuisset. Hanc causam aliquandiu iactarant inter se iureconsulti, diuinarumq; legum periti, quũ Cle mens pontifex obstrictus officio, neque Henricum neq; Cæsarem offendere destinasset: lata sententia, sed tergiuersante pontifice, ea lis eum habuit exitũ, ut Henricus, uti æqua iura postulabant, periniquè atq; impiè Catharinam repudiasse in gratiam Cæsa ris decerneretur: qua iniuria adeò uehementer com motus est rex, ut noua religionis dogmata sequere tur, & ab authoritate Romani Pontificis discedẽ dum censeret: sublato ante alios, ut is promeruisse uideri poterat, ipso Thoma Volseio cardinale, sic ut rex postea districto sæuiore gladio nonnullos uere cundæ probitatis uiros, & literarum doctrina illu stres interfecerit, in queis fuere Thomas Morus, regij scrinij magister, & Roffensis cardinalis. Boleniæ itaq; regalia tradita sunt ornamenta, & tãquam ex legitimis nuptijs cõmunicatus genialis torus. Quĩ bus de causis, Catharina quum doloré sustinere nõ posset, fato cõcessit. Sed Bolenia cum iam filiam re gi Elisabetam nomine enixa esset, in adulterij suspi cionem uenisse fertur, atque ob id capite mulctata. Sunt tamen uiri graues ex prima Britanniæ nobili tate, qui affirment, libidine regis potius, aut aduer sæ factionis dolo, quàm merito damnatã fuisse. Ex inde rex Semeram uirginem, celebratis nouis nu ptijs, matrimonio sibi iunxit. Hæc mediocris fami liæ nobilitate regi impar, sed ingenuo pudore statę formæ, quòd ad genium responderet egregiè par, hunc peperit Eduardum regem, quem colit Britan nia, quòd in eo repudiatis uitijs, paternę tantũ uirtu tis indoles effulgeat. Sed is partus regi faustus, ma tri infelix extitit, quum ex partus dolore statim pe rierit, quartis & quintis nuptijs apud immodicum regem locum relinquens.

B

SVPPLEMENTI
LIBER XXI.

ANno, qui fuit à partu Virginis su pra mille & quingẽtos XXXVII. Solymanus magno afficiebatur in commodo, quòd Lusitanæ classes Arabici sinus nauigationes inter clusissent, quibus Memphim atq; Alexandriam aromata atque odores, Indicaq; omnis generis mercemonia aduehi in Europam solerent, magno quidem totius Ægypti uectigaliũ de trimẽto, quum ea mercium negociatio ferè omnis, per immensum Oceanum in Hispaniam auerteretur, dispensareturq; inde per emporia Belgarũ Britannorumq;, & extremæ Germaniæ, quarum regio num regna, Gothosq; populos, Venetorum aduectionibus repleri paulo antè solitos constabat. Itaq; Solymanus, adhortante Ægypti præfecto, ingentẽ triremium classem instituit, qua Lusitanos adorire tur. Præerat tũ Ægypto Solymanus Eunuchus, na tione Epirota, propter militaris ingenij solertiam inter Bassas receptus. Is materiam ædificandis trire mibus à sinu usque Aralico Ciliciaque cæsam & de dolatam Pelusium deuehi curabat, atque inde ad uerso

uerso Nilo Memphim ratibus perduci iubebat, ubi A ita magnum naualium fabrorum numerum coẽge rat, ut paucis mensibus multas plicatiles triremes efficeret, quæ demum camelis membratim ad Sue tiam olim Arsinoes portũ Rubri maris, per arenas siticulosæ regionis trahebantur, atque ibi intextis carinis, & erectis malis, atque instructæ omnibus ar mamentis in mare deducebantur. Id iter à Memphi ad Suetiã octoginta milium spacium impler. Con stat autem antiquissimis tẽporibus, dum Ægypti reges ad extendendam nominis famam prodigio sis operibus uacarent, fossam pernauigabilẽ à Mem phi ad Arsinoëm, admirando labore sumptuq; fuis se perductam, ad summas conuectionum commo ditates, quę demum oblimante uetustate, arenis sci licet alueum sensim opplentibus, quanquam per nauigari nequiret, Niloticam tamen aquam, secun dum amnis incrementa, ad ipsas Arsinoes cisternas deferebat. Sed huius quoque salubris aquæ copia atq; usus ferè omnis, aduentu Arabum Mahomeranę sectę, qui illac irruperunt, & totam ferè Africam, superato Nilo usque ad Atlanticum Oceanum inua serunt, ita est interruptus, ut eius regionis incolæ à remotis quibusdam puteis salsiores, & iniucundos ad potũ latices, per utres camelis impositos petere cogantur. In hocisthmo terræ, intimoq; Arabici si nus termino, mõs Sinas natura saxeus & abruptus in cœlum exurgit, adeò ut difficilem laboriosissi mumq; ad cacumẽ euadentibus ascensum prębeat: nam in summo iugo, quo maria despectantur, posi tum est delubrum diuæ Catharinæ dicatum, quod peregrini ex omni Europa Christiani religionis cau sa adire solent, immensoq; pijs animis gaudio con cepto, monumẽta Mosaicæ historiæ de Mari rubro, quod Pharaonis impij regis copias transire ausas, miraculosa inundatione totas oppresserit, oculis in tueri liceat. Hanc quam diximus fossam, Sesostris B Ægypti rex opulentissimus, & uti aliqui trãdunt, pyramidum etiam structura inclytus, & post eum Ptolomæus ipse Philadelphus, profundius excaua re cogitarũt, ut mediterraneo mari Rubrum immit terent, atque Indica regna, eorumq; opes Ægyptijs finibus expedita nauigatione coniungerent: sed ille præpropera morte interceptus, uel insanum opus intermisit, hic uerò à peritis naturæ rerum admoni tus, ab incepto maturè destitisse fertur, ne totã Au stralis Oceani aquarum molem Græciæ atq; Asiæ, quæ non dubiũ gentibus, altero ueluti cataclysmo inuecto, exitium afferret, insana ideoq; abominabi li glorię cupiditate infudisse diceretur. Igitur singu lari studio atq; industria eius Eunuchi, qui sæuo im perio circũiectas gentes ad id opus adigebat, incre dibili celeritate octoginta circiter insignium nauigiorum classis effecta atq; adornata est. In ea fuere rostratæ triremes uiginti, & biremes uiginti & septẽ, prælatæ uerò triremes, quas Veneti Galeacias uocant, ad ferenda maxima tormentorum & mercimoniorum onera opportunas, numero quatuor, naues quoque capaciores aduehendis commeati bus, & toto militaris apparatus ornamẽto idoneas, quas Mahonas uocant, septem: reliqua porrò nauigia, quæ erant iustæ magnitudinis, supradicti nu meri summam efficiebãt. Hanc classem conscendit Eunuchus, quum in eam nautas, gubernatores & remiges, fabros q́ue nauales Venetos contrusserat. Nam paulo antè imperatoris Solymani iussu, Vene tæ triremes mercaturæ causa Alexandriæ portum intrantes, à Barbaro custode eius turris, quæ Pharũ habet, contra fidem abrupta pace, hostiliter interce ptæ fuerant: ita ut Antonius Barbadicus & Hermo laus Barbarus patritij, earum præfecti, cum omni bus ad unum nautis atque uectoribus custodiæ tra derentur, & mercimonia apud fiscum scriberentur, eius q́ue omnis naualis turbæ delectu habito, Eunu chus quos idoneos putarat, Memphim, atque inde ad Suetiam in classem distribueret. Iam enim Soly manus leuissimis de causis, odio in Veneros conce pto, bellum coquebat aduersus nostros. Sublato namque Habraymo, qui singulari patrocinio Chri stiani nominis gentes apud principẽ fouerat, Lufti beius & Aiax purpurati abstinendum à rebus Persi cis differebant, specie pietatis, quòd Ottomannica arma non in Mahometanos, sed in nostros continẽ ter exercenda cẽserentur, præclaro maiorum exem plo, qui semper Christianis bellis cum triumphali gloria uictores discessissent. Eandem proinde esse cùm sacerdotum, tum ipsorum ducum, & militum uoluntatem, ut arma in Italiam uerterentur. Facilè siquidem occupari posse Salentinorum regionem, quæ extrema Italiæ sit, & à conspectu Epirotici li toris modico traiectu dirempta, classibus pateat. Subiq quoque tempus ad Solymanum pro transfuga se contulerat Troilus Pignatellus, exul Neapo litanus, nobili ortus familia, peritus q́ue militię uir: propterea quòd Andream eius fratrem Rhodiæ mi litiæ equitem, Petrus Toletanus prorex, aliquanto seuerius quàm ipse putarat, capitali supplicio con demnasset. Quo iniuriæ dolore perturbatus, rectà profugerat ad Solymanum, ab eo q́ue liberaliter mi litiæ inter Mutfaracas fuerat ascriptus, cuius ordi nis equites è toto terrarum orbe lectissimi, quæ ue lint numina colere permittuntur, peculiaremq́ue tantũ uni eunti ad bellum imperatori operam præ stant. Eius siquidem transfugij causam probarant Barbari, & Troilum, quòd duxisse apud Cęsarianos equitum ordines secunda militiæ fama didicissent, purpurati maximè idoneum fore iudicabãt, quem ipsis inuadendæ Apuliæ consilijs adhiberent, tan quam multa de situ litorum, atque oppidorum con ditione opportuna traditurum, & cuncta ad id bel lum secunda fore pollicentem, Troilus etiam qua rundam machinarum artificia, ligneis atque minu tis exemplis, uir ingenio sus & uafer apud rudes ea rum artium Barbaros protulerat, ad sustinendum uel improuisum hostium impetum, si per oram ma ritimam descensiones fieri prohibere conarẽtur, cu ius artificij formis Solymanus ita oblectabatur, ut quum plureos currules, præfixos q́; ferreis uenabu lorum mucrónibus, uti apud Rauẽnam à Nauarro excogitatos fuisse diximus, maximè miraretur, ho minem tanquam subtilioris maximeq́ue efficacis industrię purpuratis magnopere cõmendaret, Luf tibeio q́ue præsertim, quem classicum imperio præ fecerat, quãquam in ea Hariadenus ipse Barbarus sa, ab sua singulari scientiæ naualis existimatione, spectatus eminerer. Affirmabat quoq; Troilus eam esse Apulorum omnium & Salentinorum uoluntatem, ut oblata occasione, à Cæsarianis, à quibus im modicis tributis diu uexati essent, omnino defice rent, modò Galli aliqui cõspicerentur, quibus Tur carum beneficio in terram expositis, & classis præ sidio confirmatis se dederẽt. His persuasionibus ad ductus Solymanus, terra mariq́ue uno tempore Ita lię arma inferre constituit, tanta celeritate expediti consilij parata classe, & terrestribus copijs è Thracia sinistrorsum per Thessaliam proficisci iussis, ut pe nè prius improuisus in Epirum peruenerit, & cum ducentis armatorum milibus circa Macedoniæ o ram ad Aulonem constiterit, quàm Byzantio pro fectus à nostris crederetur, qui Barbaros uel ob id in Pannonian reuersuros existimabant, quòd fama increbuisset Austrianos Germanos nequaquã cum Ioanne rege, Turcis q́ue qui essent apud limites in præsidijs inducias tanquam parum æquas seruatu ros. Classis autem numerosa pariter & ornatissima in Ionium delata, à Cephalenijs atque Zacynthijs penè prius spectata est, quàm Veneti sua consuetu dine iustam classem creato maris præfecto, ad tuen

dam ipſorum ditionis oram uerſus Corcyram naui A gare, atq; inde terreſtres atque maritimos Barbaro rum motus obſeruare iuberent. Cæterùm Solymanus è Thracia profectus, emenſuſq; totius Macedo niæ latitudinem, nihil eum morantibus fluuijs, ad Scardos montes perrexit, & per eorũ ualles ad ma re deſcendit. Hi montes ad Taulantios & Daſſare tas, atq; Dardanos, qui hodie Albani ſunt, pertinẽt. Nec multo pòſt Luſtribeius & Barbaruſſa ab Helle ſponto Maleam ſuperantes, ad Ficerium, oræ Leu cadiæ portum dulcis aquæ fontibus clarum, aquan di cauſa peruenerunt, indeque Acarnaniæ ac Epiri litora lambentes, præterq; ctiq; Corcyram, ubi Ve neta claſſis Hieronymo Piſaurio præfecto ſtationẽ habebat, mutua ſalutatione multis de more tormẽ torum bombis amiciſſimè celebrata, ad Aulonem per Piſcoſas fauces, quas Laous amnis ſtagnans effi cit, claſſis partem intulerũt. Tum uerò Solymanus Italiam quam habebat in conſpectu, extemplò pe tendam ratus, ut ſi cœpta proſperè proueniret, ipſe etiam totis copijs traijceret: Luſtribeium & Barba ruſſam transfretare, atque explorare Salentinorum uoluntates iuſſit. Aderat eis Troilus exul, nauandę operæ cupidus. Is uti peritus rerum, quòd inſignes urbes Brunduſium & Hidruntem egregiè munitas Cæſarianorum præſidijs teneri intelligebat, ab Ia pygio promontorio, quod hodie Hidruntinum ca put appellant, in ſignum Tarentinum ad dextram deflexit, ad Caſtrum oppidum. Diſtat id octo mili bus paſſuum ab Hidrunte, habetq́ue arcem collis dorſo impoſitam. Id erat ditionis Mercurini Catina riæ uiri Vercellenſis. Hic nequaquam militiæ aſſue tus, improuiſo Barbarorum aduentu exterritus, at que omnibus ad reſiſtendum imparatus rebus, per ſuaſus etiam Troili internuncijs, ita deditionem fe cit, ut Barbari ab omni maleficio ſe temperaturos polliceretur, oppidanis in eandem pactionem cum B ipſo regulo facilè credulis, propterea quòd Foreſtiũ Galliæ regis legatum adeſſe exiſtimarent: ſed is ad Aulonem ſubſtiterat, lethali oppreſſus morbo, ubi paucos poſt dies interijt. Itaque Barbari, nauales q; præſertim turmæ prædæ inhiantes, neque Troili deprecatione permoti, neque Luſtribeij Barbaruſſæ que imperij parentes, oppidum ſublato clamore di ripuerunt, delectæq́ue ætatis captiuos cum Mercu rino ad claſſem deduxerunt. Verùm Luſtribeius nõ dubio pudore abruptæ fidei perfuſus, Mercurinum incolumẽ dimiſit. Eodẽ aũt tempore magnus om nis generis hominum, & maioris pecoris numerus, toto Salentino litore ab equitibus Turcis interce ptus eſt, ſic ut à Tarento Brunduſium uſque, Salen tinus ager magno metu atque periculo quateretur, cui non dubiam ab Italia peſtem ſuperis auerten tibus, inexpectatam opem attulit unius Veneti trie rarchi temeritas. Is fuit Alexander Contarenus, ſpe ctatæ nobilitatis atq; uirtutis trierarchus, qui cum circumerrantibus Turcicis triremibus caſu quodã improuiſus occurriſſet: nec Turcæ, ſicuti ex conſue tudine debebant, honoris cauſa uela dimittere, & inanibus bombis pacati animi ſignificationem oſtẽ dere uellent, in eos ſuperbiæ ſuæ atque odij uiolen tiam ſubitò conuertit, incitatisq; remigibus in Tur cas roſtra direxit, perforatasque magno impetu ho ſtiles duas demerſit, in queis Vſtamanes Gallipoli tanus præfectus interijſſe dicebatur. Id facinus à Contareno, uti poſtea apparuit, malo reipublicę im portuniſsimè editum, referebatur ad priuatam ſi multatem, quòd mercatorum nauigiũ ipſius Con tareni, quod ab oriente precioſas merces aduehe bat, à Turcis prædonibus paulo antè fuiſſet interce ptum, ſic ut Contarenus ex priuata iactura cõcepto odio indulſiſſe dolori, & publicam cauſam negle xiſſe diceretur. Paulo antè quàm Turcæ in Salenti num agrum traijcerent, Andreas Auria Cæſarianæ

A claſsis præfectus, apud Meſſanam certior factus, So lymanum ad Aulonem poſitis caſtris, conſtitiſſe, claſſemq́ue eius eodem perueniſſe: iratus ſibi quòd nulli hoſtium claſsis parti, ſicuti maximè cupiebat, occurriſſet, ſuperato Spartiuenti promõtorio, quòd olim Zephyrium fuit, per Ionium uela dedit, & ſe ad Zacynthum & Cephaleniam uſq; prouexit, ſpe rans, uti euenit, aliquibus nouiſsimi hoſtium agmi nis nauigijs occurſurum. Fortè incidit in aliquot ei us generis nauigia, quæ à Turcis Schiratia uocan tur. Ea erãt onuſta uarij generis commeatus copia, & lino utique Alexandrino, quod mercemonij cau ſa priuatim à nautis deferebat. Ea claſsicula ad So lymanum contendens, ubi procul Auriana uexilla conſpexit, non Liguſticam atque hoſtilem rata, ſed Venetam amicamq; temerè iudicans, ubi propius errorem ſuum detexit, nihil tentata defenſione, ir rumpenti Auriæ ſe dedidit, qui omnibus uel Tur cis, uel Ægyptijs Mahometani nominis captis, & ad tranſtra triremium traductis, translata continuò in triremes præda omni, nauigia incendit. Per eos dies, per quos Ionium Auria percurrebat, Solyma ni binas triremes incẽderat. His triremibus Iunuſ beius ſupremæ authoritatis interpres, quem Barba ri Dragomanem uocant, à Solymano ad præfectum claſsis pro legato miſſus, Corcyram aduehebatur. Siquidem quum Turcæ inſulæ appropinquantes, nullam honoris cauſa de more ſalutationis ſignifi cationem feciſſent, Veneti aliquot trierarchi tatam ineſſe Barbaris arrogantiam indignantes, in eas hoſ tilem impetum fecerunt, & in litus Turcas ſe eijce re coẽgerunt, ſic ut magna Turcarum pars cum ipſo Iunusbeio ab Acroceraunis latronibus caperentur. Iunusbeius tamẽ ægrè ſe explicans, & præſenti pre cio ſe redimens, ad Solymanum eſt deductus: ua cuas autem atque deſertas ambas triremes, Auria il la tunc litora explorans nactus, quòd ſemifracte u ti grauiter eliſæ nequaquam ſibi adducendæ uide rentur, protinus incenderat. Ex ea re Barbari in Ve netos odij ſui uim omnem, tanquam ab iuſta cauſa uehementer intenderunt: quanquam Venetus præ fectus cunctis humanitatis officijs cum Iunusbeio eius facti nouitatem periculiq́ue dolorem expiare niteretur, quòd ab utriſque imprudenter naualis di ſciplinæ leges importuno caſu uiolatas oſtenderet. His fortuitis paruarum rerum ſucceſsibus, non du bia abrumpendæ pacis initia apud Turcas quæſita ſunt: eoq́ue ualidius & properantius, quòd per eos dies Auria diligentiſsimè interdiu noctuq́ue ſulcã do maria atque omnes portus explorando nactus triremes hoſtium duodecim, apud Merleias quas uocant inſulas, ſupra Caſsiopeum Corcyræ promõ torium poſitas (hæ fuere antiquitus Ericuſa, Mara thæ, Elaphuſa, & Malthace) nocturno atque cruen tiſsimo prælio deleuerat. Erant enim duo genera pugnaciſsimorum militum Turcici nominis, Iani zeri ex prætorianorum ordine, atque item delecti equites, quos Spachos uocant, qui incredibili uirtu te propugnantes, triginta quinque inſtructiſsima rum triremium impetum ita ſuſtinuerunt, ut ſaucij grauiſsimis uulneribus, feſsique pugnando occum bere quàm ſe dedere maluerint, deſpondentesque animos ſinguli macheras incuruas, quas magno pa rant precio, in mare proijcerent, ne his noſtri poti rentur. Ea autem uictoria non multum Auriam læ tatum fuiſſe conſtat, quum magnum numerum ex propugnatoribus ſuis atque remigibus, magiſtris que triremium amiſerit, & Antonius ipſe Auria in eundæ pugnę princeps, uehementer uulneratus di ſceſsiſſet. Parta uictoria Andreas ad Leucam pro montorium orientale Corcyræ, contra Paxum inſu lam paruam, quæ retinet uetus nomen, claſſem con tulit, ut aliena ſuaque accepta incommoda certius inſpiceret. Nec mora, quòd audiret Barbaruſſam à

Solymano

Solymano cum octoginta triremibus aduerſum ſe A proficiſci iuſſum non longè abeſſe, anteuertit iter, & abductis aliquot quæ erant integræ, hoſtium tri remibus captiuis, feliciter emenſus Ionium, ad La cinium promontorium, quod hodie Columnas uo cant, peruenit, atque inde Meſſanam ad repetendã claſſem traiecit. Hoc inſigni ab Auria detrimẽto af fectum, & geminata contumelia à Veneto laceſsitũ Solymanum, uſque adeò acri iracundia exarſiſſe fe runt, ut Barbaruſſæ maledicendo aſperrimè ſuccen ſeret, quòd per incuriam ſegnioremq́ue impetum nuſquam utilem operam præſtitiſſet: Venetis autẽ grauiſsimè comminatus, capitalis odij clades de nunciaret, à quibus ſe deſpectum, & uana antiquæ pacis ſpecie deceptum diſſerebat, ita ut eos procul dubio cum Cæſare ab occulta ſocietate conſenſiſſe iudicaret. Eos propterea Auriam, uti ſemper aliàs, opportuno conſilio & commeatibus adiuuiſſe, re cepiſſeq́ue portubus, & ut ille aptius atque felicius aduerſum ſe impunè prædaretur, undique per Græ cos ſpeculatores nauigationum indicia detuliſſe. In hunc modum ſuapte iracundia inflammatum im peratorem, Iunusbeius ipſe Dragomanes, & Barba ruſſa, atque Aiax, nouis additis facibus, ut pacem abrumperet; incitabant: ille quidem priuatam ultu rus iniuriam, hi uerò, ut commutata belli ratione, maiorem prædam, uberioremq́ue laudem ſibi para rent: utpote qui proximis inſulis inhiarent, Corcy ræque preſertim & Zacyntho, Cephaleniæq́; poſt quam in Italia ad inuadendum expugnandumque duriora omnia ſpe ipſorum eſſent inuenturi. Itaque Solymanus ira percitus, commutato conſilio, bellũ aduerſus Venetos decernit, & ab Aulone caſtra mo uens, Vagiuſſam amnem quem ueteres Ænantem uocabant, ſuperat, & ad Communitiam Butrotiæ regionis, caſtra conſtituit. Communitię locus olim Regij Fontis nomen habebat, unde uberrima pro- B fluit aquatio portui mirè opportuna: Quum eo in li tore Solymanus haberet caſtra, Acroceraunij agre ſtes ferique homines, qui Chimęram incolunt mon tem, immane conſilium ſuſceperunt, tabernaculi re gij noctu inuadendi, concitante eos Damiano quo dam latronum duce, abſtruſorum collium, qui ſunt in ijs rupibus & ſyluis, peritiſsimo. Non reformida bant ullum uel certæ necis periculum uiri rerũ om nium egentes, ideoq; latrocinijs aſſueti, & nullos certos colentes deos, ut incredibili præda, atque in uſitati facinoris gloria potirentur, ſi longè maximũ terrarum orbis imperatorem in tabernaculo ſemi ſopitum, & fruſtra tot cuſtodijs conſiſum occide rent: magno ſiquidem ſilentio, ferarum more ſeſe inſinuaturos concubia nocte in ſtationem facilè ſpe rarant: ſed Barbaris ad id audendum facinus para tis, fortuna defuit. nam dux ipſe Damianus è notis rupibus delapſus ad explorandum prætorij ſitum, & circumiectæ ſtationis formam, uigiles & excubã tes prætorianos non fefellit: conſpectus enim in ar bore ex fragore abruptæ frondis, uti erat ſemipen ſilis & ſpeculabundus, à Ianizeris eſt comprehẽſus, & per torméta detectis quas parabat inſidijs, iuſſu imperatoris belluę captę modo diſcerptus eſt: unde mox magna illis agreſtibus clades illata eſt, emiſsis ſcilicet in eos Aſapis & Acanzis uenationis modo ad trucidandam, & quàm maximè poſſent delendã horridæ atq; infamis gentis ſtirpem. Ab hac enim genus ducunt Huſcochi maritimi prædones Dal matiæ ſcopulis aſſueti, & Haidones qui Illyricis ne moribus inerrant, & cunctis mortalibus ex profeſ ſo hoſtes, uſque ad interiores Pannoniæ limites la trocinia exercent. Per hunc modum Solymanus di rum agreſte genus ad ſatietatem ultus, Corcyram oppugnare conſtituit, Barbaruſſa cum omni tormẽ torum apparatu è continente in inſulam tranſgredi iuſſo. Is paulo antè reuocatus ab Iapygia ad Saxonẽ

A inſulam, edito ingentis tormenti bombo, uniuer ſam claſſem ex ea ſignificatione contraxerat, & eo dem curſu, nuſquam reperto Auria, per fretum Cor cyreum ad Regios Fontes, Solymaniq́ue caſtra per uenerat. Quibus Turcarum cõſilijs opportunè per ſpectis, Piſaurius aliquot triremium propugnatori bus & ualidiſsimis remigum detractis, utramque arcem oppidi auctopræſidio communijt, & ſe im parem mari Barbaris fore iudicans, cum uniuerſa claſſe ab inſula ſe ſubduxit, & in Hadriaticum ſinũ profectus eſt, eo conſilio, ut cum ſocia altera Vene ta claſſe, cui Ioannes Vetturius præerat, ſe coniun geret, & litora Venetæ ditionis cõtra Barbaros tue retur: pugnæ caſum ſubire paratus, poſtquam & ſi bi auxilio futurus Auria uideretur, accedenteq́ue Vetturiana claſſe ſuperiores exiſtimari poſſent. In id quoque conſilium, Piſaurius, ſi pugnandum fo ret, Alexandrum Buondelmerium, ingentis & pro pè ſtupendi apparatus galeoni præfectum, qui tum erat circa Zacynthum, admonuit, ut in Dalmatiam ad ſe nauigaret. Paruit imperio Buondelmerius na uandæ operæ cupidus, deuectusque eſt ad inſulam Curſulam, quæ antiquitus Corcyra nigra fuit, Meli tæis olim catulis ad fœminarum delicias clara. Cæ terùm Piſaurius atque Vetturius ſuas claſſes in Ri zonicum ſinum, quem hodie Cathareum uocant, intulerunt, quum Solymanus magnam copiarum ſuarum partem ad diripiendos Corcyreorum uicos tranſmiſiſſet. Pagos nanque omnes, & notos uicos perſcrutati Barbari, infinitam propè miſeræ gentis multitudinem captam in ſeruitutem abduxerunt. Ad oppidum autem, Aiacem purpuratũ & ipſum Barbaruſſam ſingulis aduectos nauiculis propius acceſsiſſe conſtat, ut certius, quæ opportuna eſſent ad oppugnãdum, ſpecularentur. Sed ea uiſa eſt tur riti oppidi & frequenti præſidio confirmati, portus B que munitio, ut eam Solymano inexpugnabilem eſſe nunciarent. Præerant Corcyræ duo Patritij Ve neti, Aloyſius Ripa, & Simon Leonius. Hi non te merè Barbarorum uires, quæ terra mariq; erant ma ximè metuentes, eò deſcenderunt, ut ſuburbana te cta, quæ erant inſtar oppidi perpulchra atque ma gnifica, ultro excinderent, ne his tranſgreſsi Turcæ potirentur, atque his protecti ad oppidi murum tu tius atque facilius accederent. Cæterùm præfecti, quos diximus, longæ obſidionis metu adducti, q nequaquam tantum commeatus in urbe eſſe con ſpicerent, ut diu à Barbaris terra mariq́ue acriter ob ſeſsi, inopiam ferre poſſent, omnem imbellem po puli multitudinẽ extra oppidum expulerũt. Vnum ex omnibus Corcyreorum caſtellis, nomine Ange locaſtrum, in mediterraneis inſulæ ad quintum de cimum lapidem ab urbe poſitum, fruſtra oppugnã tibus & comminantibus Turcis, oppidanorũ egre gia uirtute defenſum, ſupra tria milia humanorum capitum, quæ eò confugerant, proſperè cõſeruauit, quum paſsim diuerſæ Turcarum manus cæteris lo cis diram uaſtitatem attuliſſent. Turcæ ad terren dos Corcyreos occupato monte, multa in eo taber nacula conſtituerant, & è ſcopulo qui Maripetrus uocatur, maiores pilas in oppidum contorquebãt, & contra oppidum in ruinis conflagrantium ædi ficiorum occultè conſiſtentes, ſcloperis ita rem ge rebant, ut pleroſque apparentium in corona mœ nium certiſsimis ictibus uulnerarent, & circumue cti triremibus ſingula è proris maiora tormenta di ſploderent: maiore tamen obſeſſorum metu quàm damno. His de cauſis, quòd parum proficerent, ſicu ti antea confirmaſſe diximus duces ipſos Luſtribe ium, Barbaruſſam & Aiacem, Solymanus ſuſceptæ expeditionis pertæſus, ſoluere obſidionem, & By zantium reuerti conſtituit non ſine pudore irriti co natus, quòd utrobique, & in Salentinis & Corcyrę, fortuna uel iuſta uel immodica eius uota fefelliſſet.

In hoc decreto erat Barbarus imperator, quum certius didicit, à suis nulla fide cum Castrensibus rem gestam fuisse: expiandam omnino esse eius patrati facinoris infamiam putauit, generosoque animo, quos comperit maleficij authores fuisse, supplicio affecit, & Castrenses captiuos omnes diligentissimè perquisitos, impositosque nauigijs ad penates suos reduci iussit: quum administrante Barbarussa ad edictum copiæ omnes decedere insula, & in aduersam continentem traijcere iuberentur. Constat autem eo bello supra sexdecim milia è Corcyreis, omnis sexus & ætatis capta atque abducta in serui tutem fuisse. Solymanus itaque castra mouens, legente oram classe, recto per Acarnaniam & Ætoliã itinere, positis commodæ aquationis causa ad amnes qui occurrebãt castris, ad Aractum scilicet, qui Ambracium influit sinum, Arcteum de uetere eius amnis nomine hodie uocatum, & Acheloum Ætoliæ, qui propter eximiam aquæ claritatem ab incolis Aspropotomus hodie uocatus, in Naupacteum sinum euoluitur, Byzantium est reuersus: deditque extemplò operam, ut à Casimo Bassa, Nauplio & Epidauro, in Peloponneso reliquis Veneti imperij urbibus bellum inferretur: idemque ut facerent Illyrici præfectis imperauit, ut multis simul in locis uno tempore Veneti Turcico bello uexarentur. Discedére autem Barbarussa, atq; appellente classem, propter aduersas tempestates, ad Butrotum, quod oppidum clarum antiquitus uetus retinet nomen, id omnibus incolis incursu naualis turbæ captis, atrociter direptum atq; deletum est. Per eos dies Pisaurius Venetæ classis præfectus, inito cõsilio cum collega Vetturio, in eum Dalmatiæ sinum, qui ad Scardonam claram olim urbem pertinet, classem intulit, expositisque militibus, ad oppugnandam urbem duxit. Distat ea à proximo litore septem milibus passuum, tuebaturque eam uir Turcici nominis à fuscedine oris Æthiops uocatus: is oppugnãtium uim diu sustinere non potuit. Nam Veneti, decussis toto muro propugnaculis, impetu facto in urbem perruperunt, & cæsis aut captis hostibus eam diripuerunt, edictoque præfecti, uetera mœnia funditus euerterunt, ne Turcæ repetita possessione opportunæ urbis, castellum ibi inædificarent. Erat oppidulum cum arce distans à mari sex milibus passuum, Obroatium à Dalmatis appellatum, quod antiquitus, uti reor, Argyrutũ fuit. Hinc Turcæ Vscochis feris prædonibus admixti, latrocinia exercebant, patebatque his ad prædæ receptum, id unum maximè castellũ. Quibus de causis Vetturius cum sua classe, qua Hadriaticum sinum cum imperio tuebatur, ab Hiadera exiguo eius maris sinu circumuectus, copias exposuit, ita ut propugnatores naualesque socios triremium in ordines componeret, Gabrielique Ripæo Veronensi copijs præfecto, Obroatium continuò oppugnandum imperaret. Veneti inopinantes adorti Turcas, peracre certamen inierunt. Sed quoniam muralibus tormentis carebant, nec minutis pilis quicquam proficerent, & idcirco de expugnatione desperarent, superuentu Amurathis, qui cum paucis equitibus Turcis, & tumultuaria Vscochorũ peditum manu oppidanis opem laturus adcurrerat, nostri cõspectis Turcis repentino terrore perculsi, primoque impetu in fœdam coniecti fugam, instantibus Barbaris cæsi profligatique sunt, eo exitu, ut uix Gabriel ipse præfectus conscenso equo, desertisque militibus cædi se eriperet: sic tamen, ut ignauiæ ignominia notatus, non multo pòst seueritate Pisauri præfecti in ipsa prætorie pro ra capite plecteretur: Amurathes autem re bene gesta cum multis captiuis, multisque hostium spolijs ad præfectum totius Illyrij Vstrefum, cuius erat alumnus, reuerteretur. Hic Amurathes è Sico oppido ciuis, quod hodie Sebenicum uocant, ad Mahometis sacra defecerat, felicique uirtute omnibus Pan

A nonicis & Dalmaticis bellis inclaruerat, adeò ut honestissimis honoribus & præmijs ab Vstrefo indulgenter ornaretur. Paulò siquidem antea insignem apud Clissam de Christianis uictoriam retulerat, ex qua facilè famam consequutus, à Solymano imperatore iusta præmia retulerat. Erat supra clarissimã urbem Salonam, oppidum Clissa in edito colle per munitum, quod ab infirmo regulo Christiani nomi nis tenebatur, cui Petro Crosiccio nomen erat. Id his in locis ad sustinendas Turcarum incursiones magnam habebat opportunitatem, apparebatque magno Christianorum incommodo, Clissam in Barbarorum potestatem esse deuenturam, nisi commu ni finitimorum auxilio aduersus Turcas defendere tur. Sustinuerat diu Crosiccius insultantium perpetuoque insidiantium Turcarum arma. Sed is, uti erat tenuissimæ fortunæ regulus, uiribus diffidens, totiusque uiciniæ periculum ostendens, ad Ferdinandi regis, Pauliique pontificis auxilia decurrerat, ut eorum matura adiutus ope, sese atque oppidum tueretur. Non imploratum frustra opem Crosiccius: nam pontifex eum cõscriptis Anconæ cohortibus, & opportuno tormentorum instrumẽto, atq; item commeatu liberaliter adiuuit, quũ pari studio Ferdinandus Nicolaum Turrianum, uirum belli peritum cum duobus milibus Germanorum misisset. Turcæ per id tempus duo castella subitariæ munitionis instituerant, ut Clissam arctius obsiderent, alterum ædificabatur paulò supra Salonam, non longius quàm sex milibus passuum ab oppido Clissa. Id Maleuicinum Dalmataæ uocabant: alterum in aduersa parte, quæ ad mediterraneam regionem uergit. Hinc facilè iudicabat Crosiccius, si institutæ munitiones ab hoste perficerentur, breui desperatam fore Clissanorum salutem. Itaque Turrianus & Lucas Anconitanus, qui pontificijs præerat auxilijs, utrunq; castellũ adorti, eas munitiones diruere cœperunt, quum fortè Amurathes opportunissimo tẽpore superuenit, cum trecentis equitibus, & expeditis peditibus septingentis, ab ipso Illyrici præfecto missus. Is terribili impetu facto, clamoreque sublato nostros inuadens, tanta ui perculit, ut neq; Itali, neque Germani audacter prælium exciperent, sed nusquã densata acie profligati terga uerterent, non secus ac Gabrieli Ripæo ad Obroatiũ accidisse meminimus. Petrus ipse Crosiccius quũ incitato equo au fugiés ad mare peruenisset, exitiali consilio equũ dimisit, & in nauigium se intulit, ut ad saluté cõpendio paruq; nauigationis uteretur. Cæterũ id nauigiũ prægraúate insilientiũ ex fuga militũ multitudine, è litore, uel multo adnitentiũ remis & contis conatu, propelli in altum mare arenoso è uado non potuit, sic ut Turcæ superuenientes, & ipsum unũ Petrum præcipuè petentes, in nauem insilirẽt, trucidatisq; omnibus, adéptũ Petri caput ad Amurathé referrent. Quo capite Clissanis ostẽtato, oppidani terrore correpti, & exiguo freti commeatu, desperatis rebus aufugientes, uacuum oppidũ uictori reliquerunt. Turrianus autẽ, & Lucas, qui equis ad fugam usi fuerunt, dimidiã suorum partẽ, quæ cæsa aut capta fuerat, desiderarũt. Cremontius quoq; Turriani præfectus, quum se per diuersos tramites ad Vanizami uicum confugere speraret, à consectante equitatũ cum uniuersis peditibus ferè ducentis interfectus est. Non parua quoq; Spalatẽsium incolarum, qui temerè Salonam processerant, turba, ut Maleuicini castelli expugnationem atque excidium spectaret, superuentu Turcarũ equitum in receptu portæ oppressa est, nihil eam proregente arcis custode, qui in Turcas tormenta dirigere poterat. Is siquidem abruptæ pacis ignarus, nihil Turcis à Veneto nocendum esse existimabat. Sub id quoq; tempus idem Amurathes Nadinum castellũ Iaderẽsis agri, quod est edito in monte pro specula positũ, per proditionẽ auari custodis occupauit, magno eius puin

ciæ in-

ciæ incommodo: quoniam Christiani amissa ea spe A
cula, improuisis quotidie Barbarorum incursionibus uexabantur. Sed Veneti his exagitati iniurijs, non multo pòst misso in Dalmatiã, qui Iaderæ præesset, Camillo Vrsino, paria ferè hostibus detrimenta rependerũt. Nam ab Laurana oppido coactis copijs duo præfecti in Turcicos progressi fines, Ostrouizzam oppidum manu expugnarunt & incenderunt, & Obroatium, quod nuper amiserant, per Iulium è monte Veccio Vmbriæ, uirum militiæ peritum receperunt. Sed id quòd non rectè commodéue custodiri posse iudicabatur, à Camillo Vrsino ex præscripto senatus dirutum & solo æquatum fuit. Eodem autumno, quo Solymanus Corcyræ insulam effuse populatus, Byzantium redibat, & de Dalmatiæ castellis cum Venetis certabatur, grauissimũ ex insperato detrimentum Ferdinando regi ad Exechium à Turcis illatum est, quo nullum ætate nostra uel funestius uel ignominiosius, si trucidatum quatuor gentium militum & ducum florem, & fœdam ducis fugam reputemus, Christiano nomini extitisse uisum est. Superiore bello Turcæ à Mugatiano prælio uictores, eam citerioris Pannoniæ regionem, quæ Possega ab Hungaris appellatur, sibi uendicarant, eo decreto, ut nequaquam Ioanni regi tradendam, sed sibi eam omnino retinendam existimarent, propter opportunitatem expediti itineris, quo ipsi superato ad Belgradum Danubio, peruasuri in Pannoniam uti consuessent. Possegam duo amnes, Sauus & Drauus longo cursu ab occidente, raptis secum aliquot minoribus fluuijs, in orientem uersi, æqualique ferè semper spacio inter se distantes, totam præcingunt & alluunt. Eo tempore præerat Belgrado Mahometes Iahiaoglis, spectatæ uirtutis atque prudentiæ, authoritate inter Barbaros dux summus, cui Solymanus non temerè ingenio eius confisus, limitum præfecturam, tutelamq; Pan B
nonici regni commodo Ioannis regis attribuerat. Is superiore anno ita præsidij uires exercuerat contra nostros, ut multo astu ualidisque armis fretus supra triginta castella regiæ ditionis, quę ad Despotis Rasciæ patrimonium pertinebant, in potestatẽ redegerit, & Illyricæ præfecturę, quæ Bosnensis appellatur, adiecerit. Vnum uerò ante alia summæ opportunitatis castellum, quod est in Possega, nomine Exechium, accuratissimè communiuit, quòd id ad traiectum Draui in Pannoniam pertinere prouidebat. Itaque Mahometes iustis erectis munitionibus, complexus insigne templum, atque eius oppidi cœnobium, Exechium totius belli arcem fecit, unde innumerabiles agebat prædas, atque arma nostris passim insidiosus atq; terribilis inferebat: manebat tamen certa inducirum conditio, quę ex inueterata consuetudine in his locis minuta prælia & extraordinarias incursiones admittebat, quòd ex disciplina uideretur relinquendam esse militibus exercendę uirtuti, insuefaciendisque equis occasionem, quæ nihil pacis tranquillitatem abrumperet, nisi iustis copijs cum iusto tormẽtorum muralium apparatu uis inferretur. His de causis Ferdinandus improbè lacessitus, utpote qui ægrè ferebat inducias uigere, quas Solymanus suo commodo aduersus Persas bellum suscepturus indixerat, nec eas pati posset, tanquam inutiles damnosasque, paranda arma iudicauit, non obscuro consilio, ut si Turcas possessione Possegæ depelleret, inde mox superato Drauo, recta Budam repetito iure suo, aduersus Ioannem proficisceretur. Non deerant tamen apud eum, qui dicerent nequaquam temerè excitandum bellum aduersus eam gentem, copijs atque pecunia, terra marique insuperabilem, nisi uno consensu & sumptu omnium Europæ principum arma caperentur. Erant uera hæc, & prudenti alioqui regi magnopere probabantur, sed singulæ eius imperij gen

tes usqueadeò erectis ad suscipiendum id bellũ ingenijs ardebant, ut si tantæ occasionis bellum differretur, se nunquam postea aduersus Turcas arma laturos confirmarent. Ita Ferdinandus magna alacritate omnium undique milites cogit. Euocat tan quam ad solenne sacri belli edictum pios atq; fortissimos quosque præfectos & regulos: breuiq; iustus exercitus, genere tamen delectúque militum, q̃ numero ualidior efficitur, in quo phalanx erat Germanici peditatus, cui cohærebant tanquam cornua aliquot Italicæ cohortes, quas ex sclopetarijs Ludouicus Lodronius in Rhetia Tridentinis alpibus Italiæque propinqua, & in Gallia Cisalpina conscripserat. Hic peditatum peculiari imperio regebat. Coiuerát ad regia uexilla Bohemi equites & Slesij, Morauique his coniuncti, qui fulgentibus armis tegebantur. Nam Carinthiæ Stiriæque equites (his Ioannes Vnganottus, illis uerò Antius Macer Saxoni ca stirpe ortus præerat) medio quodam armaturæ genere utebantur, quum Hungari, quos ductabant Paulus Bachithius & Ludouicus Pechrius, magna ex parte peltati essent, & leuis armaturæ Vsarones appellarentur. Horum omnium numerus octo milium equitum summam implebat, peditum autem omnis generis sexdecim milia censebantur, quibus aderat ualidus & numerosus omnis generis tormẽtorum apparatus. Erant hæ copiæ usu belli atq; animis delendo uel maximo Barbarorum exercitu pares, si acie & iusto concursu certandum foret, atque his imperaret dux grauis, & uti sæpè aliàs extitisset, probè fortunatus. Is erat Ioannes Cazzianer, genere Croatus, quem multis exercitatum bellis, & defensæ nuper Viennæ fama inclytum, rex Ferdinandus impigri pugnacisque hominis ingenio captus, ad summũ militaris imperij decus euexerat: quanquam eum plerique à turbida, parumq; sobria mente præcipitẽ esse cõtenderent, ideoq; alæ potius leuis armaturæ equitũ, q̃ totius exercitus præfectura dignioré. At Mahometes his cognitis rebꝰ quæ aduersum se parabant, è proximis Pannoniæ præsidijs milites accersit: neq; ei Budæ præsides ulla in parte desunt, quin auxilia submittát. Bosnensis ante alios Vstrephus, qui amplioré ex omnibus Europæ Sanzachis equitũ numerũ alebat, Amurathé alumnum suum recenti Clissana uictoria clarũ, cum numerosa ala exercitatissimorũ equitũ mittit. Huic quoq; adduntur pedites expediti ex feris montanisq; hominibus præsenti pecunia conducti, qui uno nomine ab Hungaris Haydones, à Dalmatis Husсochi, à Turcis & Izyrijs Martellosij uocãtur. Hanc turbam regebant, & sua uirtute & disciplina confirmabant, certæ Ianizerorum manus prætoriani ordinis, deductæ ex singulis præsidijs, & usq; etiã à Belgrado atq; Samandria euocatæ. Hos consequebantur plerique ex Rascianis & Seruianis, spe stipendiorũ & prædæ allecti, inuitantibus passim Turcis singularũ pro uinciarũ quęstoribus, qui liberaliter coëuntibus ad signa duorũ mensium stipendia persoluebant. Itaq; cõmuni studio sua undiq; auxilia cõferentibus Sanzachis, Mahometes copias neq; numero, neq; uirtute nostris cõtemnendas coëgit, & ad Exechium hostes expectare constituit. Iam Cazzianer ad Caprunzam oppidũ peruenerat, satis accuratè atq; opportunè antea initis & constitutis rei frumentariæ rationibus, si eius imperijs atq; præceptis totius commeatus curatores, celeritate & diligẽtia respondissent. Erant quippe uiri totius prouinciæ clarissimi, alioqui negocio pares, planeq; industrij, qui authoritate Simonis episcopi Zagabrienſis respiciebant. Is nanq; Simon, siue studio suo supra æquum plurimum incensus, siue imbecillitate iudicij deceptus, ingenté totius annonæ copiam in castris ad multã usq; precij uilitatẽ se suppeditaturũ promiserat, q̃ huic ministerio qui procurarẽt, quatuor collegas cũ

imperio ſibi ſubſticuiſſet, quibus conuectores indi A
genæ, partim curribus, partim nauigijs operam præ
ſtantes, multis enatis paſsim impedimentis, reſpon
dere non poterant: neq; conferentium tarditas ex
tuto caſtigari poterat, quum ualidi & præpotentis
hoſtis propinquitas, totam corripiendæ tarditatis
facultatẽ eriperet, & Mahometes diſpoſitis per Sa
uum & Drauum Nazadarum præſidijs, aliſq; equi
tum undiq; uolitare iuſsis, aut conuectiones noſtro
rum perturbabat, aut promiſſo maiore annonæ pre
cio, utriuſq; amnis accolis certi tutiſsimiq́ue lucri
ſpem, nuſquã deficiente pecunia proponebat. Itaq;
Cazzianer à Caprunza mouet eo ordine, ut alternis
diebus, modò ipſe, modò Albertus Slithius Bohe
morum dux præcederent, quòd honori Bohemicæ
gentis id cõcedendum eſſe cenſuerat: decimoq; uix
die ad arcem Veruccæ peruenĩunt, quę circiter qua
draginta miliarium interuallo à Caprunza aberat:
minoribus nanq; itineribus, propter ſeptẽ prægran
dium tormentorum difficilem conuectionem pro
gredi neceſſe erat. His de cauſis itinerumq; difficul
tatibus, ſi non ſentiri, prouideri tamen à peritis an
nonæ penuria cœperat. Interea Cazzianer & Slithi
us tantiſper conſidendum atq; expectandos cõmea
tus cenſent: mittiturq; exploratum Paulus ipſe Ba
chitius cum ala mille Vſaronum, & expeditis ſclo
petariorum Italicorum cohortibus duabus, qui ad
Zopiam arcem præcurrat, atq; operam det, ut ex ca
ptiuis hoſtium conſilia cognoſcantur. Bachitius u
bi ad Zopiã ab hoſtibus cõſpectus eſt, Turcæ, quòd
adeſſe uniuerſum exercitum exiſtimabant, nullam
ſibi moram attulerunt, quin auecto omni commea
tu, aut corrupto incenſaq; arce, ad naues ſubiecti a
mnis confugerent. Ex his tamen Bachitius in fuga
aliquot capit, quorum indicio Cazzianer reperit,
quod antea per ſuos ſpeculatores compertũ habue
rat, unum eſſe Mahometis & Turcarum omniũ con B
ſilium, ut ad Exechium poſitis caſtris conſiſterent,
hoſtesq; expectando, de eius loci poſſeſsione dimi
carẽt. Eo biduo Saxonum equitum ala ſuperuenit,
atq; alia auxilia copiarum, & cõmeatus non procul
abeſſe nunciabantur. Diſputatur in conſilio, an pro
gredi oppeririue reliquum ſociorũ agmen, & com
meatum qui aduehebatur, expediret, poſtquam ho
ſtes ad Exechium, uti didicerant, pugnandi copiam
facturi dicerentur. Eſt mons qui Sclauoniam atque
Poſſegam diuidit, & in longum protenditur, à de
xtra eius montis radice per Poſſegam, à ſiniſtra aũt
per Sclauoniam ad Exechiũ iter patet. Igitur in con
ſilio decernitur, omiſſa Poſſega per Sclauoniam om
nino iter eſſe faciendum. Antecedit uſq; ad Zopiam
Ladislaus Moreus Hungarus cum Vſaronibus tre
centis, quibus cataphracti Saxonũ cum duobus ue
xillis præſidio ſuccedunt. Illinc octo dierum itine
re ad Valponium, quæ eſt arx permunita Petri Pere
nij ditionis peruenĩũt. Occurrebat progreſſuris flu
men Craſſus, qui uado tranſiri non poterat. Ibi no
ſtri, dum fluuius ponte iungitur atq; cõſternitur, ad
traiectum ſeptem dies immotis caſtris abſumunt:
perpetuis tamen horis itur in conſilium, in quo ua
riæ dicuntur ſententiæ. Extemplò igitur proceden
dum eſſe ſtatuunt, & copias recenſent. Cenſa ſunt
ad decẽ milia equitũ utriuſq; armaturæ: quo equi
tatu, ſi robora equorum ac hominum ornatum, mu
nimentaq; armorum ſolido ferro fulgentia certius
æſtimentur, nihil apparatius atq; ualidius ullo ſubi
tario bello coactum fuiſſe pleriq; iudicabũt: ſed pe
ditatus qui erat ex omni prouincia lectiſsimus, ue
hementer erat imminutus, utpote qui uix octo mi
libus integrorum militum conſtaret: nam magnus
iam ægrorum numerus in caſtris eſſe cœperat. In
ter nobiliores autem duces, morbo grauiſsimè la
borabat Iulius Hardechius. Hunc Valponio in op
pido ſubſiſtere, reliquos omnes trium dierum ciba
ria parare, & ſecũ ferre iubent, ac ſperare paulo pòſt
certam omnis generis commeatus copiam uſq; ad
precij uilitatem in caſtra obuenturam. Præſcriptis
autem legibus edictum ſub pœna capitis proponi
tur, ut nemo Turcam hoſtem uiuum capiat, uel ul
tro ſe dedentem, niſi quum planè confecto prælio
ſit debellatum: nemo item præda ſe oneret, quan
do quidem eam omnem æqualiter inter milites ſe
diuiſuros duces promittunt. Hoc edicto à præconi
bus & tympaniſtis per omnes ordines promulga
to, iter quod planius & rectius apparebat ad Exe
chium ſuſcipiunt. Tertio die perueniunt in uallem
quandam ad tertium ab Exechio lapidem, atq; ibi
caſtrametantur. Poſtridie Turcarum agmen cõſpi
citur, & à noſtris acies inſtruitur: uerùm id nullo cer
tamine cominus edito, tormentis tantum maiori
bus repellitur. Sequenti uerò die effuſis ab oppido
hoſtibus, leuia certamina conſeruntur, & multis u
trinque interfectis, æquo marte diſceditur. Eo die
Simon Zagabrienſis antiſtes cum ſuo equitatu, ali
quantaq́ue annonæ copia ſuperuenit, cuius aduen
tu apud noſtros minuitur timor de inedia, paulo
antè conceptus: ſed interdicuntur à ducibus leuia
certamina, quòd plures ex noſtris uulnerarentur.
Ab hoc decreto imperatur tormẽtorum magiſtris,
ut in hoſtium agmina, ubi ea prodire conſpexerint,
maiora ſtatim tormenta dirigant: quibus perirè ad
miniſtrantibus fiebat, ut Turcæ à coniectis ſubſilien
tibusq́ue tormentorum globis, certa acciperent de
trimenta, neque miſcere uti cuperent leuia certami
na poſſent. Hoc animaduerſo periculo, Mahome
tes in proxima palude, quæ ab exundante ſtagnan
teq́ue Drauo amne erat enata, Nazadas multas ſclo
petarijs cõpletas inſtituit, quæ totius paludis mar
gines obſiderent, & noſtros aquatione prohiberẽt,
caſtra etiam noſtra quæ erant in conſpectu, conie
ctis in ea minorum falconum globulis infeſtarent.
In ſingulis nanque Nazadarum proris, conſtituta
erant in canterijs, & aptè collibrata minoris gene
ris tormenta, quæ à noſtris moſchetta de nomine
minimi accipitris uocantur. Ei ualli in qua noſtri lo
carant caſtra, imminebat collis non planè arduus:
in eo erat pagus, in quo Turcæ conſtiterãt, leui præ
lio noſtros excepturi. Ad eos deijciendos poſtero
die ab omnibus ad arma conclamatur, inſtruiturq;
acies, & ne hoſtes ſuis tumultuarijs prælijs laceſſe
re aut perturbare noſtrorum agmina queant, in pro
gredientes dirigi atque diſplodi tormenta iuben
tur, alacriq́ue noſtrorum ſucceſſu Turcæ locum de
ſerere coguntur. Sed illi loco depulſi, ad demoran
dos noſtros, pagum continuò ſuccendunt. Neque
tamen noſtri à propoſito itinere diſcedunt. Supera
to colle, Exechium in planicie ad Draui ripam poſi
tum conſpicitur. Id circiter duo milia paſſuum à col
le aberat. Ibi Cazzianer loco aquationi, pabulatio
ni & lignationi idoneo caſtrametatur, imperatq́ue
tormentorum maius ante caſtrorum portam pro
uehi, facturus periculum, an inde emiſſa pila oppi
dum Exechium attingi poſsit: ſed id longius quàm
oculis appareret, abeſſe compertum eſt, quum pila
altius etiam coniecta, paulò ſupra medium eius ual
lis ſpacium perueniſſet. Itaq; illud deſumunt conſi
lium, conſpicati ſcilicet ultra Exechium ſatis editã
planiciem ipſa ualle ſuperiorem, atque ideo oppidi
mœnia æquantem: in eam caſtra transferre, tormẽ
tisq́ue murum adoriri conſtituunt. Itaque poſtero
die, inclinante iam in hyemem autumno, noſtri
longiore circuitu ſaltem ſuperant, & inſtructis a
gminibus ad eminentiorem, quem diximus, cam
pum contendunt. Tum uerò Mahometes ex coniectura loci, animaduerſo noſtrorum conſilio, &
cognita profectione, ſtatim per compendia uia
rum nota ipſis, in ſaltum mille expeditos equites,
& Ianizerorum ſclopetariorum delectam manum
præ-

præmittit, qui ultimum noſtrorum agmen carpãt. A
Id ex Italico & Bohemico pedite conſtabat. Bohe
mus in fugam uertitur: Italus ſtrenuè reſiſtit, cui æ
grè ſuſtinenti ſubſidio mox aduolant grauioris ar
maturę Carinthij equites. Hoſtis terga dat, paruoq;
accepto incommodo noſtri ſaltum euadũt. Caſtris
poſitis, quæ ad oppugnationẽ erant idonea diligen
ter inſtruuntur, & ſummo diluculo inſtructis acie
bus proceditur, & poſt decoram armorum oſtenta
tionem hoſti pugnandi ſit copia. Mahometes graui
conſilio ſuos pugnam flagitantes cõtinebat, de no
ſtrorum inedia certior factus, & ut ferebant transfu
gæ, ſeueriore epiſtola à Solymano imperatore ad
monitus, ne ullo pacto uiuus locum deſereret, atq;
cũcta ibi obſidionis hoſtilis q; impetus mala, niſi te
terrima atq; ignominioſiſsima nece perire mallet,
fortiter ſuſtineda decerneret. Per hunc modũ, quũ
noſtri gerendæ rei auidi nuſquam congrediente ho
ſte diſtinerentur, abſumptoq; omni cõmeatu totus
exercitus inedia premeretur, nec in conſilijs quoti
dianis duces ullum ſalubri conſilio locũ reperirent,
& certiſsimus futuræ cladis timor mẽtes omnium
occuparet, Balthaſar Pamphilus ex ordine Hunga
rorum procerum dux ſpectatus, in conſilio his uer
bis loquutus eſt: Præpoſterè duces, inquit, agimus:
dum enim quo pacto hoſtes ſuperari poſsint, proli
xè conſulimus, exercitus noſtri uires præ inedia iam
queadeò debilitantur, ut milites iam planè non ob
ſcura fame tabeſcentes, neq; inceſſu regant corpo
ra, neq; languentibus lacertis arma ſuſtineant, & in
uniuerſum fortiſsimus quiſq; animum deſponde
at, & deſperata pugnæ occaſione miſerè atq; defor
miter cadendum eſſe conſpiciat. Itaq; nobis matur
rimè ante omnia, fami quæ nos uehementer urget,
occurrendum arbitror, ſic ut hinc caſtra mouenda
cenſeam, & ad Hermandum caſtellum illico defle
ctendum, ut eius expugnati caſtelli commeatu, qui B
non erit exiguus, uniuerſus recreetur exercitus: de
pulſoq; famis periculo, ad reliqua uti uſus docebit
belli conſilia redeamus. Aberat id caſtellum ab Exe
chio decem milibus paſſuũ, in quod pleriq; Turca
rum uxores ſuas & liberos, atq; item precioſiores
ſarcinas contulerant, quibus tuendis rebus uiginti
circiter Turcarum præſidium fuerat impoſitũ. Erat
caſtello coniunctus pagus, intercedente nõ magna
foſſa: murus autẽ quadrati ambitus, ex uetere ſtru
ctura erat, ſine extantibus propugnaculis, ſic ut Bal
thaſar affirmaret nullo propè negocio expugnari
poſſe. Laudatur ab omnibus conſiliũ, ipſeq; author
Pamphilus præmittitur ad explorandos caſtellano
rum animos, occupandumq; pagum: arridet cœptò
fortuna, ſed in dedito pago tritici multo minus opi
nione ſua reperit, uini tamen inueniuntur aliquot
uegetes, cuius copia languentibus militibus oppor
tuniſsima fore credebatur. Itaq; ad eam famã ſigna
conuelluntur, & ad Hermandum caſtra mouentẽ, ſe
cunda noctis uigilia ita turbatè confuſeq; diſcedi
tur, ut agmina uix agnitis uexillis malè cohærentia
fugæ potius quàm profectionis ſpeciem præberẽt.
Nihil tamen Turcæ ſe commouent, inſidias ueriti,
& quòd ſolutæ obſidionis cõmodo ſubleuati, nihil
temerè noctuq; præſertim conandum exiſtimarẽt.
Vbi peruẽtum eſt, caſtellum ex pago prouectis tor
mentis oppugnari cœptum, protracto q; certamine
uſq; ad meridiem, quòd lateritius murus quaſſatio
ni difficilior quàm exiſtimaſſent reperiretur, & Tur
cæ quanquam pauciſsimi fortiſsimè propugnarẽt:
debilitati tamen uulneribus deditionem fecerunt,
quũ in eo certamine quinquaginta ferè ex noſtris
milites cecidiſſent. Aperto caſtello bina tantum fa
rinæ tritici, & totidem milij uaſa reperta ſunt. Diſ
ſimulatur tamen id incommodum à ducibus, & ſto
lidæ ſuæ credulitatis uitium muſſantes incuſant:
pollicentur tamen exercitui ampliſsimam cõmea-

tus copiam, inſtaurato ponte ſubiecti fluminis. Si
quidem Bodrogus amnis ab aduerſa parte oppidi
decurrit, ita profundus atq; cœnoſus ut uadari ne
queat: propterea q; Turcę muniendi ſui cauſa, reuul
ſis aliquot ſublicis, & demptis aſſeribus pontẽ ſu
ſtulerant. Igitur aduocantur fabri, adnitentibus q́ue
omnibus, continenti trium dierũ labore pons refici
tur. Quarto die currus totius exercitus tranſuehun
tur cum minoribus tormentis, ſecundum hæc è ma
ioribus ſex tranſmiſſa ſunt, ſed ſub ſeptimo quod
erat longè maximũ, pons tanto ſub pondere fatiſ
cẽs eſt interruptus, quamobrem coacti ſunt duces
illud, ne tanto ſpolio potiretur hoſtis, ex calefacto
metallo malleis diffringere. Septimo autẽ die cun
ctis rebus cõmodè traductis, pons iterum ne inſe
quẽti hoſti pateret, diſiecta tignorum materia, ſucci
ſiq; ſublicis eſt intercluſus. Superato Bodrogo rur
ſus in conſilio diſputatur, an maiora tormenta ad
expeditius iter cõfringenda ſint, ne his potiatur ho
ſtis. Eius ſententiæ ſecundus author exiſtit Cazzia
ner, profiteturq; ſe peculiari ſuo ſumptu, ſi cupri fra
gmenta inter curruum ſarcinas diſtributa cõuehan
tur, breui refecturum: ſcalas autẽ & reliqua bellici
apparatus inſtrumenta, ne hoſti cedant, igne abſu
menda cenſet, & quãdo expeditius iter haberi poſ
ſit, uerſus Valponium celeriter capiundum, ubi co
piæ ab aliquot dierum inedia iam ſemienecẽtæ, ua
rijs eſculentarum rerum copijs recreari queant: at
alij per Poſſegam redeundum dicebant, & oppidũ
Iuuancha ex itinere protinus expugnandum, quũ
in eo magna frumenti & uini copia à Barbaris & in
colis ſeruari diceretur. Pari quoq; celeritatis impe
tu, aliud in proximo caſtellum nomine Gara, omni
genere cõmeatus pleniſsimum, expugnari poſſe ui
debatur, priuſquam Turcæ circundata palude lon
gum id iter emenſi, ad inſequendum ſuperueniret:
neq; tormenta uſqueadeò præcipiti pudendo q́ue B
conſilio, quæ eſſent nobiliſsimum totius prouincię
præſidium atq; ornamentum, diffringenda: ſed po
tius uti in prę ſens eorũ uſus hoſti eripiatur, ſi id ex
tremi caſus neceſsitas ferret, ſtilis ferreis per ſpira
menta adactis eſſe configenda: poſtremò nihil eſſe
turpius, quàm ut rebus infectis de receptu cogita
rent. Trahitur in hanc ſententiam ipſe Cazzianer,
indictaq; profectione magna cum difficultate tria
milia paſſuum conficiuntur, eoq; modo ueſperi no
ſtri pariter atq; hoſtes ſingulari diligentia longiſsi
mum emenſi iter, uno tempore ad Iuuanchã perue
niũt. Sub hoc caſtello tenue erat oppidulum, in quo
nullus Turca remanſerat. Oppidani noſtris ſtatim
portas aperiunt, neq; milites ingreſsi à præda con
tineri queunt. Eadem nocte hoſtes oppidũ ſuccen
dunt, & tam ædificia q̃ ea omnia quæ noſtri non di
ripuerant, corrumpunt: cõclamatur ad arma, quòd
hoſtes undiq; noſtris imminerent, inalbeſcente q́ue
cœlo diuerſis in locis acri certamine dimicatur, ſed
longè uehementiſsimè, ubi Bohemorũ turmæ locũ
tenebant. Accidit q; ut Petrus Raſchinius Bohemo
rum legatus, quẽ Mareſcalchũ uocant, fortiſsimè di
micans, uel totis undiq; protectus armis, unà cum
ſuis ceſſeretur. Tum uerò noſtri duces de profectio
ne ſtatuentes, quaternos curruũ ordines inſtituũt,
qui incedentium agminũ utraq; latera protegant.
Principia minus ualidis militibus dantur, firmo ta
men præſidio in fronte conſtituto: agmen claude
bant maximè ſtrenuæ atq; integræ cohortes & tur
mæ. Per hunc modũ uallato utrinq; agmine proce
dentibus noſtris, ſicuti frequẽtes occurrebãt tumu
li plerunq; nemoroſi, qui iter præpediebant, ita ho
ſtes à circũueniendis infeſtandiſq; noſtris opportu
nè prohibebant. Hac re animaduerſa Mahometes
expeditos Ianizeros & Martelloſios, qui uiarum &
nemorũ cõpendia noſſent, p̃mittebat, attributiſq;
eis paruis falconibus, qui rotis agebanẽ, anguſtias

præoc-

præoccupare, & in his noſtros laceſſere iubebat, & quum in aperta loca egrederentur, ad alias ulteriores anguſtias inſidendas refugere, alas uerò equitũ quæ apertis in locis perpetuò iter habentibus inſtaret, atque agmina diſtinerent. Qua Barbarorum aſtuta uelocitate noſtri ſæpe uicti laceſsitique, multa paſsim uulnera atq; incommoda referrent: ipſeque ante alios Paulus Bachitius adhortator & bellator inſignis, falconis globulo interfectus eſt, quũ & plerique; alij uiri fortes ex Hungaris cecidiſſent. His incommodis, omnisq; generis commeatuum inopia afflicti noſtri milites, quum neq; ullo aduerſus famem ſubſidio nutantia corpora, neque ulla auxilio rum ſpe animos ſuſtinerent, extremæ calamitatis caſum omnes horrebant: eoque trepidantius, quòd Mahometem noua ualidaq; recentium copiarũ auxilia è Belgrado, Samandria atque Nicopoli expectare, uel incertis rumoribus audiuiſſent: ſimulque proſpicerent ex Vſaronibus plures præſumpta fuga ſaluti ſuę conſulere, neq; ulla aut conſolandi, aut minuendi timoris ducibus attonitis ineſſet authoritas, qua aliàs lætis atq; magnificis alloquutionibus conſternatæ metu copiæ confirmari conſueſſent. Quum uerò in campum ſatis patẽtem oppido Garæ ſubiectum eſſet peruentum, multorum confirmatione nunciabatur, hoſtes proximas & continentes ſyluas, per quas noſtris eundum erat, deciſis paſsim & tranſuerſis obiectis arboribus præſepiſſe, ne per eas uel tormenta, uel currus traduci, & equites niſi diſſolutis turmis induci poſſent. Ea res euulgata in caſtris, ultimę deſperationis mœrorem attulit, eoq; etiam grauiorem, quoniam Ladislaus Moreus, atq; alij locorum periti dicerent, duas tantum euadendi uias ſuperesse: alteram, qua per ſyluas itinere decem milium paſſuum ad Valponium ibatur, eamq; quòd interſecta ſit nouo Barbarorum opere, dimiſsis impedimentorũ curribus, relictisq; maioribus tormentis eſſe penetrandam: alterã porrò uerſus caſtellum, quod Zenthuerzebeth uocãt, quod ipſius Ladislai Morei erat ditionis, & aliquot milibus paſſuum à Gara diſtabat. Quæ uia ſi capere tur, hoſtes proculdubio propter locorum anguſtias à noſtris perſequendis neceſſariò ceſſaturos. Verũ in conſilio præfertur uia quæ ducit ad Valponium, quòd illic commeatuum eſſet ſatis, & pecunia à rege Ferdinando in ſtipendium miſſa, quæ ſufficeret in totam hyemem, Valponiana in arce ſeruaretur. Itaq; dimiſsis illis tormentis quæ conuehi non poterant, ſuccenſoque puluere tormentario, atq; corruptis reliquis exercitus inſtrumentis & ſarcinis, quæ equis imponi nequibant, properandum eſſe: obiectos ſiquidem arborum truncos facilè diſijci, & paruo uel ipſorum tantum aurigarum labore, repurgari iter poſſe prædicabant: & quemlibet ex ductoribus atq; præfectis curare debere, ut ipſorum equites & pedites expediti ſimi ſint, & dato ſigno ſtatim proficiſcantur. Profectionis uerò ſignum futurum eſſe inſtrumẽtum quoddam muſicum, quo fiſtulator è ſacris turribus in Germania, Viennæq; præſertim, appropinquantem auroram prænuncia re ſolet. Id tibię genus Germani Schalmeyen appellant. Signi dandi cura, inchoandæq; profectionis, ipſi Cazzianeri data eſt. Huic ultimæ deliberationis decreto, nonnulli qui aduerſarẽtur reperti ſunt. Hæc quum pugnantibus ſententijs in cõſilio iactarentur, res eò deducta eſt, ut quiſq; ducũ perturbato iudicio, alienas à communi ſalute cogitationes ſuſciperet, nullaq; dedecoris cura habita, in unam tantum, uel ambiguam ſpem ſalutis fugam meditaretur. Ex aduerſo Mahometes certiſsimis uſus exploratoribus, & de omnibus noſtrorũ incõmodis per ſingula propè horarũ momenta certior factus, ſuamq; inde uictoriã præſagiens, intentis excubijs, & inſeſsis longè lateq; per alternantes equitũ turmas itineribus, uigilantiſsimè noſtrorũ motus obſeruabat, eo conſilio, ut quũ noſtri caſtra mouerent, atq; agmina proficiſcerentur, ex priſtina ſua conſuetudine diſiunctos, & uti accidere neceſſe erat, impeditis in locis ſæpè diſsipatos, apud opportunas locorũ anguſtias inuaderet. Ita enim equitatũ peditatumq; ſuũ omnẽ circa notos nemorũ ſaltus diſpoſuerat, ut magna quadam lunati flexus indagine circundatos incluſiſſe uideretur. Erat iam propè exactum ſecundæ uigiliæ tempus, inſomnesq; omnes ſolicitis mentibus ita exeundi ſignum expectabãt, ut minimũ quodq; moræ ſpacium apprimè ingratum & incõmodum ſingulis uideretur: & clari nõnulli duces uecordi inſtinctu moras abrũperent, & iniuſſu diſcedere atq; anteire cæteros properarent. Huius flagitioſi diſceſſus initium ortũ eſſe aiunt ab Vſaronibus Hungaris, qui tramitũ & nemorũ notitia freti, Valponiũ uerſus curſum intenderunt. Hos Ladislaus Moreus inhoneſto exemplo imitatus, ad Zenthuerzebeth caſtellũ ſuũ cõtendit. Hos quoq; Stiriaci omnes obliti pudoris, Ioanne Hunganoto præfecto duce, qui tuendo cogendoque nouiſsimo agmini fuerat deſtinatus, tumultuoſe properãtibus turmis ſequuti ſunt. Idem fugæ conſiliũ ſibi quoq; præſumpſerat antiſtes Zagabrienſis, cuius ingẽs laterna per ſyluas errabũda noſcebatur, minore tamẽ aliquanto infamia q̃ cæteri, quũ uir ſacratus nunq̃ arma induere, aut in pugnã prodire ſui muneris eſſe putaret. Interim Cazzianeri trepidè nunciatur Vſarones effugiſſe, idem feciſſe Ladislaũ & Hunganotum cum Stiriacis turmis, reliquos nihil expectato, ut inſtituerant tibiæ cantu, inſtruere ſe in eandẽ fugam. Tum uerò planè uecors & attonitus imperator equũ conſcendit, oblitusq; ſigni dandi, quòd cæteros, uti poſtea dicebat, iam præceſsiſſe crederet, ſeſe inermis in eandẽ ciecit fugã, deſerto utiq; prætorio, quod erat argentea ſupellectile, cæterisq; ornamentis opulentũ. In eo dilabentiũ tumultu Lodronius excitatur, & quũ miniſtri imperatorẽ effugiſſe dicerent, intrepidè reſpondet, proculdubio fieri nõ poſſe, ut ab illo tam turpiter, & tam perfidioſe deſereretur: atq; ita, ſicuti erat multarũ noctiũ pervigilio, & diurnis laboribus grauiter fatigatus, in tabernaculũ rediẽs quieti ſe reddidit. Nec multo pòſt perlato caſtrorũ ſtrepitu ad aures Mahometis, Barbari omnes conſurgunt, & ſeſe ad inuadendos hoſtes cõparant. Sed Mahometes, quid hoſtes tentarent certius cognoſcendũ, atq; ideo expectandã lucem cenſet: ſuoſq; inſtructos ſubſiſtere, & prodeundi ſignũ, quod equeſtris tympani leui pulſu per ordines dari ſolet, ſilentio expectari imperat. Inalbeſcente cœlo rurſus excitatur Lodronius, imminentium Barbarorũ quendã audit fremitũ, & ſe à multo maxima copiarũ equeſtriũ parte deſertũ uidet, fruſtra ſe proditũ queritur: nihil tamẽ animo ſe demittit, & pedites alloquitur, hortaturq; ut priſtinę ſuę uirtutis memores eſſe uelint, & quod tum iniqua rerũ ſors diſcrimen afferret, una animi fortitudine ſuperandũ exiſtiment: uiris quidem fortibus de honeſta morte, nõ de turpiſsima fuga, quæ etiam futura eſſet incerta, eſſe cogitandum: ſibi omnino cõſtitutum eſſe, qui ſæpius eos multis bellis feliciter ductarit, repulſis hoſtibus in pacata loca reducere, aut unà ſecũ egregiè pugnando, nõ indecoro uitę exitu mortẽ oppetere. His fermè uerbis ad Lodroniũ milites confirmantẽ, Carinthij equites, atq; item Saxones, Auſtriaci, Bohemiq;, qui probè parentes imperijs, profectionis ſignũ à duce indictum ſibi dari fruſtra expectabãt, nec ignominioſæ fugæ comites eſſe uoluerant, cõcurrerunt tanquam ad uirum longè fortiſsimũ, obſecrantes ut pro deſertore duce imperij munus ſuſciperet & impleret: ipſos enim q̃ iuberẽ facere minimè recuſaturos. Nõ ſuſcepit delatũ munus Lodronius, à generoſo quodã pudore ſe indignum

dignum profeſſus: id tamen pro ſua pietate magnitudineq; animi, tanti exercitus indignam ſortẽ miſeratus, quamdiu licuit cum præfatione ſuſceptum exercuit. Ferunt eum quum concionaretur ad milites, atq; omnem fugæ ſpem deteſtaretur, & uehementer improbaret, repertum fuiſſe Germanici nominis ueteranum militem, qui comiter, nec inſulſe dicere auderet: Neq; uerò Lodroni dux optime uſqueadeò turpis fuga apud te uideri poteſt, quũ eã nobili equo euectus circumſpectare exiſtimari poſſis. Intellexit Lodronius ueterani militis argutiam, ingentiq; animo deſcendẽs in pedes, ſtricto gladio equi ſuffragines detruncauit, prælarè exclamans, Hodie commilitones me ducem pariter & militẽ pedibus pari ſorte uobiſcum pugnãturn habebitis. Vos date operam, ne opinionem meam fefelliſſe uideamini, ut uictores euadatis, aut non inulti decoro mecũ uitæ exitu militiam finiatis. Reliquos porrò equos peculiares ſuos pari humanitate notis ſibi militibus, qui languerent ex uulneribus aut morbis, dono dedit. Vix primæ turmæ, primæq; legionum cohortes ſublatis uexillis caſtrorũ ſeptis exierant, quum Barbari undiq; ingruentes ſeſe, truci ululatu edito, ab omnibus partibus circunfuderunt, & multa ſimul prælia exitinere ab equitatu conſeri cœpta ſunt. In his diuerſis prælijs Antius Macer Fuchſtatus, Saxonicæ ſtirpis, Carinthiorum dux, ardentiſsimè pugnans, quum ab inſignium ornamentis imperator à Turcis eſſe putaretur, eſt obtruncatus, pariq; ſorte amplius uiginti quatuor illuſtris nõminis equites, capto ab hoſte eorum ſignifero, trucidati ſunt. In his fuere tres reguli, Andreas Reſchius, Chriſtophorus Hernaus, & Georgius Himelber gus. Alio autẽ in loco cruentiſsimũ editum eſt certamẽ cum Saxonibus, Miſnijs, Thuringis atq; Franconibus, qui Saxonum equitum uexilla ſequebantur. Horum enim uel eximia uirtute depugnãtium ſupra triginta ſex ſplendidiores, aut præfecti aut ſigniferi, aut alarum legati occubuerunt, Cuhenrico Saxonum primario duce capto, qui poſtea in uinculis apud Barbaros interijt. Inter eos qui interfecti ſunt, nobiliſsimi fuere, Sebaſtianus Metheſcus, & Iacobus Scullemburgus. Eadem quoq; irritæ uirtutis ſorte, Auſtriani elabente Nicolao Turriano eorum præfecto, aliquandiu reſiſtentes, ad extremum deleti ſunt, quum ex his uirtute atq; natalibus clari cecidiſſent Fettaius & Hofchirchius reguli, & ſecũdum eos Hohenfelder & Aanſpurger, atq; itẽ duo è Naidega familia clariſsimi proceres, & cũ his Lambergerus & Velezerus, uiri honeſtiſsimi cecidiſſent. E ſuperiore etiam Auſtria Rhetiæ finitima, deſiderati ſunt Gulielmus Folgehenſtorfus, Leonardus Lãbergus, Bernardus Scherfembergus, & Gaſpar Bergheim & Schellembergus, qui domi & foris cum dignitate conſpicui fuerant. Verùm longè maxima cędes edita eſt in Bohemos equites, quum nemo circumuentis opem ferret: & dux ipſe gentis, Albertus Slithius è media cæde maturius quàm oporteret ſe recepiſſet. Peditum uerò phalangem è quodã ſuperiore numeroſæ paludis margine, à Ianizeris Aſapis q̃, qui nuſquam congreſsi, ſclopetis tantum atque ſagittis eminus rem gerebant, magno affectam detrimento & planè fluctuantem, Amurathes cum Boſnenſibus aliſq; diuerſa parte inductis turmarũ cuneis, ita perfregit, ut diſiecta cõturbatis uexillis, & implicatis haſtis tota ſolueretur, atq; intercurrente ferociter hoſte concideretur. Lodronius ipſe equitum incurſu atq; impetu raptus, in paluſtrem locum adactus eſt. Ibi quum grauiter ſaucius, & lubrico præpeditus cœno, ſupremæ uirtutis conatum edidiſſet, adhortantibus eum Barbaris, ut ſe dedere quàm interfici malle t, cum tribus cohortibus, quæ ei ſuperfuerunt, ita in deditionem eſt receptus, ut cum reliquis ſuis omnibus tanquam eximiæ uirtutis hominibus, proiectis ad terram armis ſeruaretur. Iam enim uel immites Barbaros, multoque noſtrorum cruore conſperſos, cædis ſatietas ceperat, uſqueadeò ut pleriſque langueſcerent manus, & ad prædam auidiſsimè uerterentur: conſectantes eos qui diſperſim hoſtiles manus uacillante, & trepido paſſu effugere crediderant, eo quidem ſucceſſu, ut magnus numerus pro mancipijs caperetur, pauci pedites euaderent, & reliqui penè omnes qui non ante prælium ut diximus effugerãt, toto campo cæſi ſpectarentur. Mahometes nullo propè ſuorũ ſanguine tanta potitus uictoria, & direptis caſtris noſtris, in pratulo quodam cadaueribus repurgato cõſedit, epulatusq; hilariter, nobiles captiuos & ſplendida ſpolia, uexillaque in primis ad ſe deferri iuſsit: laudatisque palàm his omnibus præfectis, qui egregiam eo die nauaſſent operã, ſignatæ pecuniæ plures culeos à quæſtoribus ſibi afferri iuſsit, è quibus depromptos de manu aureos, & argenteos nummos pro meritis donatiui nomine militibus dabat: productosque captiuos ad unum omnes qui non eſſent gregarij, diligenter inſpexit, ſingulorumque nomina & dignitates in commentarios per ſcribas præſens redigi iubebat. His uerò qui detruncata capita, aut deciſas noſtrorum uultibus nares, & anulatas dextras afferrent, ſtatim pecuniæ præmia tribui iubebat. Lodronius, quum graui ex uulnere iactationem ferre, nec uiuus cum reliquis captiuis Byzantium perduci poſſe uideretur, à cuſtodibus eſt interfectus, caputq; eius poſtea tranſmiſſum. Nam ſicuti nonnulli uiri nobiles, & in his Laurentius Streytpergus, & Dietmarus Loſenſtainus retulerunt, qui redempti ad penates ſuos poſtliminio reuerſi ſunt, inter captiuos, qui à Mahomete cũ uexillis conſpicuisque aliquot caſtrenſis apparatus inſtrumentis, ſplendidisque præſertim & inauratis thoracibus & galeis, per legatos Solymano offerebantur, tria ſummorum ducum capita argentea in pelui conſpecta agnitaque ſunt. Ea fuere Pauli Bachitij & Antij Macri, qui Carinthiaco equitatui præfuerat, Ludouici q̃; item Lodronij, qui pedeſtres copias imperio regebat. Ea tyrannum obliquis oculis aſpexiſſe, & tanquam tabo fluentia auerſatum, cæterùm atroci nutu iuſsiſſe, ut captiui illico cæderẽtur: ſed deprecantibus Ianizeris, ut quos ſtrenuè pugnantes ſub fide cepiſſent, tanquam uiros fortes ſeruare uellet, qui in ſeruitute fortem etiam operam ipſis præſtare poſſe crederentur, remiſiſſe uultũ, mitibusque obtemperando humaniter multos fuiſſe conſeruatos. Ipſe autem Cazzianer quum profugiſſet ad caſtellum ſuũ, à cunctis proditionis exercitus accuſabatur, & tanquam inexpiabilis infamię totius patriæ labes, & publicæ cladis author, maledictis inceſſebatur. Quibus execrationibus miſerè perſtrictus Cazzianer, poſtulauit à rege, ut ſibi tutò uenire ad dicendam cauſam liceret: nam paulo antè ſcripſerat ad ſenatum prouinciæ Carmolæq; præfectos, famam ſuam contra ius & æquum à calumniatoribus inimicis ſuis maledicentiſsimè lacerari, propterea ſe iterum Viennam purgandi ſui cauſa, & iniquè obiecta præclaris inſignium uirorum teſtimonijs diluturum: ſperareque ſe pro ſua anteactæ uitæ cunctis in bellis fide uirtuteque, ut quum multas res pro regis dignitate atque amplitudine proſperè geſſerit, priſtinam ab eius clementia gratiam recuperaturum, quando ea calamitoſi belli errata, fatali potius impulſu, quàm hominum errore prouenieſſent. Conceſsit rex ut tutò ueniret, exceptusque eſt ambiguo uultu: ſed quum eius cauſæ cognitio diſceptatore rege aliquanto longius quàm reus uolebat, protraheretur, atque interim honeſta ſub cuſtodia ſeruaretur, Cazzianer moræ impatiens, & de damnatione ſaluteq; ſub dubitans, effugere quàm iudiciũ expectare maluit:

luit:simulato nanque morbo lateritium sub cubili A pauimentum noctu sensim per commissuras cultel lo scalpens, uno atque altero facilè exempto laterculo,subiectam testudinem aperuit, atque inde ex linteis lodicibus effecto fune se demisit, & feliciter effugit, quum paratos extra arcem ex condicto equos ad fugam celeres arripuisset. Nec multo pòst desperatis rebus ad Turcas transiuit, eum libenter excipiente Mahomete, pollicenteque ei præter opima stipendia,totius Croatiæ præfecturam,ad imaginē beneficiarij regni, si Solymano sincera fide ad iubigendas Austriani imperij urbes operam præstaret. Tum uerò constituta iam præscriptis legibus transitione,ut cum aliquo munere ad Mahomętem rediret,cum Nicolao Sdrinio eiusdem prouinciæ regulo,sibi uti rebatur amicissimo,fidēlius agere cœpit,ut unà secum transiret,in spem certissimi præmij, quando Solymanus erga ambos , non secus ac cum Ioanne rege liberaliter egisset , beneficentissimè acturus existimari deberet. Promisit tum Sdrinius,aut certè se promittere simulauit in sententiā inuitantis concessurū,parataque & instructa transitione, cum ala familiarium equitum ei transeunti comitem futurum. Verùm Sdrinius amicum uetere m uel nihil tale domi suæ expectantem, Cazzianerem post epulas dirus hospes obtruncauit,ita ut detruncatum caput inuisi ducis ad regem mitteret, in prēmiumque interfecti à se amici castello, atque omni illius substantia potiretur. At Veneti diuersis Turcarum iniurijs terra mariq; insolenter exagitati,quum Solymanus Corcyra urbe impotenter oppugnata, multoque immanius peruastata insula superbè pacem abrupisset, & tum in Peloponneso Epidaurum & Nauplium ipsorum ditionis urbes per Cassimum Bassam continenter obsideret atque oppugnaret,nullam sibi morā attulerunt, quin aduersus tyrannum nullas uel iustæ satisfactionis,uel B demissæ deprecationis rationes admitterent,bellum gerendum censerent, inuitantibus eos Cæsarianis,& Paulo pontifice pro sua dignitate plurimū cohortante. Itaque per totam hyemem quæ subsecuta est, per legatos diligentissimè elaboratum est de numero genereque classium,de militibus imponendis,de asciscendis socijs , comparandaq; pecunia,diuidundisq; sumptibus , ut quàm ualidissima atque ornatissima classis in proximam æstatem, distributa in singulos principes impense portione pararetur,& in Græciam aduersus Barbarum tyrannū educeretur. In id consilium Paulus pontifex ad sextum idus Februarij in Vaticano senatum habuit, & quòd bene uerteret populo Christiano, fœdus percussit, adstipulantibus Ioanne Manrico Aguillario pro Carolo Cæsare,Marco autem Antonio Contareno pro Veneto senatu , sub his conditionibus, ut Cæsar octoginta duas triremes instrueret,totidē Venetus,ipse uerò Pontifex triginta sex pararet, ut ducentarum triremium numerus efficeretur. Venetus postulanti Pontifici quot uellet fabrefactas, armamentisque omnibus instructas triremes mutui nomine ex arce sua nauali daret,remigibus & propugnatoribus à Pontifice in eam expeditionem impendas: Cæsar autem, atque item Genuenses onerarias naues militariter instructas, quibus commeatus & pedestres copiæ conueherentur, subministrarent. Renunciati quoque sunt classium duces: Cæsarianæ,ipse Andreas Auria: Venetę, Vincentius Capellius: Pontificiæ autem,Marcus Grimanus Patriarcha Aquileiensis,cui comes & adiutor adderetur Paulus Iustinianus, nauali prudentia uirtuteque aliàs inter Patritios cum laude spectatus. Cautū uerò est,ut terrestribus copijs,si discedendum in hostile litus foret,Ferdinandus Gonzaga Siciliæ præfectus cum imperio præesset,& si quid Christianis armis de Barbaro hoste pararetur, siue in Græcia, siue in insulis,ipsaque Dalmatia, id totum optima fide Veneto imperio,toties antea à Barbaris lacerato adderetur: Cæsar autem ex sua liberalitate,quantū uellent socij,tritici Siculi uenalem copiam æquo precio præberet,atque eam sine ullo uectigali atq; portorio exportari sineret. Iisdem autem temporibus, quibus Solymanus in Epirum uenit, tentataq; frustra Italia apud Salentinos,& direptis Corcyreis cū Venetis antiquę pacis fœdera abrupit, Alfonsus Vastius in Subalpina regione,expugnatis magna ui ualidissimis Gallorum præsidijs apud Cherium, Albamque Pompeiam atque Clarascum , eò Gallorū duces amittendæ totius eius prouincię periculo calamitatis adegerat, ut imminutis militū præsidijs, & absumptis commeatibus, de retinenda tuendaque Taurino urbe desperarent,& ad regem in Galliam accuratè perscriberent se armis circumuentos, & frumenti inopia laborantes, nisi maturam opem afferret,cuncta hostibus fame compulsos esse concessuros. Ferunt regem quum in uenatione esset occupatus,& certum de suorum periculo nuncium accepisset,aliquandiu in equo immobilem stetisse, & rigentibus oculis crebrò barbam demulcētem,atq; itidem frontem atque oculos dextra perfricantem grauissimè suspirasse: sed ingenti statim animo redijsse ad rationem, decretoque secum facto ferendi auxilij consilium suscepisse, tanta firmitate magnitudineque animi, ut semihoræ spacio , quid sibi in eam expeditionem ituro parandum foret, incredibili celeritate describeret:aduocatisque demū proceribus,ipsoque præsertim Anneo Memorantio,in equo sedens munia singula idoneis hominibus acri iudicio imponeret, ut ea quæ ad parādas copias conuehendosque commeatus pertinere uidebantur,summa diligētia in spem pœnæ aut præmij certissimam expedirēt. Paucissimis siquidem diebus, quod cunctis maximè fuit admirandum , ferunt erepsisse per dorsum Alpium supra triginta milia sarcinarij generis iumenta, omnibus annonæ copijs onusta , quibus rex ipse præsidio ibat, quum ante Henricum filium cum Memorantio præmisisset cū expedita parte exercitus. Ipse Germanos Gulielmi Furstembergi (hi circiter septem milia censebātur) adducebat,quibus non magno interuallo Heluetiorum sex milia,atque Italicorum quatuor milia iungebantur. Reliqua pars peditatus ex Vasconibus, & ex delectu Gallicarum legionum ad parem ferè numerum constabat. Grauis armatura equestris no uissimo loco succedebat , tormentis antè per abrupta atque inuia summa celeritate transuectis : paucorum dierum labore superata sunt summa Alpiū iuga,atq; inde mollioribus passim callibus descendi cœptum. Vastius cognito regis aduentu,ad Montecalerium oppidum castra fecit, præmisitque Cæsarem Masium Neapolitanum , & Camillum Colūnam Romanum,qui opportunos ad descensum hosti saltus certis præsidijs occuparent. Hos Henricus ipse regis filius,& Memorantius septi nobilium equitum globo, qui dimissis equis per anfractuosos tramites pedibus rem gerendam putabant,dissecta passim glacie niueque, tanta ui adorti sunt, ut Masius & Columna pulsi disiectique , locum quem cœperant,amissis equis desererent,& Memorātius inde sinistrorsum paratos commeatus cum ualida equitum & peditum manu, ad Taurinenses inedia laborantes maturè transmitteret. Exinde Francisco rege subsequente, Sebusiana uia Gallorum agmina se demiserunt, neque quisquam hostium obstitit, moxque ad Vilianam oppidulum peruentum est. Inde Franciscus cōpositis copijs per plana loca descendit,præcurrente Gulielmo Langæo cum ala leuis armaturæ equitum usque ad Montecalerium, quo in oppido ad Padum posito , Perrus Ciconius Insuber expediendis commeatibus præpositus,ingentem

gentem frumenti uiniq; & pecoris,reliquæq; anno A næ copiam ex ipsa incolarum messe atq; uindemia cōtulerat, uel improbante Vastio, qui id oppidum ab initio defendi posse minimè confidebat. Ad primum itaq; Langæi aduētum, Ciconio imparato & deferente commeatus suos omnes , occupatum est Montecalerium,regius q; inde exercitus,parto de hostibus peramplo cōmeatu,sese affluentissimè aluit. Quum Cæsariani regij q; pari studio suarum partiū oppidis nouo præsidio, nouoq; commeatu confirmandis occupati essent,& Vastius intentè prospiceret,quónam uexilla regia uerterentur,è Belgio literæ allatæ sunt regi , quibus certior fiebat illustrium fœminarū auspicijs,inter ipsos certātes armis principes propinquos suos inducias percussisse . nā Eleonora regis uxor , & Margarita item soror uirilis ingenij mulier, quæ Nauarræ regina uocabatur, ad Mariam Pannoniæ reginam, Cæsaris germanā conterderant, detestantesq; diri belli caulas tanquam inanes usq; adeò appositè egerāt, ut Maria ad idem utriq; parti utilissimum pietatis & pacis decus uehementer accenderetur, eisdemq; ferè conditionibus,quibus ante septem annos ea immania diutur ni belli incendia restinxerant , induciæ dicerentur in eam descriptæ formulam,quā principes in spem mutui colloquij certissimæq; pacis essent probatu ri . Itaq; Memorantius Vastio significauit inducias esse factas,matureq; ipsum à Cęsare rescituru quibus conditionibus in posterum ab armis esset discedendum. Harum inducіarum beneficio maximè lætatus est Vastius , uel ob id quòd pecuniæ inopia plurimum angeretur:nam si producendo bello expedienda essent stipendia,& confirmandi in officio milites,necesse fore prouidebat,ut immanibus tributis impositis Galliæ Cisalpinæ, ciuitates expilatas diu antea euerteret. Nec multo pòst à Cæsare de ijsdem inducijs certior factus, dignū seipso humanitatis officium suscepit , & Carmagnolam regem castra habentem honoris causa inuisit. Exceptus est Vastius læta tormentorum omnium disploſione salutatus , deducenteq; Memorantio magistro equitum , honoris causa inter regem Delphinumq; filiū medius est receptus,tanta humanissimi regis comitate,ut sicuti ipse hospitē, ita tot eius duces & centuriones,à Gallis qui eosdē ducerent ordines, complecterentur,& salutandi regis causa singuli ad dextram osculandam deducerētur. Constitutis autem inter se finibus Subalpini imperij,& præscriptis legibus quibus utriusque præsidij milites uterentur, Vastius Mediolanum reuersus est,& rex ipse Alpes rursus transcendens , in ulteriorem Galliam , cœpta iam hyeme redijt,sic ut hic aduētus regis in eos ipsos dies incideret, quibus Ferdinandi regis copię ad Exechium uictæ deletæque sunt. Per eam uerò quæ subsequuta est, hyemem, Paulus pontifex eni xè operam intendit, ut Carolus ipse Cæsar & Franciscus reipublicæ causa in colloquium uenire minimè grauarentur. Cui honestissimæ postulationi reuter se aduersum præbuit. Opportunissimam autem omnibus futuram conuentui sedem,pontifex decernebat apud Niceam prouinciæ urbem , quæ erat ditionis Caroli Sabaudij Allobrogum principis. Is utriq; arcta propinquitate coniunctus, & utriusq; dissidentis iniuria multò maxima regni sui parte spoliatus , ius sibi reddi perpetuis querimonijs postulabat,putabatq; eo principum colloquio disceptationeq; in integrum restitui debere. Itaq; ad magnam spem futuræ concordiæ, & Cæsar ipse ab Hispania,adducente eum Auria in portum Herculis Moneci, qui Villafrancha hodie dicitur, secunda nauigatione peruenit : Franciscus autem, quum pontifex ipse cum maxima senatus parte ad Alexādriam , excipiente eum ipso Vastio cum legatione Mediolanensiū , Niceam peruenisset,profectus per prouinciam ad Villanouæ oppidum ultra Varum amnem terrestri itinere,magna omnium lętitia peruenit. Cæterum pontifex, qui tantum itineris laboris q;, exactæ ætatis senex,studio reipublicæ susceperat,impetrare non potuit,ut ipsi reges in complexum atq; colloquium se postulante præsenteq; deuenirent: uterq; tamē seorsum in uilla quadā suburbana pontificem Christiano more uenerati sunt. Eleonora autem regina cum Margarita priuigna lectissimorum morum puella , Ioanne Lothoringiæ cardinale, atque ipso Anneo Memorantio classe deducētibus, Cæsare fratrē inuisit. Erant qui tum existimarent,neq; Cæsarem,neq; Franciscum,postquā è tam longo terrarum tractu ad pontificem peruenissent,à colloquio (ut credi par est) abhorruisse:sed quodam occultiore consilio pontifici tantæ uoluptatis & laudis famæq; successum inuidisse, quasi existimarent pontificem nequaquā studio religionis , sed priuatim sui commodi ipe ipsorum colloquium expetisse:quoniam Margaritæ Austriæ,quę Alexandro Medici nupta fuerat,nuptias pro Octauio nepote affectaret,& Clementis exemplo Victoriam neptem domui regiæ,coniectis in Vandomiū oculis,insetere percupere uideretur. Cęsar tamē per internuncios Francisco pollicitus est se in eius complexum, priusquam in Hispaniam renauigaret, uti nox euenit, deuenturum. Hoc tamē obtinuit pontifex,ut inducias à reginis,ut diximus, in Belgio cōceptas & promulgatas , ipsi reges in nouem annos soleni adstipulatione sancirent. Actum subinde est inter Cæsarem atq; pontificem, uti antea compositum fuerat, de suscipiēda nauali expeditione aduersus Turcas:nam noua legatio à Venetis supra ueteres legatos ad pontificē Cæsaremq; peruenerat, cuius principes erant, Nicolaus Teupulus , nobiliū literarū fama clarus, & M. Antonius Cornelius , qui B Venetis senatoriæ eloquentię laude reliquos penè omnes anteibat. Hi siquidem æstate iam adulta festinandum esse, atque apparari classes postulabant, postquā Venetijs cuncta iam parata essent ad nauigandum, magnoq; incommodo futurum esse dissererent,si reliquos æstatis menses effluere sinerent, quibus mari res geri posset. Nec multo pòst Franciscus discedens à pontifice , in regnum suum est reuersus: pōtifex uerò Genuam peruenit, exceptusq; est hospitio in Fliscorum ædibus, quæ sunt excelso in loco ad Violatæ templū positæ. Exinde classem conscendit,partimq; mari usus,partim terrestri itinere, post solstitium ad urbem peruenit:Cęsar autē ad Massilienſium oram delatus,circa Fossas Marianas ex condicto regem eò descendentem cum liberis suis quadriremę prętoria humaniter excepit,atque arctè complexus est:impetrante quoq; Cęsare, Franciscus Andreæ Auriæ superiorum temporum iniurias facilè remisit, quum ad exosculandam dextram produceretur, subindeq; plures horas arcanis sermonibus principes impenderunt. Certa quoque inter utrunq; eminebat obtrectatio ascisceṅdi sibi pontificis : quoniam is omnino cui pontifex socius accederet,altero multis rebus potentior euasurus uidebatur: sic ut uterq; potius cauendum putaret,ne pontifex alteri æmulo in societatem applicaretur,& gerēdo bello socium se præberet, quàm ut eum magnis concessis muneribus promerendum arbitraretur. Grauius tamen in eam rem incumbebat Cæsar, utpote qui antea Nouariam urbem Petro Aloysio Farnesio, expetente pontifice, dono dedisset,& tum filiam quoq; uiduam Octauiano Farnesio, uel adhuc prætenero adolescenti in gratiam aui pontificis , in matrimonium maturatis nuptijs collocare minimè grauaretur. Cuius contractæ affinitatis factum, Cæsaris cōsilia altius detexit, quum spreto Cosmo Florentiæ principe, qui id cōiugium supplex experebat, filiam uel tum renuentem im-

maturæ ętatis adoleſcentuli toro illigare, quàm nõ
põtifici morem gerere maluiſſet: quin & Cæſar pau
lo pòſt etiam non obſcurè impediſſet, ne Victoria O-
ctauij generi ſoror Coſmo iungeretur, quòd nequa
quam in rem ſuam fore prouideret, ſi Romana po-
tentia cum Etruſci imperij opibus in unum belli &
pacis fœdus miſceretur. Qua de cauſa Coſmus ho-
neſtiſsimo uſus conſilio, Cæſaremq; reſpiciens, cu-
ius ſe clientem eſſe profitebatur, ab eo prolis cauſa
uxorẽ poſtulauit: qua maximè fideli & uerecunda
poſtulatione permotus Cæſar, quòd legitimi atq;
æquiſsimi iuris uideretur, ei de manu ſua clariſsimi
generis puellam Fœderici Toletani, Albæ reguli, in
ter primarios Hiſpaniæ proceres, uirtute animi, fi-
de, atq; opibus præſtantiſsimi neptem deſpõſauit.
Hæc erat Eleonora Petro ipſius Fœderici filio pro
rege Neapolitano genita, quæ Coſmum pulcherrima
prole in ſpem lætiſsimæ ſucceſsionis parentem
fecit. Cæterùm quum enauigaturus eſſet Cæſar, ad
eum legatio Mediolanenſium peruenit, deploratu
ra iniurias quas Hiſpani milites ſeditioſe ad arma
conſternati, & ab authoritate Vaſtij diſcedentes, eo
rum agris inferebant. Coiuerant ſiquidem è ſubal-
pinis præſidijs audito inducIarum nomine, ſingu-
læ cohortes, ut merita ſtipendia flagitarent, quæ ali
quot menſium ſibi deberi prædicabant, uſque adeò
proteruè atq; inſolenter, ut uno conſenſu profite-
rentur ſe neq; dicto neq; imperio Vaſtij audientes
futuros, priuſquã ſibi alicunde tot debita ſtipendia
præſenti pecunia ſoluerentur: ſic ut interim ex præ
da uictitando fertiliſsimæ atq; amœniſsimæ regio
nis uicos, uexatis atq; direptis agricolis impuden-
ter atq; atrociter peruaſtarent, miſerrimiq; incolæ
iuſto exterrefacti metu deſertis meſsibus diffugere
cogerentur. Latrocinantium autem uexilla caſtraq;
fuerant conſtituta ad peramplum Galeritę oppidũ,
mercatu celebre, ita appellatũ de nomine olim Ga-
leritę legionis, quę à C. Iulio Cæſare in his locis con
ſediſſe, condidiſſeq; coloniam exiſtimari poteſt. Id
eſt poſitum media ferè in regione agri Inſubrũ, quę
oppidis & uicis frequens, ſummam fertilitatis &
opportunitatis obtinet claritatem. Ea ſiquidem Ti
cino amne clauditur, uberrimis q; diffuſa campis, ad
Abduam uſq; ſeſe extendit, ſic ut urbs Mediolanũ
quandam umbilici ſpeciem præbeat. Conſternatæ
autem multitudinis ea erat licentia, impunitate ſen
ſim aucta, ut nequaquam ea regione quam obtine-
rent contenti, remota etiam oppida truculentis im
perijs territarent, atq; ab eis quotidiani tributi nu-
meratæ pecuniæ uectigal exigerent, & ſegniter pa-
rentibus omnem cædis atq; incendiorũ cladem de
nunciarent. Quamobrem Baptiſta Archintus ciuili
facundia inſignis, qui erat legationis princeps, in
hunc fermè modum Cæſarem eſt alloquutus: Per-
ampla Mediolanenſiũ ciuitas immenſis nuper opi-
bus potens, ſed recentibus diri belli erumnis atque
miſerijs deformata, quum ſuis malis finem imponi,
& ſibi ad diuturnam tranquillitatem ſub tutela tui
nominis aditum pandi, in hac præſertim tanta ſpe
futurę pacis, facilè credidiſſet, inopinatò nouam, &
prioribus quidem malis acerbiorem cladem ſubit.
nam ſi calamitoſum eſt bello ab hoſte diripi, multo
quidem miſerius eſt in pace uaſtari à ſocijs, atq; in-
expiabilis contumeliæ detrimenta & iniurias pati.
Proinde miſeri Inſubres, æquiſsime Cæſar, ad te cõ
fugiunt, & uehemẽter orant, ut pro auguſta tua uir
tute, religioſiq; animi clementia & pietate, ſe defen
ſos & conſeruatos uelis ab immanitate impuden-
tiſsimorum latronum. Hi ſunt ueterani Hiſpani tui
milites, qui dum uictorias de hoſtibus tibi pararẽt,
ea licentia opes noſtras iampridem, ſicuti calamito
ſi & uiolenti ſeculi iura poſtulabant, prædæ ſic ha-
buerunt, & etiam nunc extremum nobis ſanguiné
exhaurire contendãt, quum te debitorem ſuum ex
dilatis ſtipendijs rapaces, & immodici petulanter
effingant, ut cauſam non iniqui militaris iuris ſe na
ctos appareat, unde liberè & impunè oblata quæq;
diripiãt: graui quidem offenſione equiſsimi tui no-
minis, ſed multo grauiore rerum noſtrarum incom
modo, uel ob id, quòd, quæ imperaueris ex uſu tuo
à nobis pecuniæ ſubſidia ad egeſtatem redacti, in
poſterum præſtari nõ poterunt. Occupauere illi ne
faria ſeditione excitata Inſubrum agri opulentiſsi-
mam regionem, interceptis q; meſsibus cuncta in
prædam uertũt, & in proximam quoque uindemiã
auidiſsimè ſpectant: nimirũ qui ab authoritate Va-
ſtij ducis ſenatus q; ue, & denique à maieſtate tui no
minis inuerecundè rebellarint, conſiſq; armis Inſu
bri nominis homines tanquam ad obſequia iuſſaq;
tua paratiſsimos facilè contemnant. Matura itaque
ope tua, iuſtiſsime Cæſar, nobis opus eſt, ne dũ fru-
ſtra conquerimur de iniurijs, miſerabili excidio fer
tiliſsimæ regionis mulctemur. Duplex ſiquidẽ ferẽ
dę opis ratio tibi offertur, Cęſar: nam aut ſtipendia,
quæ milites improbè reflagitant, ſi iuſta ſint, præ-
ſenti pecunia perſoluenda ſunt: aut ſi iniquiora peti
uidebuntur, neque tibi præſens auri facultas ſup-
petat, nobis concedas obſecramus, ut impunè ſalu
q; maieſtatis tuæ nomine noſtras injurias de per
uerſiſsimis latronibus domeſticis freti armis ulci-
ſcamur. Æquum enim eſt, ut illi qui tuas uictorias
inſolentiſsimis maleficijs deformant, & tibi unde-
quaq; uictori, optimo q; principi, hac impunita ſce-
leſtaq; defectione, ueræ uirtutis tuæ laudem, & de-
niq; ſperatam apud omnes gentes gloriam eripiũt,
dignas inuſitata contumacia, atque impia rebellio-
ne pœnas pendant. Cæſar nihil ad ea reſpondit, ſed
contracta fronte, auſteroq; uultu Archintum tan-
quam nimis libero ore loquutum, ad Peronotum
Granuelium ſummis negocijs prępoſitum remiſit,
ita ut ipſe Cæſar per ianitorem continuò eum per-
moneret, ut legatum audacius loquutũ aſperis ca-
ſtigaret uerbis: uel ob id præſertim, quòd nõ obſcu
rè prædicaret Inſubres ex tantis contumelijs ad ar-
ma excitos, niſi Cæſar prouideret, Hiſpanos ad unũ
omnes, tanquam improbæ extremæq; malignita-
tis & auaritiæ homines, paruo negocio conciſuros.
Ita que Granuelius adeuntem legatum contumelio
ſe propè reprehendit, quòd nimia oris libertate u-
ſus, principis maieſtatẽ arroganter offendiſſet. Qua
in re Archintus eo modo officij ſui neceſsitatẽ ex-
cuſauit, ut multo plura atq; atrociora Mediolanen-
ſes facturos teſtaretur, ut res ſuas atq; uniuerſæ im-
meritæ ciuitatis iniurias uindicarent: addens ſpu-
manti ore, Ergo Granueli, qui Cęſaris cõſilio prę-
es, ſi non omnino ferus is, pati poteris, ut ea ciuitas,
qua nulla aut fidelius aut accuratius Cæſaris nomẽ
colit, indignis perpetuis q; nefariorum militum la-
trocinijs cuertatur; quando ea uos omnes non mo-
dò præbitis ſtipendijs diret, ſed uniuerſam etiam
Cæſaris aulam à multis annis alere conſueſcat? Cę-
terùm neq; à Granuelio, neq; ab ipſo Cęſare his gra
uiſsimis obteſtationibus quicquam aliud impetra-
tum eſt præter literas, quibus Vaſtius admonebatur
operam dare, ut aliqua pactionis ratione, tanto
prouinciæ incommodo mederetur. Hæc ubi ſub i-
pſum Cæſaris à Nicæa diſceſſum ex legatione renũ
ciata, & per urbes Ciſalpinæ Galliæ euulgata ſunt,
uſq; adeò tantum ex rei indignitate odium Cæſari
creuit, ut omnes ex rerum deſperatione facilè defe
cturos appareret, ſi mitior & clementior qui deden
tes reciperet dominus offerret. Immoderatis ſiqui-
dem pace belloq; tributis oppreſsi, noua etiã tum
menſtruæ exactionis onera pertulerant, quæ nun-
quam deſitura boni mortales crederẽt, donec uide-
ret Cæſar, atq; Italiæ imperio potiretur. Sic ut non
alia de cauſa uictorias de hoſtibus quæſiuiſſe exiſti
mari poſſet, quàm ut ſerendo bella ex bellis perpe-
tuò mi-

tuò milites aleret, atque ideo ſubactas prouincias
immiti dominatione ad egeſtatẽ redigeret. Porrò
Vaſtius his acceptis à Cęſare literis, quum pacandis
militibus, & ad officium reuocandis ſatageret, ſin-
gulos eorum tribunos, quos ex urna ſorte eductis
nominibus, cum poteſtate imperij in ſingulas heb-
domadas creabant, & propter publicæ cauſę patro
cinium, honoris gratia electos appellabant, ſigilla-
tim pertentabat, anteactiq; omnis maleficij impu-
nitatem & præmia inſuper pollicendo, mollire con
tendebat: ſed ueteratores eximij, quum ex opimis
rapinis diteſcerent, & ex tanta licentia luxurioſiſsi
mè uiuerent, ne quicquam timerent, nihil ſani conſi
lij, contemptis Vaſtij monitis atq; promiſsis, ad ani
mum admittebant, utpote qui corruptis moribus
in delicto perſeuerare, quàm ad uetera militiæ mu-
nera reuerti mallent. Quamobrem eò res utrinq; al
tercando deducta eſt, ut Vaſtius qui multis de cau-
ſis Cæſari obtemperare uelle uidebatur, uel rebelli-
bus nullo pacto uim admouendam eſſe iudicaret,
ſed imperandam populis pecuniam, quæ ſeditioſo,
ac ob id atrocem pœnam meritò militi prębetur.
Ea imperata, ad ſummam undecim myriadum, quũ
paucorum dierum ſpacio exigi non poſſet, neq; mi
lites promittendi duci fidẽ adhiberent, Vaſtius non
recuſauit filium eis obſidẽ tradere, ut interim, dum
repræſentaretur pecunia, à maleficijs abſtinerent. In
ea tranſactione cautum eſt, ut milites è Gallia Ciſal
pina decedẽtes, uti iubebat Cæſar, nauali bello, qđ
tum aduerſus Turcas enixè parabatur, operã naua-
rent. Deductiitaq; ſunt ad claſſem, quæ in Liguria
exornabatur. Fuere hi qui claſſem impleuerunt cir-
citer quinquaginta millia hominum: reliqua uerò
pars per Tridentinas Alpes in Germaniã eſt tradu-
cta, ut in Pannoniæ præſidijs diſpoſita Turcarum in
curſiones ſuſtineret. Accidit autem, ut quum ſecun
do Oeno flumine deueherẽtur, duo nauigia illiſa pe
tris rapido profluente paucis enatantibus mergerẽ
tur, ita ut Ciſalpinæ Galliæ homines à multis exe-
crationibus eos ultore Deo magno meritas malefi-
cij pœnas dediſſe crederent. His fœderibus, quæ an
tea Romæ inter Cæſarem & Venetos, ſocio atq; au
thore pontifice percuſſa fuerant, & de congreſſu Cę
ſaris & Franciſci regis, pontificis q; profectione By-
zãtij nunciatis, Solymanus quum aduerſum ſe ma-
ritima arma parari proſpiceret, Hariadenum Barba
ruſſam exornare claſſem iuſſit, ut maturè Helleſpõ
to egreſſus hoſtibus occurreret, & quãta poſſet de-
trimenta, aditis uexatis q; inſulis Venetis inferret.
Quo accepto imperio Barbaruſſa ingenti cura labo
req; claſſem refecit, deductis q; ad litora quos antea
deſcripſiſſet, prouinciarum remigibus, naues imple
uit, atq; omni militari apparatu diligentiſsimè in-
ſtruxit. Helleſponto Gallipoliq; prouectus in Cretã
inſulam cum centum triginta nauibus, quæ remis
agerentur, curſum direxit: primum q; omnium ſu-
perato Cyamo promontorio, quod hodie Spatę no
men obtinet, Caneã urbem quę Cydonia olim fuit,
adortus magnam ſuorum partem temerè expoſuit.
Iam Gritto patritio prætore firmis preſidijs tuente
urbem, Turcarum impetus eum habuit inconſultæ
audaciæ ſucceſſum, ut quum undiq; è mœnibus, &
propugnaculis cum multo reboatu maioribus &
minoribus tormentis peterentur, atque Italicę duę
cohortes eruptione facta perturbatos hoſtes inua-
ſiſſent, multis ſuorum amiſsis Barbaruſſa receptui
canere cogeretur. Conſtat eum, quum ſuos reuo ca-
ret ad claſſem, nimia naualis pugnę trepidatione ſu
pra mille Turcas, qui longius prædatũ à litore pro-
ceſſerant, deſeruiſſe, qui ad unum omnes non mul-
to pòſt ab armatis Cretenſibus interfecti ſunt. Exin
de Drepano promontorio quod Melacham uocãt,
ſuperato in Amphimaleũ ſinum, qui hodie nautis
Suda eſt, claſſem intulit, quum Ioannem Morum to
tius inſulæ prefectum multis millibus Cretenſium
coactis, atq; adiuncto Italicarum aliquot cohortiũ
præſidio, Cydonijs opem celeriter allaturum didi-
ciſſet, inde ad Rithimnam, quę eſt hodie Retimum,
urbem nobilem proceſsit, pariq; euentu ab ea urbe
munitiſsima repulſus eſt. A Retimo ad Dion pro-
mõtorium quod Fraſchea hodie dicitur, profectus
eſt, moxq; deflexit ad urbem Candiam, ab hoc Dio
nis promontorio decem millibus paſſuum diſtan-
tem. Hæc urbs olim Cytheum fuit, hodieq; toti in-
ſulæ nomen ſuum præbet. Hanc Barbarus contem
platus, quòd eam longè omnium munitiſsimam re
batur, adoriri non eſt auſus: ſed ſeſe ad orientale in-
ſulę caput, quod eſt Salmonium, conuertit, Ceciliã
que oppidulum deſertum ab incolis, ſuccendit, atq;
ita Cretenſibus litoribus abſceſsit. Nam Vincentiũ
Capellium, Venetæ claſsis præfectum, qui iam Cor
cyram appuliſſet, Cretẽſibus rebus maturam opem
allaturum intelligebat. Qua de cauſa Alexandrum
Bondelmerium cum ſuo inſigni galeone, atq; alte-
ro ingenti nauigio, quod Barciam uocabant, omni
tormentorum copia, preſidioq; militum inſtructiſ-
ſimo comitante Paſqualico patritio cũ uiginti quin
que triremibus Zacynthũ peruenisſe ſpeculatores
renunciabant. Per idem quoq; tempus ueluti mali
gno quodam exorto ſidere, par diræ conſternatio-
nis inſania inuaſit Africanas Hiſpanorũ cohortes,
quę aliquandiu meritis ſtipendijs fraudatæ, atq; ea
fruſtra poſtulantes ſeditioſe tumultuari apud Gule
tam cœperant. Propterea Bernardinus Mendocius
Hiſpanicæ claſsis præfectus non temerè Numida-
rum atq; Afrorum, propter incertam gentis fidem,
arma ueritus, quum ſeditioſorũ tumultum oratio-
ne & precibus ſedare non poſſet, ea labe hominum
exonerare Africã cogitauit, ita ut eos omnes in Sici
liam tranſueheret. nam eis neq; ſtipendia à prorege
Siciliæ, neq; alimenta in ipſa ſummæ fertilitatis re-
gione defutura pollicebatur. Sed poſtquam in Sici
liam peruenere, quòd neq; Ferdinandus Gonzaga
prorex expeditam pecuniam ſe habere diceret, neq;
Siculi tot externos hoſpites priuato ſumptu alen-
dos æquis animis ſuſciperent, Hiſpani uti erant ue
terani ad ſex millium numerum, agros atq; oppida
impetu facto inuadere cœperunt, & qui erant iuxta
Meſſanã apertos pagos diripere aggreſsi ſunt, ceſſe
req; eis in prædam ante omnia uici nullis obſepti
muris, Caſtaneta, Montefortis, S. Lucia, quorum in
colæ ad munita oppida confugientes, & de ſuis in
commodis fruſtra conquerentes atrocis & uerè ho
ſtilis iniurię famam ex ſociorum impotenti impetu
per totam Siciliam excitabant. His cognitis rebus
Gonzaga Aluarem Sandeum, caſtrorum magiſtrũ,
qui incolas Siculos in unum cogeret atq; armaret,
& in ſeditioſos impetum facturi ſpeciem pręberet,
in loca opportuna premiſit. Sed uſq; adeò his pago
rum direptionibus efferatæ erant Hiſpanorum mẽ
tes, ut proregis deprecationes atq; imperia contem
nerent, nullamq; pacati animi, ut redire ad ſanitatẽ
ſe uelle oſtenderent, ſignificationẽ darent: ſed effu-
ſius quotidie atq; crudelius in Siculos graſſarẽtur,
uti tum accidit, quum Sãdeus cum armata agreſtiũ
multitudine in cõſpectum ſe dediſſet. Hiſpani nihil
his territi minis, minimè dubitarunt, quin interie-
ctam uallem illico tranſirent, facto q; impetu omnẽ
eam Siculorum turbam profligarent, & in prędltos
montes aufugere cogerent. Exinde prefectorum &
ſigniferorum loco, qui à ſeditioſis diſceſſerant, nec
tam fœdę conſternationis ſocij eſſe uolebant, tribu
nos crearunt, qui electi dicebãtur. Horum imperiũ
triduò ſiniebatur, atq; eis alij ſuccedebãt: omnibus
tamen qui certo perpetuæ poteſtatis iure præeſſet,
quendam Hærediam cunctis ſuffragijs extulerunt.
Hunc erudita facundia præpotentem, quòd antea
cucullatus ſacerdos, & in ſacris cõcionibus exercita

tus fuisset, supremi scribæ & consiliarij munus implere iubebant. Huic autem attribuerunt rerum capitalium ministrũ Mondraconẽ Cãtabrum, qui oblatos quoq; equos arripiebat, quos apparitoribus suis distribueret, exornataq; inde numerosa ala, ad parandos commeatus, rapiendamq; omnis pecoris prædam, regiones proximas percurrebat. Primum omnium Hæredia persuasit militibus ut in Rocella oppido, quod nobilis Siculi è Spataphora familia ditionis erat, omnia impedimenta & sarcinas, scortaq; & inutilem famulantium puerorũ turbam deponerẽt. Quo facto ad oppidum Randatium, quod est ad radices Ætnæ montis positum (id olim Triatium fuit) hostili animo duxit. Randatiani ubi formidabiles ad se Hispanos uenire cognouerunt, ad eos cũ insulis sacerdotes præferentes crucifixi Dei Christi uexillum, qui iniuriam deprecarentur, emiserunt, eisq; bina cœnobia perampla, quę erãt extra oppidum, hospitali iure concesserunt, ita ut si à maleficijs temperarent, quotidie ab oppido se cibaria gratuitò summissuros pollicerentur. Consederunt satis æquo animo in cœnobijs Hispani: sed fortè accidit iniqua oppidanorum sorte, ut Hispanus miles è muro glande sclopeto emissa sit interfectus: quo casu facilè permoti milites, non obscurè exoptatam expugnandi oppidi occasionem arripuerunt, sic ut cõcitati ad arma admotis proximæ portæ ignibus, fores concremarẽt, & ualuas ardentes multo hastarum nixu intus propellerent, & in oppidum irrumperent, quumq; media ferè nox esset in foro constitutis ordinibus nusquam discurrendo consisterẽt. Tum uerò animaduersum est oppidanos per aduersam portam, quæ dudũ semiobstructa fuerat ægrè effugisse, & in domibus non paruam rerum suarum copiam, & fœminas natu grãdiores deseruisse. Atq; ita Hispani potiti oppido, Hæredia iubente partiti inter se hospitia, per regiones uigilias instituerunt, tresq; ibi mẽses usq; ad prima ueris signa omnibus abundantes rebus hybernarunt. His tantis maleficiorum contumelijs affectus Ferdinandus, tametsi uera ui, atq; armis ea latrocinia coërcenda atq; omnino uindicanda existimaret, adhortantibus præsertim Siculis proceribus, & suam peracrem in conficiendo negocio operam pollicẽtibus, nihilominus alia prius ad sanandas seditiosorũ mẽtes experiunda remedia iudicabat, quòd ueteranam atq; inuictã militum manum, nisi multo cum sanguine, & funesto utrinq; successu superari nõ posse prouideret. Igitur alio modo sibi agendum ratus, ut seditiosos pacaret, & ex tuto eorum improbitatem atq; insolentiam ulciscereturper idoneos eorum præfectos, qui apud contaminatum sceleribus exercitũ remanere noluerãt, & in officio apud proregẽ persistebãt agere cœpit. Hi fuere ipse dudum castrorum magister Aluarus Sandeus, & Ioãnes Vargas, & Sancius Alarconus, & Alfonsus Viues, qui apud milites eximiã authoritatẽ obtinebant. Per hos agebatur apud milites, ut ad sanitatẽ redire uellẽt, postquã prorex eis integra fide omnis maleficij impunitatẽ promitteret, & quatuor mẽsium stipendia præsenti pecunia persoluturũ polliceretur, quod si milites sibi usque quaq; Siciliã magno Cæsaris incommodo peruastãdam suscipereẽt, nemini unquã ad penates reditum in Hispaniã fore, atq; omnes simul tanquã perfidiæ damnatos hostilia totius Siciliæ arma aduersum se publico edicto cõcitata infeliciter experturos. His denunciatis Hæredia, fortunæ suę ignarus, grauem & luculentam concionẽ ad milites habuit, facileq; persuasit, ut oblata stipendia accipere, & redire ad officiũ, quàm iratis Siculis obijci, notatiq; infamia patriæ exilio mulctari mallent. Sustulere uniuersi dextras, & conditionẽ approbarunt, modò sibi de impunitate caueretur, & multi quidẽ Gonzagæ seueritatẽ non temerè ueriti postularũt, ut sibi libero A rum natu maximus pro obside traderetur. Sed res deducta est ad iusiurandũ, & ad sacramenti religionem, eo pacto atq; ordine, ut apud uicũ, cui Linguę rossæ nomen est, medio ferè itinere inter Messanam atq; Randatium institutis solennibus sacris & prorex & legati exercitus conuenirent, id magnopere probãte Ioanne Varga, quem pleriq; ueteranorum parentem appellantes maximè colebant. Erant Hispanorum uexilla uiginti quatuor, è quibus delecti sunt singuli, qui ingenij solertia, & corporis habitu maximè præstarẽt, & legatorum nomine cum ipso Heredia, dandi accipiendiq; sacramenti munus obirent. Itum itaq, est ad Linguarossam uicum, ubi prę stò adfuit ipse Ferdinandus, compositisq; rebus sacra peragi cœperunt. Quum uerò ad mediũ sacrorũ esset deuentum, quo redemptoris Christi hostia populo ostẽditur, in eam præeuntibus uerba hinc Varga, illinc Hæredia, eo modo iuratum est, ut legati simul & prorex ipse dextras attollerent, atque ita ea quam diximus de impunitate atq; stipendijs condition tranſactũ est. Accidit autẽ, ut quum à præeuntibus uerba ad attollendas dextras uocarentẽ, & legati omnes id expedirè fecissent, Ferdinandus autẽ cũctantius facere uideretur, unus è legatis nomine Villalobos præclarè uocem attollens, Si cuncteris prorex, inquit, iurare, nec dextrã sincero animo extendis, nos quo q; ab huius sacramenti fide discedemus. Tunc uerò prorex obortò pudore præalrè manum extendit. Fuere qui ab ea proregis cũctatione existimarent, eum pro conscientia sacramenti uotũ suspendisse, conceptisq; uerbis ex animo iurasse tã fœdæ pactioni, quæ ui necessitatis exprimeret (uti euentus postea docuit) nequaquã se staturum. Per hunc modum peractis sacris & cunctis lætè adstipulantibus cõstitutum est, ut cohortes per urbes atq; oppida spargerentur, ut commodius ali, præbitisq; B stipendijs in officio contineri possent, uteresq; prę fecti quos diximus, ad sua munia redirent, quorum iussis milites ex disciplina obsequerentur. Nec multo pòst singulæ cohortes ad Augustam, quæ Megara olim fuit, Syracusas in Leõtinos, Calatamq; Hieronis, & Tauromínium, aliaq; oppida sub uexillis contendere. Quum esset Tauromínij Ioannes Vargas, ad eum Gonzaga scripsit, ut ipsum Hęrediã atque Carantium, qui designandis hospitijs apud seditiosos præfuerat, comprehenderet, uinctosq; sibi nauigio celeriter Messanã deuehendos curaret. Præstitit officium Vargas, & nihil tale timẽtes ambos, uti præceptum fuerat, Messanam deuehi iussit, ubi illico arctæ custodiæ traditi sunt. Ad alia quoq; oppida simili ratione Gonzaga perscripsit, ut singulæ cohortes suum electum qui sacris interfuisset, uinctum præfectis arcium traderent: atq; ita ad unum omnes illi uiginti quatuor diuersis in locis uno tẽpore comprehensi, perductiq; sunt Messanã. In eos autẽ iustæ iracundiæ suæ uirus Gonzaga usq; adeò seuerè & grauiter euomuit, ut uno die dãnatos ad furcas, latronum more, laqueis suspẽdi iusserit, atq; hæ furcæ toto litore, ut à præternauigantibus spectari possent, erectæ sunt. Ex his altissimam Hæredia, detrũcata prius per carnificem dextra, honoris causa promeruit, cui comites fuere hinc Mondraconius atq; Carãtius, illinc Villalobos, qui inter sacra iurantem Gonzagam arroganter interpellarat. Sed horum omnium supplicio conceptus altè dolor in Gonzaga expiari nõ potuit: dedit enim operam, ut quos maximè facinorosos extitisse didicerat, omnibus modis atq; omnibus locis interciperet. Qua in re præfecti arcium & prætores urbiũ, quum de scripto monerentur, operam sedulò præstiterunt, usq; adeò diligẽter, ut qui neq; excipi neq; deduci Messanam possent, custo ditos necarent, & cadauera in subiectũ mare proijcerent. Hoc enim incolumi sua fide ab his præsidijs peculiari suo iure fieri debere

Ferdinan-

Ferdinandus censebat: quoniã qui antea quum arA cium & oppidorũ præfecturas acciperent, Cęsari sacramentum dicentes se cunctis in rebus iustitiã obnixè culturos promisissent, ideoq; in reos maiestatis, indicatis singulorum nominibus, lege agere tenerentur. Verùm Aluarus Sandeus apud Messanam truculẽtiorem carnificinam instituit: nam multos, qui Messanam ad forum rerum uenalium exornandi sese causa ueniebant, uel inuitatos ad cœnã, & uarijs modis per aleatores lenones q; pellectos comprehendebat, statimq; per seruos Æthiopes pernecatos in mare proijciebat. Id supplicij genus maturabatur spitamali quodã ligno ad ceruices laqueũ intorquente, quod Hispani Garotum appellant: sic ut ad multa Siciliæ litora à Messana ad Tauromínium, & inde ad Syracusas atq; Augustam, cadauera Hispanorum illisa scopulis, & fœdè fluctibus lacerata spectarẽtur. Qua re certius comperta, reliqui Hispani tanto terrore concepto concuti cœperunt, ut pleriq; quæsitis frustra nauigijs, excedere insula niterentur. Interdictum nanq; fuerat omnibus nautis, ne quem quam militem nauigio exciperent, aut aliò aueherent, sic ut multi in ea cogitatione, abeundiq; consilio maturè comprehensi, sæuiente in eos Aluaro scelerum suorum pœnas darent. Ad extremum reliquam militum partem, quæ nouis multiplicatisq; stipendijs exaturari nequibat, Gonzaga ipso Vastio multo seuerior inexorabiliorq;, prębito menstruo stipendio, nauibus auehendos in Hispaniam imposuit. Quam ignominiam usq; adeò grauiter milites tulerunt, ut postquam improbitatis atq; perfidiæ notati in patriam aueherentur, animis contumeliam ferre non possent, commilitonumq; exẽplo se laquei pœna puniri malle prædicarent. Cæterùm tantum abfuit, ut id Gonzagæ factum à Cæsare minus probaret, ut præclarè ei succenseret, quòd B indulgentius agendo cohortes singulas nequaquã repetita seueritate decumasset, & in Vastio indignã iusto militariq; duce ineptè quæsitã clementiæ laudem effuse detestaretur: Gonzagam tamẽ Hispanię magistratus ad ducendam causam citarunt. Verùm is comparatis ad defensionem luculentis orationibus, ut in Hispaniam proficisceretur, & iam nauigaret, prohibuit Cæsar, ne peruulgata per Hispanias tot scelerum & suppliciorum labes, animos prouincialium altius offenderet. Nec multo pòst Siciliẽses cohortes collatis quæstorum indicibus, quibus nomina militum describebantur, circiter trecentos cõmilitones desiderarunt. Eo tempore antecedentibus Venetis, Andreas Auria superato Messanæ freto, sublatisq; passim militibus, ad Corcyram insulã cursum intendebat: eò nanq; Vincentius Capellius cum imperio atq; uniuersa Venetorum classe perue nerat, coniunctisque eo modo classibus apparebat Barbaros tantam uim Christianæ classis non esse laturos, & cõgressum & pugnam omnino uitaturos. Tum enim Hariadenus Barbarussa Ambracio sinu cum tota Ottomannica classe se continebat, & de aduentu nostræ classis certior factus, ut illac nostri intrarent, propter arctas fauces expectare uidebatur, tanquam ex æquisimo loco dispositis utrinq; tormentis intrantes oppressurus. Paulo siquidem antè Grimanus Patriarcha cum pontificijs triremibus è Corcyra progressus ad fauces eiusdem Ambracij sinus, Prœuesam oppidũ in ipso Actiaco promontorio positum, admotis triremium proris oppugnare adortus fuerat. Sed is conatus, explorandi causa susceptus, eum habuit euentum, ut quum Iustiniana triremis Paulo duce audacter arctas intrasset fauces, atq; aliquot hostilium tormentorum sinistro nauis latere pilas excepisset, expositi sint in terram milites cum tribus tormẽtis, quibus & à terra, & à triremibus aliquandiu quassatum Prœuesæ castellũ fuerit: sic ut appareret expugnari potuisse,

nisi Turcæ ab Ætolia acciti, ab obsessis cum ualida equitum & peditũ manu superuenientes, nostros q; magno clamore edito aggressi, aliquot interfectis & uulneratis, reliquos in mare umbilico tenus ad scaphas triremi ũ cõfugere coëgissent: quanquã Alexander Interamnas, peditũ præfectus, uel grauiter saucius aliquandiu constãter Turcarũ impetũ sustinuisset. Per hunc modum Patriarcha repulsus, sublatis in naues quæ exposita fuerant tormentis, Corcyram redijt, nihil eius consilij pertæsus, postquam quales essent angustiæ sinus, explorasset, atq; hostiũ classem toto sinu ad anchoras stantẽ ex propinquo prospexisset. Concesserant tum classes nostrę in Gomunitiæ portũ, quæ est contra Corcyrã in continẽti, ad eum locum uberrimæ aquationis, qui antiquitus Regij fontis nomen tulit, atq; ibi præfecti omnes quidnam primũ tentandũ foret, dictis sentẽtijs cõsultabant. Ac tandẽ in eam sententiã itum est, ut si hostis extra sinum ad pugnã elici non posset, ipsis tutius atq; utilius uideri, superare Leucadẽ, ipsamq; Neritum saxis asperã, & directo cursu in Naupactẽu sinum classem inferre, ubi & expugnari posse Naupactum oppidum, mœnibus non magnopere munitum, & multa obiter oppida, quæ ad intimũ sinũ Corinthiacum q; isthmũ pertineant, impunè diripi atq; euastari posse, Græci homines prolixè cõfirmarent: quod nauigationis iter si teneãt, accidere posse, ut Barbarussa uel pudore adductus, uel suorũ ingenti periculo permotus, sinu egrederetur, & conserendæ pugnæ facultatẽ ipsis optantibus & paratis præberet. Exinde Auria constitutis totius classis ordinibus, è Gomenitiæ portu profecturus, onerarijs nauibus quę erant septuaginta duæ, Francũ Auriam gentilem & propinquũ suum præfecit, quòd magni usus maritimis in rebus haberẽt. Ex his tamẽ quatuordecim Alexandro Bondelmerio attribuit: is enim uniuersam anteire classem, & Franci nauigationem obseruare iubebatur. Sed quinq; etiã triremes (eæ siquidem in uniuersum erant numero centum & triginta quatuor) delectæ sunt, remigio & uelis maximè agiles atq; expeditæ, propterea q; speculatoriæ uocabantur, quæ galeonẽ contra sinus fauces dare anchoras, & consistere iussum præcederẽt, atq; hostilis classis motus explorarẽt. Turcicæ nanq; triremes quatuor cum expeditis totidẽ biremibus sinum egressæ, per fauces in altũ euaserant. Sed conspecto galeone, ut triremes nostras, quæ aduersum se directis rostris impetũ facturę uidebantur, effugerent, eludendo rursus intra fauces se receperunt. Itaque Auria dato signo, ut reliquæ classes se cõsequerentur, ad Prœuesam cõtendens, uniuersas triremes extendit, ita ut ab hostibus facilè numerari possent: quoniã si minora nauigia suopte studio uolũtate q; classem comitãtia receserentur, iusta supputatione supra quinquaginta & ducentarũ nauium numerũ impleuissent. Quo spectaculo magnus (uti aiunt) timor Barbarussæ animum incesit, qui tametsi natura intrepidus, nostrorũ uirtutem & disciplinã non magnopere formidandã putabat, ingẽtis tamẽ classis amplitudine atq; apparatu uehementissimè permouebatur: ita ut quidã Eunuchus ex Solymaniã nitoribus, Barbarussæ comes datus, eum cunctantẽ subtimideq; perplexũ inurbanis & planè superbis uerbis insolenter obiurgaret; quòd in prouocãtes Christianos, & pugnã cientes, nõ statim sinu erumperet, atq; eos adoriretur. Nec mora, uociferãte adhuc Eunucho, conuersus ad Salechũ archipiratã: Ergo, inquit Barbarussa, uir fide uirtute q; præstantissime, nobis ut uideo uel iniqua cõditione pugnæ fortuna tentanda est, ne huius semiuiri latrãtis delatione pereamus. atq; ita classem educere cœpit, quum iam Auria ad Leucadẽ uela flecti iuberet, ratus hostem his faucibus, timore præpeditum, egredi non ausurum. Tenebat propositæ nauigationis cursum

Auria, & ſecundo uſus uento ad Leucadem proue-
hebatur, quũ à ſpeculatoribus qui in carchefio ſum
mi mali galeonis Bondelmerij conſtituti erant, Au-
riæ ſignificatum eſt, hoſtilem claſſem exire ſinus an
guſtias, & ſiniſtrorſum ſecundum litus flecti. Nam
callido pro neceſsitate utẽs cõſilio, ſi ab noſtra clas-
ſe impotenter urgeretur, proris in hoſtes obuerſis,
terræ puppes applicare, expoſitisq; militibus à ter-
ra claſſem exarmatam uiris atque tormentis, uti u-
ſus poſceret, minorem nauigiorum quàm uirorum
iacturam fore iudicans, defendere decreuerat. Cæ-
terùm Auria ea erumpentis hoſtium claſsis ſignifi-
catione commotus, ut qui iam triremes ad ſtationẽ
ſub Leucade, quæ Sueſſula dicitur, adegerat: tamet
ſi, quod non putarat, accidiſſet, animum tamẽ egre-
giè componit, & claſſem uti imperatum antea fue-
rat, ad ineundam pugnam comparare ſeſe, & præto
riæ ſuæ ſigna ſequi iuſsit. Iam tota Turcarum clas-
ſis in apertum pelagus euaſerat, eo ordine, ut Haria
denus ipſe mediam teneret aciem, ubi eius præto-
ria purpureis pluribus uexillis exornata conſpicie-
batur. Dextrum latus obtinebat Tabaches, ſiniſtrũ
uerò Salecus, pari propè triremium numero inſtru-
cti, qui Tunetanis prælijs inclaruerant. Nam eo die
Barbaruſſa produxit octoginta ſeptem triremes, bi
remes autem roſtratas circiter triginta robore tri-
remibus pares, leuiores uerò triremes, & myopara
nes tot erant, ut nauigiorum omnis generis cẽtum
quinquaginta quæ remis agerentur, ſummam effi-
cerent. Mediæ autem aciei cohærebant cornua tan
to ordine, ut quò uertereturpretoria, alas extenden
tis aquilæ ſpeciem præberent, fareturq; mirabun
dus Auria, neq; habilius, neq; firmius, aut omnino
decentius claſſem à perito duce educi potuiſſe. An-
tecedebant Barbaruſſæ claſſem triremes circiter ui
ginti, partim roſtratæ, partim leuiores, quæ omniũ
erant uelociſsimæ, cui præerat Draguthes archipi- B
rata, multis poſtea in noſtros maleficijs clarus. Con
ſtat Capellium ineundæ pugnę auidum, è ſua pup-
pe in ſcapham deſcendiſſe, aduectumq; ad prætoria
Auriæ illum compellaſſe his uerbis: Quid tibi, in-
quit princeps, hac propoſita prælij edẽdi longè pul
cherrima occaſione faciundum ſit uides, ego certè,
ſi me forrè cum Venetis triremibus te grauiter ſe-
quuturum dubitas, iam à te ad declarandam Vene-
ti ſenatus uoluntatem, ſtudiumq; meum, primam
aciem depoſco, primaq; prælij pericula fortiter ſubi
bo: ſplendidumq; thoracem quem induerat, oſten-
dens, & palma pulſans, in hoc enim uti pium & im
pigrum decet Venetum præfectũ, aut glorioſe uin-
cam, aut uictus honeſtiſsimè occumbam. Egit gra-
tias Auria, laudatoq; eius ingenti ſtudio, rogauit, ut
ſe præeuntem ſubſequeretur, & quid fieri oportere-
ret, intentus obſeruaret, ſe enim, quid fieri uellet,
opportunè ſignum daturum. Iam prima biremium
manus ad galeonẽ appropinquabat, & aliquot trire
mes è Saleco miſſæ id ingens nauigium oppugna-
bant: ea tamen conditione, ut quum non multum
appropinquarent, nec ob id multũ nocere poſſent,
neque in eos pariter è multo ſpacio Bondelmerius
tormenta contorqueri fineret, non multum utrinq;
proficeretur. Expectabat enim uir rerum naualium
apprimè peritus, ut propius accederetur, ex impro-
uiſo fœuam omnis generis tormẽtorum procellam
in ſubeuntes effuſurus. Neq; eum fefellit opinio: nã
Turcæ audacius accedentes, adeò graui glandium
& pilarum grãdine perfuſi ſunt, ut inhibere remos,
& magno accepto detrimento trepidè ſe recipere
cogeretur. Auria interim reuocabat naues quæ præ
ceſſerant, & galeonem ſuum remulco protrahi iu-
bebat, & triremium trierarchos intercurrentibus
per nauiculas nuncijs hortabatur, ut ſeſe animis ad
ineundam pugnam confirmarent, paratiq́ue eſſent
ad imperia, quum tubæ cantũ, atq; explicato maxi-
A mo uexillo ſignum daretur. In eo autẽ cõſilio de-
creto q; erat Auria, ut niſi onerariarum nauium fre-
tus præſidio, confligendum ſibi non eſſe iudicaret.
Idem pariter aſtutus hoſtis prouidebat, qui pari u-
trinq; triremium concurſu procul ab onerarijs, quę
caſtellorũ erant inſtar, dimicare cupiebat. Nam tum
fortè uentus omnis ita ſubſederat, ut æquora ad e-
dendam nobilem pugnam pacata fluctibus, & pla-
nè conſtrata præberentur, & patriarcha prouectus
ad Auriam, eam inuadendi, delendiq; proculdubio
hoſtis facultatem non prætermittendam prædica-
ret, tantoq; ardore uociferaretur, ut propinquiores
trierarchi inuitãtis uocem audirent, maximeq; mi-
rarentur quòd Auria rem prælio committere dubi
taret. Is enim onerarias naues in unum coëuntes, in
gentibus gyris atque meandris, ſubſequente trire-
mium ordine, circuibat, & ex nauali peritia, nouum
aliquod atq; inexpectatum hoſti facinus editurus
uidebatur. Id Auria crebro rotatu claſſem ſuam cir-
cuiens, ea ratione faciebat, ut ad ſe hoſtiles triremes
pelliceret, & in prouectas è caſtellis excelſarum na-
uium propius & certius tormenta dirigerentur, atq;
ipſe demum in pertubatas, quæ erat certa uin-
cendi ratio, directis proris inueheretur. Interim ſub
ſiſtente Barbaruſſa, & quorſum ea hoſtis flexuoſa
nauigatio recideret, ſpectante, quòd dolum ali-
quem ſuſpectaret, cornuũ ſuorum triremes, iam uer
gente ad occaſum ſole, diuerſis in locis rem gere-
bant, pars in oppugnando galeone fruſtra perſeue-
rabat, pars aggreſſa onerarias duas, in quarum altera
Buccanigra cum ſua Hiſpanorum cohorte uehe-
batur, in altera erat Macinius Mongaia Cantaber,
uſque adeò grauiter coniectis in eas pilis affixerat,
ut perrupto malo, incenſisq́ue uelis, & multis Hi-
ſpanorum & nautarum interfectis, perituræ crede-
rentur. Alia uerò pars duas onuſtas commeatibus
circumuentas naues, quarum altera erat Veneta, al
tera Dalmatica, coniectis ignibus cõcremaret, pau-
cis in ſcaphas deſilientibus, aut ad propinquas ſo-
ciorum naues adnatantibus. Duas etiam triremes
ſub ipſum crepuſculum, quæ lentiore utebatur re-
migio Salecus intercepit, quarum trierarchi erant
Mozenicus Venetus, & Bibiena Etruſcæ ſtirpis uir
ſacratus. Secundũ has triremes capta eſt Aloyſij Fi-
garoæ Hiſpani nauis, tametſi ſuæ cohortis milites
aliquandiu pugnaciſsimè ſe defendiſſent. In ea cap-
tus eſt cum ipſo Figaroa patre filius adoleſcens no
biliſsimæ formæ, qui poſtea deductus ad Solyma-
num Mahometis ſacra ſuſcepit. Is quum principis
cubiculo aſſueuiſſet, poſt tertium carceris annum,
miſero patri libertatẽ impetrauit, donatumq; libe-
raliter in Hiſpaniã remiſit. Tum uerò cum tonitru
turbatis nubibus, grauis imber & procella, flatibus
Euris exorta eſt. Nec dubitauere noſtri, quũ uidiſ-
ſent Barbaros attollere dolones, quin & ipſi præ-
eunte Auria dolonibus ſimul & maioribus expan-
ſis uelis, ſe inde explicarent, & quò uentus ferebat,
ad Corcyrã unde uenerãt uerterẽtur, uſq; adeò diſ-
ſipatis agminibus, ut intento etiam remigio, nequa
quã ſe recipere, ſed cõfuſe & turpiter effugere uide-
rentur, ſic ut Auria tanti uſus, tantæq; peritiæ, & tã-
tæ deniq; exiſtimationis mari dux, eo die nullus im
perator extiterit. Ferunt Barbaruſſam noſtros eode
uento ad aliquantũ ſpacium perſequutũ, nec quem
hoſtes elabendo curſum tenerent, per tenebras pl a
nè cernentem, ſubſtitiſſe, quoniã noſtri duces in ſin
gulis ſuis prærorijs lumina extingui iuſsiſſent, quæ
erectis ad puppẽ ingentibus laternis præferri ſolita
ſunt. Proinde ipſum in cachinnũ uerſum ſæpè re-
petiſſe hæc uerba, Hiſpanico ſermone prolatæ: Er-
go Auria lumen abijcit, ut certius fugã ſuã tenebris
recondat. Ea uerò apud omnes Corcyrę applicãtes
opinio fuit, ut pclaro oborti repẽtè uenti beneficio,
uel cũ ignominia è ſummo periculo ſe ereptos fate
rentur,

rent. Quũ in ea mutui erroris obtrectatione mœſti A
tiaq;, & dolore turpiſsimi euentus uerſarent, Maci-
nij Cantabri nauis uel quaſſata perforata q;, quæ pe
riiſſe credebatur, Corcyram applicuit, Macinij mira
conſtantia defenſa. Nec multo pòſt ipſe Barbaruſſa
non contentus noſtro dedecore, nec hoſtes inopina
ta procella ſibi à manibus ereptos æquo animo fe-
rens, ad Paxum inſulam prouocabundus ad pugnã
peruenit. Ea inſula centum ferè ſtadijs ab ultimo o-
rientali, quod Phalacrũ olim fuit, Corcyræ promon
torio diſtat, ſic ut exprobrare noſtris fugam, & ſi è
portu prodirent, cum eis acie congreſſurus eſſe ui-
deretur. Quamobrem Gonzaga fremens, ut qui ſu-
perbi hoſtis arrogantiam ferre non poſſet, ſingulos
adijt duces, rogauitq́ue ut pro dignitate Chriſtiani
nominis animos uires q; componerent, & feliciore
uirtute inſolentis Barbari uim omnino retundere
niterentur: res q; eò deducta eſt, ut Capellius, quod
antea nihil tale iubente ſenatu ſuſcipere recuſarat,
Hiſpanorũ certa præſidia quæ offerrentur ſe in tri-
remes recepturũ polliceretur, quaternaq; acie Bar-
baros inuadere decernerent. Quartam enim aciem
Ferdinando Gonzagæ honoris cauſa attribuerant.
Verùm hæc conſultatio tamdiu prolata eſt, ut Bar-
baruſſa aduerſam circa nonas Octobres metuens
tempeſtatem retrocederet, & ſibi abundè ſatisfactũ
exiſtimans in ſinum Ambracium reuerteretur. Ab
ipſo autem hoſtis diſceſſu, de expugnando Dyrra-
chio cogitatũ eſt: ſed quum à Capellio totius Dyr-
rachini litoris ſtationes, nauigijs malè fidæ prædice
rentur, non multo pòſt in Rizonicum ſinum, quem
Catareum uocant, curſum direxerunt, ut Caſtrono-
uum Turcicæ ditionis oppidum, in eo ſinu poſitum
expugnarent. Ea enim forma eſt & natura ſinus, ut
tutiſsimum atq; ingentem præbeat portum, mareq;
ſeſe ad orientem intorquens, in intimo receſſu, Cat
tarum oppidũ Veneti imperij alluat, ſic ut per quaſ- B
dam fauces, quæ protracta cathena præcludi poſ-
ſint, nauigijs adeatur. Oppidani partim Dalmatici,
& partim Epirotici ſunt generis: ſed qui iampridẽ
immixti Turcis à Chriſtiana religione defecerant,
mercaturæ ſtudent, & paruis nauigijs quæſtum fa-
ciunt. Nulli Turcæ milites erant in præſidio, quum
binæ tantum, quas diximus, infimæ munitionis,
& ſuperioris caſtelli arces à pauciſsimis Turcis cu-
ſtodirentur. Itaq; intrantibus ſinum claſsibus, ma-
gna ui admoris tormentis, priuſquam oppidum ab
incolis aliquandiu defenſum caperetur, ſocij naua-
les Venetę claſsis per remos murum ſcandentes ad
infimam partem intrarunt, & mox ab expoſitis Hi
ſpanis oppidum quoque perrupto muro captũ eſt,
quum ibi duo inſignes cohortium præfecti, Bucca-
nigra Hiſpanus, & Cæſar Ioſias Firmanus interfe-
cti cecidiſſent. Multa eius oppidi, ſed nequaquã pre
cioſa domeſticarum rerum præda fuit: ſed ingens
omnis ætatis & ſexus incolarum multitudo in ſer-
uitutem abducta eſt, quanquam multi ex his nun-
quam ſe à cultu Dei Chriſti diſceſsiſſe dicerent. Tri
duo pòſt, ſuperius caſtellum præſidiarij Turcæ fru-
ſtra pacti incolumem fore libertatem & uitam dedi
derunt. Quum id oppidum communibus uiribus
captum, ex fœdere Venetis deberetur, occupatũ eſt
ab Hiſpanis, quos Auria Ferdinandus q; Gonzaga
extra Italiam alere cupiebant. Itaq; uel ægrè permit
tente, & è Venetijs ſuper ea re ſenatuſconſultũ expe
ctari debere fruſtra poſtulante Capellio, Franciſcus
Sarmentus cum quatuor milibus ueteranorum mi
litum, qui apud Inſubres à ſcelerata ſeceſsione re-
gionem ad Galeritum oppidum peruaſtarant, Ca-
ſtronouo præpoſitus eſt. Eam rem moleſtiſsimè tu
lit ſenatus, quòd id oppidum communibus partũ
armis, non ſibi ex lege fœderis, ſed Hiſpanico præſi
dio conceſſum fuiſſet. Suſpectabat enim Hiſpano-
rum ingenia auida imperij, atque aſſueta rapinis &
A maleficijs, tanquam ex occaſione Catarenſium re-
bus uim allaturæ, uſqueadeò indignanter eam iniu
riam patritijs æſtimantibus, ut auerſo à Cæſarianis
animo, ſuſceptæ eius detrimentoſæ expeditionis
ſingulos patres pœniteret, & decemuiri in ſpem pa
cis inducias à Solymano petendas eſſe decernerẽt:
quæ uel ob id opera Laurentij Gritti, qui Andreæ
principis fuerat filius, benignè atq; celeriter impe-
tratæ ſunt, quoniam Galliæ regis legatus Antonius
Rinco, Byzantij purpuratos opportunè docuerat
id fœdus quod apud Neapolim cum Cæſare à Ve-
netis diſſentiente multo maxima ſenatus parte per
cuſſum fuiſſe, inuitisq́; demum ferè omnibus id re-
cens bellum ſuſceptũ eſſe memorabat. Quum hæc
agerentur, nunciatum eſt Barbaruſſam ut Caſtrenſi
bus opem ferret eduxiſſe claſſem: ſed quum ad Sa-
xonẽ inſulam perueniſſet, aduerſa tempeſtate obor
ta, non modò retentum fuiſſe, ſed aliquot triremiũ
quas atrox uentus Africo atq; Auſtro permixtus,
Acroceraunijs cautibus illiſiſſet, iacturam feciſſe di
ceretur, uti facilè apparebat ex armamentis, eiusq;
naufragij fragmentis, quæ toto ferè Dalmatico li-
tore natantia & eiecta uiſebantur. Ea re certius co-
gnita, Capellius eius animi fuit, ut eductis claſsi-
bus Barbaruſſam eo incommodo perturbatũ perſe
queretur: cui conſilio fauebat & ipſe Gonzaga, qui
amiſſum decus ad Leucadem nobili aliquo facino-
re edito redimendũ eſſe diſſerebat. Sed Auria mul-
tis de cauſis tanquam importuni auſus conſilium,
facilè improbans, ſibi in Italiam redeundum ita ſta
tuit, ut continuò uela uentis daret, plurimum indi-
gnante Capellio: poſtquam uel ignauia, uel maligni
tate, homo Ligur conceptę atq; exploratæ uictorię
deeſſe, & Italicæ naualis diſciplinæ exiſtimationẽ,
fœdo importunæ ceſſationis, & fugę exitu dedeco
rare uoluiſſet. At Auria cõſilio apprimè grauis, hæc
uerba atq; hoſce uel aduerſos de ſe rumores facilè
contemnebat, quum cuncta quæ ageret & diceret,
ad cõmodum Cæſaris reuocare eſſet ſolitus: ita ut
per ironiam Valerius Vrſinus qui tum aderat, Ve-
neto ſtipendio addictus, nihil niſi periti ſsimè & cõ
ſultiſsimè ab Auria adminiſtratum atq; omnino ge
ſtum diceret, quando Venetos cum Solymano cõ-
miſiſſet, & diuturno maximè bello ianuã, uti exo-
ptare uideri poſſet Cæſar, uel ipſis nolentibus Vene
tis aperuiſſet, & id certè ne amiſſo quidem ullo na-
uigio, probè præſtitiſſe iudicari deberet. Cæterùm
Caſtronouo capto, atq; his quæ diximus, Hiſpano-
rum præſidijs Sarmento duce impoſitis, atq; obi-
ter abeuntibus claſsibus, eam iniuriam uſqueadeò
grauiter atque ſuperbè Solymanus tulit, ut magno
apparatu id oppidum terra mariq́ue repetendũ de-
cerneret, augeretq́ue iratus Venetis in Peloponne-
ſo copias, quibus & Nauplium & Epidaurus acriter
oppugnarentur, ſimul & uehementer obſideretur.
Singulare autem gaudium concepit, quòd totius
propè Chriſtiani nominis claſſes, quas antea plus
æquo magnificare erat ſolitus, aduerſum ſe coa-
ctas, Barbaruſſa omnibus propè rebus inferior, om
ni exiſtimatione ſpoliatas, toto mari effugere coë-
giſſet. Ineũte igitur uere, Barbaruſſa refecit claſſem,
& nouos remiges in ſupplementũ maritimis regio
nibus imperauit, atq; eũ, uti oportebat, propugna-
torũ ex Ianizeris præcipuè numerũ & exercitatiſsi
mũ quemq; ex alijs ordinibus in claſſem deſcripſit,
duas q; ingentes onerarias naues, quas mahonas uo
cabat, ad ferenda totius tormentarij apparatus, &
caſtrenſis inſtrumẽti onera celeriter ædificauit. De-
cretus quoque eſt in id bellum dux alter, qui terra
rem gereret, Vlamanes Perſa. Is bellicæ uirtutis
commendatione in demortui Vſtrephi locum, in
præfectura Illyrica quam Boſnenſem uocant, ſuffe-
ctus fuerat. Hic operam dedit, ut ſeptem minores
Sanzachi cum eorum equitũ aſſuetis turmis è pro-

ximis regionibus sibi adiungerentur, conduxitque A non multa pecunia pedites eius generis, qui Haidones, Vscochi, Martellosij, Chymeriotæ, & Morlachi uulgò appellantur: agreste hominum genus, syluis atq; nemoribus prædandi causa assuetum, sed durũ & uelox, indomitiq; uigoris aduersus omnes cœli iniurias, & in omne belli facinus paratum atq; expeditum: utpote qui nudis pedibus, aut tantum carbatinatis per rupes & cautes confragosarum uallium asperrimorumq; montium crepidines, mira, uti in capreis uidere est, celeritate discurrant, & sagittis & fundis eminus, cominus autem præpilatis quibusdam sparis, paruisq; securibus, ab ancipiti mucrone, quum eas nonnunquam contorqueant, mortiferis in hostes utantur. Hos enim Vlamanes, non qui pugnarent modò, sed qui opus facerent, munitionesq; erigerent, maximè idoneos (ut Turcis parceret) & propè sibi necessarios existimabat, quibus omnibus Testegim Turcam præfecerat, qui Habraymi Bassæ citharœdus fuisse, & improba delatione illius damnationem maturasse dicebatur. Itaq; adulta æstate, quũ Barbarussa educta Hellesponto classe, in Rizonicum sinum peruenisset, eodem tempore Vlamanes cum triginta milibus equitum & peditum in summis montibus sese ostendit. Barbarussa prius quàm primas sinus fauces intraret, Draguthé & Corsetum piratas cum triginta ualidis biremibus, quas galeotas uocant, ad explorandum præmisit, ita ut ad Castronoui mœnia accedẽtes, sinu quodam à tormentis se protegerent, indeq; aquatũ ad proximum fontem quem Artifarium appellant, in terram exirent: in quos extemplò Sarmentus Macinium Mongaiam cum sua cohorte, & Lazarum Coronẽm cum turma equitum erumpere iussit, commissoq; certamine, Turcæ multis eorum interfectis & captis, terga dare, & ad galeotas adnatare coacti sunt. Exinde Barbarussa applicuit cum nonaginta triremibus, & tribus quas diximus Mahonis, totumq; triduum absumpsit in exponendis tormentis, erigendisq; eorum munitionibus, quæ nisi nocte administrari perficiq; poterant, propter perpetuam tormentorum omnis generis pilarum procellam, quæ in opus facientes ab Hispanis effunde batur, sic ut eo triduo Turcarum amplius mille tormentis interfecti sint: in queis & ipse cecidit Agis Hariadenus, qui in Africa ad Taioream urbẽ iuxta Tripolim sese regem effecerat, cuius morte Barbarussam non mediocri dolore affectum ferunt, quòd inter ueteres amicos longè omnium prudentissimus atq; fortissimus haberetur. Barbarussa multo cum labore cædeq; suorum perfectis quæ instituerat operibus, supra quinquaginta quatuor maioris generis tormenta promouit. Ex hoc numero uti oportebat, circiter quartam partem Vlamani impertitus est, ut à septentrione diuersam à sua oppugnationem institueret. Ipse enim ab oriente è triplici loco, diuisis muneribus cum Tabache & Hali Leuano uiro Hispano, qui iampridem ad Mahometis sacra delapsus, Tunetano priore bello singularem peritię militaris laudem, eximiosq; inde honores apud Barbarussam & reliquos Turcas promeruerat, quatere murum cœperat. A mari quoq; Salecus admotis triremium proris certum propugnaculi locum oppugnare iussus, eum feriendi muri tenorem seruabat, ut quotidie sub auroram, & quum sol inclinaret in uesperam, denis per uices promotis triremibus murum uerberaret. Itaq; quum Sarmentus tot ruinis, uno tempore uario in loco sese opponere conaretur, Turcæ perampla turri, quæ muro interiore quadrato cingebatur, potiti sunt, eo successu, ut ad terrendos nostros in fastigio Barbaricum uexillum erigerent, atq; ex ea munitione, quæ erat circa turrim, scloperis atq; sagittis primò, mox etiam tormentis inde collibratis Hispanos imperterent. Quũ impigrè resisteretur à nostris, Sarmẽtus ad ima fundamenta eius munitionis cuniculum agi iussit, quẽ uulgò minã uocant, ut ex repentinis flammis disruptæq; munitionis ruina, inopinantes hostes oppri merentur. Sed ea res aduersum habuit euentũ. nam quum ingruentibus Turcis opportunè cuniculo ignis subderetur, ea collata materia incendiarij pulueris, importuno quodam lentore concepto, tardè & segniter flammam corripuit, ita ut frustra in hostes exitum quærens repulsa flamma in nostros reuerberaretur, multosq; igne correptos absumeret, & in his ipsum cuniculi magistrum Michaëlem Firminum, è Cæsarea Augusta citerioris Hispaniæ. Accidit etiam, ut eodem tempore apud superiorẽ oppugnationem, Vlamanes aliquantam ab attigua arce muri partem prosterneret, & Barbari tanquã uictores sublato clamore plurimum exultarent. Quibus rerum difficultatibus adductus Sarmentus edixit, ut qui milites essent fauciati, neq; operã pugnãdo præstare possent, sese in inferiorem arcem recipe rent, quò Aloysius Arius, & Macinius Mongaia incommodè uulnerati concessissent: reliqui autem supremum bellicæ uirtutis conatum edituri, medio in foro se conglobarent. Nec mora, cruentissimum irruentibus Turcis certamen est editum, sed nostris iniquius, quum plenus imber scloperarijs, qui uni omnium peritissimè rem gerebant, funiculorum ignes extinxisset, & necessario non hastis modò, sed gladijs uterentur, æquiore Turcarum conditione, qui innumerabiles sagittas in nostros spargebant. Multi præterea hostium equestris ordinis pedibus pugnare iussi, prælatis equestribus peltis incuruos suos enses ita in nostros exercebant, ut galeas ferreaq; humeralia facilè discinderent, atq; ad unũ fermè omnes uel fortissimè repugnantes trucidarent: sic ut utraq; pars ardore prælij accensa per strata cadauera peruadere ad suum hostem, & conseritis manibus pugnare minimè dubitaret. Cecidit in eo conatu fortissimè dimicans Cusanus Burgundus, Hispanicæ cohortis præfectus, Sarmentus ipse tribus sagittis intra galeam os confixus, fessusq; longa uigilia & diuturno pugnæ labore, in uestigio aliquan diu tela uitabundus fortiter perstitit, & quũ pugnãdo honestam mortem oppetere, quàm pedem referre mallet, & Sancium Friam cohortis præfectũ fugam circumspectare conspiceret, eum seuera uoce increpitans manu comprehendit, & locum tueri iussit, sic, ut secũ ingruentibus hostibus consistere atq; occumbere cogeretur. Is namque Frias turbidis & peruersis consilijs salubria Sarmenti imperia sæpè contemperat, & omnium seditiosissimus apud Insubres fuisse ferebatur. Itaq; ambo nequaquã pari uirtute detruncati ab hostibus in uestigio conciderunt, cæteris omnibus pari sorte ad unum interfectis. Interfecti sunt in eo tumultu cohortiũ præfecti Ioannes Cantaber, Dominicus Arriadenus maior, Seronius Tarraconẽsis, & Oliuerius Valẽtinus. Qua suorũ terribili cæde terrefactus Arius, & qui cũ eo in inferiorẽ arcẽ confugerant, quòd nullis uiribus quibus sustineri posset uictor hostis, niteretur, deditionis uexillo expanso, significationẽ hostibus fecerũt: atq; ita eos integra fide Hariadenus in seruitutẽ uita incolumi facilè recepit. In his fuere præter ignobilẽ militũ turbã, præfecti spectatæ uirtutis & dignitatis ipse Arius atq; Macinius, Didacusq; Maschefa. Præterea uiri Græci strenuissimi equitũ præfecti, Lazarus ipse Coronæus, & Andreas Scrapula è Nauplio. Reliqui quibus expedita deditio saluti fuit, fuere omnis generis hominũ circiter octingẽti, in quibꝰ eminebat Hieremias Ligusticæ stirpis, quí eius oppidi episcopatũ impetrarat. Hi omnes à Barbarussa in seruitutẽ Byzantiũ asportati sunt, præter unũ Maciniũ Mongaiam, qui cũ ab eo quæreretur, solicitaretur q; impensius, ut ad sacra Mahometana defice-

deficeret, atq; is insolentius oppugnatæ & conser- A uatæ nauis suæ casum iactaret, Barbarussa ei iratus ad proram triremis ceruices abscindi iussit. Sarmẽti cadauer inter tot occisorum aceruos agnosci non potuit, quanquam id Barbarussa multæ pecuniæ & libertatis proposito præmio diligentissimè perquisisset, quòd caput eius ad Solymanũ mittere decreuisset. Exinde inflatus uictoria, & quòd iam Rizzanum castellum in propinquo positũ, Veneti custodes tot hostiũ conspectu perterriti, Turcis dedidissent, Cattaro urbi inhiare cœpit: ita ut urbis prætorem minacibus literis solicitaret ad dedendam sibi urbẽ, ac nisi continuò portas aperiret, se mœnia tormentis aggressurum denunciaret. Erat is prætor patritij ordinis, nomine Ioannes Mattheus Bembus, insigni uirtute constantiaque animi præditus. Is per literas Barbarussæ respondebat nullum Cattaro in urbe Ottomannis ius esse, propterea si uim inferret, eum recẽtium induciarum quas cõcessisset, leges uiolaturum, non sine cõtumelia sui imperatoris, qui nunquã iusiurandi fidem fallere consuesset. Quod si iniquo iudicio rem ad arma deducere cuperet, ipsum qui cum imperio præesset urbi, datarũ operam ut improbè uim illatam paribus tormẽtis propulsaret. Ad ea subiratus uictor Barbarus, in ultimum sinus recessum aliquot triremes promouit, displosisq; tormentis oppugnaturi speciẽ præbuit. Cui Bembus prætor egregiè cõstans & impauidus, totidem tormentorũ suorũ bombis & pilis strenuè respondit, & præsidium armatũ in mœnibus Barbaris ostẽdit. Quare animaduersa Barbarussa inhibuit remos, renocatisq; anterioribus nauigijs ad Castro nouũ est reuersus, delinitusq; exinde prætoris Bembi muneribus, nihil expectata induciarũ fide, quam paulo antè de scripto exegerat, sinu excesit, rogauitq; Bembũ, ut præclaro inducіarũ testimonio præbito, quibus posset rebus Vlamanẽ Illyricæ prouin- B ciæ præfectũ amicè subleuaret. Castronouo per hũc modum, ut diximus, à Turcis fortiter expugnato, & Vastius Mediolani fortissimæ legionis interitũ deploraret, Insubres ipsi tacitè lætabatur: quandoquidem magnus Deus, ad septimum idus Augusti rapaces homines maleficiorũ pœnas dare coẽgisset, & id aliquanto cumulatius, q̃ non planè decumatis Siciliensium Hispanorum cohortibus accidisset. Eodem anno Ottománica arma ad oppugnandos Lusitanos in Indiam usq; prolata sunt. Ædificata siquidem, ut diximus, ad Suetiam olim Arsinoës portum rubri maris ingenti classe, Solymanus Eunuchus cũ Moro Alexandrino sinus Arabici angustias egressus, præterue ctus q; Persici maris sinum, ad Indum usque amnem peruenerat, magnisq; uiribus Dium urbem, Lusitanorũ portum ad fluminis fauces positum, oppugnarat. Cuius belli is exitus fuit, ut Eunuchus post oppugnatos per multos dies terra mariq; Lusitanos, quum eos indomitę uirtutis esse reperisset, incœpto absistere, & desertis maioribus tormẽtis ad Ademum, nobilissimi emporij urbem, redire sit coactus: ubi planè fractus animo, quòd nihil ex uoto prouenisset, ipsum Ademanum regem, sub fide ab se uocatum, in antenna prætoriæ suæ laqueo suspendit, eiusque gaza omni surrepta, urbem claustris complectentium se montium, & lapideo insigni muro munitissimam occupauit, pariq; sæuitia appulsus ad Zidę portum, unde terrestri demum itinere Mecha urbs, totius Arabiæ sepulchri Mahometis religione clarissima aditur, Zibitinum regem, sumptuosis muneribus gratiam eius appetentem interfecit, præsidijs eius aulæ omnibus sub fide immaniter trucidatis: sic ut moxille semiuir apprimè rapax & cruentus ad Mecham deferretur, ut se apud pseudoprophetæ fontem expiandis tot sceleribus religiosè ablueret, Moro cum classe ad Suetiam redire iusso.

SVPPLEMENTI
LIBER XXII.

IAm plures dies Genuę subsederat Cæsar, cõfirmandæ ualetudini intentus, quæ paululum commota fuerat ex inclementia Prouincialis cœli, unde uastatis legionibus tot millia hominum contagiosa tabe perijssent. Cogitabant autem in Hispaniam enauigare, priusquam hybernis tempestatibus recrudesceret mare: sed duæ res maximè retardabant, quæ dignitatem eius, & iam ardente bello in Subalpinis rerum securitatem respicerent. Arx siquidẽ Mediolani, priusquam ipse Italia excederet, Hispano custode, Hispanoque præsidio munienda uidebatur, & Montisferrati ditionis imperium legitimo hæredi adiudicandum. De hæreditate enim eius imperij grauis oborta erat controuersia, diuque ea magna competitorum contentione iactabatur: constitutis namque à Cæsare iudicibus, & contesta lite, prolatisque antiquissimorum iurium documentis, tres simul litẽ ferebant: Federicus ipse Gonzaga, Carolus Sabaudius, & Franciscus Salassus, diuersaq; spe ingressi, ius sibi reddi uno tempore flagitabant. Cæterùm præclarum omnino ius erat Federico, in cuius matrimonio erat soror Bonifacij, qui ex lapsu currentis equi perijsset, nõ obscura hęres fraterni imperij, quum Sabaudij atque Salassi iura nimis obsoleta & incerta putarentur. Itaq; his in rebus Cæsar æquus disceptator, & iuris sui consultissimus, erecta tribunali, ita litem diremit, ut secundum Federici iura meritaque pronunciaret, & Aluarum Lunam, à quo Federicus in ditionem duceretur eligeret. De arce autem Mediolanensi pari celeritate transactum est. Nam Maximilianus Stampa uetus custos, post Sfortiæ mortem se Cęsaris nomine in custodia permansurum professus, nullam moram attulit, quin arce excederet: quanquam ex uetere suo maximeq; fideli obsequio, & studio insigni in Cæsarianum nomen, relinqui posse in eadem præfectura speraussset: sed Cęsar Hispano potius uiro quàm Insubri, quanquam generoso spectataque fide prædito fidendum ratus, cęteris in rebus Stampæ postulatis, tanquã studioso partiũ, Insubrumq; procerum splendidissimo, collata Soncini oppidi ditione, benignè atque indulgentissimè satisfecit. His confectis rebus Cęsar in Hispaniam nauigauit. Sub id tempus Gallorum duces per ea quæ nuper occupassent, Subalpinæ regionis oppida, diuisis copijs, præsidia confirmarant. In his fuere præter Paulum Rentij Ceritis filium, & Annibalem Gonzagã, cognomento Nouellarium, Guido Rangonus, Cæsar Fregosius, Caniniusque Gonzaga. Excubabant autem in eam curam, ut proferrent fines, opportunoque aliquo ad gerendum bellum oppido ex insidijs potirentur. Hoc idem, ne facilè accidere posset, sedulò præcauebat Vastius. Is paulo antè ex Transalpina prouincia regressus, Puerino in oppido Hispanorũ Italorumq; cohortes recensuerat: animaduersisq; ac exploratis Gallorum præsidijs atq; conSilijs, Cherium instar urbis ingens oppidum, Taurino ad quintum lapidem propinquum, ex itinere aggredi atque expugnare cogitarat. Sed ea re adactis tormentis uix dum cœpta, quòd ibi Rodericus Ripalta castrorum magister, oppidi situ mœniumq; naturã speculando, ictu minoris tormenti fuisset interfectus, & Annibal Nouellarius extructo insigni propugnaculo cum delectis cohortibus oppidum tueretur, ad Astam in hyberna concesserat, Ioanne Barga in præsidio Villanouæ cõstituto, & reliquis itẽ cohortib. per circũiecta castella distributis. Huic negocio præpositus erat Franciscus Marchio Salassus,

Iassus, qui à Francisco rege ex fluxa fide discedens, ad Cæsarem Galliam inuadentem se cõtulerat: præ bueratq; non obscura malignitate callidam operã, ut Fossanum oppidum ab inopia cõmeatus, à Gallis præsidiarijs Antonio Leuæ dederetur: sedulò enim dux ille apprimè astutus & uafer Salassum qui busdam offensionibus à regijs ducibus alienatum, multa pollicendo à regis amicitia clientelaq;, ea cõditione diuulserat, ut ei præfecturam Hispanici peditatus Cæsaris nomine promitteret, quam Dauaiæ domui à multis antè annis præclaro fidei atque uirtutis merito, rex Ferdinandus cõcessisset. Ei quoque Leua filiam nuptui se daturũ pollicebatur: quibus emolumentis inuitatus sine pudore fidem mutare, regemque deserere potuerit. Substiterat Albæ Pompeiæ Federicus Gonzaga, expectans ut ex sententia iussuq; Cæsaris à Casalensibus in urbem reciperetur, & Montisferrati princeps populari acclamatione præclaro iure hæreditatis appellaret. Sed Aluarus Luna ad tradendum de manu urbis imperium solenni cerimonia in urbem præmissus, ea in re non alienas modò, sed planè rebelles ciuium uoluntates reperiebat. Erant pleriq; principes Guelphi nominis, qui antiquissimi dominatus ditionẽ patriamq; in potestatem Mantuani, nouiignotique sibi principis deuenire iniquissimis animis ferebãt: malebantq; parere Gallis, opulentissimiq; regis imperio, qui Cisalpinæ Galliæ possessione eiectis Cæsarianis potiturus esse crederet, quàm perferre Cæsarianorum acerbitates, qui perpetuis æstiuis atq; hybernis amica oppida miserabiliter uexare ac euertere cõsueuissent. Vigebat etiam tum memoria apud Casalenses Gulielmi principis, qui Gallicam alam ductare, & regis gratia, magno ciuium suorũ commodo pollere erat solitus. Nam quisq;, uti erat genere nobilis & spiritu alacer, in alam equestri stipendio scribebatur: sentiebantq; fermè omnes ciues, ex ea militia & peculiari regis benignitate non obscura emolumenta, quæ erant honestissima, his præsertim ciuibus, qui principis beneuolentiam ex fide uirtuteq;, aut in ala foris, aut in aula domi meruissent: quarum rerum nihil sperarent ex dominatu Mantuani, quòd Cæsarianæ militiæ honores & præmia nequaquam ad Italos, uerùm ad Hispanos atq; Germanos & Belgas uerterentur. His depraua tos opinionibus Casalenses duo ante alios, ut ad Gallos deficerent, assidua cohortatione solicitarãt, Guliermus Blandratus, ingenio seditiosus & acer, planeq; militaris, & Christophorus Guascus, Guelphæ factionis princeps apud Alexandrinos, qui eius ardẽtioris studij nomine extorris & exul factus, Gallis militabat. Itaq; Casalensium quorundam ciuiũ opera accersuntur Galli, hisq; ad ingressum porta proditur, populo inexpectata re tanquam ignaro eius consilij uehementer commoto atq; exterrito, sed mox subticẽte, & nihil sese ad arma commouente, quòd publico nobilitatis consilio id facinus patratum fuisse crederet. Burria Gallorum præfectus primus omnium urbẽ intrauit, promptissimos Vasconum peditum in equitum tergis consessores, festinandi causa secum adducens, edicensque ut alij atq; alij pedites & equites ex Varulengi oppidi præsidio deducti, se præeuntem consequerentur. Eo modo ad cõdictam à proditoribus horam quietissimè in urbẽ receptus, circumuallare arcẽ parat, ne quis inde aream erumpere possit. In eam nanq; Mantuani ipsius legati cum Aluaro Luna confugerant. Nec mora, Gallis impigrè operam nauantibus, Burria, Blandratus & Guascus, arcis egressum circumuallant atq; præsepiunt, fossaq; subitarij operis satis lata profundãq; producitur, lunatusq; erigitur agger, in quo aduersus erumpere tentantes præsidium imponitur. Cæterũ occupatis in opere Gallis, eius rei gestæ nuncius ad Vastium illico defertur. Is tũ exercebatur apud Astam in ludo paruæ pilæ. Hæc re audita nihil ipso ore perturbat, sed erecto animo expeditum capit consilium ferendę opis; idque miro silentio contegit, ac signum tuba dari iubet, ut milites illico arma capiant, & se proficiscentem summa festinatione subsequantur. Paret edicto milites, & per lutulenta itinera summa alacritate uiam capessunt, rati se properè perduci ad occupandũ aliquod hostile oppidum, unde opima præda peteretur. Sed non prius consilium aperuit Vastius, quàm ad Alserium uicum est peruentum. Tum uerò aduocatis præfectis, quàm stultè atque arroganter Casalenses ad Gallos defecerint, patefacit, eorum perfidiã extemplò uindicandam edocet, spemq; omnem ulciscendi hostis in celeritate positam ostendit, hortatur singulos, ut uel difficillimi itineris laborem impigrè sustineant, ut paratæ uictoriæ fructum cõtendendo atq; accelerãdo secum percipere uelint. Itaq; tota ea nocte, uel prealto impeditum cœno iter nusquam fuit intermissum. Orto iam sole peruentum est ad arcem, continuoque Vastius ab Aluaro Luna, Ioanneque Pescherio arcis custode perdiscit, quas munitiones Galli contra arcem erexerint, quo animo sint Casalenses, quibus uiribus nitatur Burria Gallus. Vastius postulat sibi extrorsus ab arce dimitti scalas, quibus murum ab arce ad Padum pertinentem aggrediatur. His scalis arreptis & appositis, non dubitauere milites, quin audacter conscenderent, & sese in urbem deijcerent, quòd uetus agger mœnibus appositus, ex ueteri consuetudine introrsus esset accliuis. Verùm Galli è munitione, ab altisq; priuatis ædibus sclopetis rem gerentes, multos eminus uulnerabant atque sternebant. Qua re animaduersa Vastius exteriorem fossam scalis coniungi, superiectisque asseribus contegi, atque erigi in muri coronam præcipit, ut conferta acie milites tanquam per accliuem pontem conscenso muro in urbem intrarent, auctoque eorum numero qui iam transcenderant, omnium animos confirmarent, & in arcem conglobata acie deferrẽtur. Non defuere sibi Galli quin acerrimè prælium committerent, sic ut aliquãdiu cruentissimè dimicaretur. In eo enim congressu Hieronymus Mendocius, Rodiæ militię adscriptus, & in Peloponneso uirtute clarus, qui erat Hispanorum princeps, glande traiectus cadit. Petrus Giaena mortifero sclopeti ictu sauciatur, occiditurq; immoderatæ fortitudinis adolescens, Vgone Moncata genitus, quem nauali prælio iuxta Salernum ab Aurianis uictum interfectumq; fuisse docuimus. Exarsere ira Cæsariani, prodeunteq; & cohortante Vastio in hostes impetum redintegrãt. Nec Galli impressionem ferre possunt, statimq; profligant, diffugiuntq; per priuatas domos quas perforatis parietibus inter se ad permeandũ coniunxerant. Sed passim expugnatis domibus hostes fermè omnes aut trucidãtur, aut se uictoribus dedũt. Capitur ipse Burria: Blandratus feliciter effugit. Guascus dum tentaret uadum in Pado, perijsse creditus est, quòd nusquam postea comparuisset. Casalenses uel Guelphi Gibelliniquè nominis ad unum omnes admissi facinoris in uestigio pœnas dederunt, quum capti à milite pecunia se redimere cogerentur. Accitus Federicus liberalitate suam in multos suarum partium ciues exercuit, & in luctuosa uictoria publico consensu receptus est. Nec multo pòst Vastius præmisso Burria, qui in arce Mediolani custodiretur, Mediolanum contendit, eo animo, ut Iacobum Medicem, fratremque eius Baptistam comprehenderet, quòd ab inimicis iniqua delatione consensisse cum Gallo hoste dicerentur. Erant enim Medicei propter anteacti belli memoriam auarissimè & crudelissimè Lario in lacu gesti, magnæ apud Mediolanenses quosdam principes expositi inuidię. Quũ ambos Vastius post epulas

epulas cepisset, his suspicionibus ita sese Iacobus ex plicuit, ut pro uetere sua clementia Vastius eos nequaquam capite puniendos existimaret, ne alienæ libidini malignitatiq; seruiuisse diceretur: reiectoq; ad Cæsarem iudicio, eos demum recepit in gratiã, atque eis ablatum à quæstoribus argentum restitui iussit. Quum Vastius Mediolani ueterum Saturnalium more natalitia Dei Christi festa celebraret, apud Florentiam inusitatæ perfidiæ, summæque immanitatis facinus postridie nonas Ianuarias admissum est à Laurentio Medice, in Alexandri principis atrocissimam cædem. Cuius facti causam & modũ, quàm breuissimè potero explicabo. Alexandro sextum & uigesimum nato annum, corpus obuenerat mediocris certè staturæ, sed ualida atque habili neruorum compage firmissimum, militiæ laboribus utiq; par, atq; omni ingenuæ exercitationi quũ expediret, aptissimum. Sed eius animus leuitate iuuenili in Venerem usqueadeò procax erat & præceps, ut ei nouæ nuptæ fordesceret torus, ac dignitatis suæ & ualetudinis, & deniq; salutis curam abiecisse crederetur, quum Laurentij patris exemplo, nouis semper stupris ac adulterijs obnixè gauderet. Ea de causa noctu per urbem cum armatis sæpe ita uagabatur, ut nonnunquam contracto cum obuijs cruento certamine, summum uitæ discrimen adiret. In eius intimam familiaritatẽ sensim sese miro astu insinuarat Laurentius Medices, efficti moribus, & his in adulationem & destinatum dolum callidissimè compositis, quibus infatuatũ atq; deceptum principem opprimeret. Erat is Medicearũ omniũ Alexandro sanguine maximè propinquus, ætate fermè æqualis, ipsisq; paternæ domus cubiculis adeò coniunctus, ut secretiore ostio ad commeandum committerẽtur, cõmunicatis scilicet seræ clauibus, quibus quum utriq; luberet, sine arbitro conueniendi facultas daretur. Nam unde facilè capi princeps poterat, amatoriarum cupiditatũ quibus ille insatiabilis & uagus semper arderet, unus ipse Laurentius & conscius & arbiter erat effectus. Eruditi siquidem & arguti ingenij illecebris ad omne lenocinium erat paratus & efficax, adeò ut non absurdos uersus, qui essent instrumenta libidinis, pangere, nec inamœnas Hetruscæ fabulæ comœdias factitare, & in scenam edere soleret: simulabat enim se unicam ex his studijs delectationem petere, propterea abdicare penitus arma à latere, quę ęteri ex aula gestarent, cruorem reformidare, & prorsus se imbellem esse atq; ocij auidum ostendere. Ad hæc pallente uultu & fronte contracta deambulabat solus, cum paucis parcissimè sermones serens, uasta & silentia urbis loca frequentans, & non obscuras ebullientis atræ bilis notas ita præferens, ut nonnulli eum irridere tacitè inciperent, alij acutiores eum aliquod insolens & truculentũ facinus coquere, prorsusq; meditari suspicarentur. Nam quibusdam in aula & suspectus & inuisus esse cœperat, quòd Neapoli cum Strozzis exulibus cõsilia de interficiẽdo principe miscuisset. Sæpe enim apud exules maledicentissimo ore in Alexandrũ fuerat inuectus, quum ille incerta adhuc Cæsaris soceri gratia suspensus, spurcissimis inimicorum libellis & delationibus oppugnaretur: dixeratq; se maturè uiam inuenturum, qua cõmunis patriæ tyrannus ex tuto tolleretur. Cæterùm geminata ueluti perfidia, quid exules cogitarent, quidue molirentur, ad Alexandrum illico deferebat: prolatisq; nõnullis literis & syngraphis, præclaram studio officioq; suo sinceræ sedulitatis fidem adstruebat. Id quũ rescisset ex suis speculatoribus Petrus Strozza uersipelle Laurentij ingenium, tanq; duplici ancipitiq; perfidia infame, generose atq; indignãter detestatus, Pandulfo Pucio ueteri suo sodali fortè obuio, quin de ea re præceps colloqueretur, linguam moderari non potuit, apertè dicens, Ecquã ineptus est & sui ignarus Pandulphe, hic uester Alexander, qui Laurentio Medice summæ perfidiæ adulatore tãtopere delectatur, quando is quotidie nobis se illum omnino interfecturũ iactanter repromittat. Non defuit officio suo Puccius, uti erat ex amicorum cœtu præcipuus, sed monem Strozzæ totum principi detulit. Nec multo pòst Alexander Laurentium in cubiculũ uocat, quid audierit enudat. Ad ea ille absolutæ simulationis proditor, composito uultu subridens ita respondit, ut cuncta ea quæ Strozza dixisset, uera esse fateretur, uerùm non inepto artificio iampridem ab se instituta. Quónam (inquit) princeps, tutiore aptioreq; modo mihi erunt exacti speculatoris partes impleндæ, nisi ut me tibi ex arcano inimicissimũ esse prædicem? Scilicet ut hac subtili simulatione secreta omnia è præcordijs inimicorum eruantur, & saluti dignitatiq; tuę egregiè prospiciam, uel hac mea diligentia, quanquam eã meo nomini periculosa & turpis appareat. His uerbis, uti credi par est, antea meditatis, suspicionem omnem facilè auertit apud principem iam planè fato suo obstrictũ, & nihil de homine cunctis amicitię gratieq; iuribus, & peramplis beneficijs coniunctissimo suspicantem. Itaque Laurentio supra sesquiannum in hac diri sceleris cogitatione uersato, nec alienæ fidei quicq; temerè cõmittenti, fortuna infesta principi, per sequestrã Venerem patrando facinori exoptatæ securitatis occasionem præbuit: saluti nanq; quum ante omnia cauendum arbitraretur, ut post editam tyránicædem (sicuti aiebat) liberatæ ab se patriæ gaudio glorieq; suæ saluus interesset, multa hactenus tanquam parum tuta expediendæ fugæ loca & tempora repudiarat. Fortè tum erat in ipsa principis uicinia matrona pernobilis, uenustaq; formæ, sed certissimæ atq; inexpugnabilis pudicitię. Hanc, quòd mirè placeret principi, ad tendendas insidias idoneã ratus, conciliando eius amori operam suam atq; ingeniũ amãti obtulit, eoq; propensius, quòd ea sibi esset arcta propinquitate coniuncta, atq; ideo maximè familiaris. Itaq; ea nocte quæ Ianuarias nonas antecessit, postquam cœnatum est, Laurentius composito dolo in auré Alexandri insusurrans, perfidioseq; mentitus, dicit in adamata muliere uel ingenuè casta & diu reluctante, expugnatũ esse pudorem persuasionibus atq; promissis, eademq; nocte eam in complexum eius deuenturã: ea tamen conditione, ut totũ id religioso silentio cõtegat, & quæ eius nomine ex sua fide præmia pepigerit, liberaliter præstet. Simulabat siquidẽ à muliere mutuæ pecuniæ subsidia peti, quæ ipsius uiro, uti iam princeps norat, nõ obscurè decoquẽti suppeditarent: confirmãdis scilicet eius fortunis & mercaturæ rationibus, quæ uehementer essent cõturbatæ. His postulatis tanq; honestissimis facilè annuit Alexãder, matura spe exoptatæ libidinis incensus, statimq; cœnaculo exiens in domũ attiguã ipsius Laurentij (uti sæpè alias) deducit, ablegareq; ab se cubicularios duos qui aderant, iubetur, ne illi quicq ex re cõposita instantiq; subodorari possent. Sistitur ergo incautus princeps in cubiculo, ipsoq; etiam proditoris lecto, ut ibi tantisper conquiescat & expectet, donec interpesta nox adsit, & silentia adducat, per quæ utriq;, uti expediat, tutissimus transitus paretur. Breue siquidem spaciũ anguste uiæ inter principis posticũ & matronę fores intererat. Parato expectare, extento; in torũ principi suadet ut gladiũ discingat, quo mollius cubet. Id quum ille fecisset, Laurentius gladij capulum uaginæ baltheolo diſsimulanter, ut fæpe fit, ita conuoluit, ut si eum præfidij causa repeteret princeps, nõ facilè uagina educi posset: hortatur demũ ut obdormiscat, donecipse rebus cõpositis & instructis reuertat. Discedens Laurẽtius reliquit lumẽ, circumducto; ad lectũ conopeo, cubiculi fo

res pôst se trahit, quæ ultronea sera claudebantur.
Tum uerò compositis è sententia insidijs, Lauren-
tius iuuenem, Scoruncunculum nomine, sibi à pe-
dibus famulantem, cui ipse homicidij reo uitam à
principe impetrarat, ad se uocat, hortaturque ut si-
bi fortem operam, sicuti antea promisisset, præstare
uelit in confodiendo insigni quodam homine, no-
mini suo inimicissimo: animis tantū opus esse, ne-
que eius aspectu debere permoueri, quòd res extra
periculum transigi posit. Ille alacriter respondet, se
non recusaturum, quin ut aliquam accepti beneficij
gratiam persoluat, quantumlibet insignem uirum,
ac si iubeat ipsum denique principem obtrūcet. Ad
hęc Laurentius, Egregiè diuinasti, inquit, mi frater,
ipsus est, inclusumque eum hoc cubiculo dormitan
temque tenemus. Nec mora, adapertis tacitè fori-
bus cubiculum ingrediuntur, ascito etiam comite,
uili agasone familiari, cui tanquam elumbi atq; tar
dipedi à contrario sensu Frecciæ cognomen erat,
quæ uox Italicè sagittam exprimit. Laurentius ex-
pedito breuiore gladio stertenti costas transadigit.
Ille exterritus tanto uulnere in aduersam lecti spon
dam se deijcit, repensque manibus & genibus sub-
ter lectum emergit. Ei sese erigenti Freccia malā di-
scindit, alij arreptū scabellum præsenti animo pro
scuto opponentem circumsistunt, atque ictus inge
minant. Ille rabidæ feræ persimilis Laurentium in-
uadens, proditoremque adeò alta uoce uocans, ut
tota domo (sicuti ex mulierum testimonio cōstat)
exaudiretur, læuæ manus pollicem dentibus appre
hendit atque perfregit: quo dolore correptus, opē
sibi à Scoruncunculo afferri postulauit: ab eoque iu
gulatus princeps, multum euomens cruorem pro-
sternitur, confossusque demum alijs uulneribus le-
cto impositus est: nec quisquam ad tantæ rei strepi
tum è familia accurrit, quòd Laurentius multū an-
teà ad fallendos familiares, cum sodalibus eo in cu
biculo multa cum uocifetatione scabellis & scutis,
hastisque colluctari, ad imaginemque iocosæ exer-
citationis perstrepere consuesset, ut in eam diē do-
lum pararet. Interfecto per hunc modum principe,
quum percussori detegenda cędes, idq; facinus de-
secto atq; exposito interempti capite omnino pro-
palandum, & uocandus ad libertatem populus fo-
ret, ad Angelum Martium illico contendit, qui prin
cipis occupati, aut absentis uices implere erat soli-
tus: ab hoc facilè impetrat equos publicos, & ape-
riendæ urbis portæ tesseram, simulans fratrem in
Cafagiolia uilla mortiferis uentris torminibus tor
queri, quem condendi testamenti causa omnino ea
nocte inuisere percuperet. Indulsit petenti Martius,
quod iniussu principis nemini pręterquam ei singu
lari gratia pollenti erat concedendum, atque ita il-
le acceptis & incitatis equis sicarios suos educens,
Bononiam, atque inde Venetias peruolauit, ut opta
tissimum Philippo Strozzę nuncium afferret. Con
stat eum in discessu T. Zephio, qui domesticis ratio
nibus præerat, funesti cubiculi clauem dedisse, ius-
sisseque ut ante diluculum ingrederetur, & quid re
perisset, certis ciuibus nūciaret, quibus Medicei do
minatus felicitas grauis & inuisa uideretur. At sole
iam exorto, duo cubicularij, quos ab se Alexandrū,
quum proditoris domum intraret, ablegasse dixi-
mus, quum tota nocte eum frustra perquisissent, tre
pidi id totum deferunt Innocentio Cardinali, qui
uti erat propinquitate atque amicitia coniunctissi-
mus, honestiore in parte ædium habitabat. Is quid
acciderit principi, perturbata mente diuinat: accer-
siturque statim in consilium Franciscus Campana,
epistolarum magister, amboq; nihil dubitant, quin
incautus princeps à Laurentio in ipsius cubiculo sit
interfectus: compressoque dolore, ereptum procul-
dubio principem internis tantum lachrymis lugen
dum, necusquam quærendum censent, postquā re-

A nunciatum est Laurentium mutatis ad celeritatem
iumētis per Apœninum iter extendisse. Egregiè au
tem compositis uultibus simulant, edicuntque ciui
bus de more in aulam ad salutandum principē ue-
nientibus, illum obdormiscere, quòd tota nocte lu-
dibundus cum sodalibus uigilasset: foreque ut quū
pransus esset, personatus prodiret, in eiusque rei si-
mulationem, multa uestis lupercalibus & theatrali
bus apta ludis circumferretur. Cæterùm per tabel-
larios eximiæ pernicitatis, Alexandro Vitellio, Ro-
dulphoque Baleoni perscribunt, ut magnæ pericu-
losæque rei causa, quantas maximè possent copias
ex Aretinis & Cortonensibus agris celerrimè co-
gant, Florentiamque perducāt. Idem ut faciant præ
cipitur præfectis cohortium descriptarum in Mu-
gellano agro, cuius tractus incolæ fortissimi dedi-
tissimique Mediceo nomini existimātur. Nec prius
principis corpus quæsitum conspectumque est, q̄
primis tenebris, ne id in plebe adhuc ignara ueræ
cædis tumultum excitaret. Itaque pauci familiares,
ita iubente Cardinale, tapeti inuolutum in Lauren
tianam ædem clàm detulerunt. Erat tum in Trebia
uilla Cosmus Medices, decimumoctauum ętatis a-
gens annum, ad quem nihil tale expectantem secū-
dissimo cursu Hetrusci imperij fortuna ferebatur,
ipso Ioanne Medice duce fortissimo ex Maria Sal-
uiata genitus, quem Germanis ad inuadendam ua
standamque urbem Romam ingruentibus, ad Min
cium tormenti ictu cecidisse docuimus. Is quum pa
tritiæ iuuentutis sodalibus uenationem edidisset,
ex frequenti & repentino incolarum concursu, co-
hortes tanquam urbani tumultus causa Florētiam
accersi uidet, Laurentiumque Medicem in singulis
militaris uiæ mansionibus equos mutauisse, & re-
ctà per Apœninum extendisse iter cōperit: nec ina-
ni coniectura statim adducitur, ut principem à Lau
B rentio interfectum, aut omnino uulneratū esse non
dubitet: eoque firmius, quòd duos principis fami-
liares post aliquot horas eadem festinatione præ-
teruectū persecutos esse didicerat. Nec multo pôst
ingruente iam nocte, superuenit uir agrestis, certissi
mum interfecti principis nuncium afferens. Tum
uerò ea re paucis communicata, Cosmus sibi ad ur-
bem eundum censet, cohortantibus quibusdam pa
tris militibus ueteranis, qui cohortes ad iter para-
tas adducebant, & se custodię causa eunti comitem
offerebant. Sed eis gratias eius oblati officij agens,
& nocturnum iter multis de causis uitandum existi
mans, id armatorum præsidium repudiat, profici-
scique eos, nec quicquam de festinatione remitte-
re iubet, dicens se prima luce subsecuturum. Nole-
bat enim uideri, quum ad urbem applicaret, armata
præsidia quęsiuisse. Postero igitur die quum intras-
set, modicum trahens comitatum, passimq; ab ob-
uijs miro studio salutaretur, perrexit ad principis
ædes, ascenditque petasatus & penulatus ad Cardi
nalem, professus ideo se uenisse, ut communibus la
chrymis ereptum principem lugeret, & quam pos-
set patriæ principe defensoreque orbatę fidelem o-
peram præstaret. Complectente eum Cardinale, &
ut bene speraret, seduloque conceptam spem dissi-
mularet admonente, ad matrem se contulit, frequē
ti populo omnique turba prætorianorum, qui ar-
mati uestibulum domus tuebantur, ita auidis ocu-
lis, propensisque animis introëuntem inspectante,
ut læto exorto murmure, aduenisse eum iuuenem
summę spei integrique pudoris, magnanimi patris
spiritum gerentem prædicarent, qui principatū ex-
ciperet, & id totum parricidij scelus egregiè uindi-
caret. Nec mora, plerique ex paternis amicis bene-
uolisque ciuibus eum adeuntes, arctè complectun-
tur, suadentque ut sese erigat, & de principatu adipi
scendo bonam spem induere uelit: ipsos enim cum
amicis & propinquis primorum ciuitatis ordinum
enixè

enixè curaturos, ut præclara atq; certissima senatus A
suffragatione subleuetur. At ille, uti rei grauissimæ
momentū postulabat, à summis uiris edoctus, mol
liter respondit, seq; mira uultus tranquillitate alie-
num à cogitatione dominatus ostendit, ut qui me-
diocritate fortunę suæ contentus foret, modò urba
nis rebus non incerta securitas paretur, & sibi ciues
honestum inter patritios in republica locum relin-
quant, usq; adeò demisso animo sermoneq;, reiectis
amicorum adhortationibus, ut nonnulli indignan
tes subiratique in eo tanquam nimis humilem, al-
gentisq; spiritus habitum reprehendere auderent,
addentes eum nequaquam Ioanne magnanimo pa
tre genitum uideri, qui ad magna imperia, ingentē-
que semper gloriam aspirare, generosoq; ausu deco
ra quæq; appetere, & maximè ardua fortiter com-
plecti uirtute duce consuesset. Quibus de causis fie-
bat, ut adolescens ingenui pudoris plenus, uerecun
dia uehementer angeretur, quòd amicorum fauen-
tium studia ineptè & periculose paruifacere crede-
retur, parumq; uirili animo tantæ spei occasionem
elabi sineret. Sed expediebat hos rumores astuta au
re transmittere, commodeq; sapere in pręsens, quā-
do spes omnis posita esset in dissimulatione, qua
capi facilè conciliariq; præsides apparebat, quorum
mentibus hæreret illa ipsa non obscurè grata omni
bus imago deploratę libertatis. Erant hi quadragin
taocto uiri, apud quos numeratis suffragijs compo
nendi ciuitatis status, declarādiq; principis summa
erat potestas. Horum ferè omnium una mens erat,
abolere principis nomen, ueteremq; excitare liber-
tatem, quæ tantis belli incommodis sępè erepta, &
uirili consilio semper recuperata, nunquam bonis
& strenuis ciuibus defuisset. Sed primores ciuitatis
infaustū popularis status nomen horrebant, ad quē
sublato unius dominatu continuò recidendum esse
prouidebant. Hi iampridem grauissimarum rerum B
consilijs assueti, moderatæ potentiæ dominatū fer-
re, in quo ipsi sese gratia authoritateq; insignes fore
minimè dubitarent, quàm ab ingratissimis & sordi
dissimis ciuibus iniuriam pati malebāt. Ab his quū
honestissimus quisq; in sententiam traheretur, qua
dragintaocto uiri per apparitores ad consilium uo-
cati sunt. Habitus est is senatus ex dignitate cardi-
nalis, superiore in cœnaculo Mediceę domus. Vali-
da aūt armatorum præsidia, & in compito exterio-
re, & intus in cauędio ad scalas, singulasq; ostiorum
ualuas, ab Alexandro Vitellio disponebātur, qui du
dum singulari usus celeritate cum cohortibus adue
nerat. Quum senatus cogeretur, & Cosmus è pena-
tibus suis ad cardinalem fautoresq; suos redire sta-
tueret, mater eum retentare atq; obtestari cœpit, ne
ea cupere aggrediq; properaret, quę ipsum in ualde
periculosam salutis & dignitatis aleā perducerent,
propter malignas & occultas multorū uoluntates,
& insitum natura Florentinis omnibus arripiendæ
libertatis studium, cui, uti paulo antè experti essent,
nisi cruentis armis resisti nō posset. Ad ea adolescēs
non dubiè arridentis fortunæ suæ conscius, Desine
me, inquit, pia mater tam solicitè adhortari, nam eò
mihi omnino eundum est, quò fortuna uocat, quæ
hanc ipsam parādi summi decoris occasionem, tam
honestam quàm necessariā nomini nostro benignè
demonstrat, nec eam utiq; si negligatur, uti reor, ad
nos postea redituram. Neque enim fas est deesse nō
bis ab ignobili metu, quum dijs nequaquam inui-
tis ad oblatum decus rapimur, ut fidem fati uirtute
sequamur. Meminerat siquidē à Basilio mathema-
tico, Græcoq; item ariolo, ex inspectione uolæ ma-
nus, ingentis opulentiæ hæreditatem sibi portēdi,
quòd in ipso geniturę horoscopo idem Capricor-
ni felix astrum mirabili cōspirantium siderum aspe
ctu irradiatum esse diceret, sicuti olim euenerit Au
gusto. Cum hoc animi decreto ad cardinalem per-

tendens Cosmus, senatores qui iam consederant,
neque seuera, neq; demissa fronte salutauit, ne con-
ceptam spem intuentibus proderet. Cęterùm ami-
cissimi, quos diximus, pro eo ita prensabant, ut mā
gna pars senatus, nequaquā de eligendo principe,
sed de ordinanda republica se prolixè consultaturā
crederet: utpote quæ uexilliferatum, tanquam imā
ginem temporarij principis, erigendum arbitrare-
tur, quo aliquis ex ipso ordine ornandus atq; attol-
lendus foret, qui publici imperij dignitatem solitā
honorabilis personę maiestate tueretur. Tum uerò
cardinalis, Cosmo in subdiale pauimentū ad deam
bulationem se recipere iusso, ne uti compositū fue-
rat, sententijs senatus interesset, exorsus ab immani
tate parricidij periculoq; ciuitatis, Patres (inquit)
quod est deorum immortalium munus, uno auul-
so non deficit alter aureus, qui affectæ orbatęq; rei-
publicæ subueniat (Cosmum præclarè indicās, qui
certæ nobilitatis, temperatiq; ingenij atq; incorru-
ptę probitatis adolescens, tanquam Alexandro ma
ximè propinquus ex Cæsaris tabulis in administrā
da republica successor esset designatus) ipsos ergo
probè recteq; facturos, si eam Cæsaris legem obser-
uarent, à qua discedere nefas sit. Neq; ex usu com-
modoque ciuitatis uideri posit, si uiolata fide, qui-
busdam aliò flectendas esse uoluntates appareret,
ut nouus rerum status inducatur. Iura siquidē Flo-
rentini imperij ex ipsorum uolūtate, authoritateq;
Cæsaris addicta familiæ Mediceæ, & solēnibus co-
dicillis confirmata, nisi stultissima præuaricatione
à quoquā extra perniciem uiolari non posse. Quan-
doquidem eius improbè initi susceptiq; consilij au
thores necesse sit in ipso maleficij uestigio pœnite-
re, tam propinquis scilicet atq; expeditis Cęsariano
rum copijs, quæ omnem infidelitatis suspicionē ce
lerrimè ulcisci queant. Porrò Cosmum tanto ciue
B genitum, qui nuper intermortuum militię decus a-
pud Etruscos ad ęternam laudem excitarit, tantisq;
nobilitatis eximiæ ex Saluiata matre propinquita-
tibus septum, non alio quàm ipsorum usurum con-
silio, daturumq; operam, ut ipse rerum rudis & im-
peritus publico cōsensu obsequentissimi & mode
ratissimi principis famam cōsequatur. Serebant in-
ter se tacitos sermones patritij, perplexiq; animis cō
sideratius atq; languidius deliberabant. Studio ta-
men Guicciardini, & cæterorum Cosmi amicorum
ad ipsum Cosmum principatus est certis conditio-
nibus delatus. Cōditiones erant hoc modo perscri
ptę: Cosmus quod bonum faustumq; esset, reipub.
præficeretur, ne dux, sed caput modestiore nuncu-
patione uocaretur. Neminem nisi ciuem quum ipse
abesset, in ciuitate uicarium relinqueret, quòd elata
nobilitatis ingenia superioribus tēporibus, & Gori
Pistoriensis, & Passerini Cortonēsis, & demum Sta-
tij Romani iussa fastidissent, & quod Etruscæ fruga
litatis fuit, duodecim milium aureorū nummūm
summa in annui domestici apparatus sumptū con-
tentus foret, quòd æquo grauiorem impensam fe-
cisset Alexander, qui decem & octo milia quotānis
in conuictu absumere consuesset. Quum hæc præ-
scriberentur, deferreturq; ad singulos senatores, ac
his omnibus prolixè annueret Cosmus, & in sena-
tu diuersæ sententiæ aliquanto lentius dicerentur,
quàm fauentium Cosmo studia postularet, exortus
est in compito ex ignobili rixa ingens apud milites
armorum strepitus, quo exaudito, pleriq; senatorū
timore concuti atq; pallescere cœperunt: nec teme-
rè quidem, quòd à Vitellio, ex uetere odio paternæ
necis ciuitati inimicissimo, incitari milites ad præ-
dā & cędem facilè suspicari possent. Ad fores quoq;
eius cœnaculi audita uox est cuiusdam admonētis,
ut quod uellent senatores decernere, ilicò matura-
rent: quando Vitelliani, uel ipso ducis imperio diu
reprimi non posse uideretur, quin captis iam armis

 ad

ad obuiorum prædam & cædem discurrerent. Ea res siue orta casu, siue conficta consilio, senatores ad ineunda suffragia opportunè compulit, præclaroq; omnium assensu, quem præsentis periculi necessitas exprimeret, Cosmus reipublicæ caput est renunciatus. Is subdiali in senatum uocatus, & uniuersis gratias agens, ea quã dedissent, summi honoris potestate, non alio quàm ipsorum iudicio consilioque se usurum testatus est, adapertoq; senatu, tãta acclamatione tantoq; applausu omnium perstrepuit domus, ut milites prædæ auidi, admixtiq; plebeis gratulandi causa ad Cosmi matrem irrumperent, domumq; totam, frustra ea prohibente, sed tamen filij felicitate impense læta, diriperent, & ex magno simul metu solicitudineq; tota ciuitas ad hilaritatẽ uerteretur. Nec multo pòst Laurẽtius Medices parricida & patriæ hostis ex senatusconsulto declaratus est, bonisq; proscriptis præmia eius percussoribus aureorum septem milium cõstituta, & domus eius ad perpetuam ignominiam, à tecto ad ima fundamenta lato hiatu proscissa est. Paulo etiam antè cardinalis, quum in attollendo Cosmo obnixè satageret, ab eo, si principatu potiretur, hæc postularat: scilicet, ut nihil unquam ad gratiam aut odium flexus, iustitiam exactè colendam arbitraretur, nec unquam ab authoritate Caroli Cęsaris discederet, Alexandri indignam cædem grauiter uindicaret, & liberos eius pupillos ex concubinis susceptos, bene uolẽtissimè complecteretur. Inito principatu Cosmus uno edicto exules & relegatos omnes ab Alexandro in patriam reduxisset, & sincerissima fide in gratiam receptos, oblitus ueteris iniuriæ perpetuò fouendos suscepisset: ipsum uerò parricidam usq; adeò intenta diligentia est persequutus, ut quum ille è Gallia Byzantium profugisset, eum Solymanus hominis perfidiã execratus, aui Baiazetis exemplo, qui Bandinum tanquam impietatis reum olim tradidisset, capiundum dedendumq; censeret, nisi ille insidias ueritus, properè Venetias se contulisset, ut ibi aliquot post annos cum auunculo Soderino trucidaretur, haud dubiè in gratiã Cosmi, duobus Volaterranis militib. Bebio scilicet, qui fuerat ex prætoria cohorte Alexandri, atq; Cechinno Bibbona, ultrò superioris domini mortem uindicantibus: & ob id quidẽ generoso magis animi decreto, ꝙ proposita publicè à senatu præmia repudiassent, quum se satis lucri facturos existimarent, si exoptatũ Cosmo de parricidæ cæde facinus liberaliter edidissent. Iulium autẽ liberaliter educari iussit, & Iuliã patris ora atq; oculos referentem, Restanio Cantelmo in Prçcutinis pernobili regulo, nuptui dedit. At ubi Romæ & per omnes Italiæ urbes nunciatũ est Alexandrum unius ciuis, eiusdemq; gentilis & propinqui, adeoq; amicissimi sodalis perfidiosa manu fuisse trucidatum, triduoq; pòst Cosmum Medicẽ ei in eodem honore principatus ex senatuscõsulto subrogatum, mira omnino res uideri cœpit, quòd ciuitas suopte instinctu erecta in spem libertatis, in tanto interfecti principis murmure, nihil prorsus se se commouisset: quando nulla essent in urbe militũ præsidia, præter unam satellitum custodiæ corporis centuriam, quæ nec pueris explodẽtibus, & more patrio saxa uibrantibus suffectura uideretur. Prędixere Alexandri cædem, & Cosmi imperium, is ante omnes quẽ diximus, ariolus Gręcus, magno multorum miraculo, quum & illi nõ modò cædem, sed certum quoq; percussorem indicasset, qui esset ipsi intimus, habitu gracili, uulticulo buxeo, & suspensa taciturnitate ferè cęteris in aula insociabilis: Cosmo autẽ pro cõstanti polliceretur breui fore, ut hęreditate cresceret opulenta, audiente quidem Alexandro, & subridente Cosmo, quum absumendus morte prius foret magnus propinquorũ numerus, quàm ulla ad se uel tenuis hęreditas perueniret. Iu-

A uenis quoq; Perusinus, minister à dapibus, nomine Horatius, quum febre torqueretur ex uapore, uti credi par est, atræ bilis, ter noctu uisum habuit, quo principem à Laurentio iugulari apparebat: quæ rerum imagines ægrum perpulerũt, ut Paschalio principis medico enunciaret ad principem referendas. Sed Paschalius officio solicitè fungẽs, ea mẽte principem reperit, ut eam somniantis ægri fabulam esse diceret, admirans, cur tota domus in Laurẽtij odiũ cõspirasset. Hæc præclaro Cosmi principis testimonio scribere uoluimus, ut non semper de futuris uanam esse diuinationem curiosi mortales intelligãt. Eo die (is fuit quinto Idus Ianuarias) quo Cosmus ad principatum bene auspicatò prouehebatur, in ipsius uilla Castellia suburbani tractus, mira & planè prodigiosa omnis generis florum ubertas cũctis stirpibus erupit, quum rigore pertinaci uicina prædia adhuc inhorrescere uiderentur, & uni ferè omnium (quod mirum esset) Cosmiani horti ad adulti ueris similitudinem, singulari iucunditate florescerent. Eadem nocte quę creati principis diem sequuta est, Alexãder Vitellius composito multum anteą in eam occasionem, ut pleriq; existimant, insigni dolo, arcem occupauit. Præfecerat ei ab initio Alexander princeps Paulum Antonium Parmensem, fide quidem integra, sed nullo militiæ usu uiriliq; astu præditum. Huic Vitellius delectos ex suis Tiphernatibus milites custodię causa attribuerat, sub Mendula astuto uafroq; centurione genere Salẽtino. Per hunc persuasis militibus, ex composito excitata est in arce repentina seditio, falso rumore excito, quòd præfectus noctu pecuniæ culeos è muro demitteret, atque arcem in spem ingentis præmij exulibus traditurus esse diceretur. Ex ea uociferatione perfidiosaq; insolentia tumultuantis turbæ, quum sese purgare præfectus uellet, impetu conspirantium facto, B consilij & uirium inops comprehenditur, Mendula claues extorquet, & uti significatione facta cõuenerat, Othonem Montacutum Vitellij præfectũ, qui cum cohorte ad extimos fossæ cancellos peruenerat, adapertis portis introducit. Aduenit etiam illico Vitellius ipse, extrusoq; per minas & contumelias Parmense custode, tota arce potitur, nouasq; uigilias disponit, & Cosmo principi nũciari iubet sedatam esse seditionem, rem in tuto esse, atq; arcem in eius potestate futuram pollicetur: egregio hercle tum animo, nisi postea, ut aliqui existimant, uoluntatem maioris præmij spe adductam, magno quidẽ Cosmi detrimento, mutauisse diceretur. Cuius conceptę suspicionis nomen ut auerteret, apud Cosmũ præsentibus senatorum amplissimis prolixè testatus est, se nemini præterquam ipsi Cosmo, sicuti iure deberet, dediturum arcem, modò is in fide clientelaq; Cæsaris permaneret, proptereaq; se duos è liberis promissi obsides daturum: sed id pignus tanquã minimè necessarium Cosmus generose abnuit, ut nondum confirmati hominis conscientiã arctius atq; nobilius obstringeret. Ferunt nõnulli Vitelliũ Mediceæ gazæ oculos adiecisse, quam Margarita Austria orbata cõiuge, mœroreq; & metu occupata, in arcem deducente cardinale confugiens, planè totam usq; ad ignobilis instrumenti supellectilem secum asportarat: utpote quæ eius partem, uti postea accidit, in præmij nomen sibi obuenturam sperauisset. Nec multum inde Vitellius ad Cæsarẽ syngrapham misit, qua arcem securitatis causa ab se occupatam, ipsius Cæsaris nomine defensurum promittebat, neq; ulli traditurum unquam, nisi ex uoluntate eius id facere iuberetur. Dum hæc Florentiæ aguntur, & Romæ de cęde Alexãdri certius cognoscitur, exules Florẽtini Bartholomæo Valorio, & Antonio Francisco Albitio cogentibus, ad Saluiatum Rodulphumq; cardinales concurrunt, de recuperanda libertate uehementer consultant, consilio

Maco-

Maconium Galliæ regis legatum adhibent: & quũ nunciaretur Cosmum in interfecti locum ex senatusconsulto fuisse subrogatum, amissam omnes recuperandæ libertatis occasionem dolent, conqueruntur de pigritia ignauiaq; ciuiũ, qui opportunissimo tempore nihil se commouerint, senatum incusant atq; patritios imbecillitatis, importuniq; timoris, qui tyranno fortiter opportuneq; sublato, Cosmum nimis præcipiti deliberatione, expeditis suffragijs suffecissent, sic ut non excutere iugum domi natus, sed mutare dominum tãquam priore mitiorem cupiuisse uideri possint. Itaq; ardentibus animis paranda arma censent, properandumq; Florentiam decernunt, ut priusquam noui principatus uires coalescant, tanquam præteneræ adhuc & inualidæ, excitatis ad liberandæ patriæ studium ciuibus, conuellantur. Incensos proclinatosq; ad bellũ cardinales, cæterosq; exules incitat Paulus pontifex, conferenteq; pecuniam Maconio, in Vmbria, pontificijque imperij prouincijs, milites conscribi sinit. Suis namq; rebus atque consilijs cùm priuatis tum publicis conducere iudicabat, si Etruriæ imperium æquabili restitutæ reipublicę consilio, potius quàm unius principis nutu atq; auspicio regeretur. Itaq; cardinales expedita pecunia, Paulum Rentio Ceri te genitum conscribere cohortes, & in Aretinum agrum contendere iubent. Ipsi ab urbe proficiscũtur, & Florentiam ire pergunt: at Cosmus de eorũ consilio certior factus, per Vitellium Rodulphumq; Baleonum copias cogi atq; opponi transituris iubet: accersitq; in agrum Fesulanum Hispanorum cohortes, duce Frãcisco Sarmento, & quæ sibi in urbe prę munienda erant, diligenter instituit. Eo etiam securiore fiducia, quòd ad Hispanos accesserant duo uexilla Germanorũ, ex his qui ab Algeriano bello in Hispaniam delati, in Italiam demũ uenissent. Nam Alexander dubij, & in officio Cæsaris non obscurè nutantis pontificis consilia suspectans, & in eum capitale propè odium coquens, sese externis pręsidijs confirmare statuerat, & Vastius cognita Alexandri cæde, Pyrrhum Stipicianum, qui Cosmo, uti expediret, Cæsariani nominis præsidia compararet, Florentiam miserat. Fama erat ideo uenire cardinales ad patriam, ut publicarum rerum statum componerent, quasi neq; rectè, neq; ex usu ciuitatis, optimates subrogato nouo principe, publicis rebus consuluissent. Quamobrẽ fiebat ut Cosmus eorum aduentum miraretur, quòd uterq; ipsum arcta propinquitate contingeret, ipseq; Saluiatus esset auunculus, eorum uerò consiliũ rideret potius quàm timeret, quoniam propinquis confisus copijs, nihil de optimatium fide, cõstantiq; erga se studio dubitaret. Hi nanq; ius suum tueri uolebãt, existimationemq; iudicij sui, factiq; causam se defensuros esse testabantur. Interim cardinales & exules ad Montem Politianum recepti, ubi de aduentu Hispanorum ad urbem certius discunt, & Baleonus cum equitibus ad Clanis pontẽ peruenisse nunciaretur, tantisper subsistunt, & per idoneos homines ciuitatis animos explorant. Præmiserant cardinales cum literis ad priores factionis, Georgium Ridulphũ. Is quòd esset exul, tanquam temerè ingressus, comprehenditur, magnoq; correptus metu, quas deferret literas profert, postmodũq; dimittitur. Tum uerò per mutuas legationes actitatum est, an colloquijs potius quàm armis, de publicis rebus esset disceptandum. Cosmus honoris causa uenientes ad se cum inermi comitatu in urbem recepturũ profitebatur: sin cum copijs quas adduxissent, uenire mallent, ipsum quoque introductis Hispanorum præsidijs saluti suę & dignitati consulturum. Saluiatus non satis sibi uirium adesse cernens, quòd se plurimum consilio & colloquijs apud ciues ualiturum confideret, suasit Ridulpho, atq; item Gaddio, qui tertius impellẽte

A Maconio uel nolẽs accesserat, ut omnino in urbem iretur, inermi comitatu, sicuti sacerdotes pacis potius quàm belli auidos deceret. Eos Cosmus obuiã honoris causa progressus, tanquã propinquos spectabilesq; sacri ordinis ciues hilariter suscepit. Nec multo pòst inter crebras salutationes ciuium, frustra pertentatis uoluntatibus, Saluiatus Cosmo suadere cœpit, ut abdicato principatu honestissimo inter ciues loco contentus esse uellet, qui ei maximè gloriosus atque tutissimus foret in libera ciuitate, suis legibus uiuere florereq; solita. Id si faceret, mãsuram ei dignitatem amore & gratia ciuiũ amplissimã, qua maiores ipsius ab ciuili moderatione principes ciuitatis euasissent: collaturamq; ei ciuitatem ex senatusconsulto insigne præmium annui redditus, quo adiutus supra paternas opes splẽdidissimi ciuis disciplinã & cultum tueretur. Ad ea Cosmus uirili constantia respondit, se neq; ullum honorem iusto maiorem in patria, neq; principis locum Alexandro erepto quæsiuisse: sed integro pudore repudiare noluisse, quæ uno cõsensu senatus ex lege Cęsaris detulisset, ne ineptus foret, si degeneri animo oblatæ dignitati se minimè parem esse fateretur. Eum, qui esset auunculus, hac fortuna sua lętari debere, nec inimicè aut certè parum pudenter hortari, ut non usurpatum, sed collatum ultrò dictaturę nomẽ stultè deponeret. Saluiatus ab hoc colloquio discedens, facilè sensit quos spiritus gereret sororis filius, uel imberbis adolescens: & quàm angustè sibi esset sperandum de ciuium uoluntate, iudicioq; populi, quum nemo sese cupidũ rerum nouarum, aut omnino populariũ partium studiosum ostenderet: nihilo secius tamen cardinales ipso stolato cultu, & senatorijs insignibus tuti, quũ nihil de instituto cõsilio remitterent, specieq; quotidiani conuictus nõnullos inuitare, & familiarius cõplecti solerent, eis B Cosmus per Vitellium renunciari iussit, ut urbe excederent, & sese ad sua munia senatoriæ dignitatis reciperent, ne in ipsos militi inuisos odia atq; arma uerterentur. Valorio quoq; peracerbè cædem interminatus est, qua periculi denunciatione, cardinales extemplò urbe profecti, Bononiã se contulerũt, quibus in Apœnino obuius factus est Philippus Strozza exulum princeps, quo cum eadem quæ dudum improsperè euenerant, belli gerendi consilia instaurata sunt. Negocium itaq; parandi atq; inferẽdi belli, Petro Strozzæ ipsius Philippi filio permittitur, quòd secum nonnullos ex prima nobilitate exules traheret, & summò nauãdæ operæ studio ardere uideretur. Is pecuniosi patris opibus fretus, auctusq; militari laude, quòd Gallis apud Taurinum non obscura fama militasset, non defuturas sibi copias existimabat. Venerat in spem occupandæ eius urbis, cui Burgo sancti Sepulchri nomen est, in finibus Etruriæ, qui ad Vmbriam pertinent. Per id enim tempus Burgenses intestina discordia laborantes, mutuis inter se cędibus desæuiebant: forteq; euenit, ut nonnulli his de causis prætorio iudicio extorres facti, Strozzæ urbem occupandam se præbituros pollicerentur: creditumq; est ab hac proditione ciuitatis præsulem minimè dissensurum. Is erat Alexander Rõdinellus uetere odio, sed accuratè compresso, Mediceis infensus, ad quem colloquendi causa Franciscum Pactium, & Philippum Valorij filium, Bertoldumq; Corsinum ex numero exulũ intrasse constabat. Cæterum ubi ex non incerta fama precrebuit Strozzam cum cohortibus aduentare, & iam eius uexilla conspici, in uniuersum Burgenses, ne ullam infidelitatis suspicionem darent, ad sonitum Campani æris, arma capere atq; egredi porta cœperunt. Quo cognito Strozzeani elusi spe sua, & oppidanorũ multitudine perterriti, adeò celeriter signa uerterunt, ut Apœnini dorsum illico transcenderet, & ad Sestinum ignobile castellum improuiso occu

pandum uerterétur. Sed non minore fide uirtuteq; Sestiniani, quàm Burgenses uel nullo militari præsidio defendére, subeuntes Strozzeanos pepulere, aliquot eorum interfectis, & in his Nicolao Strozza, & Moretto Signorino exulibus, ac reliquis tanto impetu deturbatis, ut in præcipitem fugam se darent, & per alueum Arimini amnis, qui Mariza ab incolis dicitur, intra pontificij imperij fines se reciperét. His aduersis partium conatibus nihil animo se demisit Strozza, cómunicatisq; iterum cum Saluiato cæterisq; exulibus, tertiæ expeditionis consilijs, maiore apparatu grauioreq; impetu Etrurię incumbendum esse constituit. Quarum rerum factus certior Cosmus, ualida etiá ipse præsidia, felicioraq; (uti euétus docuit) adulta iam ætate comparabat: ampliore fiducia uel ob id expectandos esse hostes existimans, quòd iam sui principatus iura ipsius Cęsaris propensissima uoluntate confirmata, ex bullatis & solennibus codicillis acceperat, & id quidem uberiore Cæsaris benignitate, quòd ijsdem titulis atq; honoribus, quibus antea Alexandrum generũ consentiente ciuitate indulgenter exornasset, Cosmum quoq; principis & ducis nomine appellandũ censuerat. Vt uerò in nuptialem torum Margaritæ filiæ ex sponsalibus succederet, quæ uiduæ puellæ neq; inepta, neque ingrata uideri possent, impetrari nõ potuit, quòd eam iam Octauio Pauli pontificis nepoti ex arcano despondisse fateretur. Tertio loco reddi sibi arcem petebat, quam Vitellius iniussu Cęsaris se minimè redditurũ asseueraret. Ad id ita Cęsar respondit, ut non in præsens concedi debere diceret, sed integram ei spem, nec optato euentu carituram relinquere uideretur. Cæsar enim suopte ingenio nunquam plenissimè de quoquá externo bene suspicari solitus, Cosmũ propinqua spe illata recipiendæ arcis in officio continendũ rebatur, postquam ei filię nuptias denegasset, admirantibus cunctis, quòd Medicęo florentis ætatis & formæ iuueni, in non dubiam Etrusci imperij possessionem recepto, Farnesius incertæ adhuc indolis & fortunæ, duodecim annorum puer, præferretur. Verùm iuualescentibus Gallorum armis, & incumbente Solymani classe, unus ante omnes pontifex, cui Nouaria dono data minimè suffecisset, aliquo insigni munere conciliandus erat, ut Gallo regi sese hostem non iam perplexè, sed apertè futurum esse pronũciaret. Hi duo principes ętate nostra (uti existimare licuit) supra reliquorum regum ingenia, nõ eximia modò admirabilię; prudentia, sed occulta ambitione, profundoq; astu insignes, commodis tantum suis, nullo ambiguæ fidei cum pudore seruiebant: pontifex, ut suæ domus opes uel malo publico uehementer augeret, Cęsar porrò ut finitimis subactis, uetus sibi imperiũ, in Italiaq; præsertim, assereret, ut inde amplificatis uiribus & dignitate cõfirmata, sicuti innata uirtus & aspirans fortuna promitterent, maximę partis Europæ dominatu potiretur. Per id tempus in Subalpina regione Galli cum Cæsarianis ita gerebant bellum, ut detrimẽta atq; pericula diuersis rerum euentibus utrinque exæquata uideri possent. Nam per hyemem exercendo militi, cõtinuandoq; bello uarijs susceptis expeditionibus utriq; ex hostili agro aliquot oppida aut expugnarãt, aut oppugnanda ab aduersarijs cruento sæpè certamine defenderãt. enimuero sicuti superiore æstate Cęsariani Fossano potiti fuerant, ita per hyemem Galli Italicis aucti copijs, Bargiam ui expugnatá, capto ibi Annibale Brancatio Neapolitano, in potestatem redegerant, & Raconisiũ oppidum peramplũ, noctu inuadente intranteq; per arcem Petro Strozza, atq; ei subsidia equitum adducente Cæsare Fregosio, ita ceperant, ut commisso per regiones tumultuosissimo certamine Cęsarianos oppresserint, cadentibus eo in prælio ex uictoribus, Thoma Ronchio NouelA lariæ cohortis præfecto, & Latino Vecchio Romano. Quæ duo incõmoda non multo pòst Cæsariani Caragina cęde & Casalensi uictoria repéderint. Sed ineũte uere, Salassus quum occupata Carmagnola arcem, quam Stephanus Balia Mutinensis pertinacissimè tuebatur, oppugnare pararet, tormẽtumq; librando in propugnatores dirigeret, glande ipse traiectus occubuit. His uerò animis exceptus est Salassi interitus, ut non Gallicarũ modò partium plerique, sed & æqui homines in neutrá inclinantes partem, eum tanquam perfidię nota infamem, meritò occisum dicerent: Hispani uerò tanquam uirtum fortem laudibus prosequerentur, & Vastius dissimulata offensione interioreque lætitia, seuerius fortasse quàm oporteret, Stephanum non multo pòst protracta & demũ desperata defensione, laqueo suspendi iuberet, ut ea uictima æmuli Salassi manibus parentare uideretur. Eo autem successu incommodũ utrinq; æquatum uidebatur, quòd paulo antè Galli Annibalem Nouellarium, qui nobilitate atq; uirtute par esset, apud Buscham ignobile castellum, nocturna oppugnatione fortuito minoris tormenti ictu interfectũ desiderassent. Sub id tempus Humerius, nouus dux Gallus, cum recẽtibus copijs ad reparandum bellum à rege missus, ab Alpibus descendit: cuius aduentum summumq; imperium, Guido Rangonus, Gallicanorũ ducum, quos diximus, usu belli, ingenijq; solertia longè optimus, non diu ferens, à militia regia profectus in Galliam discessit. Nec multum inde secundũ Guidonẽ, & ipse quoq; Caninius, cõcepta ex leuissimis delationibus cum Fregosio simultate, à Gallis sese alienauit. Cæterùm Humerius, qui magna uiriũ & nominis fama, quòd Delphini nutritius fuisset, specie ferox aduenerat, satis celeriter opinione hominũ decidere uisus est, quum sese nequaquam pro natura Gallorũ pugnacem, & in consilijs explicatum, sed planè timidum ostendisset: quòd opportuna quæq; gerendo bello consilia, uel non inepta occasione inducta & oblata à cæteris ducibus, tanquá periculosa respueret. Delatus enim ad Astam, recenti ualidoq; impetu eam urbem occupaturus existimari poterat, si paululum sese prouehere, & Astenses nudatos iusto præsidio, & in Gallicum nomen ex antiqua dominatus consuetudine proclinatos, ostentata acie tẽtare uoluisset: cum retrocedẽdum inde statueret Humerius, quòd apparebat Cæsarianos alacriter in hostes castra mouentes eruptures: atq; ita mox euenit, ut à nouissimo agmine conserta pugna certaretur, & Paulus audacius prouentes excipiens, expedito cohortium flexu multis hostiũ uulneratis, & quibusdam interfectis, incumbentiũ audaciá reprimeret, & eo congressu Cola Toraldus, nobilis Hispanicæ stirpis Neapolitanus interficeretur. Quũ Humerius segnius ad Albam Pompeiam cunctari prospiceretur, & Vastius animaduerteret in dies augeri Gallorum copias, & de aliquot oppidorum fide dubitaret, à Ferdinando rege duas sibi ad præsidium Subalpinæ regionis, Germanorum legiones mitti postulauitq; celeriter cùm publicæ caulæ & fratris Cęsaris commodo, tum iustis Vastij precibus Ferdinãdus tribuisset, dux legionum Fœdericus Furstembergus, inclyti inter Germanos nominis regulus, Tridentinis Alpibus descendit, quibus in legionibus pleriq; ex Norica atq; Vindelica iuuentute nobiles, & procerũ propinqui nomina dederant. Erat hic Fœdericus eius Guliermi, qui Gallo regi militabat, germanus frater. At Humerius aduẽtu Germanorũ cognito, uti uiribus atq; animo hostibus impar, copijs quas habebat dispartitis, oppida tuenda commisit, ea ratione diuisis muneribus, ut singulos duces oppidis præficeret. Azalium è Togata Gallia uirum iactabundum potius quàm fortẽ, Cherio imposuit, attributis ei, præter Italicos milites, duobus

Vasconum

Vasconum uexillis: Clarascum autem opportunũ A oppidum, Cæsari Fregosio defendendum dedit. Albæ uerò præpositus est Iulius Vrsinus, eo Mario genitus, qui Florentiæ maioris tormenti pila ictus occiderat. Fregosius ea conditione demandatum munus suscepit, ut se fortem operam aduersus omnem hostium impetum præstaturum testaretur, si ab Humerio, sicuti ille prolixè fidem dabat, intra quadragesimum diem certa commeatus & militũ supplementa summitteretur. Iulius Albanis inspectis mœnibus, quarum uitia passim eminebãt, & ea nisi longo labore aggeribus permuniri refarciriq; possent, turelam loci cum excusatione inopiæ multarum rerũ susceperat, Humerij adhortationibus & spe promissæ opis excitatus. Cæterùm Humerius constitutis præsidijs nihil sibi more attulit, quin inglorius in Galliam reuerteretur, & Vastius non multos intermitteret dies, quin ad oppugnãdum Cherium omnem tormentorum apparatum conueheret. Oppugnatio autem cœpta est ab ea parte mœnium, quæ diui Augustini templum respicit, quòd murus debilis appareret. Azalius satis peritè atq; opportunè ex disciplina munitionẽ exercerat, ingressuris hostibus, tabulata æquata solo eminentibus præacutis clauorum stimulis, quibus pedes ingruentium cõfigerentur, obiecerat, multumq; sulphureum ignẽ, qui de more aridam materiam corriperet, occultis in locis excitandum ita instituerat, ut egregiè prospexisse periculo uideretur, si eundem animũ ad ingenij solertiam afferret, quem antea iactando prætulisset. Nam ubi adactis maioribus tormẽtis murus quati diruiq; cœpit, tantoq; spacio cõtinuata quassatione patefacta essent mœnia, quanto satis foret ad inuirandos milites, proponente pugnę signum Vastio, Itali Hispaniq; pariter in oppidum perruperũt: quo tumultu acerrimæ inuasionis, Azalius usqueadeò trepidanter atq; imperitè se gesit, ut nertio ferè suo B rum in eo loco pugnaret, nec ipse, ubi periculum deposcebat, conspiceretur. Eo nanq; impetu Cæsariani Azalianas munitiones superarũt, ut nihil eos perstrata tabulata eminentes clauorum cuspides retardarent, nec ea sulphureorum ignium fomenta, quæ ad edendum flammam erant parata, suo tempore ignem conciperent, & dux ipse fœdè animũ despõdens, uitæ discrimen effugeret, continuoq; trucidatis aut captis præsidiarijs, turpi in latebra caperetur. Dum Cæsariani in urbem penetrarent, Vascones timore præpediti ad id propugnaculum quòd superiore anno Annibal Nouellarius exercerat, se contulerunt, atq; inde (nihil ibi consistere ausi) ut se in longiorem fugam proriperent, exterius in fossam humore carentẽ se demittere cœperunt, quòd eius munitionis agger satis esset humilis, facilemq; descensum præberet. Id conspicatæ Germanorum cohortes, quæ constituta phalange subsidiaria in acie constiterant, eos ad unum omnes numero amplius trecentos, uel ultrò sese dedentes, impetu facto trucidarunt. Torius uerò oppidi mulieres, quæ pauore attonitæ in turrim confugerãt cum charissimis ornamentorum suorum rebus, deditionem fecerunt, cesseruntq; in prædam Didaco Arzio castrorũ præfecto, qui id cõiectura futurum iudicans, & opimiorem prædam quærens, primus omnium aduolarat. Cæteri uicatim singulas domos diripientes, captos earũ dominos, pecunia se redimere cõegerunt. Azalius uerò ipse perductus ad Vastiũ, cũctis risui fuit, quòd nihil ei tot rerum apparatus, quum oportuit, usui fuissent, & idcirco oneratus infamia rei malè gestę, multo auro se redimere coactus est. Expugnato per hunc modum Cherio, Vastius ad Clarascum mouit castra. Cum autem primo congressu quassatis mœnibus magna detrimenta accepissent Cæsariani, non refrixerat ardor militum, nec Vastius forti incœpto obsistendum ratus, ab expugnandi oppi

di spe deciderat: sed ut præliũ instauraretur, crebrò summissis recentibus præsidijs, atq; etiam Germanis (ipsis id obnixè postulantibus) quáquam ægrè, locum ad inuadenda mœnia concesserat, ut Germani qui se ad bellum natos existimabant, Hispanorũ atq; Italorum uirtuti & audaciæ, contemptis periculis æquarentur. Itaq; redintegrato ardore omniũ, tanquam æmulatione decoris à diuersis gentibus certaretur, asperrimo conatu cõscensum dimicatũque est, maiore Cæsarianorum detrimento, quòd Fregosiani milites per noctem, Petri Pratensis ingenio, munitionem in summa prærupti muri corona subitariam erexissent, comportatis ibi madentis fimi cumulis, quibus propter mollicię tormẽtorum pilæ hærebant, nec lentore prohibente penetrare in oppositas hostium cohortes poterant, quę ea repentina nouaq; munitione protectæ, ex tuto propugnabant, sic ut euadentes in summum ruinæ superciliũ hostes sclopetis traiectos, alabardisq; & ligneis acriter repulsos, in fossam præcipitaret. Hac peracri contentione, quum aliquot horis esset dimicatum, amplius ducenti interfecti, & supra ferè quingenti mortiferis glandibus & saxis uulnerati sunt, & in his Vulcanus immoderatę fortitudinis adolescens Guliermi Rocandulphi clarissimi ducis filius, ex Germanis occubuit, æquato cum aduersarijs detrimento, quòd Litio inclyti imperatoris Liuiani filio propugnanti, ingentis tormenti pila caput fuisset ereptũ. Huic Fregosius rapida grauatus febre, suas partes cũm imperio, quòd esset magnæ spei adolescẽs, & militibus charus, cõcesserat. Eius immatura morte Fregosius uehementer permotus, tentatusq; importuno atque acri morbo, & Humerianis auxilijs diffidens, quòd tempus in id cõdictum per aliquot dies effluxisset, & tormentarij pulueris inopia laboraret, nec satis ampli commeatus copia superesset, se dedere constituit, si à Vastio honestis conditionibus acciperetur. Atq; ita nõ diu pòst ab Aloysio Gõzaga, qui etat apud Vastium, Fregosio arcta cognatione atq; amicitia coniunctus, res tractata & confecta est equissimis legibus, quòd Vastius offensus & ipsa Vulcani immatura morte, & fortissimorũ quorundam iactura, reliquorum militum periculosis laboribus, & sanguini parcendũ putaret, cõpertumq; haberet aduersariorum animos tales esse, ut in defensione fortiter oppetere, quàm contra decus pacisci mallent. Erant enim apud Fregosiũ acerrimi cohortium præfecti, Cæraria Salentinus, & Baptista Corsus cognomento Lega, quorum maiores Corsicæ insulæ imperium tenuissent: & præter hos duo Veronenses, Antonius Beuilaqua, & Ludouicus Mõtanus, atq; item Philippus Corsus, uetus cohortis dux. Deditionis conditiones in hunc modum perscriptæ sunt, ut Cæsari Fregosio saluis rebus, incolumiq; præsidio, & explicatis uexillis excedere liceret, tormenta ipse relinqueret, & commeatũ: sed ei quod sua pecunia cõemisset frumentũ à Vastio solueretur, & oppidanis nulla afferretur iniuria. Atq; ita comitante Cæsarianorũ equitatu, atq; eum passim ab iniuria defendente, ad Peharolum oppidum pertenit, indeq; in Galliam profectus est, ut regi rerum difficultates explicaret. Clarasco autẽ potitus Vastius, Hieronymum Sangrium, & Cherio Ferdinandum Lofredium præfecit, & ad expugnandam Albam continuò duxit. Animaduerso autẽ eius urbis situ ultra Tanarum amnem tormenta perducta constitutaq; sunt, eo Vastij iussu, ut binę & penè inter se coniunctę quassationes fierent, quarum altera Hispanis, altera Italis ad inuadẽdum erat assignata; quòd Germanis parcendum idcirco Vastius iudicabat, tanquam campestri prælio aptioribus. ex orta inde apud Italos æmulatio, quòd sibi præripi decus indignarẽtur, cuius obtrectationis is extitit successus, ut Itali proximos loco Hispanos æquandi aut

superan-

superandi cupiditate, ante acceptum signum, manipulatim ad cursum se incitarent, & in præruptũ murum, nec satis quidẽ apertum euolarẽt. Hac insana, sed planè decora quorundã signiferorũ properãtia accidit, ut multi uiri fortes intra urbẽ irrumperent, & Cęsariana uexilla, cùm intus ab hostibus, tum extrà à Vastio totoq; exercitu in summis mœnibus & decusis muri pinnis spectarentur. Sed Iulius Vrsinus introrsus à muro ad iactum lapidis firmã munitionẽ erexerat, ex uimineis turriculis more militari gleba & cespite repletis, atq; etiam accelerãdi causa ligneis ibidem uinarijs dolijs contra hostes constitutis, quo munimento cohortes tutæ à maioribus hostiũ tormẽtis, quòd essent depressiore in loco, in primos hostium subeuntes, incensis sclopetis glandium procellã effunderẽt, atq; audacter munitione egressi, ingredi ausos, quo minus ferociter inuaderentur, reiectos extrà in præceps propellerent. Qua repentina scandentiũ perturbatione, Antonius Lofredius Cicchi senatoris Neapolitani filius, qui primus in murum euaserat, impigrè resistẽs occubuit, & Scipio Montebellię cohortis signifer prostratus, cum uexillo captus est. Marcus uerò Priuernas, qui primũ illato signato uirtutis decus affectarat, ita se explicuit, ut incumbente hostiũ multitudine, incolumis cũ uexillo ad suos reuerteretur. Eo irrito conatu, qui iam ascenderãt, pulsi ab interiore hoste, & iniquitate loci deterriti, omnes extrà prorueb ant: quibus sese recipientibus grauior incidit clades ab infimo propugnaculo, quod erat eminẽs in fossam, & sua proiectura hostium latera cõspiciebat. Id erat cõcameratũ lateritia testudine, & per idoneas fenestellas ex occulto emittendis tormẽtis facultatem præbebat, Casæmactæq; militari nomine uocãbat. Hãc cum manu sclopetariorũ tuebatur Marconius Volaterranus, qui certos atq; mortiferos ictus è destinato sese recipientib. inferebat: & nisi fumus admodum densus interius spaciũ, nullo ad effugium inuẽto foramine, multa edita caligine sclopetarios prępediss et, magnũ profectò hostium numerũ inde tanquam ex insidijs interfeciss et. Hic ille est Marconius qui apud Viennã, uti suprà memorauimus, Italicas cohortes ad arma consternatas, & multis de causis nequaquã in Pannoniæ præsidio hyemandũ censentes, turbulentissima concione in castris habita, perpulit, ut in Italiã redirẽt. Eo ex Casamacta periculo, post nõ paruam militũ iacturam, animaduerso, Vastius receptui cani iussit, ut aliunde tormenta aptius & efficacius admoueret, quũ Iulius audacia & multitudine Cęsarianorũ perterritus, desperãsq; opem sibi alicũde ferri posse, quòd nihil de Gallicis auxilijs audiret, ad exemplũ Fregosij se dedidit, ijsdem ferè cõditionibus, quibus ille Clarasco excessisset: sed aliquãto iniquiore sorte, quoniam ab his, qui præsidio dati, ut in fines Gallicos deducerentur, excedentium impedimenta, latrocinij modo, in itinere direpta fuissent. Neq; eam illatam uim, admissumq; iniquè facinus Vastius uindicauit, quãquam prædatores equitũ præfectos, & in his Rosalium, & Iuaniam Hispanos, & Bellottum Sequanum, Eprotamq; Zucerum, seueriss imis uerbis castigasset. Alba in potestatẽ redacta, motis castris ad Penarolium illico cõtendit, eo animo, ut id oppidum quod tormentis expugnari non posset, propter loci natura atq; arte muniti difficultatem, longa saltem obsidione fatigaret, Taurinoq; simul commeatus spem, quantum excursionibus effici posset, paulatim abscinderet. Hoc tanto rerum successu, Vastius supra recepti Casalis uictoriã mira celeritate partam, Cherio demum & Clarasco, atq; Alba urbe intra octauũ atq; uigesimum diem fortiter expugnatis, pristinã uirtutis suæ animiq; magnitudinis opinionẽ, non modò apud Cæsarem, sed apud æmulos, ipsosq; etiam hostes mirificè cõfirmauit & auxit, iisdem die bus quibus Vastius expugnatis, aut deditione in potestatem redactis aliquot oppidis, aduersus Gallorum duces prosperè bellum gerebat, Florẽtini exules repetendæ rursus Etrurię, consilium susceperũt, cohortante Saluiato cardinale, & cõcitantibus Gallis, ut undique Cæsaris uires distraherent. In id bellum Philippi Strozzæ persona poscebatur, quia esset summæ existimationis inter exules, & maximè pecuniosus haberetur: qui Petri filij hortatu quem unicè diligebat, sese nõ modò socium, sed etiam urgente fato antesignanum præbuit. Inter armatos exules eminebat ipse Petrus Strozza, & Bernardus Saluiatus cardinalis frater, constanti compositoq; ingenio uir, militiæ maritimæ assuetus. Hi Capinio Mantuano operam nauante, cohortes apud Miranduam conscripserant, & Bononię cõductis passim militibus copias auxerant, quòd pontifex eius consilij gnarus, & non occultus, uti credebatur, belli cõcitator, hęc fieri pateretur. Fauebat autem exulibus mirificè Hieronymus Pepulus Bononiensis, cuius erant multę in Apennino montanorum hominum clientelæ, descendentibusque in Etruriam, tuta itinera per paternas possessiones, suggerendis commeatibus opportunas demonstrabat. Hæc tametsi occultè apud Bononiam parerentur, de his tamen sigillatim Cosmus princeps certior fiebat. Erant in eius consilio, præter Innocentium cardinalem, & quosdam togati ordinis ciues, Alexander Vitellius, & Pyrrhus Stipicianus acerrimi duces: iamque ualida & fidelis militum manus undiq; accersita Florentiam ita coiuerat, ut nihil de intestino tumultu dubitaret Cosmus, hortatuque ducum, aduentanti hosti non fortiter modò repugnãdum, sed obuiam audacter eundum decerneret. Primum autem omnium Pistorio cauendum censet, ne hostis studio amicæ partis fretus, ea opportunissima urbe potiretur. Pistorij siquidem duæ uigebant factiones, æternis inter se odijs cruentissimè de potentia dimicare solitę, quarum altera Guelphi nominis Cancellaria uocabatur, fauebatque popularibus Florentinis: altera autem erat Panciatica, Gibellinę & Mediceę factioni addicta. Sed Cosmus confirmandos nominis sui studiosos militari præsidio, atque urbem tuendam existimans, Pistorium præmisit Fœdericũ Montacutũ cum duobus delectorũ peditum uexillis: accersitusq; è summis montium pagis Castignianus Tanarius Panciaticis fauens, cum multitudine armatorũ suæ factionis descẽdere parabat. Quibus cognitis rebus exules per Mattanã Cutellianum seditiosum & sanguinarium hominẽ, & Battum Rospillosum sæua incendia in aduersæ factionis ędificijs excitari iusserunt, ut Panciatici conflagrantium penatium suorũ terribili calamitate adducti, ad uindicandã iniuriam elicerentur, Pistorioq; exire, & ad sua defendẽda proficisci, nec ideò Cosmianis rebus ullam opem ferre cogerentur. Iam exulũ copiæ per Apœninũ ad Fabricã uicum peruenerant, aliquãto lentius & tardius quàm expediret confectis itineribus, quòd in iugem bidui pluuiã incidissent: ita ut eorũ principes Philippus atq; Valorius cupiditate inuisendę Etrurię, fatali festinatione reliquos antei re maturarent, & ad Montem Murlium usq; descenderent, existimantes eius regionis hominum studia ad occupandum Pistorium, inuadendamque Florentiam sibi minimè defutura, quòd propinquas & ualidas uires traherent, quibus nullo modo Cosmus resistere posset, qui neq; diu alere copias posse, nec quas haberet aduersum se educturus crederetur, ne ciuitas parata ad recipiendam libertatem, tumultu excito, tanquam præsidio nudata rebellaret. Mons Murlius collis est in extremis Apœnini radicibus, quà definit in campos, metæ modo in acliue fastigium eductus, prærupta in summo antiquũ operis habens domum instar arcis, duplici muri corona,

rona, sed ea uetere & passim collabẽte permunitã, cum lata area amœnissimi prospectus. Eam arcem ademptam olim Florentinis, Castruccium Lucensium tyrannum adiecta munitione confirmasse annales tradunt. Totus collis undiq; olea, uite, & pomiferis arboribus ita est cõsitus, ut certis etiam gradibus ubi fruges serãtur, aratrum admittat. Vię militari imminet, qua à Pistorio Florẽtiam itur. Ab hoc septem milibus passuum, à Prato autem tribus distat. Tanta uerò fiducia exulũ principes in ea uilla constiterunt, ut nihil omnino timerent, & Valorius uillam suam quã Baroniam uocabat, ab se non ciuili, sed regio propè sumptu ędificatam, tertio inde stadio securus inuiseret. Philippus contrà cæco perculsus metu, ut qui nullum circa se præsidiũ cernebat, deambularet solus, & sæpe scisciteretur Zanobium Nerlium uillæ dominum, an in tuto esset, nec suspirare desineret, donec procul conspectis Petri filij uexillis animo sese cõfirmaret. Petrus enim, ut præsidio foret his, qui inermes Montem Murliũ processerant, disiunctus à graui copiarum agmine prouolarat, castraq; ad radices montis iuxta uiam militarẽ collocarat, constitutis idoneo in loco quatuor minoribus tormentis quæ secum aduexerat. Præmiserat Cosmus ad Pratum equitum turmas duas, duce Poctio Insubre, Rosa item Victio, patris ueterano impigro cum expeditis sclopetarijs equites consequi iusso. Poctius explorandi causa usque ad hostes processerat, leuique pugna edita, amissis duobus equitibus retrocesserat. Huic tendendas in fidias tanquam inconsultè iterum eruptur o Strozza ratus, Sandrinũ Filicarium cum iusta manu sclopetariorum, Parusianæ uillæ tectis (ea est militari in uia) sese occultare iubet, nec se commouere, donec hostile exeũtis Poctij agmen pertranseat, quod demum à tergo inuadi deberet, ut Poctius interclusus à tergo simul & à fronte cæderetur. Ipse enim Strozza è castris suis stadia duo progressus ad pontem torrentis aquę delectorum signa statuerat. Sed longè aliter quàm putarat, insidiarum euentus cecidit. Cosmus enim de consilio suorum ducum, in celeritate summam belli rationem reponens, adorientes hostes esse consuerat, antequam reliquæ eorũ copiæ quæ sequebantur, primo agmini Strozzæq; sese iungerent. Rei gerendæ consilium hoc ordine explicatur, ut ipse Cosmus in urbe consistat, emissaq; Margarita Austria, ut Pisis tanquam tutiore in urbe commoretur, bellica munia Vitellius & Pyrrhus suscipiãt, maximeq; occultata profectione nostu ad hostes contendant. Cæterùm Cosmus, qui Sarmentum cum Hispanis è Fesulano agro acciuerat, astuto consilio eis designari parariq; hospitia certis in urbe regionibus iubet: subindeq; admitti in urbem eorum impedimenta, & inutilem seruitiorum turbam, ut species ingressuri præsidij hostiũ speculatoribus præbeatur. Primis autem tenebris obserari cunctas urbis portas præcipit, ne quisquã exeat, & Hispanorũ cohortes extrorsus præter mœnia, ad Pratum iter intendere iubentur. Parent Hispani egregiè Sarmento duci suo, & plenis passibus ire pergunt. Interim per portam arcis Alexander & Pyrrhus Italicas cohortes educũt, easq; Rodulphus Baleonus cũ equitatu subsequitur, & omnes simul Pratum intempesta nocte peruenĩũt. Nec quiescendi ultra semihoram, qua paratis obsonijs & poculis modicè ientarent, spacium militibus datur. Nec mora, Vitellius educit agmen, præcipitq; Gaspari Pratensium iuuentutis præfecto, ut occludat portas, caueatq; diligenter ne quisquã egrediatur, qui certum nuncium de aduentu suo itinereq; ad hostes perferre possit: hoc uerò ordine ad hostes contendit. Præibat cum sua prætoria cohorte, atq; expeditis sclopetarijs Borghesius, cui cũ turma equitum cohærebat Poctius. Hos modico interuallo cũ Italicis cohortibus subsequebatur Otho Montacutus, eius agminis frontem lectissimis centurionibus firmatam ita perducẽs, ut ei Rodulphus Baleonus ũniuersos quos habebat equites, ad dextrã applicaret. Succedebant peditum agmini ipsi duces Vitellius & Pyrrhus: secundum uerò eos Sarmentus Hispanos accelerare iubebat, qui ideo in postremo agmine collocati erant, ut tanquam subsidiaria acies quantum fieri posset integra atque intacta seruaretur. Eo modo incedentes Cosmianæ copiæ, ad Perusianam quam diximus uillam, ubi Sandrinum in insidijs à Strozza collocatũ fuisse diximus, peruenerunt, nemine eque hostium se commouẽte, ad portem & ad Strozzeana demum castra contenderũt. Neque enim uti iussus erat Sandrinus, sibi prius erumpendum esse iudicabat, quàm hostile agmen, quod exiguum fore putarat, totum pertransiret. atque ita quum maius & continens totius exercitus agmen, uel obscura nocte transire cerneretur, ut duci sui imperio pareret, erumpendi occasionem amisit, seque eijciens extra uiam militarem altiore circuitu, ad pontem ubi Strozza constiterat, regredi cœpit. Sed is fuit properantium hostium, equitũq; inuadentium impetus, ut Strozza deceptus suo cõsilio funderetur, & ut quidam existimant, quũ pugnando resisteret, ignorus ab ignoto equite capere tur, sed se felici conatu è complexu hostis statim, ut erat nixu ualidus, & pedibus uelox eriperet: hostes uerò in castra eius, uti nulla munitione consepta, eodem cursu peruaderent, captisque à Borghesio tormentis, ea repentè diriperent, quòd Strozzeani nullo ordine constitutis, nec displosis his leuissimis falconibus, tanquam perturbati & disiuncti uiribus, in fugam præcipites se dedissent. In eo tumultu Michaël Angelus Romanus, Strozzeanæ turmæ præfectus impigrè resistens, equo deturbatur & capitur. Ipsi Baleono equus per armos glande traijcitur. Cadit etiam constantissimè repugnãs Ioannes Maëstraccius è togata Gallia uetus centurio, paucis quidem interfectis aut uulneratis: sed multis captis, quum Baleonus cum equitatu dispalatos, & in montes effugere conantes, per tria milliaria esset consectatus. Eo tam leui certamine Vitellius potitus hostium castris, uexillis atq; tormentis tanquã re bene gesta, regrediendum esse iudicabat. Sed Pyrrhus atque Otho reclamãtes felici cœpto audacter incumbendum, expugnandamque omnino arcẽ, ubi hostium capita essent, censebant. Atque ita concedente Vitellio, & Hispanos cohortãte, Otho portam primæ munitionis quæ in aream exteriorem perducit, occupat, aliquot ibi utrinque desideratis, & ad alteram portam facto impetu prouolat, quæ per aream in uillam arci, ut diximus, similem aditũ præbet. Hanc exules interius tumultuaria materia obstruxerant, desertaq; corona exteriore quę podij effigiem ostendit, sese in superiorem pinnatam ædificij partem contulerant, inde sclopetis & prægrandibus saxis sese defendentes. Sed ita eius inferioris coronæ spacium undique Cosmiani occuparant, ut nemo ex propugnatoribus caput exerere auderet, quin illico pluribus simul glandibus peteretur. Oppugnantibus tamen maximè infesti erant tres sclopetarij, qui è sacra turri exterioris templi terga & latera scandentium atq; inuadentium destinatis ictibus feriebant. Dum aliquandiu acriter certaretur, & iam cecidissent nonnulli, & ante alios cohortium præfecti, Mendula Selentinus, & Sebastianus Pisanus, Otho fores cõiectis facibus eo euentu succendit, ut flamma intus congestam in aditu materiam omnem corriperet, ardereque iam coniuncta portæ cœnacula inciperent, & totum cauędium superioraque arcis cœnacula, ubi exulum principes erant, fumo & terrore complerentur: eoq; trepidantius, quòd Caccia Altquitus egregiè prudens, & for-

tis peditum præfectus, in defendenda porta ceci-
disset.Interim nihil incēdij flammas aut prunas ue-
ritus Otho,uti erat protectus armis,scuto ad os prę
lato,per ardentem portam irrupit.Hunc pari auda-
cia & contemptu ignis alij atque alij secuti,cauędiū
& circumambientem porticum occuparunt, exuli-
bus iam extremo uitæ metu adeò perculsis, ut uelū
è fenestra proferrent,quòd erat deditionis signum:
momentoque temporis occupata ab hostibus arce,
exules ad unum omnes capiuntur, Bambalino Are
tino audaci cohortis præfecto, Philippum Strozzā
sibi notum comprehendente, quum se Strozza Ale
xandro Vitellio commendaret.Nec mora,Vitellius
& Strozzam & reliquos equis imposuit, Florenti-
amque perduxit. Vnus qui expeti poterat, Petrus
Strozza feliciter (ut diximus) elapsus, ad Saluiatū
cum uniuersis copijs aduentantem peruenit. Eadē
nocte horaque qua hæc ad Montem Murlium fie-
bant, felici quodā augurio, geminata uictoria Cos-
mo affulsit:nam egressus Pistorio (uti constitutum
fuerat) Federicus Montacutus Othonis frater,Can
cellarios ad Abbatiam quam uocant Pactianam ad-
ortus,quum uiri agrestes armatæ cohortis impetū
minimè ferrent,ipso Mattana interfecto, Battoque
fugato,ac reliquis cæsis & profligatis,uictoriam re
tulit.Franciscus Habraus, qui ad Poggolinum con
stiterat,ut Tanarianos descendentes inuaderet, au-
dita & conspecta oculis sociorum calamitate, qui
cum Mattana fuerant, & cognita ex crepitu sclope
torum Montis Murlij expugnatione, eodem cursu
quo Battus ad Saluiati copias se recepit, quò iam
Petrus Strozza peruenerat, certum cladis acceptæ
nuncium perferens,& Saluiatum adhortans ut de-
scendere maturaret,& hostibus dissolutis,ac præda
occupatis uictoriā eripere uellet. Sed ille ipso Stroz
za cautior,negauit in id iuniperetum (aspera & sen
ticosa loca eius itineris ostendens) se demissurum:
quas tamen haberet copias & tormenta,postquam
infensæ fortunæ reluctari non liceret,maturo tuto-
que reditu seruaturum. Atque ita transuersis Alpiū
tramitibus per Ferrariensis ditionis fines, Mirandu
lam iterū cum Capinio se recepit.Nunciata est Cos-
mo uictoria,quum esset in templo Nunciatę Deipa
ræ uirginis,ut ibi pro ea uota susciperet, quæ ei cu-
mulatè lætior extitit, quòd ipsis Augusti calendis
inciderat,quo felici die Augustus Cæsar olim nutā-
tis imperij nomē Actiaca uictoria confirmasset, quū
ipse Cosmus eundem, uti Augustus, horoscopum
in genitura nactus Capricorni sidus pro argumen-
to in insignibus gestare consuesset. Peractis sacris
reuersus domūm,productos ad se exules ea fronte
suscepit,ut nihil uictis insultaret,sed dubia seuerita
tis & lenitatis signa miseris relinqueret,blandè mo
nens ut eodem animo quo bellum suscepissent,ad-
uersi exitus fortunam ferrent.Exinde minoris clas-
sis captiui,qui antea damnati iudicijs, & recenti fa-
cinore maiestatis rei fuerant,in foro pars securi per
cussi,pars laqueo necati,triste spectaculum populo
præbuerunt.Principes autem Valorius ipse cū Phi-
lippo filio,alteroque Philippo gentili suo, eius Ni-
colai filio,qui à Leone pontifice,detecta Boscolana
coniuratione,summa clementia seruatus fuerat, &
secundum hos ipse Antonius Franciscus Albitius,
rerum capitalium iudicibus octouiris atque torto-
ribus traditi, confessiq; cuncta conceptæ perfidiæ
atq; malignitatis consilia,in carcere securi percutiū
tur,cadaueraq; eorum affinibus maiorū sepulchris
inferenda conceduntur, lætantibus eorum suppli-
cio plerisq; ex populari factione ciuibus, quòd ipsi
ijdem Albicius atque Valorius,uel seras ueteris de-
licti merito uitæ exitu pœnas darent, quando eos
detrudendi è summo magistratu decennalis dicta-
turæ,atque urbe expellendi Petri Soderini, autho-
res & principes ante uigintiquinque annos fuisse

A meminissent.Ab his enim ereptam ciuitati liberta-
tem, Mediceorumque inductum dominatum,quē
tyrannidem uocarent,uel parum libero ore prædi-
cabant.Ambo enim ab eo facinore edito, quum ho
nestissima tulissent præmia, rursus à Mediceis defe
cerant. At quum diu Strozza in arce à Vitellio,&de
mum à Ioanne Luna, cui arcem tradi Cæsar iusse-
rat,custodiretur,miserq; auro oblato,&datis impē-
se muneribus sese redimere frustra contenderet, ad
extremum Cosmus à Cæsare impetrauit, ut sibi tra
deretur de nece Alexandri atque Hippolyti cardi-
nalis quæsituro. Quod ubi Philippus resciuit, ne
perferre immitia tormenta,& in perniciem amico-
rum arcana fateri, & indignam natalibus suis necē
subire cogeretur, gladio quem Hispanus carceris
custos temerè exiens reliquerat gutturi apposito,
eo nixu & corporis pondere incubuit,ut quum ex-
euntem Hispanum adacto statim uecte ostio exclu
sisset, nec citò postes cardine reuelli possent, patefa
cto aliunde ingressu exanimis cruento in pauimen
to reperiretur,relicto in mensa chirographo,quo te
stabatur,se qui rectè uiuere nesciuisset, generoso a-
nimo uitæ & miserijs finem imposuisse. Indignus
certè eo uitæ fœdo exitu, quum ingenio erudito,ap
primeque liberali, summè gratiosus apud ciues, &
elegantissimus euasisset, nisi de superis atque infe-
ris malè sentire,apertiusque illudere Christianæ di
sciplinæ crederetur. Ferunt Cosmum miti ingenio
clementię laudem excipere paratum,seruare Stroz
zam,quàm supplicio afficere maluisse, quòd Ioan-
ni patri amicorum atque sodalium intimus fuisset,
nec suopte ingenio, sed Petri filij impulsu & inimi-
citias, & denique fatale bellum aduersum se susce-
pisset.Quod ideo credere facilè fas sit, quum in ea-
dem causa Paulum Valorium, ipsius Bartholomæi
supplicio damnati filium,Philippique Strozzæ ge-
B nerum designatum,Bracciumque item,Guicciardi-
num, Verium Castellionem,T.Canisianum,& Chi-
urlium Macchiauellum, quos iure occidere pote-
rat,diuturni tantum carceris pœna dignos iudicas-
set: & Ioannem Adimarium, Americumq; Antino-
rium,& Lepronium Rinerium ab Hispanis captos,
sese pecunia (quum æquo iure id posset uetare) re-
dimere permisisset,quòd parcendum edendis sup-
plicijs,& finem acceptæ iniuriæ,conceptoque odio
imponendum arbitraretur, & gentilibus damna-
torum bona liberaliter adiudicaret.

SVPPLEMENTI

LIBER XXIII.

CÆsar ab Hispania per mediam Gal
liam in Belgiū profectus,non Gal-
lorum modo suopte ingenio exo-
ptata facilè credentium, sed princi
pum omnium animos magna pa-
cis expectatione suspenderat. Po-
stularat quoque Cæsar à Pyrenæis digressus, ut le-
gati communi consilio ad Venetos mitterētur, qui
nunciarent detersa animis odia, amicitiamq; subin
de sincera fide renouatam,ea mente, ut pręclaro fœ
dere icto,consilijsq; Christiana pietate dignissimis
ingenti animo susceptis, in Solymanum dirum ue-
rumq; hostem totius Europæ arma uerterētur.De-
scenderant itaq; ut legationi maior inesset authori-
tas,cum ornatissimo comitatu ipse Alfonsus Daua
lus,Cęsaris in Italia dux summus,& Hanibaldus ab
insigni fide & uigilantia Gallicis copijs ad Taurinū
præpositus: exceptiq; fuerant admirabili pompa,
quū eis Landus princeps solenni thalamego,quod
buccentaurū uocant,& multis exornatis triremib.
occurrisset.Erāt tum Veneti ab recēti Turcico bello
uarijs

uarijs acceptis incōmodis uehementer afflicti.nam
præter Corcyram multis milibus hominum in ser-
uitutē inde abductis, latè uastatam deformatamq;
crudelibus incendijs,& Obrouacium in Illyrico in-
felici temeritate tentatum,etiam Creta & insulę Cy
clades grauissimas clades acceperāt, negociatores-
que Veneti non modò Byzantij,sed tota quoq; Sy-
ria ac Ægypto capti,in catenis seruabantur, bonaq;
eorū & preciosa mercimonia Barbari pręsides in fi-
scum retulerant,neq; sublato cōmercio, & deserta
nauigatione ulla spes erat exercendę mercaturę:ob
idq; priuatæ opes,quibus publicę steterant, euersis
multorum fortunis concidebant,adeò ut pōst pacē
ad Hidruntem unius trierarchi turbido insolentiq;
ingenio abruptā, temerè sumpsisse arma aduersus
tantū hostem,improuideq; fœdus cum Cæsare per
cussisse pœniteret,cum periculosi belli,cuius prima
uulnera damnaq; ad ipsos recidissent, prægraue exi
tiosumq; onus se subisse perspicerent,in nullam prę
sertim spem uictoriæ terrestris,sed debellandæ tan
tum classis,cuius animi ac uirium nuper cum igno-
minia ad Leucadem periculū fecissent. His de cau-
sis à Solymano inducias impetrarant,adiuuante,uti
suprà memorauimus, Gallorū rege qui eos à fœde-
re amicitiaq; Cæsaris diuellere cupiebat.Induciarū
uerò iam propè totū tempus effluxerat,incideratq;
Venetijs tanta inopia fruměti,ut sæua fames in pro
pinquo spectaretur,neq; eos Cæsar,uel id ex fœde-
re postulantes,frumento Siculo subleuabat, quòd
tum multò grauius q̄ antea uectigal asportantibus
imposuisset, adeò ut illud tritici uenalis precio &
uecturæ pariter æquaretur, nec ulla omnino para-
tior spes erat frumenti comparandi, q̄ è Macedonia
& Græcia,si cum Solymano ad antiquam pacē ami
citiamq; recurrerent.Is enim paucis antè annis pa-
ri penuria laborantes liberaliter adiuuerat, ingenio
nequaquam Barbaro præfatus inhumanum esse,&
principe indignum ex aliena calamitate lucrū expe
ctare, quum alendos iudicaret,qui ex ira deorū im-
mortalium interceptis frugibus miserabile uitæ pe
riculum subirent.His de causis pleriq; optimatium
ad non dubiam spem auertendæ famis, antiquā pa
cem repetere,& tantis sumptibus qui maximè diu
turni ac intolerabiles futuri uiderentur, finē impo-
nere cupiebāt.Erat quoq; liberis sermonibus euul-
gatū,Cæsarē præalto auidoq; ingenio,sed eo in om
nem modestiæ simulationē probè cōposito, totius
Italiæ, & deniq; Europæ omnis imperiū affectare:
unos autem Venetos omnino esse reliquos,qui ob-
starēt,& uigilanter libertatem suam tuerentur,quū
cætera imperia inusitato quodam & prorsus fatali
arridentis fortunę munere in eius potestatem deue
nissent. Proinde illum ualidis subnixū rationibus,
nō ineptè quidem expectare ex eo prægraui bello,
ut Veneti publica priuataq;,ac singularū quoq; im-
perij sui urbium,consumpta pecunia, attriti ac ino-
pes, opportuniq; iniuriæ redderentur: quandoqui-
dem ipse Cæsar & Ferdinandus frater, nō obscuro,
sed diuerso iure, septē illis Venetiæ urbibus immi-
nerent,quas antea Maximilianus auus Gallo cōiun
ctus,armis cepisset. apparebat enim socias ciuita-
tes,si pecuniam conferre cogerētur,uti acerbius ex-
pilatas,fidem facilè mutaturas, quum duorum fra-
trum consilio concitatis Germanis,qui undiq; fines
clauderent,repentinū bellum inferretur.Propterea
senatus magnopere dubius,in ancipiti sentētia uer
sabatur,quum legatis à lectissimo ciuium ordine in
curiam deductis,datus est senatus.Coiuerat autem
tanta hominum multitudo, ut amplissimo concla-
ui comitijs dicato, minimè caperetur: multi enim
Hanebaldum Gallorū ducem bellica laude floren-
tē intueri,sed omnes maximè Daualū, cum sua pro
ceritate & dignitate oris conspicuū, tum rerū gesta
rum fama clarissimū,orantē audire cupiebant. Is à

A latere principis exurgens, in hanc fermè sententiā
præclara militariq; facundia locutus est: Præclarā
magni numinis,diuorumq; omniū prouidentia fa-
ctū esse reor,serenissime dux huius amplissimi sena
tus,ut duo longè maximi Europę reges,qui modò
perpetuis armis inter se cōtendebant, nō dubia ta-
cti religione,in mutuos sinceræ amicitiæ cōplexus
deuenerint,in id unū proculdubio consiliū, ut con-
stituta pace,cōturbatis & tamdiu affectis Christia-
ni imperij rebus,dignā ipsorū nomine tranquillita-
tem afferant,& suscepto sacro bello, tot acceptas à
Barbaris clades ulciscant̄. Hoc ut uobis uiri Veneti
nunciaremus,reges ipsi nos huc miserūt, ut pari stu
dio,quo uos semper arsisse pro dignitate huius am
plissimæ ciuitatis cōpertum est, opportunè incen-
deremus. Vos siquidē unos præ omnibus qui tan-
tum nauali apparatu disciplinaq;, & maritimis co-
pijs ualetis,in sacri belli,speratæq; uictoriæ societa
tem asciscūt,& dignos existimāt,qui peculiares to-
tius uictoriæ fructus nanciscamini. Quamobrē de
terrestribus etiā copijs nostris bene sperare fas est:
quandoquidem ad eas quas modò Cæsar ad Vien-
nam,ipso Barbarorū imperatore in fugam cōiecto,
in aciem produxerit, accessura sint nō modò totius
Gallię equitatus & peditatus perampla auxilia,sed
suos etiā magni roboris exercitus Sigismūdus Sar-
matiæ rex,religionis atq; uirtutis nomine cōtra im
pios feliciter pugnare solitus, nulla interposita cun
ctatione sit adducturus,sic ut de explorata iam pro
pè uictoria minimè sit dubitandum. Hæc itaq; piè
inita consilia, quòd Christiano nomini secundissi-
mè cedat,Cæsar atq; Franciscus ut suscipiatis,& iu-
stæ gloriæ atq; uictorię spem uotis ritè nuncupatis
cōplecti uelitis, plurimū cohortant̄, uosq; salutari
decreto ab amicitia Barbarorum pios fortesq; ani-
mos auertere suadent. Generosis enim animis ue-
B stris omnino turpissimū uideri potest extendisse in
ducias, & infamē atq; insidiosam pacē pio atq; iu-
stissimo bello prętulisse. Neq; enim opulentissimā
hanc rempub.uel magnis propositis belli sumpti-
bus,à bono & æquo deterreri decet.nam quod prę
sentis est & diu exoptatæ occasionis, si semel uice-
rimus uno aut naualis aut terrestris uictoriæ prouē
tu,cuncta superiorū temporum accepta incommo-
da incōparabili uestra cum laude sarcientur. Ad ea
Landus publico nomine respondit, nihil unquā ab
ulla patrū memoria Veneto senatui, uel specie lega
tionis ad dignitatē honorificentius, uel ad publicā
securitatē ipsa spe pacis optatius ac opportunius e-
uenisse,postq̄ duo longè maximi reges,duobus prę
stantissimis ducibus legatis missis, certam inter se
cōcordiam & maturā pacē nunciarent,ipsis certè ad
sempiternæ laudis nomē maximè gloriosam: Vene
tæ aūt reipub.tantis difficultatibus circūuentæ ap-
primè salutarē,mirumq; in modū etiā reliquis Eu-
ropæ principibus experendam,si publico consēnsu
cōsociatis uiribus de sacro bello sincera & religio-
sa fide cogitarēt. Tum enim Venetos neq; sibi neq;
reipub.defuturos: proinde supplicandum esse Deo
maximo, ut reges totam eam spem pacis quam mu
tuis colloquijs complexibusq; afflicto terrarum or
bi pollicerentur, pio decreto & felici euentu matu-
rè & gnauiter implerēt. Sequentibus porrò diebus
legatos de more in collegiū paucorū uocatos, lectis-
simi senatores interrogarūt,an quicq̄ de legibus sci
rent,quibus ea pacis & amicitiæ fœdera sancirētur:
ac obiter,putarēntne Cæsarē in usum pacis, Cisalpi
næ Gallię imperiū Francisci regis filio cōcessurum?
Subticēte ad id Hanebaldo, Daualus nihil plus ex-
ploratū se habere, quàm conuenisse inter se reges,
idq; appetisse Cæsarem respondi., qui grauissimis
de causis fessæ & labanti Christianæ reipublicæ suc
currendum existimarit: id uerò, quod uel cæci prę-
clarè intuerentur, nequaquam expediri posse perfi-
ciq;

cię; feliciter, nisi Cæsar pro magnitudine animi plurima concedendo donandoq; Francisci regis uotis annueret, uoluntatemq; redimeret. Generosius, inquit, patres conscripti, grauem etiam rerum suarũ iacturam facilè contemnit, quùm amplissima ueræ laudis ac ingentis famæ commoda latè prospiciat. Erant hęc dictu ualde magnifica, gratąque auribus, sed inueteratæ prudẽtiæ homines nihil penitus ad animum admittebant. Mouebat senatum nouæ ac inusitatæ legationis authoritas, supra ueteres legatos Didacum Mendocium Hispanum, & Gulielmũ Pellicerium Gallum, qui aderant, ob id maximè suspecta, quòd nihil certum discussumq; præter spem futuræ pacis attulerat, ita ut plerisque magno Cæsaris commodo ad fallendum instructa atque ador nata crederetur. In eo enim totius artis momẽtum uerti uidebatur, ut Venetus in spem concordiæ cõmunis adductus, consiliũ cum Solymano de prorogandis inducijs, & petenda pace penitus abijceret. Quid enim ipsis sperandum, si fortuna conceptę pacis successum eriperet? nisi ut deserti ab omnibus, obiectiq; immanibus Barbaris stultæ credulitatis grauissimas pœnas darent? Sed uel inanem spem pacis, Marcus Antonius Cornelius haud obscurè Cæsari fauens, mirifica illustriq; facundia sustentabat: disserebatur contrà à Francisco Donato, qui principe loco dignus, antiquam diuini & maximè constãtis ingenij authoritatem sententijs suis afferebat. Itaq; senatus ueluti magno in æstu diuersis magnisque fluctibus iactabatur tanta contentione, ut patres in curia consultando expendendoq; integras ferè brumales noctes absumerent. Erat tum senatus instar quassatæ nauis rimarum plenus, hac & illac enim perfluebat, quod antea nunquam acciderat, usqueadeò ut sententiæ decretaque inexorabili antea silentio religiosè custodita, non modò ad præsentes legatos, sed in prouincias quoq; literis emanarent: tanta enim erat insania susceptæ semel factionis, in clarissimis etiam senatoribus, qui ex professo noscebantur, ut antiquum illud decus optimę reipublicæ odiosa paucorum ambitione & uenalibus studijs atq; suffragijs prodi uideretur. Propterea animaduerso uitio Marcus Foscarus profunda prudentia uetus senator, dixit rempublicam prodi multitudine & malignitate suffragiorum, breuiq; periturã, nisi paucorum fidei iudicioque salubriter commissa maturè sanaretur. Erant enim ex ordine rogatorum, qui dicerent sententiam, & in suffragium irent homines fermè ducenti. Hac multitudine offensus, ad quinquaginta uiros, qui usu rerum, fide, charitateq; patriæ probarentur, grauissimi atque maximè arcani consilij summam reuocabat. Ita rebatur multorum insaniam paucorum sapientia superari: sed tanta mox Foscarus inuidia deflagrauit apud multitudinem, quum ea se consilijs excludi, notariq; infamia leuitatis atq; imperitię minimè pateretur, ut uir ille inter summos senatores facilè excellens, & quo nemo grauitate iudicij potior habebatur, rogatorum ordine sit eiectus, spoliatusq; omni honore, diu in singulis comitijs pudendã reipublicæ repulsam tulerit. Verùm ei non multo pòst quòd diuinè & sapientissimè prouidisset, magnæ gloriæ cessit, derectis his qui reipublicæ arcana prodiderant, seueriss imeq; damnatis. Hi fuere patritij ordinis Maphæus Leonius, & Constantinus Cobatius, decemuiralis collegij scriba. Reliqui autẽ complices cum Francisco Valerio, qui patritio patre ex damnato coitu genitus, perfidiosæ largitionis minister & interpres extiterat, laquei pœnam inter geminas columnas in foro tulerunt, quum paulo antè Leonius atq; Cobatius in Galliam perfugissent. Cęterùm ea de pace contentio hunc habuit exitum, ut senatus urgente præsertim fame, concordiæ principum diffidens, & tamen euentũ expectans, tres legatos decerneret: ex his duo ad Cæsarẽ Franciscũq; regem explorandis eorũ consilijs mitterentur: tertius, qui erat Aloysius Badoërius forensi eloquẽtia insignis, ad Solymanũ maturè cõtenderet: huic iniunctum est, ut desperatæ inter reges pacis famam præoccupare niteretur, sed daret operam cunctis ingenij artibus, largiendoq; præsertim, ut Nauplium & Epidaurus Veneto nomini seruarentur, quod si id ab astuto insolentiq; Barbaro impetrare nequiret, necessitati daret manus, & quauis conditione pacem conficeret: eam enim decemuiri è repub. fore existimabant, secretoq; de deditione urbium in mandatis adscripserãt: ueriti scilicet imperitæ multitudinis uim atq; tumultum, quæ inde ueluti satis honestam nacta causam reclamandi intercedendiq; proculdubio saluberrimi consilij decretum euertisset. neq; enim in dubium uertebatur, si cunctarent, & serò pacem peterent, quin Solymanus ex aliena imbecillitate necessitateq; impotentis animi cupiditatem extenderet. Itaq; Daualus & Hanebaldus, qui ea de causa uenerant, ut cum Turca pacem impedirent, nihil omnino diligentius effecere, quàm ut eam Veneti prouiso rerum suarum periculo confice re maturarent. Neq; dubium fuit, quin Hanebaldus in speciem tantum personam legationi prętitiffet, clàm uerò per Guliermum Pellicerium ueterem legatum pacem ac amicitiam cum Solymano persuasisse crederetur: atq; ita euenit, ut quum Badoërius apud Byzantium, impetrandæ pacis gratia certam pecuniam urbiũ loco polliceretur, Solymanus eam tanquam impudentem minaciter obiurgaret, ac nõ aliter se daturum pacem, q̃ acceptis urbibus testare tur: quoniam de decẽuirali decreto certior factus, eius rei transigendæ potestatem legato datam esse ex literis ostenderet. Quamobrem Badoërius cum pudore redargutus, perfusus q̃ue non dubio mortis metu, ubi arcana mandatorum Solymano & purpuratis derecta esse conspexit, in eas conditiones pacem accipere coactus est, quæ Nauplio atq; Epidauro traditis sanciretur. Quibus etiã Peloponnesi urbibus accesserunt duo Dalmatiæ castella, Nadinũ atq; Labrana, graui quidẽ cum dolore uniuersi senatus, postq; de tam iniqua transactione Venetijs est rescitum: unde mox Badoërius atroci inuidia defla grauit, quum ea dedisset, quæ ex mandatis dare nõ posse credebatur, usqueadeò in eius nomen asperè concitato populo, ut uix demum detecta Cobatij perfidia, quin exilio & bonis uel insons mulctaret, ægerrimè seruatus sit. Interea Cæsar dimissis Francisci regis liberis, qui officij causa prosecuti Valentiam usque processerant, quum de concordia perscriptis conditionibus acturus esse crederetur, inter grum tractandæ pacis negocium in aduentum Ferdinandi fratris reiecit. Is tum è Norico, ut explicandis consilijs interesset, Rheno deuectus aduẽtabat. Nihil enim dum esset in Gallia Cæsar, egerat de pace, nihilq; præter iucundissimos sermones audierat, quum id antea consilio, uti mox apparuit, subtili potius q̃ honesto per Anneũ Memorantiũ petisset, ne si alienæ potestatis factus, in solo nuper hosti li minus liberè, minusq; utiliter de pace transigeret, totius institutæ liberalitatis suæ gratiam defloraret: quando ea demum apud omnes opinio foret, quæ facilè tolli non posset, ut ipse nequaquã ex animo & satis generosè, sed ignobili metu, & cæco pudore circumscriptus ad iniquas pacis conditiones descendisse crederetur. Id uerò facilè receperat Gallus, quum certo excelsi animi decreto, hospitales mensas, quibus regina ipsius Cæsaris soror cum lectissimo fœminarũ comitatu ad hilaritatem induceretur, nulla penitus amaricie perfundendas existimaret. At Cæsar ab ea mora dilationeq; Gallorum animis in ulteriores spes opportunè traductis, contrà ac pleriq; arbitrabantur, Gandauũ rectà contendit,

dit, præmissa Germanorum legione, adductisq; secum Belgarũ alis, quibus antea ut præsto adessent, locum diemq; præscripserat. Gandauenses desperata Gallorum ope, quòd pacem cum Cæsare occultè confectã crederent, occulto metu conterriti, & præoccupati celeritate Cæsaris, in pompæ morem gratulantes se effuderunt: sed ea erat apud salutantes recentis facti conscientia, & contrà is oris habitus portam intrantis, ut hic nõ natalis soli urbem & patriam altricem pueritiæ, sed inuisa & prorsus inimica mœnia rectaq; subire uideretur: illi porrò cum in oculis Cæsaris dubiam lenitatem agnoscerent, tristi uultu & summisso murmure se pœnitere fateren tur, quòd non pro patria armis fortiter desumptis, portas ab initio clausissent: neq; enim ui subigi expugnariq; poterant, quum amplissima ciuitas uel subitario tumultu supra quadraginta hominũ milia facilè armaret: sed Gandauenses cùm iuri suo, tũ uiribus audacius cõfisi, grauiorem quàm putassent contumeliæ noxam subierant: siquidem tanquam liberi & immunes Mariæ reginæ, quæ Belgis præerat, pecuniam in Gallici belli sumptus imperanti restiterant, adeò ut paratam uictoriam interpellasse uiderentur. Id facinus altè admodum & grauiter in pectus Cæsaris descenderat, quòd ab ea ciuitate in qua esset natus, initium detrectandi imperij exortum uidebat, summo quidem rerum suarum periculo, quando in eadem causa prouinciæ omnes perpetuis tributis exhaustæ, ad nõ dubiam rebellandi occasionem Belgarum exemplo uocarentur. Itaq; Cæsar ulturus iniuriam, quũ iam pacato planè animo uideretur, dispositis per urbem custodijs, multos uno tempore comprehendi iubet. Nouem ex his, quos turbido ingenio, aut facundia insigni & militari præsertim audacia compererat, iudicio damnatos, uti reos maiestatis interficit: his paucos post dies sexdecim desiderio libertatis, & populari potentia suspectos addit, de quibus pariter in foro, cõterritis omnibus supplicium est desumptum. Ab hac reorum pœna, ueteres demum ciuitatis immunitates uno edicto abrogat, leges dissoluit, totum id ius abolet, quo magistratus creabantur, ingentiq; pecunia ciuitatem mulctat, quæ in sumptum ædificandæ arcis transferretur. Instituebat enim peramplã arcem opportuno urbis loco, insigne templum atq; cœnobium diui Leonis memorię dicatum complexus, ut Gandauenses iugũ seruitutis ceruicibus impositum sentirent. Damnarant in primis seueritatẽ Cæsaris totius Germaniæ liberæ ciuitates, horrebantque in primis impositæ arcis nomen, uti nouũ & maximè infestum libertati. Venerat per eos dies sub fide publica Villermus Cleuensis regulus, affinitate ac amicitia Gallo regi arctè coniunctus: is à Carolo Gheldrio, qui sine liberis decesserat, hæres testamento scriptus. Gheldriæ regionem sibi finibus coniunctam obtinuerat, inuito iratoq; Cæsare, qui suo Augustali iure dicendi instituendiq; principis authoritatem sibi ereptam indignabatur. Cupiebat enim eum conciliare obligareque certis beneficijs principatus legibus, ut quod erat in intimo sensu, conducendi è Germania milites Gallo regi facultatem eriperet. Nihil Villermus de pacis euentu dubitabat, Gallumq; ex commodo suo, neglectis sociis atque clientibus, modò Mediolanum recipe ret, cuncta facturum arbitrabatur: ob id se conferre ad authoritatem Cæsaris, eiq; pro Gheldria sacramentum dicere, Christiernamq; (ea Francisco Sfortiæ nupta fuerat) ex Cæsaris sorore genitam uxorẽ ducere paratus erat: sed Gheldriæ ducis, & principis nomen, dum uita maneret, cõcedi conseruariq; sibi beneficio Cæsaris postulabat. In ea re tribuenda, Cæsar quàm expediret, durior est inuentus, quũ præfecturam tantum abrogato principis nomine se concessurum respondisset: adeò enim decoris erat tenax, ut futura commoda facilè contemneret, modò præsentia uel ancipiti periculo tueretur: sed pari ingenio & Germanica constantia Villermus, quum speciosi susceptique simul tituli honore spoliari nollet, se consulturum prouinciales suos dixit, & sub ea qua uenerat fide, intra fines est reuectus. Iam enim paratę pacis metus, multorum dierũ mora refrixerat, & Galli eum opportunè monuerãt, ne quid temerè transigeret, quum uarijs coniecturis non infirmas modò, sed penè extinctas esse spes pacis significassent. Iam enim Cæsar & Ferdinandus ostentato pietatis studio dederant operam per idoneos homines, ut principum liberarumq; ciuitatũ legati Haganoam in Tribocibus mitterentur, ut ibi colloquendo disceptandoq; de placitis, & uero dogmate rerum diuinarum, maior demũ & augustior conuentus apud Vangiones indiceretur, quo illam Lutheri de religione controuersiam finirent. Erat hic præclarus admodum prætextus, sed in recessu animi Cæsaris graue consilium incubabat, quo scilicet potentiæ suæ maiores opes astruerer. Iudicabat enim Germaniæ regulos multa & maximè liberali indulgentia, dissimulationeque earum rerum, quæ religionis causam moresque respicerent, & multa deniq; lenitate alliciẽdos. Sic enim ab amicitia Gallorum auerti posse, sic dissolui occultas coniurationes & clientelas, nudariq; certo atque expedito prę fidio Galliam rebatur: hæc in arcanis erant, palàm uerò communis omnium concordia & consensus in religione, & digna Germanico nomine ingenia auxilia aduersus Turcas petebantur. Cæterùm Cæsar diu cum fratre collocutus, quòd diutius extrahere moras, suspensasque hominum uoluntates incolumi pudore tenere non poterat, conceptum anteæ inconcussi animi decretum protulit, miitq; ad Fráciscum regem cum mandatis Pelusium familiarem suum, qui Ioannem Lotharingium cardinalem, ipsumque Anneum Memorantium cõscribendis pacis conditionibus antea delectos euocaret. Summa mandatorum hęc erat: Cæsarem nihil lubentius cõplecti quàm pacem, quanquam reipublicæ potius quàm sibi profuturam: proinde multo ampliora & augustiora quàm Franciscus expectaret, communis concordiæ causa concessurum. In primis alciturum sibi in generum Carolum Francisci filium, eundẽq; fororis suæ priuignum, atque eum ex iure Augustæ maiestatis, & dotali nomine Belgarum regem effecturum, quo nihil honorificentius atq; beatius exoptari posset: quando Franciscus in sua domo, alterũ è duobus liberis iam regem Galliæ designatum, alterum nouo & maximè decoro florentis & contigui regni diademate insignem esset habiturus, qui mutua fraternaq; ope, coniunctisq; sensibus opulentissima regna tueretur. Neq; remotas spes maximarum rerum, quæ in abditis fatorũ essent, obiter spernendas uideri. Posse enim fortunam quæ suapte libidine mortalium uotis illudendo, uarietate casuũ magnopere gauderet, Philippo pariter & Henrico inuidere prolem, & quod dij penitus auerterẽt, immaturæ etiam ætatis uitam abrumpere. Tum enim Carolum, aut certè ex eo communis sanguinis stirpem, totius ferè Europæ regna, legitimo hereditatis iure, & rara felicitate complexurũ. Quòd uerò ad Galliæ Cisalpinæ imperium pertineret, cùm sibi, tum Ferdinando fratri ineptum simul ac infaustum uideri inde decedere: nihil enim aliud esse, quàm Italiæ humeris detruncari caput, quo reliqua eius imperij membra regerentur. Perniciosaque autem malignitatis esse, quòd ea regna plerique mortales fortunæ suæ penitus inuiderent, quæ nequaquam quæsita armis, aut imporuenti cupiditate, sed quodam humanæ sortis iure atque ordine oblata collataque ad manus felici hæreditate peruenissent. Porrò non esse ex usu iuris & æqui,

obstrui

obstrui sibi aditum & portus ab Hispania in Liguriam uenturo, quum Genuenses commodo suo Mediolanensis imperij fortunam subsequantur, subin deque etiam tolli tutũ atque expeditum iter in Germaniam, quę sibi pro maiestate nominis nequaquã alieni arbitrij beneficio repetenda uideretur. Ad ea Franciscus, quãquam uti spe opinioneque deceptis plerunque accidit, uehementer animo commoueri uideretur: pacato tamẽ, sed renidenti uultu respondit, se gratias agere Cæsari, quòd multo ampliora speciosioraque quàm ipse speraſſet tributurum incredibili benignitate polliceretur: cæterũ se usquea deò non esse inuerecundũ, ut illi auita regna, & denique natale solum eriperet. Proinde potiretur Belgicis regnis, quæ optimo iure sua essent, eaque posteris possidenda transmitteret: itaque æquum uideri, ut de compositione loqui desinerent, postquã ipse aliena non cuperet, & ea tantum quæ antiquo & multiplici iure sibi deberentur, uti fortunæ casibus intercepta repetisset: emпturus etiam ea graui precio, & magno Cæsaris emolumento, ut afflictis utriusque imperij gentibus certa & maximè diutur na pax cum publica laude redderetur. Erat enim nouа atque inexpectata cõditio quæ offerebatur, multum aliena à rationibus Galli regis, opportuna autẽ Cæsari, qui publicæ pacis cupidus existimari uolebat. Hæc autem à Cæsare tanto silentio tegebant, ut ne Farnesio quidem legato communicanda iudicaret. Sed legatus auito ingenio iuuenis cuncta uel ex colloquijs illustrium fœminarum planè didicerat, ita ut in Granuelium totius arcani Cæsaris conscium enudando quæ ipse resciſſet, ut pudorem intempestiuæ taciturnitatis exprimeret, falsa comitate iocaretur. Cæterùm id quo que legati animũ alde pupugerat, quòd se inconsulto ad Haganoam legatorum Germaniæ conuentus esset indictus. Nec multo pòst, quòd diutius manere nequaquam A
sue dignitatis esse statuebat, in Vrbem redijt, relicto apud Cæsarem Marcello Ceruino eximiæ grauitatis & fidei familiari, cui paulo antè Pontifex senatorij ordinis ornamẽta transmiserat. His etiam rumoribus admonitus Badoerius Venetus legatus, qui Byzantij Solymano aderat, pacem conficere maturauit: quę tametsi periniqua erat, concessis urbibus (quando nullus nisi admodum infelix & luctuosus susceпto bello exitus foret expectandus) apprimè tamen necessaria in eo grauiore rerum periculo uidebatur. Enudato Cæsaris consilio, ac ob id desperata concordia, quũ induciæ ubique uigerent, exortum est in Pannonia bellum repentina morte Ioannis regis, qui tum in Transyluania prouinciæ præfectos minus dicto audientes armis persequebatur. Confecerant inter se pacem Ferdinandus atq; Ioannes pari desiderio quietis & ocij, ambobus certè utilem, sed ex eo rerũ statu necessariam potius quàm honestã: maximè autem exoptatam Hungaris, quibus uel diductis in partes cauebatur, ut fortunę incolumes manerent, uel his qui antea exules Ferdinandum secuti, solum uertissent, urbes quoque, oppida, uicos, arces, quæ tum in potestate essent, suo quisque præsidio tueretur: Ioannem uerò Ferdinãdus regem appellaret, quum eum antea sermone ac literis Vayuodam à uetere Transyluaniæ præfectura uocare esset solitus. In tabulis autem conscripti obsignatique fœderis diserte fuerat appositum, subscribentibus nonnullis Hungarorum principibus, ut si Ioanes uita excederet, Ferdinandus totius Pannoniæ imperio potiretur. Ea tum conditio in arcanis habita suppressaque est, metu Solymani cuius id regnum esset, tanquam belli iure captum, & beneficiario tantum nomine Ioanni liberaliter attributum. Sed in tantæ rei arcano sincera silentij defuit fides. Ferunt enim quendam Constantinopolim contendisse, detexisseque omnia Solymano, publicatis inter Bassas purpuratos criminosissimis legibus, quibus pacem duo reges inter se cõficiſſent, ut inde longè maximum ac inexpiabile odium Ioanni conflaretur. Cæterùm Ioannes re cognita sibi uehementer timens, peridoneos homines operam dedit, ut eius facti calumniam multo auro, multisque donis opportunè dilueret: sed tantam postea contumeliam, quæ non suam modò, sed reipub. salutem in discrimen deuocaret, sibi indignè impositam apud principes grauiter est conquestus, misso ad id Statilio Albæ Iuliæ episcopo, qui ad Venetos Paulumque pontificem, ac demum ad Franciscũ in Galliam probrosum eius iniuriæ nomen detulit. Nec multo pòst Ioannes, regno in spem antiquæ felicitatis singulari diligentia restituto, Budaq; præsertim admirandis operibus opportunè communita, uxorem duxit Isabellam, Sigismundi Sarmatarũ regis filiam, uirili eruditoque ingenio puellam, & quod alliciendi animi multum interfuit, Italico lepore, & uenustate Polonica peramabilem. Abhorrebat à nuptijs Ioãnes, uti iam in eo ætatis flexu ualetudine tentatus, sed procerum Hungarorum precibus id dederat. Probabat & has maximè nuptias Solymanus, qui antea in Ioanne cœlibis uitæ statũ religiosa uoce damnauerat, quòd eas ex amicissimi sociique regis sanguine expetitas uidebat: sed non æquè placuerat Ferdinando, quanquam & ipse Sigismundi filium regem Sarmatiæ desig natum sibi generum asciuisset: utpote qui liquidò prospiceret Hungaros præcipuo contemptu atque odio externæ gentis superbos, si puer ab his nuptijs susceptus foret, extemplò in sui sanguinis prolem studia conuersuros. Cæterũ Ioannes iam noua nupta in spem uirilis prolis aluum gestante, expeditionem aduersus Transyluaniæ præfectos susceпit. Erant ij Maylatus Gritti cæde celebratus, & Balassus quem ipse B
Maylato collegam addiderat, quum fallaci arrogantique ingenio hominem suspectũ haberet. Is enim fastidito præfecturæ nomine, stabilis imperij certas opes, & noui denique regni decus affectabat. Pari namque ambitione atque perfidia petierat à Solymano, ut ex eius authoritate Transyluaniæ rex appellaretur, uetere Decebali Dacorum regis exemplo, qui à Traiano Cæsare bello uictus, in eadẽ prouincia regnarit: id si impetraret, sacramentum Ottomanis imperatoribus se dicturum pollicebatur, quotannisque pensurum tributi nomine certũ auri pondus, cuius non parua copia in beato ac admirabili Transyluaniæ solo fruticante natura sponte nasceretur. Verùm Solymanus infidi hominis impudẽtia commotus, quòd eum antea Gritti & Turcarum cæde cruentum oderat, totius negocij literas ad Ioannem misit, ut uel inde moneretur, quorum hominum fidei summæ opportunitatis ac opulentiæ prouinciam commendasset. Ita Maylatus cõtumelioſe reiectus à Turca, Ioannique detectus, commutata consilij ratione ad Ferdinandum se cõuertit, ne postquàm regni spe decidisset, præfecturę quoque honore, uindicante id facinus Ioanne, cum perfidiæ nota pelleretur. Erat tum in partibus Ferdinandi Thomas Nadastus, erudito nobilique ingenio uir Hungarus, qui sororem Maylato nuptui derat: is certa prouincię pactione, propinquum suũ in partes facilè traduxit, egitque ut Maylatus Transyluanos ad defectionem occultè concitaret. Idem etiam Balassus ipse facturus putabatur, quem Ferdinandus per Melchiorem illius fratrem ad transeundum antea solicitarat. Sic enim nutabant apud utrunque regem iura pacis & fœderis, ut uerbis amicitiam colere, animis autem liuore atque odio turgidis bellum parturire uiderentur. Nam Liscanum Hispanorum peditum præfectum, summa licentia ueteranorum more in Italia prædari solitum, agrestes Hungari cum maxima cohortis parte ad Cassoiam

uiam trucidarãt: quum eis uindemiarum & messis A
collectos fructus imporenter eriperet, multisq; demum maleficijs utrinq; æditis, transcensisq; limitibus fœdera uiolarãt. Accidit autem peropportunè turbandis rebus, ut Ioannes Transyluanis pecuniã imperaret, qua Solymano tributa biẽnio intermissa penderentur. Id erat nouum peracerbumq; ualidæ ac indomitę genti, quæ uel ob id iniuriam ferre non poterat, quòd durum enatum patrio in solo ad immanes Turcas proprios ipsorum hostes indignè deferretur. Itaq; consternati ad arma non obscurè imperia detrectabant, Maylato scilicet Balassoq; rẽ proclinatam adiuuantibus. Igitur Ioãnes ubi uidet eorum cõtumaciam rebellioni proximam ad arma spectare, serpentis mali initijs occurrendum esse statuit, præmissisq; Valentino Thuracco, Petroq; Pereno, & Petro Vicchio summæ dignitatis ducibus, ipse, quanquam ex recenti morbo tenui adhuc ac infirma ualetudine, in Trãsyluaniam rheda petuolat. Cõmendarat autem reginam Ioanni Staro aulę magistro, res urbanas Aconi præfecto urbis, arcis custodiam & regiã supellectilem Benedicto Baioni, summa uerò belli & pacis consilia Gregorio Pesschenio seni fortissimo, qui antea Budam cum Gritto contra Germanos insigni cum laude defenderat. Itaq; diuisis inter se copijs, regij duces diuersas uno tempore regionis partes inuasere, circumlatoq; terrore belli, atq; ostentata clementia regis, qui cum adesse nunciaretur, ita rem gessere, ut plures qui præfectorum impulsu defecerant, ad officium redirent, nonnulli contumaciæ pœnas darẽt, & pauci deniq; præfectos iam plane coniectos in fugam sequerentur. Maylatus enim uiribus impar, & ex conscientia saluti plurimum timens, nusquam in pugnæ casum se obtulerat: ad extremum errãdo fessus, quum undiq; urgeret hostis, & Balassus longius abscessisset, in oppidum Fogaras se cõtulit: in id opere naturaq; B
munitũ, thesauros Gritteæ prædę condiderat. Itaq; percupidè regij admotis castris, prolatisq; tormentis obsidere atq; oppugnare cœperunt. Constiterat Ioannes ad Sibinium, peramplum Missiæ oppidum, quod itinere unius diei distat à Fogaris. Ibi in consilium aduocatis prouinciæ honestissimis, qui uel in magistratu essent, uel dignitate ingenioq; præstarent, quum de Maylati perfidia grauiter esset conquestus, docuit quantę necessitatis esset Turcarum amicitiam tueri, à qua nisi magno cum incõmodo, & certa clade discedere nõ possent: se itaq; uenisse, ut inspectis prouincialium fortunis, imperatę pecuniæ onera leuaret, moderaretur exactionum rationes, uectigaliaque minueret, ac inopibus parcendo plurimum indulgeret. Hæc salubri æquitatis ac imperij temperamento administrantem, quum Transyluanorum animos ad obsequium flexisset, actior inuasit morbus, quę inter susceпti belli curas, à solstitio grauis æstus, & longi itineris citata uectatio, nõ planè sanis & diu quassatis uisceribus attulerãt. Obsidebatur interim Maylatus, quum decumbẽti, & affectis tremore membris remedia paranti allatum est reginam felici partu miræ indolis puerum ędidisse. Tum uerò Hungari incredibili lætitia exultantes, regiam complent, ad regem gratulatum irrũpunt, tormenta de more disploduntur, aduenium e castris duces, gaudium in exercitu dispensatur, paraturq; conuium, in quod uel inuitus rex ipse procetum cohortãtium manibus infertur: id ei omnium lætissimum atq; supremum fuit. Nam quum festæ hilaritati & perpotantibus amicis deesse nollet, incantius ac liberalius genio indulsit: exinde reuocata est febris, quæ iam planè defecerat, cuius uim diu sustinere non potuit. Quum uerò finem uitæ adesse conspiceret, filium testamento reliquit hæredem, Georgiumq; Varadiensem antistitem, propter eximiam fidem, & Petrũ Vicchiũ sanguine sibi cõiun-

ctũ, tutores instituit: obtestatusq; est singulos proceres per antiquũ Hungarici nominis decus, ut sui sanguinis potius quàm externæ atq; inimicæ gentis regem in Pannonia regnare paterẽtur. Futurum enim esse, ut Solymanus regni tutelam susciperet, si ad eum legati cum muneribus properè mitterẽtur, qui puerum ex eius authoritate regnaturum paterna conditione reciperent. Fuit Ioannes pacato clementiq; ingenio, & ad beneficentiam æquitatemq; maximè propenso. Aberat enim illa innata Hungaris ferocia militaris, quum literarum studio, & multis utriusq; fortunæ casibus eruditus, nequaquam uirium impetu, sed accurata consilij ratione regere tur. nemo enim eo cautior & uigilatior in negocio, nemo quum animum remitteret, in ocio urbanior atque iucundior fuit. Is uirorum fortium clientelas perpetua hospitalitate & beneficẽtia partas, certos principum thesauros esse dicere erat solitus: quòd grati & memores una sæpè forti fideliq; opera omnes sumptus cumulatè persoluerẽt, ingrati uerò cũ ignominia alienæ uirtutis testimonium ferre uiderentur. Supressa est tãtisper mors eius, dum cũ Maylato de compositione transigeretur: significarat enim regem in tanta susceпti filij lætitia pristinæ grãtiæ locum, & deniq; ipsum præfecturæ munus ei liberali clementia relicturum, si in suum filij q; legitimi futuri regis nomen iurarẽt. Non detrectauit conditionem Maylatus pluribus malis circumuentus: atq; ita cadauer à Sibinio, comitante magna parte exercitus, delatũ est Albam regalem, ubi sepulchra regum uisuntur: sed priusquam à Sibinio moueret castra, consilio habito, eandem quæ ornata in tructaq; uiuente rege fuerat, legationem ad Solymanũ decreuerunt: iereq; confestim summæ dignitatis legati, Ioãnes Exechius Quinq; Ecclesiensis antistes, & Stephanus ipse Verbetius iã natu grandis, & scri
nij regij magister, quem Romæ sub Leone legatum uidimus. Tulere munera pateras ex auro eximij operis decem, cęlato autem argento inauratas centũ, item sericas purpureas & amethystinas, aureasque textili opere figuratas, more Barbarorum, in talares ueстes quadraginta, auriq; simul Hungarica nota signati quinquaginta pondo, quæ biennalis tributi nomine penderẽtur. Interea apud Albam regalem insigni pompa apparatuq; regis funus est celebratum, impositaq; infantis cápite solennibus ceremonijs antiqua illa ex auro corona, quæ Stephani Hungarorum primi regis fuisse dicitur, asseruabaturque religiosa admodum custodia in arce Vicegradensi. Propterea & regi infanti læto auspicio, dum sacro fonte abluerẽtur, Stephani nomẽ indiderant, renouata memoria antiquissimi regis, qui id regnum felici uirtute condidisset. Cæterùm ius imperij Isabellæ reginę cõmuni procerum studio delatum ea lege, ut in publicis literis filij matrisq; nomen præscriberetur, eodeq; titulo regia moneta cuderetur: sed in Georgio summa imperij potestas eminebat, prę rat enim ærario, tesseras q; arcium tenebat. Porrò arma, milites, uexilla, penes Valentinum uisebantur. Medius inter hos Petrus Vichius, quòd regem sanguine contingeret, tutorq; esset adscriptus, neutri suspecta; & proinde stabili nominis authoritate florebat. Sed quoniã Georgij nomen hoc funesto bello, quod scripturi sumus, perilluſtre fuit, operæprecium putaui aliqua de ingenio eius enarrare, ut qui bus artibus gestum sit bellum, nobileq; id regnum Hungarorum insania ad Turcas deuenerit, posteris prodat. Natus erat Georgius in Croatia, citerioris Pannoniæ Illyriciq; finibus propinqua, educatusq; ab ineunte ætate in domo Ioannis, apud quem uirtuti ac industriæ certissimus erat receptus, quũ antea sacris temerè initiatus, uitæq; duriciem serò pertæsus, à susceпta professione discessisset. Itaq; miro obsequentiq; ingenio Ioannem regio pulsum exu

lantemq; ſecutus, tantam in dubijs aſperisq; rebus fidei, pietatis, ac expediti conſilij laudẽ promeruit, ut Cibaccho Gritti nutu ad Braxouium interfecto, Varadienſem epiſcopatum ſit adeptus. Exinde ualidis opibus cõfirmata authoritate, aulam regnumque regis commodo ſemper fidus circumegit, atq; feliciter rexit: ſed tanta erat naturæ diuerſitate, ut quum in omni actione expediti præſtantisque uiri perſonam indueret, compoſitus ex contrarijs moribus, & ad omnia natus eſſe uideretur: in peragendis enim ſacris, feriarumq; ieiunijs Chriſtianæ diſciplinæ triſtitiam demiſſo uultu ſermoneq; ita implebat aut effingebat, ut is idem eſſe credi non poſſet, qui in grauibus demum belli pacisq; negocijs tantã uim erecti ardẽtisq; ingenij gnauiter afferret. Optimorum ſiquidem equitum turmas alere, thoracatus in aciem prodire, frequentibus conuiuijs atque muneribus milites conciliare, magnorumque ducũ more pœna & præmia dignitatis nomen tueri erat ſolitus. Nemo præterea eo diligentius regni opes inſpexit, nemo uectigalia, aurifodinas, paſtiones, ſalinasq; utilius locauit, nemo ſubtilius cogendæ pecuniæ rationes adinuenit, qua una re certiſſimus apud reges gratiæ locus paratur: uſque adeò ut Ioannes præcipua ſe eius uiri induſtria regnare fateret, & ipſe Ferdinãdus hoſtis ſæpè diceret, nihil ſe prorſus inuidere Ioanni, quàm unum cucullatum, qui galeatis decem millibus tuendo regno potior habe retur. Igitur Georgius ſuſcepta pueri tutela, in omni ciuilium militariumq; rerum officio multus eſſe, prouidere ingenti cura, ut in unum Hungari conſentirẽt, ne ullus alicubi nouarum rerum tumultus oriretur, quo infirmi adhuc regni initia turbarẽtur. At Ferdinandus nunciata morte Ioannis, repetẽdæ Pannoniæ cupidus, nihil dubitat, quin arma paret, ac eam omnino occaſionẽ feſtinanter arripiat. Aderant enim plerique reguli duces q; Hungari eius ſecuti partes, & ante alios Alexius Turſo, Ferentius Genarus & Petrus Bachithius, Pauli fortiſſimi ducis frater, cuius morte Turcarum victoriã ad Exechiũ nobilitatã fuiſſe docuimus, itemq; Balthaſar Pamphilus, Franciſcus Capolnaus, & Ioannes Caſtelamphus, qui à Variana principe Camertium domo ſtirpem ducebat, & ipſe deniq; Seredus Gaſpar, uirtute bellica illuſtris, ſed latrocinij & multiplicis rapinæ infamia notatus. Ii omnino unũ illud eſſe tempus docebant, quo in patriam cum dignitate reduci poſſent, & eo quidem autumno confici poſſe bellum, ſi maturarent, quando Turcarũ aduentum propinqua hyems excluderet, nec planè in unum conſentirent Hungari proceres, qui reginę ſtudia ſequerentur. Nec minore ſtudio Germani duces bellum ſuadebant, utpote qui militiæ dediti, aut primos honores, aut alarum & cohortium præfecturas in exercitu ſe adepturos ſperarent, unde ſtipendia primùm, ac inde laus, prædaque præſertim, præcipua laborum ac uulnerum præmia peterentur. At Laſchus, uir Sarmata, belli pacisq; artibus abundè inſtructus, conſilio potius quàm armis repetendum Pannoniæ regnum ſumma oris libertate prædicabat. Nouerat enim ille regum omnium ingenia, mores q; gentium, quum totum penè terrarum orbem, regiasq; omnes uarijs legationum muneribus functus percurriſſet. Summa ſentẽtiæ eius hæc erat, ut regnum à Solymano peteretur, eo beneficiarij iuris nomine, quo id dono datum Ioãnes accepiſſet. Ad ea rex reſpondit, uera eſſe quę diceret Laſchus, ſed in arcano conſilio ſi proferret, aliquid reſidere quo adduci poſſet, ut exiſtimaret omnino mouenda arma. Illud uerò magnopere probare, ut Solymani animus illuſtri legatione tentaretur. Neminem uerò potiorem ipſo Laſcho, qui Barbaro gratus, familiaris q; purpuratis omnibus, eãdem ferè ſuperiore anno legationem ſuſcepiſſet. Non recuſauit id mu- A nus Laſchus, & paratis rebus omnibus quæ in negocio opus erant, à Vienna Byzantiũ eſt profectus. Sed Ferdinandus nihil à priore ſententia diſcedit, bellum parat, præſentis fratris opibus ſubnixus, nec obſcurè diffidens Hungarorum ingenijs, quibus ea transfugij cauſa ſatis honeſta ſemper fuit, quę præſentis commodi ſpeciem prætulerit. In primis Nicolaum Salma, quem Cæſar uirtutis opinione in illuſtriũ equitum ordinem cooptatum, aurei uelleris torque donauerat, ad reginam mittit, qui tabulas nouiſſimi fœderis proferat, hortetur eam, ut regno decedat, quod recẽti pactione alieni iuris eſſet factum. Porrò etiam atque etiam moneat, ne ſuas & pupilli pueri ſpes morãdo & tergiuerſando corrumpat. Conceſſurum enim puero Ferdinãdum Sepuſianã prouinciam, uti antea diſertè ex tabulis ambo reges conueniſſent, & ipſi quoq; reginæ per amplos redditus, & quicquid in dotale nomen obueniret. Quòd ſi ea legitimi fœderis obliuiſci uellet, ei tum opportunè denunciaret, neq; Carolo Cæſari, neque Ferdinando regi defutura arma quibus regnum repeteret, tanquam antiquo iure, & nouo multorum Hungarorum conſenſu Auſtriæ domui contributum. Exceptus Budę Salma ægrè impetrauit, ut ad reginam admitteretur. Georgius enim & Vichius muliebri ingenio diffidentes, denegatum colloquij officium nimio reginæ dolore & lachrymis excuſabant, quum ſe peculiari munere mandata audire referreq; paratos eſſe dicerent, poſtquam uiduæ reginæ regisq; pueri tutelam demandante obteſtanteq; Ioanne rege, ſuſcepiſſent. Sed eam regina de ſe imbecillii iudicij opinionem quam tutores conciperent, ad contumeliam reuocabat, quum Sarmatico & Sforziano ſanguine progenita, non uiriles modò, ſed planè regios gereret ſpiritus, diceret que ſibi in necem manus ſe allaturã, niſi legato aditus in cubiculum daretur. Id erat atratum obſcurũque, utpote quod de more cœleſtem lucem excluderet: ipſa ignobili in ſtrato reſidebat, neglecto ornatu, & pallida facie, ſed oculis nihil tum in lachrymas proclinatis: uoce tamen & ceruicis geſtu ita cõpoſita, ut diuturno defeſſę luctu exaruiſſe potius lachrymas, quàm diſceſsiſſe ex animo mœrorem oſtenderet. Itaque Salmæ cum multo uerborum honore mandata explicanti, demiſſe reſpondit, eam eſſe fortunam ſexus ac ætatis ſuæ, ut orbata rege coniuge, & diuturnis corporis ac animi doloribus perturbata, neq; ſuſcipere, neq; terminare conſilium queat, quum in re longè grauiſsima Sigiſmũdum patrem omnino conſulendum exiſtimet: eius autem regis tantam eſſe uirtutem atque iuſtitiam, ut Ferdinandus nullo alio diſceptatore atque arbitro in ea controuerſia uti uelit. Proinde ſe petere ſpacium acidoneum tempus, quo pater conſuli poſſet. Se enim ab eius ſentẽtia minimè diſceſſuram, ac idem facturos proceres Hungaros arbitrari: quòd ſi id moræ ſpacium denegetur, atq; armis agendum putent, egregiam certè laudem non ferent, inquit, Cæſar & Ferdinandus, ſi uiduam fletu conſumptam, & uagientem in cunis puerum regem oppugnatum aduenerint. Salma eo modo dimiſſus, quum ad Ferdinandum redijſſet, reginã in poteſtate Georgij eſſe, nec eam agere aut effari quicquã, niſi prius ex ore illius ac nutibus acceperum retulit. Illum enim regnare cupere, reliquos uerò Hungaros partiri inter ſe honores & præfecturas: poſtremò homines quæſtus & potentiæ auidos, infantis regis nutritios & regni procuratores eſſe malle, quàm aſſeclas & ſpectatores magni atque externi regis, qui præferocem gentem lingua moribus que diſsimilem, & Hungarico nomini prorſus inimicam, in Pannoniam condendis paſsim colonijs eſſet adducturus. Hæc ſe audiſſe expioraſſeq;, propterea ſibi uideri ſpem omnem poſitam in armis: ſed celeritate utendum, ut imparati &

rati & à Byzantio legationis euentum expectãtes; A penè priuſquam arma caperent, aut conſilium expe dirent, Buda pellerẽtur. Nec mora Ferdinãdus, ſuppeditante pecuniam Cęſare, coſcriptis cohortibus, ac euocatis equitibus, congeſtoq; in naues ſatis ãmplo commeatu, iuſtum exercitum ſecundo ãmne Danubio Strigonium dimittit. Ea urbs Pauli antiſtitis, conſtanti ſtudio erga Ferdinandum, Ioannis imperia, & bellicos conatus ſemper eluſerat. Præerat Auſtrianis copijs cum imperio Leonardus Velſius è Rhætia ſuperiore, Tridentinis Alpibus propinqua. Is multis de cauſis aperiendum iter ad Budã arbitrabatur. Occurrebat enim à Strigonio euntibus Budam, medio fermè itinere Vicegradum: id in ſupercilio editi montis arcem habet, cũm ſua altitudine, tum pulchritudine operis longè lateque conſpicuam: deſpectat enim præterlabentem Danubium, ripamque fluminis perpetua munitione ſibi coniungit. nam ab arce per decliuem præruptam que crepidinem deductus eſt murus, quę ubi in extremam ripæ marginem deſinit, egregij operis turrim habet, quæ tormentis inſtructa, nauigantibus opponitur: claudit quoque & ipſum terreſtre iter, quum portæ imminẽat, per quam inuito cuſtode nemini aditus patet. Intra portam autem anguſta, ſed oblonga planicies aduerſo flumine ſe extendit, ubi uilla regia uiſitur, ad uoluptarios ſeceſſus incho ata antiquitus à Sigiſmundo Cæſare, abſolutaque demum ingenio Matthiæ regis, qui uirtute & gloria Hungarorum regum ultimus fuit. Ab his ædificijs hortisque Velſius tormenta promouit, oppugnauitque perpetuis diebus nouem, reſiſtente acriter præſidio, cui præerat Valentinus cognomento Literatus, inter Georgij clientes fide & conſtantia inſignis: ſed ea uis erat ingentium tormẽtorum, ut perrupto muro propugnaculi interiora nudarẽtur, multosque propugnatores teſtudinis tectique ruina obrutos, nihil ceſſantibus tormentis, opprimeret. Tum uerò Literati pertinacia periculo uicta, atque obiter accenſi ſuorum cæde Germani milites, inter deditionis ſignificationes irruperunt, primis interfectis, reliquis captis, Literatus ipſe ſeruatus eſt, ut ueteres captiui Budæ cuſtoditi, permutatione facta reciperentur: in ea expugnatione, Velſius ad ducentos milites impigros deſiderauit. Tum demum à Vicegrado prouectus claſſe amnem tranſgreditur, Peſtumq; occupat ab hoſtibus deſertum, & Vaciã ſine uulnere redegit in poteſtatẽ: nec mora ad citeriorem ripam cõuerſa claſſe reuertitur, promotisq; inde caſtris ad Budam eſt profectus, ut per colloquia, Budenſium animos tentaret, exploraret que reginæ conſilia, & ex propinquo oſtentatis copijs atque tormentis, ciuitati terrorem incuteret. Iam enim Perenus ipſe inter Hungaros nobilitate atque opibus facilè princeps, quanquam filium Solymano fidei obſidem dediſſet, ad Ferdinandũ trãſierat, oneratus ſcilicet ingẽtibus promiſsis: nam ab ipſa ſtatim uictoria, regij ſcrinij, ſigillique magiſter in locum Verbetij futurus erat, dabanturque ei dono aliquot opulenta oppida, quæ ambiguo iure in poteſtate Thurſonis erant. Defecerant etiam à regina Stephanus Raſcaius, & Franciſcus Francapanes, Agrienſis antiſtes ſummo loco natus. Is magnam profeſsione religionis authoritatem ſecum afferebat, quaſi integro iudicio Ferdinandi cauſam probaſſet: ſed ei poſtea Georgius intẽpeſtiui ambitus leuitatem criminoſis epiſtolis obiectauit, quòd purpurei galeri honorem commendatione Cæſaris affectaſſe uideretur. Cæterùm Velſius obſeſſurus potius quàm oppugnaturus urbẽ, ad Aquas calidas caſtra locauerat: eæ uerguntin occaſum, diſtantque à mœnibus ſtadijs fermè duodecim: mirabilis autẽ earum natura fertur, quim ſcaturientis aquæ tantus ſit feruor, ut pede uix tentati poſsit, & in eam à lanijs proiecti ſues facilè depilentur, nec ranæ tamẽ intereant, quæ frequentes innatare conſpiciuntur. Agebant undique prædas Germani, idque iniquo animo à ſocijs Hungaris ferebatur, quum plerique aut ſua aut propinquorum pecora diripi, ac incendi pagos, & trahi uinctos imbelles agricolas uiderent, ita ut ſæpè cum Germanis armis contendere cõgerentur. Ex altera parte Budenſes equitum alas emittebant, quibus Germanos egreſſos caſtris inuadebant, & finitimos uicos ab iniuria hoſtium tuebantur. Nam Valentinus Thuracus, uirtute bellica nemini ſecundus, qui militare imperium obtinebat, mirificum leuis armaturæ equitatum in urbe acciuerat. Dum eo modo ad Aquas calidas Germani ferẽt, Balthaſar Pamphilus inter Hũgaros duces admodum clarus, quum progreſſus à caſtris ante portam urbis euagaretur, poſtulauit à cuſtodibus poteſtatem ſibi fieri cum Valentino colloquendi. Nec mora, concedente Valentino cum turma ſuorũ eſt receptus, aliquantoque pòſt in caſtra redijt, afferens, ſe cum ducibus comiter ac hilariter cõpotaſſe, colluſtrandoq; urbem, inſpexiſſe præſidia, tormenta, aggeres, quibus Budam, niſi ampliore apparatu, & commodiore anni tempore, ac multo maioribus copijs, expugnari nõ poſſe crederet. Ea res Velſium uehementer commouit, uſque adeò ut iratè ſuccenſendo Pamphilum caſtris excedere iuberet, quòd iniuſſu Budam intraſſe, ac inſolenni priuataque libidine cum hoſtibus colloquendo adaugendoque eorum uires, totius exercitus animos fracta ſpe uictoriæ debilitaſſet. Itaque Velſius nihil tentata oppugnatione diſcedens, ad Vicegradum iterum ſe conuertit, ut præaltam illam arcem, & regiæ coronæ ſtodia celebratam, tormentis expugnaret: nec diu Hungari præſidio impoſiti uim ingentium pilarum tulerunt, quum eadem ruina, qua turris ad Danubium adaperta conciderat, nobiliſsimi ædificij teſtudines, pinnæq; & propugnacula, nihil intermiſſis ictibus concuſſa frangerentur. Eo modo interfectis aut in deditionem acceptis Hungaris, arx capitur. Nec multo pòſt ad Albam regalem contendit, ut per colloquia ciuium principes tentaret: nam Perenus, cuius apud Albanos inſignis erat authoritas, per idoneos homines adhortando pollicendoque immunitates ac præmia, nonnullos perpulerat, ut à regina deficerent. His ſermonibus celeriter eſt effectum, ut ciuitas quæ ui armisq; expugnari non poterat, multa conſilij ratione, mollibusq; colloquijs ad Ferdinandi fidem redierit, præſidiumque acceperit. nam quum eò Valentinus aduolaſſet, occluſisque portis non admiſſus, ac ob id grauiter iratus ſuburbana popularetur, Albani Perennianos equites acciuerunt, quorum præſidio non urbem modò, ſed proximos etiam pagos tuerentur. His rebus geſtis, Velſius ad Strigonium caſtra reduxit, uel ob id, quòd Germani cum Hungaris rixas miſcerent: gratior quoq; in Pannonia bellum gerentibus hyems ſuberat, & turbidis uocibus à milite gregario ſtipẽdia petebantur, quas ob res Velſius, renum etiam morbo uehementer affectus, in hyberna copias dimiſit. Peſtumque in primis præſidio impoſito, & nouis erectis munitionibus firmauit: propterea quòd frequentibus nuncijs, nec incertis rumoribus afferebatur Turcas in propinquis eorum limitibus arma parare. Nam ubi regina à Ferdinando copias cõgi, nauigijs tormenta imponi, ac expediri commeatus certius cognouit, decernente Georgio, nihil ad ſalutem opportunius habuit, quàm à finitimis Turcarum præfectis maturam opem implorare. Ii erãt Vſtrephus Boſnenſis, & Mahometes Belgradenſis, & Amurathes, qui trucidatis copijs noſtris, & Cliſſia ſupra Salonam capta, in Dalmatiæ finibus conſtiterat. Vſtrephus præfecturæ honore cæteros Europæ Sanzaços anteibat. Illyrici ſiquidem uexilla

omnibus præferuntur, cuius ampliſsimus eſt equi-
tum numerus, & regio longè latiſsima. Is reginę po
ſtulatis reſpondebat, ſe copias inconſulto Solyma-
no minimè finibus eductum. Eadem fermè reſpō
ſa erant Mahometis. nam prouincia pedem efferre
iniuſſu imperatoris nefas eſſe dicebat: ſed is ex iti-
nere à Laſcho præoccupatus magnis promiſsis at-
que muneribus, ut nihil ſe commoueret, diuq; ceſſa
ret, prolixè quæſtui, atque item æmulationi ſeruie-
bat. Neque Amurathi tutum erat à Gradiſca Illyri-
ca diſcedere, ubi erat in ſtatione aduerſus Crouat-
tos, niſi iuſſa ſignaq́ue præeuntis Vſtrephi ſequere-
tur. His de cauſis regina diu fruſtra, ut opem ferrēt,
Turcas præfectos obteſtata, ad legatos qui Byzan-
tij erant, omnium difficultatum ſuarum articulos
perſcribebat, ut per eos Solymanus imminentis pe
riculi certior redderetur. Nondum peruenerat By-
zantium Laſchus, morbo ſcilicet currendi diligen-
tiam ſubtrahente: ſed præmiſerat Ptolomæum Ari
minenſem medicum ad purpuratos, Luphtibeium
q́ue in primis familiaritate ſibi cōiunctum, magnis
q́ue antea excultum muneribus, per quem omnia
ſe impetraturū ſperabat: ſed fruſtra fuit Ptolomæi
aduentus. Soly mus enim, qui ius ſuum ac bene-
ficium defendere ſuæ dignitatis eſſe ſtatuebat, ma-
gno ſibi commodo ac magnæ item glorię futurum
rebatur, ſi oſtentato pietatis ſtudio, uiduam pupil-
lumq́ue in tanta calamitate protegeret. Itaque ad-
uocatis legatis, tribusq́ue purpuratis aſsiſtentibus,
ſe eo animo Ioanni regnum conceſsiſſe dixit, ut ad
liberos eius tranſmitteretur: tamdiuq́ue poſteri e-
ius ſtirpis Pannonię regno potirentur, quamdiu ac
cepti beneficij memoriam retinerent. Proinde ad
declarandam liberalitatis ſuæ conſtantiam, ſe arma
ſumpturum, daturumq́ue operam, ne Germani ho-
ſtes illati belli exitu lætarentur: traditūq; demum
legatis puero regi deferenda, firmatæ amicitiæ, ſu-
ſceptæq́ue tutelæ inſignia, purpuream auro inter-
texto regalis cultus togam, & clypeum elaborato
umbone rotūdum, ferream item clauam manubrio
aureo, & incuruum gemmata uagina gladium: exin
de Vſtrepho Mahometiq́ue præfectis ſeueriſsimè
perſcripſit, ut extemplò eductis copijs reginæ opē
ferre maturarent, nec ulla aduerſæ hyemis excuſa-
tione uterentur: quòd ſi tarditate aut negligentia
detrimentum acciperetur, ipſos cōtinuò capite pœ
nas daturos. Vixdum Hūgari legati cum donis præ
lætitia Budam redire feſtinantes, diſceſſerāt, quum
Laſchus Byzantium peruenit, ibi edoctus è Ptole-
mæo de ſucceſſu legationis Hungaricę, quum man
data exponeret, & æqua conditione regnum pete-
re pergeret, multusq́ue in ore eius eſſet Carolus Cę
ſar, uti fratrem excitis totius Germaniæ copijs ad-
iuturus, commoto ad id Solymano cuſtodiæ tradi-
tur, obiurgantibus itidem purpuratis. Interea Ma-
hometes & Vſtrephus nihil deterrente hyeme, di-
ſperſos in hybernis equites ad ſigna uocant, naua-
les ſocios conquirunt, claſſemq́ue Drauo & Sauo
fluminibus in Danubium deducunt. Neque enim
peritè & commodè in Pannonia bellum unquam
geritur, niſi ſubſidio magnæ claſsis tormenta, com
meatus, impedimentaq; ad opportunitates utriuſ-
que ripę conuehantur. Sed tantus per eos dies adul
ta hyeme, & diu perflante Borea rigor extitit, ut a-
ſtricto prælta glacie Danubio, cuncta nauigia ad
Tolnenſem ripam uadis inhæſerint: ea res magno
incommodo Turcis fuit, tardauitq́; eorum aduen-
tum, quum neceſſariò ad tuendam claſſem conſi-
ſtere, atque ibi caſtra ponere, ferreq́ue ſub tentorijs
prædura hyemis aſperitatem ſqualenti in ſolo co-
gerētur. Sed miteſcente hyeme aperuit ſeſe annus,
exoptatus Turcis reginæq́; lætiſsimus. Nihil enim
cūctatus Mahometes, remiges ſupplet, pedites Mar
teloſios ex Illyricis montibus accerſit. Idem quoq;
facit Vſtrephus, ambobusq́ue Valentinus, è Buda
obuiam profectus, cum ualida Hungarorum manu
coniungitur. Regina præfectos muneribus colit,
commeatum ſuppeditat, quea tormenta quibus ini
mica oppida expugnēt, haud cunctanter attribuit.
Itaque inito conſilio Danubium copias traducunt,
& ad Vacciam deferuntur. Ea urbs nequaquam mi
litariter defenſa capitur, trucidatisq́ue nonnullis
protinus incenditur. Inde Peſtum oppugnatum ire
pergunt, & ab occaſu caſtra locant. Præerat Peſto
Barcocius Hūgarus, prætorianæ alæ præfectus: ſed
aderant plerique Hungari duces, & in primis Ger-
manorum dux Otho Fotiſcus, cum decem cohorti
bus. Ab his quum Turcæ tormentis murum quate
rent, oppidum egregiè defenditur. Erat in oppido
Marius Spicecaſius, è Neapoli militaris architectus:
is aduerſus hoſtium caſtra, more Italico, quadra-
tum aggerem multa conceptum materia ad inſtar
latiſsimæ turris erexerat, in ſummitateq́ue tormen
ta collocarat, quibus Turcarum munitiones atque
tentoria ab editiore loco petebantur. Simili ratio-
ne, & ab arce Budenſi interiacente fluuio ad Peſta-
na ædificia pilæ ferreæ uolitabant. Regina interim
parcius commeatum Turcis præbebat, utpote quę
ſibi annonam, niſi parcè metiretur, priuſquam fru-
menta matureſceret, defuturam timeret: quoniam
Cæſar è Belgio in ſuperiorem Germaniā profectus
ad Ratiſponam conuentum habere, nouosq́ue exer
citus parare nūciabatur. His de cauſis, & quòd mul
ti equi conceptis antea morbis agminatim interi-
rent, Turcæ re infecta, traiecto rurſus Danubio re-
ſtitutisq́ue egregia fide tormentis, intra fines redie-
runt: ſed in receptu non defuere Hungari, quin e-
rumperent, & nouiſsimos cędendo ad multum ſpa
cium perſequerentur, Ferentio Gnaro in primis im
pigrè rem gerente. Eo enim die Achomates, qui co-
gendo agmini pręerat, inſignis inter alarum duces,
ab inſequentibus Hungaris eſt interfectus. Eadem
hyeme in Vangionibus totius Germaniæ legatorū
habitus eſt conuentus, in quo Peronottus Granue-
lius inſigni grauitate pietateq́ue religionis caſum
deplorauit, obſecrando Germanos nomine Cæſa-
ris, ut tantis atque adeò diris diſſenſionibus ſpera-
tum toties & nunquam impetratum finem impo-
nerent, quibus diuinæ humanæq́; res pudenda mi-
ſerabiliq́ue inſania in præceps traherentur. Luthe-
ro enim adhuc ſuperſtite, qui ante uiginti annos ea
dem in urbe, ac eodem Cæſare conuentui præſiden
te, inducta placita defendere conatus fuerat, pleri-
que alij nouas diuerſasq́ue à Luthero ſectas condi-
derant, publicatisq́ue dogmatibus, antiquas hære-
ſes excitarant. Miſerat eò Paulus pontifex Thomā
Campegium Feltrenſem epiſcopum, atq; item per-
illuſtres theologos, qui de ſacrarum literarum in-
terpretationibus diſputarēt aduerſus Lutheranos.
Iinouum ſibi nomen induerant, Proteſtantesq́ue
appellari malebāt. Horum princeps erat Philippus
Melanchthon, qui Latinæ facundiæ deditus, noua
& ipſe placita mitiore ingenio publicarat. Pro ca-
tholicis ſtabat Ioannes Ecchius, uetus atque admo
dum robuſtus propugnator, & Iulius Pluggius, prę
ſul deſignatus Numbergenſis. His datus eſt loquen
di locus in conſenſu legatorum, prędente Granue
lio, alternisq́ue diebus dixerunt ac reſponderunt.
De peccato originali primùm diſputatio erat inſti-
tuta: ſed eam alternę diſputationis contentionem,
Granuelius iuſſu Cęſaris, qui tempus differendo cō
ſumi nolebat, ad Ratiſponenſem conuentum reie-
cit. Primo enim uere Cæſar à Rheno ad Danubium
profectus, Ratiſponam Germaniæ regulos, libera-
rumq́ue ciuitatum legationes euocarat. Peruene-
ratq́ue eò ab Roma legatus cardinalis Gaſpar Con
tarenus, eximia uirtute atque doctrina clariſsimus.
Nec multo pòſt affuere plerique reguli antiſtitesq́;

Germani,

Germani, & ante alios Albertus cardinalis Magun-
tinus, omni officio catholici dogmatis, & pontifi-
cię poteſtatis cauſam complexus: è diuerſoq́ue Phi
lippus Lantgrauius, Cattorum princeps, qui tanto
ingenij ſpiritu Lutheranorum uela inflabat, ut Cę-
ſar, ne rem ſummæ ſpei ad publicam ſalutem felici
ter inchoatam ulla animi commotione perturba-
ret, Bucerum theologum in illius porticu conciona
ri pateretur. Diſſimulandum indulgendumq́ue in
præſens exiſtimabat, ut eos molliſsimè conciliatos, in his quæ religionem reſpicerent, ad officium
reduceret. Nam ſi ipſo authore diſceptatore q́ue ea
de religione contentio atque omnis diſcordia tol-
leretur, compoſitis ſtatim Germaniæ rebus, nemi-
ni dubium aut difficile futurum erat, quin Turca-
rum armis egregiè reſiſti, Pannonię regnum recipi,
& Gallorum contundi ſpiritus, & denique firmus
atq; peramplus in Italia dominatus conſtitui poſſe
uideretur. Itaque magno conſilio Cęſar Auguſtani
conuentus formulam ex conſcripto atque edito li-
bello ſubſecutus, cōſtituit ut à ternis utrinque theo
logis Chriſtianę legis ueritas indagaretur: ij fuere à
catholicis, ipſe in primis Eccius, Iulius Pluggius,
atque Groperius. Defendebantur autem proteſtan
tium partes à Bucero, Melanchthone, atque Piſto-
rio: quorum diſputationibus delecti præſidebant,
Fœdericus Palatinus, uir magnitudine probitateq́;
animi inter Germaniæ regulos facilè excellēs, huic
aderant principum ac liberatum ciuitatum ſtudio
appoſiti aliquot ſacrarum literarū profeſſores, qui
auſcultātis Cęſaris authoritate regebantur. Quum
in hunc modum ad Ratiſponam religionis cauſa ia
ctaretur, Ferdinandus de Pannonicis rebus diſceſ-
ſuq́ue Turcarum certior factus, alacri animo ad ean
dem ſpem obtinendi eius regni continuò redit, Ca
roloq́ue fatri facilè demonſtrat nequaquam incœ-
pto abſiſtendum, poſtquam fortuna ſatis felicibus
initijs arrideret: nec reuerſuri eſſent Turcæ, qui ad-
uerſo conatu aſperitateq́ue hyemis, & commeatus
inopia fatigati, deſerta regina intra limites conceſ-
ſiſſent. Itaque nouæ copiæ in ſupplementum Vel-
ſiani exercitus antea conſcriptæ, quum id de Turca
rum aduentu crebri rumores poſtulaſſent, è Norico
in Pannoniam mittuntur, præficiturq́ue eis Vilер-
mus Rochandulfus regiæ aulæ magiſter, qui dudū
ut Peſtanis opem ferret, Poſonium uſque deſcende
rat: is uiridi admodum ſenecta, ore militari, conſtan
tiq́ue ingenio, grauiſsimi ducis habitum præfere-
bat. Nam Veneto bello ante triginta annos cū lau-
de ordines in Italia ductarat, Pannonicæq́ue regio-
nis peritus habebatur. Velſius enim non armorum
uſu, aut ſtudio militum, ſed ætatis tantum ac officij
dignitate inferior, locum facilè concedebat, quòd
laceſſente morbo uideretur inutilis, inuiſusq́; eſſet
Hungaris, & à Pereno contracta ſimultate diſſenti-
ret: ſed nihil quoque in oppugnanda urbe ſtrenuè
facturus credebatur, quòd antea apud deliberantē
regem, oppugnandæ Budæ conſilium exquiſitis di
ſciplinę rationibus improbaſſet. Nec mora Rochan
dulfus, trium ferè menſium commeatu, qui ſecun-
do amne deferretur, diligēter inſtituto, muralia tor
menta à Viennenſibus mutuatur, itemq́ue à Bohe-
mis & Sleſitis, atque Morauis auxilia accerſit, uete-
req́ue exercitu inſpecto acceptoq́ue Budam profe-
ctus eam obſidere oppugnareq́ue conſtituit: ſed ab
alijs omnino locis, ſecus ac ipſe antea animo conce
piſſet. Immutata enim erat urbis facies: nam ingen
tia propugnacula peritiſsimè conſtructa, nouarum
q́ue turrium moles admirabatur, quas Ioannes ar-
chitecti Bononienſis ingenio fretus muniēdis por
tis addiderat. Sed mons præaltus ex aduerſo arci
urbiq́; imminens, intercedente ualle, atq; ea quam
diximus, foſſa ita aſſurgebat, ut media montis arcis
faſtigium æquaret, ſummo autem cacumine, regio

nes, plateæ, interioraq́ue urbis tormentorum ictī-
bus ſubiecta ſpectarētur. In eo templum erat Diuo
Gerardo, à quo nomen ducit, dicatum. In hunc mō
tem Rochandulfus, quòd eum ad oppugnandam
arcem terrendamq́; reginam idoneum rebatur, tor
menta perduxit, uehementerq́ue adeò quaſſauit no
uam turrim, ut ingentibus diſrupta pilis collapſura
uideretur. Sed Rochandulfus, ſuo an regis conſilio,
incertum, nobiliſsimæ regiæ parcendum exiſtima-
bat, quum exornatas porticus, & perpicta laqueari
bus aureis cœnacula breui concaſtura conſpiceret,
quæ ab ipſis demum uictoribus, neque deſiderari,
niſi magno cum dolore inanis pœnitentiæ, aut in-
ſtaurari, niſi immenſo auri pondere, & longo tem-
poris ſpacio cenſerentur. Cæterùm per præcones,
quibus ad commeandum induciæ perpetuæ inuio
labili iure gentium manebāt, reginam hortabatur,
ut ſeruitutis cōpedes abrumperet, quas Georgius
inteſtinus hoſtis, ſimulato tutelæ nomine, ipſius &
pueri cruribus innexiſſet: paratū enim eſſe ampliſsi
mum principatū liberalitate regis, in quo ipſa cum
dignitate ad ſecuritatem conquieſceret, puerumq́;
nutriret: quòd ſi ea omnino munera, uti mentis in-
ops ac ignara periculi, repudianda arbitraretur, ac
imminentis calamitatis caſum obſtinatè contem-
neret, ſe daturum operam, ut maioribus tormentis
ac ingentibus mortarijs, quæ in ſublime caſura, de-
mum ad excidium tectorum marmoreas ingētes pi
las excuterent, totius arcis ac regiæ contignationes
exitiabili cum fragore frangerētur. Ad ea Georgius
reſpondit, non eſſe adeò inſulſo ingenio reginam,
ut Pannoniæ regnum Sepuſiano principatu permu
tare uelit. Rochandulfum uerò, ſibi ualde delirum
ac inſanum ſenem uideri, quòd quum antea in iſ-
dem foſsis grauiter uapularit, id modò ſtolidè quæ
rat, ut ad perniciem cumulatæ temeritatis pœna
mulctetur. Proinde uiros fortes pro patria regęque
Hungaro aduerſus temulenta agmina ſobrię pro-
pugnantes terrere deſineret: nihil enim eos immā-
nium globorum ſtrepitu commoueri, uerūm ſe u-
num ex omnibus à Rochandulfo priuatæ humani-
tatis iure comiter poſtulare, ut tormenta aliquanto
mitius diſploderet: eſſe enim ſibi ſcropham domi
unicam prægnantem, quæ tot ſclopis & bombis
exterrita, abortum magno conuiuarum ſuorum do
lore factura uideretur. Nec multo pòſt Rochandul-
fus à monte Gerardò ad ſepulchra Iudæorum, nihil
loci nomen abominatus, motis repentè caſtris, om
nem tormentorum apparatum tranſtulit. Is locus à
Iudæa porta inter orientem atque meridiem non
iniquus, quanquam ſenſim accliuis ad proxima ui-
neta protenditur. At Georgius, ubi hoſtem ad ſe-
pulchra caſtrametantem uidit, nihil de ſolita urba-
nitate ad iocandum remittens, à Rochandulfo pe-
tijt, ut errati ueniā daret, quòd eum nuper falſo de-
lirum ſenem appellaſſet: quoniam in æquiora loca
ductis caſtris ſapiens omnino, mentisq́ue inte-
ger euaſiſſe uideretur, poſtquam proprio in loco, &
ipſi exactæ ętatis ſeni, multumq́ue irrito labore fa-
tigato, & damnatis pariter copijs aptiſsimo conſe-
diſſet. At Rochandulfus ferream curulem caueam,
uti feræ belluæ Georgio comminatus, à duabus ſi-
mul partibus ad diſtinendos hoſtes oppugnare con
ſtituit. Hungari Pereno duce, atque his adiunctæ
Bohemorum cohortes, inter Horſacam munitionē
& Sabarinam portam tormenta protulerunt. Ipſe
cum Germanis à Iudæa porta ad arcem, qua regij
uiſuntur horti, tanta ui quaſſauit murum, ut pars
concuſſa perfractaq́; procideret, pars uerò premen-
te atque impellente interno aggere, quem intus
Budenſes ſubitariæ munitionis cauſa mœnibus ad
ſtruebant, inexpectato caſu in exteriora laberetur.
Ea res propugnantes magnopere conterruit, quòd
ipſorum diligentia ſecus ac ſperaſſent, irreparabili

damno repentè edito nouum periculum attulisset:
sed tantę occasioni defuit Rochandulfus. Cęterùm
usque adeò mœnia tormentis adaperta prostrata-
que cernebantur, ut in longitudinem unius ferè sta
dij eminente tantum ad altitudinem staturę homi-
nis antiquo aggere, uel breuibus scalis se facilè scā-
suros, ac in urbem irrupturos milites dicerent. Iam
que nox aderat, apud Germanos curandis corpori-
bus, quàm rei gerendæ aptior. Ex uetere etenim gē
tis disciplina, tenebras ac insidias perosi, decora tan
tum ea uulnera existimant, quæ spectante exercitu
in præclara luce susceperint. Itaque aliquot prolatę
sunt scalæ, & per tenebras magno silentio iuxta rui
nas appositæ, eo consilio, ut sub auroram composi-
tis ordinibus conferti milites subirēt. Cæterùm Bu
denses ab hostili mora spacium nacti, incredibili di
ligentia, omnisque generis sexusque hominum fre
quentia, nouum intus aggerem protinus erexerūt,
animaduersisque hostium scalis, eas continuò ra-
puerūt. Porrò Germani sub auroram instructa acie
per accliuia subeuntes, tanta ui munitiones sunt ad
orti, ut Otho Fotiscus in perruptam domum, quæ
muro coniuncta erat, audacissimè penetrarit, cæte-
ræque cohortes, quum præeuntem quemque mili-
tem succedens humeris subleuaret, in ruinis uexil-
la præfigere niterentur: sed Budenses mira constan
tia irrumpentium impetum tulerunt, cohortante
propugnanteque Georgio, qui deposita cuculla, ga
leatus toto aggere uolitabat. In eo tumultu Rochā
dulfus supra octingentos milites amisit. Perijt &
paucos post dies, distracto ui tormenti, resilienteq;
lapide, haudquaquam ab initio lethaliter ictus Hie
ronymus Iadarensis, Austrianæ classis præfectus.
Pari quoque euentu, sed minore accepto detrimen
to, Perenus ad Sabatinam portam repulsus, ab op-
pugnatione discessit. Exinde Budenses adeò ani-
mos despectis hostibus sustulerunt, ut erumpere sę
pius auderent. Tentauere demum Austriani duces
effossionibus atq; cuniculis murū subruere, quòd
plerique adessent milites è Rhœtia argentarijs fo-
dinis assueti, Bohemique præsertim infecturis me-
tallorum operam nauantes: sed Budenses depre-
hensis hostium consilijs atque operum initijs, nota
atque instituta ratione, dum fossas introrsus ex ob-
liquo pertraherent, certaq; erupturis incendijs spi-
ramenta relinquerent, diligenter atque feliciter oc
currebant: urgebantur tamē tanta uariarum rerum
inopia, ut nequaquam paulo longiorem obsidionē
pati posse uiderētur, & fame laborantis populi que
relis locus esset, usque adeò ut urbana multitudo
tumultuarijs uocibus imponendum esse finem ine
diæ, publicoque periculo, & deditionem omnino
faciendam succlamaret: sed tanta inerat Georgij in
genio authoritas cum summa in omnes casus urgē
tium rerum industria, ut quum concionanti similis
in forum prodiret, quò uellet uel corruptos aliena-
tosq; ciuium animos impelleret: parum tamen ab-
fuit, quin urbs ipsa, quæ ui capi non poterat, inte-
stina fraude proderetur. Erat inter Budēses uir Hū-
garus in iure dicundo prætoria functus potestate,
nomine Bornemissa, is Georgium uehementer ode
rat. Itaque liuoris plenus, uindictæque percupidus,
Francisco Reualio, qui in Austrianis castris ius dice
bat, se daturum ad ingressum exoletam portulam
promisit: ea erat in sepulchretis solēnis templi Dei-
paræ uirgini, cognomento Germanicæ dedicati, e-
ratque usui pacis tempore per decliuia petentibus
flumen: rem igitur ad se per Reualium delatam ita
probauit Rochandulfus, ut nihil tamen Hungaris
in tantę spei negocio committendum arbitraretur,
secus ac ipse Bornemissa præcipuè deposcebat, ut-
pote qui sine sanguine tot insontium ciuium, quo-
rum salutem priuato facinore proderet, rem patra-
re, exulibusq; omnino Hungaris uti uellet, quibus
A erga patriam & propinquos, notosque ipsis pieta-
tem & clementiam minimè defuturam spectaret.
Cæterùm Rochandulfus, ut exclusis Hungaris so-
lus conceptæ uictoriæ famam usurparet, usurum se
Hungarorum opera simulat, Reualiumque decipit,
à quo etiam filium obsidem acceperat. Nam ad con
stitutā horam intempesta nocte, omnibus nihil sese
per castra commouere, & conquiescere iussis, dele-
ctas quatuor Germanorū cohortes silentio ad por-
tulam pręmisit, Condeo filio cum ala Germanorum
equitum in statione constituto, ut quum à receptis
intra urbem Germanis proditoribusque, uti conue
nerat, maior & militaris uiæ porta refringeretur, cō
festim cataphractos equites induceret. Nec Borne-
missę in ipsa perfidia fides defuit. adaperta enim por
tula quam diximus, cohortes magna ex parte su-
spensis uestigijs sunt introductæ: sed quum Borne-
missa singulis intrantibus Reualium summissa uo-
ce requireret, neque alio quàm Germanico fremitu
respōderetur, intrepido alioquin animo, uti plerun
que accidere deceptis solet, improuisus obrepsit pa
uor, ita ut anceps atq; incertus consilij, nec pręeun-
tibus, ignaris scilicet quem primum urbis locum
occuparent, dux esset, nec Germani contento iam
gradu in tenebris fraudem suspectantes alacriter
procederent, quum respectare, ac ab ultimis itineri
& gerendæ rei signiferum petere cogerentur. Non
fefellit Budensium excubias incedentium agmen.
Itaque petito, nec ab hoste reddito tesserę nomine,
ad arma conclamatum: sed id serò erat, iam semica-
pta urbe, nisi diui Budę tutelares deprehensis & er-
rantibus aduersi, tanti iam patrati facinoris auda-
ciam in subitum metum uertissent: tanta enim ani-
morum consternatione regredi, portulamque repe
tere properarunt, ut in angustissima porta afflicta-
rentur, impedireturq; exitus hastarum strue, quam
B primi proiectis armis effecerant, ut leuius ac expe-
ditius in castra profugerēt. Vrbanus Bacianus, qui
uigilias ea nocte circuibat, primus cum expedita co
horte euadentibus superuenit: adductęque eò sunt
à Vichio, latè iam cognito auditoque tumultu, ua-
lidæ peditum atque equitum manus, quę more mi
litiæ in foro ad incertos belli casus excubabant: ita
audacissimi Germanorū, qui primi irruperant, cum
nouissimi agminis facti in fugam se conuerterent,
trucidantur, capiunturq; nonnulli, & in his Borne-
missę familiares: nam ille inter primos euaserat. De
his autē, Reuallijq; item amicis, à Georgio quæstio
nes habitæ, erutaq; est uarijs cruciatibus totius pro
ditionis series, & de cōfessis fœdi crudelisq; specta
culi supplicium est desumptū. Itaq; Rochandulfus,
quòd consilia & conatus omnes fortuna pręuerte-
ret, & totis castris inconsultæ peruicacisq; superbię
uel gregariorum militum iudicio damnaretur, nec
dolorem ac infamiā corruptæ tantę occasionis atq;
uictoriæ animo sustineret, reliquas belli cogitatio-
nes ad obsidendos hostes cōuertit. At Solymanus,
his rebus quæ à Cæsare fratreq; eius aduersus regi-
nam parabantur, opportunè cognitis, tuendi profe
rendiq; imperij rationes explicat, hostium cōsilia &
facultates expendit, adhibetq; in consiliū purpura-
tos Bassas, ac ingēti animo, diuisis copijs delectisq;
ducib. uno tēpore locis omnib. statuit occurrendū.
In primis Solymanus Acarnā Eunuchus in Mesopo
tamiā mittit, qui Babylone cōsistat, Tamasumq; Per
sarū regē à Tigridis ripa deterreat. Mahometē uerò
purpuratū, natione Dardanū, q obsessæ reginæ opē
ferat, in Pānoniā proficisci iubet: deligitur & Vstre
fus ex Illyrico quartus ordine purpuratus, q Maho
metē subsequatur, subsistatq; Belgradi intētus ad fe
rēdā opē, si Mahometes ualidiores hostes inueniat.
Attribuitur & sua classis Hariadeno Barbarusę, cui
antea maris imperiū erat delatū, ut daret operā, ne
qd detrimēti in Gręcia atq; Epiro ab Auriana classe
recipe-

reciperetur. Paulo enim antè Auria Siculis Neapoli
tanisque triremibus sibi adiunctis, Turcas & Pœ-
nos Turcis fauentes Clupea, Neapoli, Adrumento,
Ruspina, Tapsoque, & denique tota ea Aphricæ re-
gione, una excepta urbe Lepti, quæ Mahomedia à
Pœnis, Aphrica à nostris dicitur, ad Mænicis usque
insulæ Syrtes depulerat, Muleassisque Tunetani re
gis imperio parere coëgerat. Eæ urbes hodie sunt
Calibia, Susa, Mahometa, Monasteriū, Sfaxia & Af-
frica: tum enim Auria ingētem exornabat classem,
ut ad expugnandū Algerium in Mauritaniā trans-
fretaret. Et quoniam Solymanus Maylatū in Tran-
syluania Ferdinandi rebus studere, bellumque mo-
liri didicerat, aduersus eum Mustapham Nicopoli-
tanum præfectum superato Danubio contendere
iussit, imperauitque Petro Moldauo Valacchorum
principi, ut Mustaphæ bellum gerenti præstò ades-
set. Is Turcarum copijs triginta milia suorum equi
tum adiunxit, magnoq; astu Maylatum, ut mox di-
cemus, in potestatem redegit. Ipse autem Solyma-
nus plus æquo Christiana arma ueritus, Hadriano-
polim proficiscitur, tertium ex propinquo exerci-
tum, si opus foret, subsidio duobus præeuntibus
purpuratis allaturus: retento secum Rostane gene-
ro, quem inter Bassas asciuerat, Luphtibeio scilicet
gradu pulso, relegatoque in Macedoniam, quòd u-
xori quæ Solymani soror erat, desertum sibi relin-
qui coniugalem torum peracerbè conquerenti, ob-
iectantique dissolutas libidines, indignè ac insolen
ter manus iniecisset. Igitur Mahometes rei gerendę
pariter ostendendæq; uirtutis cupiditate incensus,
iustis confectis itineribus, paulo post solstitium in
Pannoniam peruenit, adiuncto sibi ex itinere alte-
ro Mahomete Belgradensi, accitisq; item Bosnensi-
bus copijs, quibus Vstrephus dudum fato functus,
Pestano bello pręfuerat. Huic in pręfectura succes-
serat Vlamanes Persa. At Germani, ubi de aduentu
Turcarum certius cognoscunt, uarijs inter se dictis
sententijs decertant: disputatur enim in consilio,
præstétne obsidionem soluere, an contraire hosti-
bus prelioq; certare: sed impellentibus fatis, ut Tur
cæ Pannoniæ regno potirentur, Rochandulfi sen-
tentia uicit. Is nil tutum, quod esset indecorum, pu-
tabat, adeò ut uinci atque emori incolumi constan-
tię laude, quàm exercitum seruare malle uideretur.
Castra itaque in aduersam urbis partem ad Gerardi
montis radices transferuntur, qua mons inter Bu-
dam & castra positus, recedensque à flumine latam
ab oriente planiciem relinquit, eo cōsilio, ut aduen
tantes Turcæ, quos nihil à classe fluminéque discess
suros uidebat, contra rectam tormentisque muni-
tam castrorum frontem procedere, & periniquo lo
co transitum tentare cogerentur. Ea enim erat natu
ra loci, ut castra hinc præalta imminētis montis cre
pidine, illinc uerò ad læuam præterfluenti Danu-
bio munirentur, in tergo autem præualidus agger
erat erectus, contra portam turrimq; quam Buden
ses quòd flumine abluatur, Aquariam uocant. Nam
ab excelsa urbis arce, duo brachia pinnati muri per
decliues præruptosque descensus ad flumen dedu
cta erant, tantumque loci in ima ripa intercipiebāt,
quantum in summo tota arcis amplitudo comple-
ctebatur. In eo spacio, cum stabulis regijs uetera e-
rant naualia, binisque portis ac turribus præclude-
batur id iter, quod iuxta flumen haud multam lata
ripæ margine in campos perducebat. Porrò in de-
xtram ab ipsa fronte Rochandulfus perpetuam mu
nitionem in aduersum montem erexerat, ibiq; mi-
nora castra in queis erant Hungari, editiore loco po
suerat. Parua quoque insula ponte constrato castris
iungebatur: in ea erat lunatus agger maioribus tor
mentis egregiè munitus, quibus & subeuntia ho-
stium nauigia, & ea quam diximus lata planicies,
ex obliquo peterentur. Cogitabat enim stabili at-
A que perpetuo consertis inter se nauigijs ponte cō-
structo, Pestanis mœnibus castra committere, in-
deque nouas copias opperiri, aduentātis hostis im-
petum sustinere, diuturnaque maximè obsidione
Budenses premere. nam tantus commeatus, tan-
tusque rerum bellicarum apparatus ad Pestum fue
rat institutus, ut uel in multam hyemem abundè
sufficeret. Cæterùm appropinquantibus Turcis,
Valentinus cum duobus milibus equitum legati
munere functus occurrit, quid hostes parent, qua-
les quantique sint, utrumque Mahometem diligen
ter edocet, opportuna ponendis castris loca demon
strat. Itaque Mahometes Bassa audacter promotis
agminibus, quinque fermè stadiorum spacio ab ho
ste consedit, circundatque sese celeriter ingenti fos
sa per Asapos pedites, quibus in opere faciūdo Tur
cæ plurimum utuntur, totamque eam planiciem ta
bernaculis innumeris complet. Belgradensis uerò
Mahometes rei bellicæ peritissimus, per colles qui
sese molliter inflectunt, Gerardoque monti relicta
planicie coniunguntur, editiorem capit locū, Hun-
garorum magis quàm Germanorum castris propin
quum. Tum uerò legati Turcæ ducum nomine ad
salutandam reginam urbem intrant, magnam ma-
ioris minorisque pecoris multitudinem ex Hunga
rorum tamen pascuis abactam dono dant, mirātur
subitarios aggeres, terrificosque hostium conatus,
Budensium constantiam laudant, profitenturque se
eorum iniurias celeriter ulturos, excultique donis
discedunt, Budamque demum pariter ac ipsa castra
mutua securitate commeantibus utrinque Budensi
bus & Turcis patuerunt. Tanta autem apud utrun-
que Mahometem, cùm uerbis, tum omnibus offi-
cijs, humanitas atque prudentia spectabatur, ut ne-
quaquam simulata aut temporaria inter Turcas &
Hungaros amicitia, cuius nomine ad ferendam o-
B pem aduenissent, sed maximè sincera & diuturna,
uel ab astutis pueri nutritijs crederetur. Cæterùm
binis utrinque eo modo constitutis castris, binæ
quoque classes accedebant: in Austriana erant bire-
mes uigintiquatuor, maiores minoresque Nasadæ,
quarum formam nauali prælio ad Strigonium fa-
cto suprà retulimus, circiter octoginta, onerariæ ue
rò naues, & magni lintres paulo minus centum:
Turcarum uerò classis omnis generis nauigijs di-
midio minor censebantur. Hanc tortuosi litoris cu
bitus in altum exporrectus, effecto intus latissimo
sinu, opportunè ab hostium tormentis protegebat,
Austriana in altero consimilis profluentis flexu, tu-
tissimam stationem obtinebat, actuarię autem ob-
iectu paruæ insulæ tegebantur. Nam Turcæ proxi
mam huic Cepelliam insulam è regione castrorum
occuparant, in superioreque parte ubi Danubius
ueluti rostro scinditur, munitionem erexerant, in-
deque paribus tormentis paruæ insulæ aggeres &
commeantia nauigia diligenter infestabant. Cepel
lia quadraginta amplius millibus passuum in lon-
gitudinem extenditur, pagis ædificijsque referta,
ac ideo opportuna, ut si eam ab initio Rochandul-
fus, sicuti iudicabant Hungari, occupandam mu-
niendamque suscepisset, appareret Turcas nequa-
quam castrametandi facultatem habituros, aut o-
mnino relicturos classem, si ad occidentem, ubi an-
tea Rochandulfus constiterat, magno circuitu ca-
stra ponere uoluissent. Pugnabatur quotidie minu
tis prælijs circa planiciem ab equitatu, & ad supe-
riores munitiones, ac in monte ab extraordinarijs
peditibus. Nam Mahometes Bassa præter sagitta-
rios Asapos, egregiam etiam Ianizerorum manum
& Belgradensis Illyricos & Triballos adduxerant:
sed equites utrinq; pari alacritate pugnam ciebant,
quum promptissimus quisq; aut paulo nobilior e-
ques, ad ostentandam uirtutem ex aduersa acie pa-
rem sibi eū, qui armis ac insignibus conspicuus ob-

uersaretur, ad singulares concursus prouocaret, usqueadeò iucundo pugnæ genere, ut militari comitate per aliquot horarũ inducias, cessantibus bona fide sclopetarijs, ut uera uirtus emineret, hastis tantũ & gladijs certaretur. In his exercitationibus Germani sæpius inferiores Turcis euadebant, utpote qui robustis atq; prægrauibus equis, ac ob id statariæ præsertim pugnæ assuetis more gentis uterentur, quos si procurrere, aut deniq; refugientẽ hostẽ consectari uellent, segnius omnino quàm oporteret incitarent, & tum facillimè eludendo breuẽ eorum impetum, Turcæ agiles è manibus elaberẽtur: nati scilicet ad liberas excursiones è uetere disciplina, in qua celeriter insultare, ac euitandis ictibus equorum cursum inflectere, reuertiq; demũ, & cum dispersis cominus pugnare consueuerunt: sed similes edocti artes Hungari exules paribus armis ac animis, uel multo plures Turcas facilè sustinebant, quum latis protecti scutis, ualidisq; pariter ac pernicibus equis insidentes, loricati galeatiq; magna ex parte Turcarum inanes hastas sagittasq; cõtemnerent. Erat inter Germanos duces insignis Raisciacus Sueuus: huius filius impiger adolescens, quum ignaro patre in aciem prodijsset, strenueq; decertãs spectante ante alios, atq; admirãte uirtutem patre, à cunctis uel ignotus effuse laudaretur, priusquã se explicaret à circumfusis hostibus est interfectus. Tum uerò Raisciacus casu equitis uehemẽter commotus, ignarusq; suæ sortis, conuersus ad alios duces, Omni, inquit, laude perornandus uidetur hic quisquis sit equitum longè fortissimus, ac omnino publici funeris honore tumulãdus. Id quũm ab omnibus pari pietate probaretur, infelicis filij ad longè miserrimum patrem cadauer est relatum, uerioresque tum omnibus obortę sunt lachrymæ, sed in patre repentinus dolor profundius ad uitalia peruasit, atq; ita ille paulo pòst, quũ rigentibus oculis stetisset, nihil effatus interijt. Exinde Rochandulfus graui edicto quenquam pugnandi causa castris exire uetuit, adeò seuera lege, ut unum atq; alterum egredi pugnareq; ausum, in furca suspenderit: continendos enim milites existimabat, quòd Germanicus equitatus omnibus rebus esset inferior, quòd Ianizeri sclopetarij mirificè pugnarent, quòd expectare nouas copias oporteret, quæ res suorum animos imminuit, & Turcarũ spes in immensum adauxit. Iam transierant multi dies ab aduẽtu Mahometis, magisq; ac magis Turcis atq; Budensibus animi uiresq; crescebant. Porrò apud Austrianos, ad non dubiæ cladis omen, quo uno subsidio res humanæ bellicæq; præsertim constant, spes fractæ uisebantur: sustentabant tamen animos frequentes literæ Ferdinandi, peramplaq; existimatio Cæsaris, nequaquam in eo rerum discrimine fratri germano copijs atq; pecunia defuturi: atq; ipsa demum ducis constantia, quæ apud eum omni ratione potior erat, ut inde celerius in sua fata traheretur. Eo modo quũ utrinq; quotidie tormentis maioribus atq; minoribus certaretur, Turcæ ab editioribus locis, & è proximo Cepelliæ promontorio conspicati segnes in insula Germanorum stationes, communicato inter se cõsilio, ut è duobus castris uno tempore diuersas hostium munitiones inuaderent: inalbescente cœlo, in insulã cum expeditis nauigijs aduolarũt, adortiq; magno silentio semisopitos, penè priusquam sentirentur, aut sese Germani captis armis conglobarent, supra sexcentos milites trucidarũt: reliquis uerò ex repẽtina clade tantus incidit pauor, ut quũ perfugerẽt in castra, nec perturbatos angustiæ pontis facilè caperent, multi utrinq; decidentes profluente mergerentur, transeuntes uerò è Barbarorum classe, quæ in aduersum pontem proras adegerat, confixi sagittis interirẽt. Tumultuatũ est uehementer totis castris, quum Turcæ pluribus simul locis,

A magno clamore edito, & ingenti strepitu tormentorum munitiones inuasissent, pariq; metu atq; periculo, à reliquis Germanis Bohemisq;, ac ipsis Hungaris desperato penè subsidio certaretur. Sed ad recuperandã insulam, neq; his Germanorũ cohortibus, quæ in extremo ad flumen aggere in statione constiterant, neq; socijs naualibus, aut expediti cõsilij celeritas, aut pręsentis animi magnitudo defuit. Nam cohortante Herbestulfo castrorũ magistro, ne à Barbaris Christiana signa atq; tormenta rapi paterenẽ, Marioq; simul Neapolitano, qui tũ classi præerat, biremes maioresq; Nasadas propugnatoribus plenas ad insulam appellente, tanta ui Turcis cadauera spoliantibus, ac ut tormẽta capta protinus aueherent ad naues propellentibus incubuerũt, ut trucidati cõpulsiq; in naues, ac à terra simul & à circunfusis biremibus profligati, tormenta simul ac insulã uictoribus æquata clade reliquerint. Ferunt ea die Barbarorũ classem deleri potuisse, si nostri uictoria utẽtes, adiutiq; secundo cursu atq; impetu tanti amnis, in puppes fugientiũ rostratas proras adigere, cõmixtiq; descendere uoluissent. Sed tormenta quę in ipsa Cepelliæ fronte, & in aduersa castrorum ripa à Turcis erant constituta, anceps omnino descendentibus periculũ ostendebãt: facilè enim multa demũ post confectũ subitę rei certamẽ animaduersa sunt, quæ in ipso cõmoti discriminis articulo opportunè prouideri non poterant, quũ uel expeditis atq; fortissimis ducibus, plerunq; consilium ac mentem repentini casus eripiant. Barbarorũ tamen Nasadæ quatuor demersæ sunt, & tres captæ, multiq; in eo tumultu aut tormẽtis discerpti, aut absorpti flumine perierunt. Herbestulfus ipse, quũ ante signa fortissimè dimicaret, tribus sagittis per apertã galeã receptis grauiter uulneratus discessit. Sequẽtibus autem diebus, Turcę magis ac magis trepidatione nostrorum alacriores facti, tanto cõtemptu ex omnib. locis lacessendo prouocandoq; infestabant castra, ut nullum ferè quietis spacium succedẽtibus in stationẽ cohortibus relinquerent, & nostri diutius castra se tueri posse, crescentibus præsertim hostiũ copijs atq; animis, desperarent. Nam Vstrefus Bassa à Belgrado recentes quotidie milites, receptis ad se ægris atq; saucijs suppeditabat, & Valentinus adiuncta sibi delecta Turcarũ manu Ianizerisq; sclopetarijs, è superioribus castris Perenianos equites depulerat: occupatoq; Gerardo monte ad eum usq; locum, ubi ingẽs lignea crux erecta conspicitẽ, multis hostiũ stratis ita peruenerat, ut auersa castra ad Aquariam turrim uergẽtia audacter inuaderet, magnusque totis castris tumultus orireẽ, quũ nostris undiq; circunfuso hosti esset repugnandũ. Sed præter singularẽ Germanorum Bohemorumq; in omni labore [illegible] periculo perseuerantiam, magno usui fuerũt Pe[illegible]orum tormenta, quibus Valentini copiæ intercedente Danubio petebantur: sicut plerosq; equites libratis ad descensum maioribus colubrinis interficerent, & reliqui in tutum se recipere cogerentur. Ferunt ea die Valentinum nihil Hungaris
B exulibus, sed Germanis maximè infensum, certo iure priuatæ humanitatis ac amicitiæ, per fidum equitem Pereno suasisse, ut se Hungarosque omnes festinanter imminenti clade eriperet, quoniam bellua ingens, quæ uniuersos uno hiatu deuoraret aduentare nunciaretur. Solymanus enim cognitis his rebus, quæ à Cæsare Ferdinandoque pararentur, ratus eos ad Budam cum magnis copijs descensuros, statuit tantæ occasioni, quæ nobili prælio, gloriosæq; uictoriæ casum aperiret, magnis itineribus occurrendum. Itaque Perenus apud Rochandulphum ducesq; liberè locutus, quæ accepisset retulit, testatusque est, nisi de receptu decerneretur, sibi atq; Hungaris ad salutem esse consulturum. Quum sententiæ uariarent, sed omnes tamen Pestũ noctu perfu-

perfugiendum arbitrarentur, unus Rochandulfus fatali obstinatione pernegabat se iniussu Ferdinandi regis à Buda discessurum. Itaq; Salma celeri myoparone Viennam mittitur, qui regij iudicij decretũ referat. Interim urgente metu, frementeq; Pereno, statuunt noctu silente luna quatuor commeatibus ad Pestum traijcere. In primo tormenta maiora & Hungaros, in secundo equites Germanos atq; Bohemos, in reliquis peditatum omnem cum castrensibus impedimentis collocabant. Itaq; primis & secundis transeuntibus fortuna nõ defuit. Sed ea cõmeantium nauium frequentia, intentos & diligenter speculantes diu nequaquam fefellit. Nam Vsarones duo perfugæ, ad Georgium Valentinumq; institutæ fugæ cõsilium detulerunt: ab his extemplò certiores facti duo Mahometes, totis penè copijs ad oppugnanda castra contendunt, tormenta currulia producuntur, præeuntibus Ianizeris cæterisq; peditibus iuniores equites dimissis equis succedunt, terribiliq; ululatu edito, stationes adoriũtur: tum uerò Austrianis detecta ipsorũ fuga animus cõcidit, resistunt tamen acriter Bohemi, pariterq; Germani qui iuxta flumen ad insulæ pontem excubabant. Tumultuatur autẽ totis castris, & in ripa maximè, quũ quisq; pauore concepto naues conscendere, nullo ordine, nulloque pudore uel per mutua uulnera properaret: cuncta enim terribiliora, uel fortibus uiris reddebat nox intempesta, & nubilo tum cœlo perobscura. Rochandulfi aũt in tenebris, tantoq; fremitu suorum ac hostium clamore, reboantibus undiq; tormentis, nullum erat imperiũ. Is tum supra ægritudinem animi admirabili & prorsus fatali casu uulneratus decumbebat, quum fortè literas ad regem perscribenti, ex hostium castris ferrea falconis pila tabernaculo incidens, arcamq; oppositam ictu perfringens, resilientis tabulæ fragmentũ in læuum eius humerum grauiter adegisset. Cæteri porrò peditum duces proprio occupati metu, hærebant potius, quàm irruentibus hostibus repugnabant. Itaq; superiora primùm castra, ubi Perenus cõstiterat, à Belgradensis Valentiniq; copijs occupantur, Germaniq; toto Gerardo monte præcipiti fuga dispalantur. Neq; interim Budenses paratæ occasioni ad intercludendos hostes defuere, quin ab Aquariæ turris porta, & per eam fossam, quam à Ioanne rege perductã ad flumen diximus, confestim erumperent, & ab aduersa castrorum parte stationes iam planè desertas inuaderent, cõiectisq; in hostes igniuomis globis tentoria incendere niterentur. Georgius autem tam subito quàm felici consilio ad stabula regia pabuli strues succendit, tantaq; inde latè refulgens flamma repentè emicuit, ut quũm Danubius nitido undarum æquore igneæ lucis splendorem exciperet, repercussuq; diffusum ad Pestanam usq; ripam diurno lumini persimilem euibraret, tota ea cùm terrestris tumultus, tum naualis fugæ fœda facies spectaretur. Tum uerò tormenta undique in fugientem classem directa contortaq; sunt, ut nõ solũ ab Aquaria turri, summaq; arce à Budensibus, sed à binis etiam Turcarum castris, & è Cepellia, uel ad incertos ictus cõturbata nauigia peterentur: tanta quoq; locis omnibus inuecta luce, Cassonus qui classi præerat, expeditiora nauigia, remis per aduersum flumen contendens, in latus hostilis classis incitauit. Itaq; conserto nauali prælio, quum à nostris iniquã ubiq; fortuna certaretur, lintres onerarij aliquot militibus pleni capiuntur, nõnulli tormentis perforati demerguntur, repletur totus amnis cadaueribus, miserabiliq; præsertim turba nautarum & militum enatare conantium. Trecentis ea nocte nauigijs incredibili conturbatione inter se cõmixtis, & aliquandiu hærentibus, totus penè amnis uno ueluti ponte constratus apparuit: sed Austrianæ biremes maioresq; Nasadæ desperatis rebus incolu-

A mes sese celeriter è manibus Turcarum explicãtes, à puppibusq; hostes tormentis submouẽtes, ad Comoram ascenderunt. Terrestres uerò copiæ in castris eandẽ fortunã tulere, sed decoro maximè uitæ exitu Bohemi impauidè repugnantes, & Othonis Hechijq; summi peditum ducis cohortes aduersis uulneribus cõciderunt. Vbi uerò sol oriens nostrorum stragẽ Barbarorumq; uictoriã detexit, circiter tria milia hominũ omnis generis, quæ accliui tumulo more militiæ sese ad Gerardi templum erectis uexillis conglobarant, à circunfusa multitudine trucidata sunt: eorũ tamen pars ferè tertia, quum proiectis ad terram armis salutẽ peteret, deditionẽ fecit, ut maiore demũ uitæ ludibrio, ad spectaculum ipsa morte turpius seruareẽ. Eodem quoq; tẽpore Cassonus uictrice classe ad Pestanã ripam delatus, tantũ terrorẽ his qui euaserant, tueriq; mœnia facilè poterant, uel solis clamoribus & tormentorum bombis intulit, ut equitatus trepida fuga, quũ se portis effunderet, in angustijs afflictareẽ. Vsqueadeò enim Germani pristinæ uirtutis obliti, ad Turcarũ nomẽ trepidabant, ut quum in nauigijs linteata capita cõspicerent, relicta mensarum argẽtea supellectile, ac omnibus charissimarũ rerũ sarcinis & curribus desertis, attoniti inermesq; profugerent. Cæterũ Cassonus nemine mœnia aut portas defendente protinus irrupit. Tanta autem feritate peruagando oppidum, Christiano cruore lætatus est, ut ne ægris quidem, quorum magnus erat numerus, & fœminis lixarum more Germanorum castra sequi solitis parceretur: omnes enim promiscuè Barbari trucidabant, nisi quos aut ad seruitutem forma & robur, aut teneræ ætatis flos, ad spem libidinis reseruarẽt, ita ut eo bello supra uiginti milia Christianorum capitum uarijs casibus interempta tradantur. Capta autem sunt Pesti & in castris, insulaq;, & in nauigijs
B in ripã nondũ exposita exactæ pulchritudinis muralia tormenta triginta sex, minora autem, quæ canterijs & curribus imponerentur, centũ & quinquaginta. Porrò tormentarij pulueris pilarumq; ferrearum, ac armorum atq; telorum, & parati commeatus in totam hyemem, adeò ingenti copia potitus est hostis, ut ea præda multo maxima pars uictorię Barbarorum ęstimatione censeretur. Sed nostri, qui iudicio prudentiaq; ualerent, nihil uel tantæ opulẽtiæ iacturam, quando sarciri instaurariq; mediocrĩ pecunia posset, reputabant: quum uerum detrimentum, ac insanabile susceptum uulnus, uel tacitis animis agnoscerent, quo Germanicæ uirtutis ac disciplinæ existimationem, inuiolatam antea Romanis imperatoribus, una atq; altera ad Exechium & Budam, pudenda Christianis omnibus fuga, sine uulnere hostium penitus amisissent. Ipse autẽ Rochandulfus, quum expugnata munitione medijs in castris pugnaretur, & cõcidi in tabernaculo quàm tantæ cladi superesse mallet, uel renitens & fremens, à medico cubiculiq; præfecto, qui iacentem deserere nolebant, sublatus nauiculæq; impositus, ad Comaram insulam ascendit, atq; ibi paulo pòst Samario in uico, uulneris ac animi dolore extinctus, funestã sui memoriam Germaniæ populis reliquit.

SVPPLEMENTI
LIBER XXIIII.

AT Solymanus qui maioribus quàm unquam antea, confectis itineribus aduentabat, ubi de suorum uictoria certius cognouit, institutam properandi diligentiam remittens, quintis castris Budam peruenit. Cupiebat enim interesse prælio, neque Augusto mense

menſe uolebat excludi, qui menſium omnium, occulto quodam auſpicio, ſibi in primis, patriq; Selymo militiæ feliciſsimus extitiſſet. Nam & Magnũ Hyſmaëlem in Calderanis campis, & Campſonem Gaurium Memphiticum regem ad Singam, & poſtremò Ludouicum atq; Hungaros ad Mugacium ultimis Auguſti diebus acie deuictos memorabãt: quum & pleriq; duces eodem etiam menſe à Baiazete Methonem expugnatam meminiſſent. Conſedit autem in aduerſa ad Budam uererem regione, offenſus odore cadauerum, & fœditate amnis tot corpora per omnes ripas euoluentis, ut purius atq; nitidius aquaretur, & Strigoniẽſibus ex propinquo terrorem incuteret. Victore itaq; exercitu ad ſe traducto, atq; unis omnino munitis caſtris, ante omnia utrunque Mahomerem impenſe collaudat: ſed Belgradenſem, cuius eximia uirtute conſilioq;, ſine iactura militum, adminiſtratum & confectum bellum fuiſſe didicerat, torius Græciæ equitum magiſtrum dicit, alios pro merito adauctis ſtipendijs ditat, uel ad præfecturas prouehit. Exinde captiuos produci iubet: erant circiter octingenti, qui prælongis uincti reſtibus, ante ora ducum, inſtructoſq; ordines ludibrij cauſa trahebantur: ex his noti duces, nobilesq; aliquot quibus parceretur, delecti ſunt, & ante alios Balthaſar Pocanius, quem funeſta ea nocte tranſuehendis copijs præfuiſſe docuimus, & Tayſcus dux uetus, eo bello uigilum præfectus: reliquos ad unum omnes Barbarus imperator, alioqui clementiæ laudem quærens, & nunquam antea in noſtros crudelior, è conſpectu abductos tyronibus trucidandos dedit, truci nutu & ſæua uoce prolocutus: talem eos omnino mereri pœnam, qui quũ per legatos nequaquam ſincerè de pace agerent, aſtutè bellum intuliſſent. Eminebat inter captiuos excellæ proceritatis Noricus miles, hunc in conſpectum Germanicæ gentis, pumilioni qui erat in delicijs filiorum, capite prælta captini genua uix adæquanti, occidendum tradidit, ita ut indignæ necis iniuriam crudeli contumelia cumularet. E captiuis autem unus omnino Burſichius, Bohemorum dux nobilis, incolumis euaſit, reginæ beneficio, & Mahometis indulgentia paulo antè redemptus. Patrata ea ignobili & ſæua cæde, Solymanus regi puero dona miſit phaleratos tres equos eximię pulchritudinis, frenis habenisq; aureis, & gemmatis ephippijs exornatos, totidemq; ex auro textili regales ueſtes: proceribus autem Hungaris præter ſingulas talares togas, aureos etiam torques. Legati qui munera tulere, perhumaniter à regina poſtularunt, ut puerum regem cum proceribus in caſtra mittere, omniq; dubitatione depoſita, cuncta ſibi ac filio ſecunda atq; felicia ſperare uellet. Ea enim magnitudine animi eſſe Solymanum, qui reges omnes non modò potentia fortunaq;, ſed pietate atq; iuſtitia ſuperaret, ut puerum quẽ ſemel paterno iure tutela ſua ac amicitia dignum omnino defendendum ſuſcepe rit, comprobante demum uictoria non modò conſeruatum uelit, ſed amplioribus antiqui regni ſpacijs adaugendum exiſtimet. Proinde cupere regiã prolem coràm intueri, agnoſcereq; paternam indolem, infantemq; de manu amplexandum tradere liberis ſuis, ut bene auſpicatis renouatæ tutelæ initijs, perpetuo tenore cũ Ottomannis firmæ, ac ideo immortalis amicitiæ fundamẽta iacerentur, ipſam uerò filiæ nurusq; loco incolumi dignitate ſemper habiturum: quòd eam autem ſecus ac amanter cuperet, non inuiſeret, prohiberi eo humanitatis officio antiquis Ottomanorum inſtitutis, quibus principes ſuos ad alienas mulieres in alienis tectis intrare uetuiſſent. Porrò Solymanum nõ uſqueadeò tẽperantiæ ac honeſti decoris eſſe oblitum, ut ſocij beneuolentiſsimiq; regis filiam, eandemq; beneficiarij ac amici regis nuper uxorẽ, & in ſimilẽ regiæ fortunæ maieſtatẽ creſcentis pueri matrẽ, ætate formaq; florentem, in caſtra atq; adeò in intimũ tabernaculum admitti pateretur, ne integrum eius pudicitiæ nomen, quod in reginis unica & perilluſtri cura eſſet tuendũ, ullis ſuſpicionibus inuolueret. Ad ea tum regina, non occulto metu teneros ſenſus in materno affectu facilè confundẽte, perplexè admodum reſpondit: ſed monente demum obteſtanteq; Georgio, ne dubitantis ſuſpicionẽ leui, & nihil pro futura cunctatione Barbarorum animis inijceret, puerum regalibus crepundijs exornatum, carpentoq; aurato impoſitum cum nutrice lectiſsimisq; matronis in caſtra miſit, comitantibus cunctis ferè proceribus, quibus dona legati detulerant. Excepere aduentantem progreſſæ aliquantum è caſtris honoris cauſa ornatiſsimæ turmæ equitum, & inter caſtrenſes uias prætorianæ cohortes: illatumq; in tabernaculum Solymanus humaniter inſpexit, perblandè cũ nutrice collocutus, liberos ſuos qui aderant complecti atq; exoſculari lærè uagientem iuſſit, quem beneficiarium atq; amicum, quum pariter adoleſceret, eſſent habituri. Ii erant Selymus & Baiazetes Roxolana matre geniti, aui & proaui nomina referentes. Muſtapham enim Circhaſia priore uxore ſuſceptum, regio & planè militari ſpiritu iuuenem, ueluti ablegatum ad Magneſiam in Ionię præfectura reliquerat. Cæterùm Solymanus, quũ Hungari proceres cum purpuratis prandẽret, certos duces quibus antea negocium dederat, per ſimulationem uiſendæ urbis immiſsis cohortibus Sabatinã portã occupari iuſsit, uſqueadeò tacitè & diſsimulanter, ut nec cuſtos ſatis ocioſus commeantis turbæ ſpectator, portæ aditum alienæ poteſtatis factũ ſentiret: nam quum frequentes ſedato paſſu manipulatim intrarent, multi etiam ex compoſito, ut patrandæ rei ſuſpicionem auerterẽt, ueluti iam luſtrata urbe in caſtra redibant. Eo modo plateis foroque & compitis omnibus celeriter occupatis, & nuſquã tumultu edito, prætorianorum præfectus per regiones pronunciari iuſsit, ut Budenſes omni timore depoſito limine ſe cõtinerent, matureq; ſi uitam ac libertatem, & denique fortunas incolumes uellẽt, arma traderent: paruere imperio ciues, prolatiſq; armis in fidem recepti, Turcas hoſpitio receperunt. Tanta autem extitit Barbarorum tranquillitas atq; modeſtia ex ſeueritate diſciplinæ, ut nemo hoſpitum aſperiore dicto factóue ſit uiolatus. Tum uerò Solymanus, ubi renunciatum eſt, pacato & nihil reſiſtente populo, urbem in manu eſſe, puerum quanquam nox incumberet, ad reginam remiſit, retentis apud ſe proceribus. Erant ij Georgius ipſe Varadinenſis antiſtes, ærario præfectus, & Petrus item Vichius, regis propinquus, Ioannis teſtamento tutor relictus, Valentinus quoq; copiarum dux ſummus, & Srephanus Verbetius epiſtolarum & ſcrinij regij magiſter, & Bacianus Vrbanus, cuſtodiæ præſidijsq; urbis præpoſitus. At regina ubi urbem ſeriò doloq; occupatam, & proceres in caſtris retentos uidet, metu & dolore perturbata, ſupplices libellos ad Solymanum perſcribit, orat, ut fidei datæ, quam recentibus mandatis prolixè ac humaniter confirmarit, & deniq; priſtinæ ſuæ lenitatis & clemẽtię obliuiſci nolit, ideoq; proceres ob egregiam fidem fortemq; operam, de ſe, Turcicoq; nomine benemeritos incolumes remittat. Agit hæc per Roſtanem, atq; eum muneribus explet: miſſa etiam è ſuo cultu corolla perinſigni & unionibus cũ gemmato embleмate, quæ eius uxori Solymani filiæ mitteretur. Exinde per quatuor dies de Pannoniæ regno apud Solymanũ pugnantibus ſententijs diſputatum ferunt: Mahometes & Vſtrephus parũ inter ſe diuerſi, puerum regiæ prolis, principesq; gentis, Byzantium abducendos cenſebant: committendam autẽ Budã præfecto, nõ tam acri quàm moderato prudẽtiq;,

tiq;, qui molliter imperando indulgendoq; Hungarorum animos ſeruitutis metu liberaret, conſeruatisq; omnium fortunis, paulatim ferendo iugo inſueface ret. At Roſtanes ingenio mitior, atque eo quòd uti gener firmiore gratia ualebat, ab omni uel cupiditatis, uel adulationis ſuſpicione remotior, totius deliberationis ſummam ad decus reuocabat, quum diceret longè maximo atq; optimo principi, qui nullo unquam dedecore nominis famam onerãſſet, nihil omnino eſſe turpius, quàm cõtra ius & æquum ſuſceptæ antea tutelæ ac defenſionis, parta demum uictoria fœminę pariter ac infanti puero fidem fefelliſſe. Ex aduerſo Mahometes Belgradenſis, qui Iahaoglis uocabatur, nunquam niſi peracerbus in noſtrum nomen & maximè truculentus, leniora conſilia uehementer improbabat. Erat enim Turcici ſanguinis, patre nomine Iaha Baſſa, Mahometis quondã purpurato progenitus, exercueratq; Hungarica arma per multos annos ab Illyrico limite, ſub Balibeio præſertim fratre, quem Mugaciana acie claruiſſe meminimus: ſed demum ex calamitate noſtri exercitus ad Exechium, & hac quoque ad Budam Germanorum infelicitate, tantam militaris conſilij ceperat opinionem, ut extra ordinem in cõſilium cum purpuratis admitteretur. Is rogatus ſententiam, refutatis prius aliorum opinionibus, & ſua confirmata, cenſuit Hungaricum regnum, uti iure belli toties captum defenſumq;, more maiorum in prouinciam redigendum, reginam patri remittendam, puerum alendum Byzantij intra ſepta regiæ, Mahomeranisq; legibus imbuendum: proceres necandos, euertendasq; eorum arces, ac ex omni regione familias inſignes, quæ ferociores ſpiritus gerant, in Aſiam traducendas, reliquam porrò multitudinem, quæ agros colat atq; urbes inhabitet, impoſitis præſidijs conſeruandã. At Solymanus, priuſquam de re tanta deceret, ſacrificandum ratus, tertio calendas Septembris, qui dies Mugaciana uictoria erat inſignis, Budam cum liberis intrauit, delecto celebri templo, quod Deiparæ uirgini erat dicatum. Illud enim antea ſacerdotes Mahometano ritu expiantes, diuorum ſcilicet noſtrorum ſublatis altaribus, imaginibusq; deletis Deo maximo conſecrarant. Nec multo pòſt eo temperamento decretum edidit, ut ſingulorum ſententias appoſitè moderatus, parem omnino uiam ſecuritatis ſimul ac dignitatis tenere uideretur. Budã enim Turcico præſidio cuſtodiendã cenſet, reginamq; obiter monet, ut æquo animo urbe atq; arce excedere uelit: ipſam enim cum puero ultra Tybiſcum in Lippa regnaturam, regione admodũ pacata atq; opuleta: & quod non mediocri etiam ſolatio eſſe poſſit, Sigiſmundi patris finibus propinqua, donec Stephanus puer agnoſcendo regno feliciter adoleſcat. Eoſdem porrò eum tutores atq; nutritios habiturum, Vichiũ quoque Temeſuarenſis præfecturæ Sanzachum maximè illuſtrem atq; potentem fore, Verbetium uerò ſenem, uti legum totius regni urbanarumq; rerum peritiſsimum, Budæ Hungaris ius dicturum: ſe uerò daturum comites è prætorianis alis, currusq; & ſarcinaria iumenta, quibus mundus muliebris, gazaq; omnis regia in Lippam aueherentur. Itaq; regina uel cũ lachrymis & tacito gemitu, tyranni perfidiam deteſtata, ſed tum neceſsitati diſſimulanter cedens, arce atq; urbe exceſsit: ea à Barbaris impoſita lege, ut tormẽta ænea, & quicquid militaris inſtrumenti armamentarijs inerat, & commeatus in horreis omnino relinqueret. Proceres quoque unà profecti ſunt, qui tamerſi peracerbo rerum euentu triſtes incedebant, recepta tamen libertate ſaluteq; de qua per triduum deſperarant, per quam effuſe lætabantur. Solus omnium Valentinus antiquũ Barbarorũ odium ſenſit, in caſtris ſub cuſtodia retẽtus. Eius enim uiri uirtus ſpectata militiæ, cùm Turcis omnibus, tum ipſi maximè Belgradenſi, qui eũ ambiguis criminibus obiectis odioſum reddiderat, omnino formidanda uidebat. Egit tamen regina ſeduló, quanq; proprio mœrore occupata, ut Valentino libertas impetraretur: & id quidẽ à Roſtane per Agorchũ Sigiſmundi patris legatũ, uirum inter Sarmatas genere & bellica laude illuſtrẽ. Sed id tantũ humaniter eſt impetratũ, ut Solymanus, quũ nihil Valentino ſe nociturũ promitteret, non incertæ libertatis ſpem præbere uideretur. Dum hæc Budæ fiunt, Ferdinandus belli euentum Viẽnæ expectãs, ubi ſuos fœdè profligatos, & ducem mortifero ictũ uulnere in Comaram euaſiſſe, aduentareq; Solymanum didicit, Leonardum Velſium, quanquam ſæua diuturni morbi tabe afflictum, quòd paulo antè nõ infelix dux oppugnandæ Budæ conſilium improbarat, in Comaram deſcendere iubet, qui reliquias fuſi exercitus excipiat, fugientes undiq; liſtat, ſpeq; auxiliorum, commeatus atq; ſtipendij territos, & rerum omnium inopes cõfirmet. Optimum quoq; ratus uictori Solymano moram injicere, qui Viennam uſq; repentina incurſione peruaſurus eſſe credebatur. Legatos ad eum mittit, qui oblatis nouis conditionibus pacẽ peterent: ij fuere Nicolaus Salma, quem felici ſua ſorte, pridie q̃ caſtra à Turcis caperentur, ab exercitu legatũ ad regem miſſum fuiſſe docuimus, & Sigiſmundus Litheſtanius, præclara nobilitate togatus ſenex, Tulere munera, excelſum Germanico more ex auro poculum, lectiſsimis exornatum gemmis, eruditæq; inſuper admirationis argenteam machinã, in qua non horarũ modò ſpacia, ſed errantiũ etiam ſiderũ motus, menſtruiq; ſolis ac lunæ coitus, exactiſsima ratione monſtrabantur: intus ſcilicet tentatis rotis certisq; ponderibus, admirabili momento, uel in multũ æuum minutiſsimas temporũ menſuras diſpenſantibus, quũ inter celeres tardosq; orbes, in tã uario inæqualiq; polorũ ordine, audaci quadam ſupremi motoris ęmulatione cuncta congruerent. Ea à peritiſsimis aſtronomis excogitata perfectaq;, Maximiliani Cæſaris fuiſſe dicebatur, cuius ingeniũ nobili ſemper ſtudio, nec deterrẽte unquam ſumptu, rara atq; admiranda cõcupiuit. Cæterũ legatos appellentes, egreſſoſq; naui gijs Caſſonus oblatis equis quibus ueherentur, in caſtra perduxit, deditq; eis cõſpicuo in loco tabernacula picta eximijs tapetibus conſtrata, miſſaq; ſunt à Roſtane caſtrenſis lautitiæ munera, uinumq; in primis nobile, tam ipſis lege uetitũ, q̃ noſtris expetitũ. Purpurati poſtero die, dum Solymanus non procul in prætorio prandet, legatos prandio exceperant, ita ut in gratiam noſtri moris nõ in ſolo, uti ſolent, collectis cruribus, ſed altiore in menſa cathedris humilioribus purpura cõrectis ſedentes unà diſcumberent, ſolus Belgradenſis extra ordinem uirtutis ac ætatis honore admiſſus in puluino infra purpuratos aſſedit. Legatorum uerò comites ex ſingulis nationibus iuuenes generoſi ſpectandi ſtudio famulantes, apud tetrarchas epulati ſunt, numero quadraginta ſex: hos Turcico nomine Sanzachos uocãt, hoc eſt ſigniferos, quòd militari cum imperio prouincijs præſint: ſingulis enim pro inſigni, equina cauda haſtæ præfixa ante tentorium figitur, prodeuntiq; in aciem ſericis demũ uexillis uario colore turmas atq; alas diſtinguẽtibus, illa eadem paſsis crinibus niuea cauda præfertur. Epulæ Barbarorũ è Danubio facilè potantium una oryza, unisq; omnino ueruecinis carnibus cœpræfinitæq; ſunt, adeò ſimplici aſtricto q̃ apparatu, ut non obſcurè nimiam luxuriam noſtris exprobrare uiderentur, qui menſarum decus, quo uno præcipuè nobilitatem ac inſaniam oſtentamus, nequaquam naturæ deſiderio, ſed immenſa gulæ libidine diffiniant, ut obiter nõ ſit mirum, eos conſilio atq; armis inuictos, & ſemper uictores euaſiſſe, qui talem

talem uoluptatem, quæ in hac noſtrarum gentium A uita longè potiſsima cenſetur, uti capitalem bellicę uirtutis hoſtem domi & foris penitus abdicarint. Igitur remotis menſis, legati ad Solymanum ſunt introducti, ita ut ſingulos bini purpurati in medio arreptis brachijs, quadam honoris ſpecie ſuſtentantes ad dextræ oſculum perducerent: neque enim Turcæ externos homines ad tyrannũ aliter admittunt, quàm ut ſinum ſcrutentur, an ferrum ſub ueſte lateat, implicatisque eo modo brachijs commouendæ manus poteſtatem facinus auſuris diſſimulanter eripiant: quanquam & aſsidenti in toro circumpoſita paratáque ad manum clypeus cum acinace clauáque ferrea, ac item arcus & ſagittæ cõſpiciantur. Illata quoque eſt illa machina ſuccollantibus duodecim ſeruis, quæ Solymani animũ, & Barbarorum oculos admiratione compleuit. Adduxerant enim artificem, qui ſolutis machinæ fibulis interiora admirabili rotatione circumacta repandéret: is libellum quoque detulerat, attritæ uel luxatę machinæ remedia continentem, tradentemq; præcepta, quibus tot orbium curſus nunquam interitura ratione regeretur. Ea enim ingenij ſubtilitate Solymanus fuit, ut non modò ſacris literis, quibus ſuperſtitionis ſuæ leges cõtinentur, eſſet eruditus, ſed aſtronomiæ, coſmographiæque præſertim curioſe operam daret, Hammone medico ex Bethica oriundo perdocente, quum uir acutus ſingulas terrarum regiones, ſinuſque maris in membranis depictis q; orbibus demonſtraret, ut inde regius animus perocium utili & peramœna delectatione caperetur. Petebant legati, ut Pannoniæ regnum Ferdinando concederet, iiſdem ferè conditionibus, quibus id paulo antè Byzantij Laſchus petiiſſet. Tributum enim ſicuti Ioannes pendere conſueſſet, quotannis ſe penſurum pollicebatur: adducturumque in eadẽ pacis ac amicitiæ fœdera Carolum fratrẽ, ut in tergo ab omni bellico metu liber, quod maximè percupere uideretur, exemplo Selymi patris ad Orientem imperij fines extenderet. Neque enim ipſum, dicebant, uel generoſe uel rectè facturum, ſi Ioanne fato functum, uel infantem eius filium, qui hæres minimè putaretur, ulla in re Ferdinando regi compararet, quòd ille neque uirtutis, neque officij merito, ſed alienæ fortunæ beneficio ſublatus, alieni iuris locum inuaſiſſet, præclara ſiquidem iura Auſtriacorum principum uigere. Cæterùm dimiſſo antiquo iure, nihil ſe potius habere, quo illati belli nomen excuſarent, quàm recentis initæ pacis tabulas, quibus Ioannes ſolenni tot procerum aſtipulatione Ferdinandum regni ſucceſſorem reliquiſſet. Illũ profectò certi iuris conſcientia permotũ, uel ipſum authorem defenſorem que ſuæ dignitatis præiudicio uehementer offendere, quàm Chriſtiani nominis cauſam impiè prodere maluiſſe. Petere igitur, poſtquam ingrati hominis contumeliam neglexiſſet, Ferdinandum tantis affectum iniurijs amicum & beneficiarium mallet, quàm perpetuum hoſtem. Nihil enim ei, uel ad æquitatis famam honeſtius, uel ad diuturnæ pacis ſecuritatem utilius, uel ad liberalis animi laudem omnino glorioſius futurum, quàm ſi antiquiſsimæ ſtirpis regem, uirtute fideq; præſtantem, delectum à Bohemis, ab Hungaris exoptatum, à Germanis autem Romani imperij Cæſarem deſignatum, ſummique imperatoris germanũ fratrem tributario nomine Pannoniæ regem appellaret. Solymanus iucundo uultu laudatis muneribus, biduo pòſt per Roſtanem reſpondit, ultimam hanc eſſe pacis ac amicitiæ conditionem, ut Ferdinandus urbes, oppida, arces, quæ in ditione Ludouici regis antea fuiſſent, continuò redderet, ac in poſterum Pannoniæ finibus abſtineret: ſe uerò qui toties bello laceſsirus, graues ſumptus graueſque labores ſubijſſet, leui pœna cõtentum fore: eam eſſe, ut ad conſeruandum inuictæ maieſtatis decus, Auſtriæ tributum imponeret, tum uerò inita amicitia ſolenne fœdus percuſſurum. Quòd ſi ea conditione grauarentur, obiterque bellum quàm pacem mallent, ſe adnixurum continuis armis, ut Pannonico regno adempta, euaſtatis Auſtriæ regionibus, uindicaret. At legati, quanquam ad tributi nomen tanto faſtu tantaque Barbarorum arrogantia inductum, quum ſummæ potentiæ ſummæque dignitatis fratres indignè contemni quererentur, iniuſtam propè iram exarſerant, ut ſuſceptæ legationis propoſitum tenerent, afflictisque rebus ſpacium daretur, inducias poſtularunt, per quas Ferdinandus atque itidem Carolus Cæſar conſulerentur: ſed nec id impetrari quoque potuit, quum inducias aſturè petiprofpicerent, quibus gerendarum rerum inclinante iam autumno, uertenteque ſe in iuges pluuias, occaſio tota deperiret. Petiuere demum, ut Balthaſarem Tayſcumque duces captiuos, precio redimere liceret: hos enim in cathenis uiderant. Ad id Roſtanes reſpondit, eos, ſi pax ea quæ dicta eſſet, conditione pararetur, ſine precio dimiſſurum: porrò ſi bellum foret, non defuturam occaſionem, ut captiuorum permutatione redderentur. Licuit autem legatis circumducente monſtrante que Roſtane, opus lentiam atque ordinem caſtrorum intueri: ſed quũ munimenta quę intra foſſam clitellatis camelis pertua ſerie cathenatis, currulibus que tormentis cõſtabant, atque item ſtationes attributaque diſtinctis militum generibus tentoriorum ſpacia mirarentur, ſilentium ante omnia peræquale atque perpetuum in tanta frequentia ſtupendum fuit: neque enim aliter quàm ſignificatione manus, & nutibus parati intentiq; milites regebantur. Solymani porrò inſigne prætorium, uti par erat, cunctis excelſius & ſumptuoſius, quum quadratæ arcis effigiem exprimeret, oculos pulchritudine & maieſtate operis adimplebat: à quatuor enim angulis, totidemque medijs ab omni latere faſtigiatis pinnatisque turribus cingebatur. Intererant ad commeandum latiſſimæ porticus, ſic ut area in paleſtræ modum, in medio ad domeſticas exercitationes relinqueretur. Interiora quoque papilionum uelamenta, Babylonici operis acu picta, ſericique funes, quibus tenderentur, uſque adeò elaborata precioſaque fulgebant, ut æſtimationis noſtræ modum excedere uiderentur. Adnotatum quoque eſt, omnium ordinum tabernaculis tentoriola eſſe cõiuncta, quibus latrinæ inerant, eo inſtitutæ ordine, ut nouæ ſcrobes quotidie fierent, repletæque ſtatim arena iniecta tegerentur. In macellis quoque pariter profundæ foſſæ uiſebant, in quibus lanij totius exenterati pecoris exta ſedulò tumulabant. Ita fiebat, ut caſtra nullo odore tetro afflata, non ad ſalubritatem modò, ſed ad iucunditatẽ repurgatis omni in parte regionibus nõ Barbarorum, ſed eorum qui militiæ diſciplinã contidiſſent, caſtra cenſerentur: prædamnatis hac in re ſtatiuis noſtris, in queis præter ingratam naribus atque oculis multarum rerum fœditatem, peſtilentes enaſci morbos ſępiſsimè uidemus. Legatis multiplici ueſte pecuniaque donatis atque dimiſsis Solymanus Belgradenſem, latè longeque citra Danubium Auſtriæ fines populari ac incendere, Caſſonũ uerò uoluntarijs equitibus præpoſitum in Morauos, qui Marcomanni antiquitus fuerant, excurrere iuſsit: ſed prædabundos magno inſperatoq; eorum gentium cõmodo, plenis imbribus inflati amnes opportunè morati ſunt. Exinde uir Hungarus, nomine Solymanus, qui ab ineunte ætate bello captus Mahometis ſectam ſequebatur, à Solymano Budæ cum imperio præficitur, qui cum Verbetio daret operam ſumma æquitate ius dicendo, populares que quondam ſuos familiarius alloquendo, in ſpem diuturnæ tranquillitatis adduceret. His rebus con-

cõfectis, dies circiter uiginti, ex quo uenerat, Budæ A commoratus, in Thraciam redire conſtituit, quòd autumnales pluuiæ maturæq; hyemis frigora ſubarant, & magnitudine multorum amnium, quibus Pannonia ex omni parte ad difficultates itinerum irrigua præcincta que eſt, intercludi poſſe uereretur. Ex itinere autem Laſchum legatum, liberaliter dimiſit. Eũ enim priuato uirtutis eius ac amicitiæ nomine in gratiam receptum, Byzantio ſecum adduxerat. Sed Laſchus diu eo beneficio uti non potuit: regreſſum enim in Sarmatia conceptus antea uehemens oppreſsit morbus, ita ut plerique ex aula Germani, fatum ad inuidiam uertentes, nõ tabifico quidem fluentis aluí uitio, quo diu laborаſſet, ſed lętis tyranni uenenis omnino ſublatum contenderent, quum uir ille omni uirtutis ac elegantiæ laude inſignis, & longiore uita dignus, in ea reipublicę fortuna uel ab ipſo rege lugeretur. Cæterùm redeunti in Thraciam Solymano, ad Drauum amnem nunciatur Stephanum Maylatum Ferdinandi ſecutum partes, ac ex profeſſo Turcarum hoſtem, dolo comprehenſum in Petri Moldaui poteſtatem deueniſſe, pacatamque ex omni ferè parte Tranſyluaniam in fidem conceſsiſſe. Sed quoniam in Petri Moldaui perfidioſi cruentique hominis mentionem incidimus, operæ precium putaui, quo dolo Maylatum ceperit, & qua fortuna ſæuitiaque in recuperando regno uſus ſit, breuiter enarrare, ut ſicuti iam planè tẽpus nos admonet, ad Germaniæ concilium, conſiliaque Cæſaris, nihil interciſa rerum ſerie, opportunè redeamus. Solymano in Pannoniã contendente, Moldauus aduerſus Maylatum euocatus, uti ſuprà memorauimus, cum Achomate Nicopolis prefecto caſtra cõiunxerat. Erant enim præter pedites, quorum numerus more gentis erat exiguus, ſupra quinquaginta milia equitum: nam & ſuas quoque Tranſalpinus alter Valachus imperatas antea copias B præmiſerat. Maylatus multitudine hoſtium circumuentus, imparque uiribus, deſperatis auxilijs quæ à Ferdinando maiore belli mole occupato fruſtra poſtularat, uti ſuperiore æſtate prementibus regijs ſe liciter accidiſſet, in oppidum Fogaras confugit. Ibi enim, uti loco natura atque arte permunito, totius ſubſtantię & bellici quoque apparatus inſtrumentum, ipſaq; præſertim Gritteæ prædæ ſpolia ſeruabantur, admotis copijs Achomares, poſtquã ui atq; tormentis, nõ niſi multo temporis ſpacio, multoq; labore arcem expugnari poſſe uidet, dolo ac inſidijs uincendum ratus: legatos ad Maylatum mittit, hortatur ut Solymano ſe dedat, appellarique ab eo amicus, quàm iudicari hoſtis malit: cuncta enim ab eo proſpera atque ſecunda ſperari poſſe, qui uel hoſtibus regna dono dare ſit ſolitus: ſe uerò qua polleret authoritate apud imperatorem, amicè daturum operam, ut eius clementiæ & liberalitatis fructum ſentiret, ornareturque ipſa Tranſyluaniæ præfectura, quam paulo antè ſibi cõcedi tributi nomine concupiſſet. Ad ea Maylatus, qui pacis atq; concordiæ conſilia dubio bello potiora prouidebat, ſe neq; pacem abnuere, ſi non iniqua conditione pararetur, neq; Solymani imperia, quæ ſummæ æquitatis eſſe conſueſſent, derrectare grauiter reſpondit. Proinde ſi obſides darentur, ſe colloquendi cauſa, ut de conditionibus coram ageretur, in caſtra uenturum. Poſtulabat autẽ, ut filius Achomatis, impiger iuuenis pro obſide traderetur: id quum ſe facturũ pater negaret, quòd filius à pueritia Solymano de more donо datus, paterni iuris poteſtatẽ euaſiſſet, pro uno inſignes quatuor alarum præfectos daturum pollicetur. Accepit conditionem Maylatus paratæ fraudis ignarus, magnoq; ac ornatiſsimo comitatu edu cto, Gritteas exuuias ſuperbè oſtentãs, in caſtra hoſtium contendit. Exceptus eſt comiter atq; magnificè: ſed ex prima ſalutatione, colloquium ut nõ in-

cipi modò, ſed cõmodè etiam finiri poſſet, in ſequẽtem diem differtur, quo Moldauus notum ſibi hoſpitem ſolenni epulo exceptum comprehenderet. Eo modo Maylatus feruente conuiuio, in rixam arridente dolis fortuna pertrahitur: ex compoſito enim à Moldaui cõpotoribus importuni primò ſermones, ac inde maximè criminoſi adeò proteruè ac petulanter inducti ſunt, ut uel obſcuræ contumeliq uir inſolens, & natura quidem iracũdus, minaci dextra gladij capulum perſtringens è menſa ſe proriperet, ita inſurgentibus conuiuis fruſtra fremens, ſeque proditum inclamans comprehẽditur. Nec mora concurſu Moldauorum tabernacula diripiuntur, comitatusq; eius omnis, qui precioſo cultu auaræ gentis oculos ad prædam illexerat, armis, equis, & deniq; rebus omnibus exuitur & capitur. Vociferãte adhuc Maylato ſuperuenit Achomates, tã acerbè, quàm ſimulanter Moldauum reprehẽdit, quòd hoſpitalis menſę iura cunctis intemerata gentibus, immani facinore edito ſubuertat, quòd ab ſe præſtiti tam ſecuritatis fidem uiolet, fortiſsimoſque uiros Turcici nominis obſides ad necem prodat. Ad ea Moldauus ſpecie contemnentis reſpondet, ſe graui de cauſa Maylatum cepiſſe, eumq; porrò incolumẽ Solymano ſeruaturum, ad quem omnino pertineat ſententiam ferre, iure an iniuria captus fuerit. Nec multo pòſt arx ipſa liberatis obſidibus deditur, incertũ metu an perfidia cuſtodis, quòd de ſalute Maylati, totiusq; eius comitatus libertate ſolicitus, aut non obſcure magno inductus precio, deditionẽ maturaſſe diceretur. Ita duo Hungarorum longè nobiliſsimi duces, Valetinus atq; Maylatus, qui uni omnium antiquum illud Hunnici ſanguinis decus, inteſtinis primò odijs, & mox Turcarum armis fœdè proculcatũ erigere poſſent, inuicti certè armis, ſed perfidia decepti, in poteſtatem Barbarorum deuenerunt. Occupatis Fogaris, Tranſyluani ferè omnes, cõcedente demum Solymano, in Stephani pueri regis nomen inclinatiſsimis animis iurauerũt: quòd iuſtum miteq; imperiũ Ioannis patris in ea prouincia per triginta fermè annos fuiſſe meminiſſent: tulereq; ſæpè dona puero, fidei pignora, quum Iſabella mater cum Georgio Vichioq; tutoribus in Lippa regione conſediſſet. Eam multarum rerum abundantem Maros amnis Hercynijs ſaltibus effuſus interfluit, præcipitiq; demum curſu in Tybiſcum euoluitur. Hunc pleriq; Sergeriam antiquis uocatum aſſe uerãt, in cuius auerſi & mox reducti fluminis uado, Decebalum Daciæ regem, urgente uictricibus armis Traiano Cæſare, theſauros condidiſſe ferunt, quum Barbarus in ea rerũ deſperatione ſeipſo crudelior, ne latebræ ſecreta proderentur, artifices atq; operas ad unum omnes in ueſtigio perfecti operis necauiſſet. Cæterùm ad confluentes Marum atque Tybiſcum, Segadino celebri in oppido, noua à Turcis præfectura conſtituta eſt, quam eo nomine ſalutarem ominamur, ſi donec adoleſcat puer, obtinendi regni prærogatiua uideatur. Cæterùm de Petri Moldaui ingenio, uti ſuprà polliciti ſumus, ex rebus ab eo geſtis liquidiùs patebit, ſi aliqua de Valachiæ regno, regionisque ſitu, & gentis moribus, uti ignota multis, ex inſtituto operis referãtur. In primis Valacchiæ regulos antiquiſsimæ ſtirpis ferũt, repetita origine à Flacco præſide Romano, qui illuſtri uirtutis argumento, ſuum nomen prouinciæ reliquerit. Ab eius enim tempore, Myſiam quæ ultra Iſtrum ad Scythicas gentes extenditur, Flacciam appellari cœptam conſtat, quam demum corrupta ſenſim uoce in Valacchiam abiiſſe perſpicimus. Apud Valacchos enim, nõ Romanæ modò diſciplinæ certi mores & leges uigent, ſed ipſa quoque Latinę linguæ uocabula ſeruantur. Ea gens equitatu pollet, nam quiſq; uel egentiſsimus domi equum alit, quo prędatur & militat: ſcuto, haſto, gladio, uti Hunga-

ri solent, & nonnunquam lancea missili, atq; arcubus rem gerũt. Equi eorum pectorosi robustiq;, nõ pernicitate quidem in cursu, sed perseuerantia & uiribus maximè probantur: proinde tenellis mos est nares proscindere, ne angusta respiratione fatigentur: quando nec mediocris equi sit laus triduo, uel peræstiuos soles bellicæ agitationis laborem pertulisse. Deum Christum colũt, sed Græcorum ritus secuti, à nostris dissident. Apud eos patrum nostrorum memoria regnauit Dracula belli pacisque artibus clarus, & diu Turcarum hostis: sed ex calamitate Ladislai regis, qui ad Varnam ab Amurathe superatus interijt, certo inito fœdere, tributum pendere coactus est. Ab hoc Dracula, Petrus pronepos qui hodie regnat, imperium accepit, uir ingenio quidẽ militari, sed maximè turbulento, crudelitateque simul atq; perfidia infami: nam cum finitimis belli pacisq;, studium nequaquam stabili fide, sed in diem occasione & cõmodis metitur, suaq; pariter ac aliena arma nemini unquam certus hostis, sed improuisus semper exercet. Cæterùm Valacchia omnis in duas partes, duoque imperia distinguitur. Altera ad meridiem uergit, terminata Danubio, atq; item ab occasu Transyluaniæ fines attingens, ad oppidum Seuerinum, ubi Traiani pontis admirabiles pilæ triginta quatuor, nequaquam totas obruente Danubio uisuntur. Ab oriente autem piscosum habet lacum, quem Hierassus amnis ab accolis Pruthes uocatus, efficit, suisq; demum aquis aductum & latè stagnantem relinquens, in Istrum euoluitur. Ad septentriones autem finitur Hoyna ignobili flumine, & directis ad Istrum terrestribus terminis, curuata admodum regionis fronte, contra Peucem insulã, spargente se tum primum in ingentes ramos profluente Istro, antiquis scriptoribus notam, quã hodie Barillanam dicũt. Hæc Valacchiæ pars à nostris Transalpina, à Turcis autem communi utriq; nomine, quòd nigrum frumentũ ferat, Carabogdana minor uocatur. Regulus qui in ea hodie regnat, regiáque habet Ternouizam, cõtinuo parendi obsequio Turcarũ amicitiam tuetur, aureorumq; nummũm myriadem tributi nomine quotannis pendit: ac ea uel indecora pace perfruitur, quòd impunè fidẽ mutare nequeat, quũ in oppositа Danubij ripa, Seruiæ Bulgariæq; præsidia in antiquis Triballorum Mysorumq; sedibus spectẽtur. Coluit & peramplis annuis muneribus Ioannẽ regem, cuius præsenti opeadiutus, rebellantes Transalpinę proceres oppresserat. Altera Valacchiæ pars agrorum & pastionũ amplitudine maior, armentisque & militaribus equis opulẽtior, ab amne, qui mediá intersecat, Moldauia dicitur. Is ortum habet paulo infra Hierassi fontes è Trãsyluaniæ montibus, quibus antiqua Dacia adingentis theatri similitudinem, obuersa in occasum scena, præcingitur, delapsusq; Zuchauiam Petri regiam prærerfluit, atq; inde uiolentus Hoynam, Dobouizam, Argiamq; partuos, sed perẽnes amniculos secum trahens, in Oltham effunditur. Oltha uerò, qui antiquitus Alutas fuit, non Transyluaniæ modò, cuius partem ab aduersis montibus descendens rigat, sed Moldauiæ & Transalpinæ minora flumina in orientem reflexus, ad Nicopolim in Danubiũ rapit. Omnium uerò amplissimus Tyras, qui ab indigenis uocatur Nester, ab Aquilone Moldauiá terminat: ortus enim è Carpato Sarmatiæ monte, & rectà in Euxinum contendens, Russiæ, Podolię, & Tartarię demum fines attingit. Tenuere autem has regiones antiquitus Roxolani, Arpij, & Tauroscythę: ita Moldauia ad pontum usq; protenditur, tantumq; oræ maritimæ ad orientem intercipit, quantum ab ultimo Istri ostio, quod antiquis Lithostomum fuit, à Tyra profluente relinquitur. In hoc litoris tractu, Mocastrum insigne oppidum, in uestigio Harmonacti antiquiæ urbis conditum, Ottomanis paret, Moldauo multis antè annis ademptum, quum Turcarum arma ad expugnandum Theodosiam, quæ Cassa dicitur, in Tauricam penetrassent. Sed pro Moncastro, quod uel ob id amissum uidere tur, quoniã à Christianis Dracula stetisset, Matthias rex, ut eius Draculæ fidem uolũtatemq; redimeret, Cizouium & Chechillã oppida dono dedit. Ea sunt in extrema Trãsyluaniæ parte, qua per saltum Moldauiæ iungitur. Sed in Petro proferendi imperij libido ingens, his omninò finibus minimè terminatur. Cum Sarmatis in Podolia repentinis incursionibus bellum gerit, quum id totum, quod intra Tyram & Hierassum Moldauiæ inseritur, suæ ditionis esse contendat: quin & Transyluaniæ quoq; animũ adiecit, quum Ioanne & Ferdinando dimicantibus, in contrariaq; studia diductis proceribus, Pannoniæ regnum alternante fortuna iactaretur. Confugerat Ioannes ad Sigismundum Sarmatiæ regem, Ferdinandi armis Buda pulsus, & desertus ab Hungaris. Ita Petrus Perenus, Valentinusq; Thuracus, præcipui Ioannis duces ad uictorem transierant, & ut ex terno regi operam fidemque probarent, oppida Transyluaniæ, quæ Ioannis præsidio tenebantur, circunductis copijs expugnabant. Sed Moldauus, fœdum id facinus præuertente fortuna, inexpectatus hostis in Transyluaniam irrupit, utpote qui Cizouio Chechillæq; timendum putaret: quę oppida ab Vladislao Ludouicoq; regibus reperita atq; oppugnata meminerat. Ferdinandum quoq; Germaniæ copijs, & Caroli fratris opibus fretum, longè maximum, sibiq; obiter metuendum, Pannoniæ regem futurum existimabat: uel ob id maximè, quòd Solymanus Persici belli cogitationibus occupatus, nequaquam graue bellum pro Christiano rege suscepturus esse uideretur. His de causis, Moldauus Austrianos oppida passim expugnantes, nõ longè à Braxouio in Barzæ campis adortus, tumultuario atq; improuiso pugnæ genere profligauit, & omnibus etiam tormẽtis exuit. Nec mora Ioannes ea hostium clade magnopere lętatus, per legatos inexpectati, atq; ideò summi beneficij Moldauo gratias agit, postulatq; magnis precibus atque promissis, ut sibi ad repetendum regnum adesse uelit. At ille successu rerum seipso ferocior, nequaquam alieno cõmodo uictoria utendum ratus, inuadendæ Transyluaniæ consilium capit, confisus maximè tormentis de hostibus captis: nam æneis atq; muralibus antè caruerat, quum exilibus & ferreis rudiq; artificio fabrefactis uteretur. Primo itaq; impetu Vestricium insigne oppidum occupatum est, atq; eodem terrore pagi aliquot in potestatẽ sunt redacti: postremò ij omnes qui irrumpenti, denegato commeatu, hostiles animos ostendissent, grauibus affecti incommodis, infesti uictoris uim atq; sæuitiam senserũt. His extemplò cognitis, Ioannes ditionis suæ iniurias deprecatur, id nisi incœpto absistat Solymanũ iniquo animo laturum ostendit: sibiq; demum reddi Vestricium postulat, sed id quidem humaniter. Neque enim tum grauius succensendum existimabat, ne ferocis importuniq; hominis uim iniquissimo rerum suarum tempore acrius exagitaret. Ad ea autem ingenio suo utens Moldauus, amicè quidem respondere, prolixè admodum aduentus sui causas referre, & quo demũ periculo pro aliena salute atq; potentia cõflixerit, iactanter enarrare: postremò dicere se eius animi non esse, ut cuiquam uel insigne beneficium obiectari uelit: uerùm à regia dignitate minimè alienũ arbitrari, si Ioannes in uictoriæ præmium beneficijq; memoriam id oppidum ab se manu captum, Cizouioq; propinquum cõdonaret, uel ipsius Solymani exemplo, cuius liberalitate Pannoniæ regnum acceperit. Sed paucos demũ post dies Moldauus, siue quòd supra spẽ ea expeditione profecisset, uel quòd Solymani nomẽ in ea causa offendere

dere uereretur, abacta ingenti omnis pecoris preda in Valacchiam redijt: conuersusq; demũ in Sarmatas, qua cum gẽte de finibus, uti suprà diximus, sæpissimè dimicabat, Pochutiã uastabũdus percurrit. Ea est regio inter Hierassum & Tyrã, ultra Chamenetium Podoliæ emporium, in ulteriore Polonicæ ditionis ripa, contra Zuhannam Tyræ impositum. Neq; enim ueteres termini, de quibus ambigere exercendo arma, quàm ex æquo & iure disceptare, atque ocium pati Moldaui malunt, Cheronio uado finiuntur. Is enim locus est ad Hierassi amnis traiectum longè facilimus. Nec Sarmatæ aduersus improuisum hostẽ numeroso equitatu & terrore tormentorum cuncta quatientem, consistere audebãt, priusquam suorum auxilia superuenirent: sed aduẽtu demum Ioannis Tharnouij, qui prætorianas cataphractorum alas adduxerat, ad Obertinũ castellũ se cõglobarunt. Erat Tharnouius militaris disciplinæ peritia, & cõsilij grauitate antiquis ducibus exæquandus. Is in temeritate hostis uictorię spem reponens, perpetuo carrorũ munimento castra uallauerat, magnaq; timoris simulatione suos continebat. Tum uerò Moldauus, qui pugnæ auidus cum tota mole copiarum aduolarat, ostẽtare aciem, pugnam ciere, exprobrare imbelles animos, & circum munitiones magno clamore edito decurrere: postremò quum nemo in aciem prodiret, prolatis tormentis munimẽta castrorum uerberare atque prosternere. At Tharnouius, qui aliquandiu singulari patientia, ut in cõtemptum deueniret, militum ardorem monendo obtestãdoq; represserat, ubi uidet currus maioribus globis distringi, indeq; perturbari ordines uallo proximos, grauiq; fremitu à tota acie, ne inulta ac ignobili morte cadendum foret, prælium deposci, confestim ab hostium temeritate suorumque periculo erumpendi consilium capit, constanti atq; lætissimo uultu insignes quosq; equites nominatim, atq; signiferos adhortatur, ut acerrimo impetu in latrones suo more contra uim fugã uti solitos, erumpant, maximè conferti pugnent, intentisq; mucronibus inermia pectora perfodiãt. Erant circiter septem milia equitum, quorum maior numerus fulgẽtibus armis protectus uisebatur, in tres omninò acies distincta, totidemq; castrorũ obuersa portis, ita signo dato Decumana porta pandit prima acies, in quam dux moris hostium peritus, nõ temerè pugnacissimum quemq; contulerat, in Moldauos erũpit, magna editur cædes, totisq; agminibus tumultuatur: neq; enim insolentes Barbari tantæ uirtutis facinus Sarmatas ausuros crediderant, sed mox ad currente & cohortante Petro uniuersa Valacchorũ multitudo circunfusa in perrũpentes Sarmatas conuertitur. Nec occasioni deest Tharnouius, à dextro enim læuoq; larere castrorum duabus adapertis repentè portis, instructas ad id secundam & tertiam acies in latera hostiũ inducit: ita Moldaui inermes à cataphractis triplici certamine distracti circumuentiq; in medio conciduntur, & in fugam uertuntur, sequentibusq; peropportunè equitum uictoriã peditum cohortibus, uniuersa tormenta capiũtur. Petrus ipse, qui acerrimè dimicando totam penè primam aciem oppresserat, cum globo delectorum equitum sese è manibus hostium eripiens, suscepto uulnere profugit. Eo prælio Valacchorum quatuor millia cecidere, nobiles uerò notique duces supra quadraginta capti: in queis fuere Clogosstates consilij & scrinij magister, atq; item familiæ prętectus, & pari nobilitate ac forma iuuenis pocillator, quorũ desiderio & cladis & uulneris magnopere dolorem intenderat. Hos omnes & torméta circiter quadraginta octo, in queis Ferdinandi regis gentilitia insignia æri incisa uisebantur, Tharnouius ad Sigismũdum regem Cracouiã perduxit. Exinde Petrus tanto accepto incommodo, amissisque præsertim Austrianis tormentis, quibus subnixus se formidandũ finitimis ostentarat, aliquandiu conquiescere est uisus, ita tamen, ut Moldaui à latrocinijs nihil cessarent, nec à Transyluanis, uel ipsis quoq; Transalpinis suæ gentis finibus abstinerent, sed antiquo recẽtiq; odio Polonis infesti, in eandem Pocchutiam in currendo prædandoq; indomita arma sæpius exercerent. Quibus de causis Sigismundus, ne semper aduersus repentinas diuersasq; uagantiũ incursiones iustus exercitus magno & inutili sumptu cogẽdus foret, inuadendæ atq; delendæ penitus inquietæ gentis consilium suscepit. Nihil tamen prius conandum ratus, quàm Solymani animũ exploraret, quòd Petrus Valacchiq; omnes in clientela Turcarum essent, quorum amicitia atq; præsidijs tuti uiderentur: Byzãtium legatos misit, qui quotidianas propè aduersum se Petri & Moldauorum iniurias deferrent, ac antiqua limitum documenta literis & picturis ostenderent, peterentq; demum, ut sibi liceret, amicitia incolumi saluisq; fœderibus, immaniũ latronum iniurias uindicare: se nuper ea tãtum pœna, quam ipsi nefaria, ac ob id infelici temeritate ad Obertinum contraxissent, cõtentum fuisse, quum Poloni facilè persequendo, ac in intima Moldauiæ penetrando, profligatos cum scelerato principe ad internicionem delere potuissent. Ad ea Solymanus respondit, Ottomannici moris esse cliẽtes suos, qui probè imperio & dicto audientes sint, ab externa iniuria constanter tueri: eosdem porrò si humani iuris obliuiscãtur, arroganterq; delinquant, grauiter punire. Propterea Sigismundum hunc ab se fidelis amicitiæ fructum relaturum, ut nullo suo cum labore atq; periculo hostem, qui uel toties humaniter castigatus furere non desineret, merita pœna mulctatum uideat. Oderat enim Petrum Solymanus, uti uiolentum in domitoq;, ingenio, ubi arma ualerent, cuncta perturbãtem: utpote qui Grittum ab eo abrupta fide deceptum atq; obtruncatum, insontesq; demum eius liberos in Moldauia crudelissimè necatos meminisset: sed nec tributum quotannis pendi solitum ab eo Byzantium mittebatur, cuius officij nomen adeò arroganter contemnebat, ut quum nulla ambiguæ libertatis signa forti regulo præferenda prædicaret, se bellica uirtute immunem factum profiteretur. Stephanus quoq; per id tempus Petri germanus frater, tanquam imperij æmulus, sui perbè domo expulsus, detectis multis sceleribus, inuisum antea fratris nomen apud Turcas, infame reddiderat. Nec multo pòst Solymanus cum ingentibus copijs è Thracia profectus, Istro ponte iũcto, iuxta Peucem in Valacchiam peruasit: cuius aduentu territus Moldauus, quòd uiribus esset impar, & à suis desereretur, cum paucis per nemora & solitudines in fugam se coniecit. In arce siquidem Zuchuæ, quam munierat, obsidionem ueritus, se continere, aut in campis coacto equitatu cõsistere minimè ausus, errando fallendoq; insecutos hostes, in Transyluaniam cursum intendebat, quum Trãsalpinus imperio accitus in id bellum à latere incumberet, & aramata Polonorũ manus in finibus spectaretur, diffisaq; Turcarum agmina undique perurgerent, & ad Ponticam oram appulsa hostiũ classis naualis effugij facultatem eriperet. Itaq; diu circumeundo, quũ magna aliquot flumina incomparabilis equi uirtute feliciter tranasset, ad Aluiam amnem, tum maximè imbribus inflatum, sæuis uorticibus natantis equi uires superantem, peruenit. Erat usq; adeò lassitudine, inedia, doloreq; perditarum rerum, & fœdæ mortis metu consternatus, ut mergi fluctibus mallet, quàm ab infenso fratre, uel à Turcis ad supplicium capi. Sed hæc animo uolutanti, non defuit fortuna extremis mortaliũ casibus illudere solita: oblatus enim est piscator Trãsyluanus, qui fortè ad mota nauicula ripam subierat: ab eo siquidem ma-

gnis promiſsis & precibus impetrauit ut traijceretur,atq; eo duce pedibus per ſyluoſos notosq; tramites Cizouium duceretur.In eam enim arcem, cognito Turcarũ aduentu, uxorem & paruos liberos, carioremq; ſupellectilem,ut quàm tutiſsimè ſeruarentur, paulo antè præmiſerat. At Solymanus, ubi Petrũ ex certis fugæ ueſtigijs per auias ſolitudines euadentem, Valacchiæ finibus exceſsiſſe fama compertum eſt, Moldauos in fidem recepit, eos omni timore liberat, Stephanumq; Petri fratrẽ Moldauiæ regem conſtituit:ſed quum ad ueteris tributi ſummam nihil adderetur,certam agri partẽ adimit,quę Moncaſtro proxima uidebatur,atq; his cõfectis rebus in Thraciam reuertitur. Interea rex Ioannes ad Solymani motum excitus,cum triginta millibus equitum in Tranſyluaniam peruenit,in ſpeciem qui dem ut ſtudium ſuum oſtenderet,tanquã in id bellũ uires ſuas additurus,ſed occulto conſilio, ut prouinciæ fines tueretur: nam magnopere timendum putabat,ne Turcæ per ſimulationẽ petendæ Moldauię reflexo curſu in Tranſyluaniã penetrarent.Secũdum enim eam pacem, quam cum Ferdinãdo rege ſecretis conditionibus initam fuiſſe docuimus,uſq; adeò inuiſum ſuſpectumq; apud Solymanũ fuiſſe meminerat, ut cum multis legationibus eius facti ſuſpicionem ægrè diluiſſe uideretur, uix multa largitione apud purpuratos gratiæ nomẽ ſuſtentaret. Itaq; ea ſolicitudine liberatus, ubi Petrũ deſertum à ſuis,ac exutum regno in Cizouium confugiſſe didicit,ad obſidendum eum feſtinat: ratus aduenisſe tempus, quo ueteres iniurias ulciſceretur,grauiſsimamq; inde operã Solymano præſtaret,& Stephani quoq; animum eo beneficio promerendum arbitraretur. Pro inconſtanti enim & turbulento alterũ fratrem noua imperij fortuna cõtentum, ac in tutela Solymani quieſcentem,regno finitimum exoptabat.Durauit obſidio ſupra quatuor menſes,ſuppetebantq; obſeſsis alimẽta, idemq; animus nullis fractus incõmodis Petro aderat, ut ad ſupremas ſpes uſq; fortiter obduraret. Sed non eadem erat conſtãtia in defenſoribus:ij erant partim Tranſyluani,partim Moldaui,qui ex uxoris comitatu in oppidi cuſtodia remanſerant: facileq; diſſentiebant,quũ non una omnium perſiſtẽdi cauſa uideretur.Rex namq; omnibus extrema ſupplicia denunciarat, niſi poſtquã effugia perpetuis ſtationibus circunſepta conſpicerent,uti iam undiq; deſperatis auxilijs, triduo ad certam ueniam ſe uictos deditione faterentur: ea res in Moldauo contumaces ſpiritus fregit.Itaq; uir acutus, eorum more qui ex ipſa neceſsitate periculi, habile ingenium ad prudentiam flectũt, prius quàm ſuorum diſſenſio in apertam cruentamq; ſeditionem erumperet,maturãdum ratus, liberali facta deditione,portas aperuit:id tantum præfatus,ideo ſeipſum uxoremq; & oppidum fortunasq; omnes dedere, quòd planè ſciret Ioãnem regio prorſus animo,aliquanto facilius iniuriam obliuiſci, quàm ullius beneficij memoriam deponere cõſueſſe. Proinde ſe tãtam ſpem nequaquam temerè deſumpſiſſe, ut planè conſideret ſibi miſero apud eum, qui in per ſimili calamitate aliquando miſer fuiſſet,humanitatis & clementiæ locum minimè defuturum. Ioannes hominẽ complexus,conſolatusq; bono animo eſſe iuſsit: confirmauitq; data fide ſe Cizouio contentum fore,quod oppidum uti Pannonicæ ditionis ſuperiores reges repetiſſent:cæterùm arcis poſſeſsionem apud ipſum uxoremq; uno tantum mutato præſidio permanſuram, in qua tuti ab iniuria, certiq; ſalutis meliorem rerum euentum expectarent. At Stephanus, ubi fratrem deditum in poteſtate Ioãnis eſſe didicit, per legatos Solymanum orat, ut Petrum ſibi tradi imperet: eo enim uiuo,Moldauiam nunquam dicto parentem, nunquam pacatã fore. Nec mora Solymani literis frequentibusque nuncijs depoſcitur. Ioannes ius & æquũ datæ fidei proponit,negat ſe tantum ſceleris admiſſurũ, ut miſeri ſponteq; dediti ſalutem prodat: id autem Solymani imperio, cui parendum eſſe fateretur,ſe daturum, ut Petrus, quo omnis amittendi regni metus Stephano demeretur,tã diu quàm Solymanus uellet, in eadem cuſtodia permaneret. Poſtremò,quũ ſeuerioribus literis repeteretur, quòd iã purpurati ea cunctatione lædi maieſtatẽ exiſtimarent,mediũ, ac ob id Petro admodũ ſalutare conſilium ſumpſit, reſcribens ſe Petrum non captiui more, ſed legati nomine Byzantiũ cum inſigni comitatu tranſmiſſurum,ut coràm obiecta crimina diluat,& ſi fas ſit,ueniam quoq; impetret,modò Solymanus à magnitudine animi erga proſtratum, ſeq; in primis religione datæ fidei obſtrictum, non incertam clementiæ & lenitatis ſpem præbeat. Non diſceſsit ab humanitate Solymanus,utpote qui ſeruandæ fidei neceſsitudinem honeſtiſsimo excuſationis nomine apud regem uel tacitus probaret,nobilemq; illum expeditum magnis regibus,ſed rarò oblatũ à fortuna, clementiæ laudis fructum excerpere cuperet.Itaq; nõ obſcura ſignificatione confirmatis amborũ animis, Petrus ſuis opibus ſtudioq; Ioannis exornatus,Byzantium mittitur, commendatus præ cæteris purpuratis, Luphtibeio, cui ampliora dona detulerat, ut præpotentem ex aula patronum ſibi in dicenda cauſa cõpararet. Dedit & gemellos uniones ſuperbi piri magnitudinem adæquantes, qui ex Grittea præda fuiſſe dicebantur, ut his pro inauribus Solymani filia Roſtani deſponſata in nuptijs ornaretur. His ſibi conciliatis, ubi admiſſus eſt, adeò luculenter cauſam dixit, ut quum ſuſceptorum à ſe bellorũ cauſas atq; ſucceſſus, ærarij inopiam, Gritti caſum, fratris & procerum dolos,ac antiqua iura finium cũ Polonis enarraſſet,ueniamq; ſupplex petiſſet, indignè mulctatus à fortuna uideretur. Erat enim eius uiri excellens bello uirtus, quanquam ingentibus uitijs atq; ſceleribus æquaretur, militaribus Turcarum animis ad admirationem ſpectata grataq;, uſq; adeò ut purpurati uel nulla largitione corrupti, uirum fortem tantis illuſtrem calibus, neq; imporenti fortunæ inuictum animum concedente, omnino defenſuri crederẽtur. Verùm Solymanus ſuſpenſo iudicio neq; damnauit reum,neq; penitus abſoluit, ne Ioannis nomen abruptæ fidei contumelia ſugillaret,uel ipſe parũ ſceleribus infenſus abiecta feueritate uideretur. Itaq; Moldauus in Peram Ligurum coloniam eſt relegatus: beneficio quidem ingenti, quum ibi nequaquam obuerſantibus Turcis,ad leniendum exilij dolorem,alendamq; ſpem recuperã di regni cũ Chriſtianis hominibus uerſaretur. Nec diu uoto eius fortuna defuit,Stephanum enim auarius ac iniquius quàm putaſſent regnantẽ, populares obtruncant.Fit magnus in Moldauia tumultus, quum ſublato rege, multitudinis ſtudia in Petrum uerterentur,& contrà nobilitas ei uehemẽter infenſa, quemcunq; alium præferendum putaret:nequaquam temerè meritas pœnas pertimeſcens,ſi iratus & ſæuus ab exilio uocaretur. Sed Boiares, qui ſunt ex ordine optimatum,ipſa populi multitudine,authoritate atq; opibus potentiores,adoleſcentẽ Moldauum nomine Alexem,regiæ ſtirpis,qui diu in Podolia inops exulerat, celeriter euocant, principem conſtituunt, in Zucauaq; regia appoſitis præſidijs confirmãt.Hæc ubi Byzantij nunciata ſunt, Petrus animos attollit, purpuratos nouis muneribus aggreditur, præhenſat omnes,ſed in Luphtibeio recuperandi regni ſummam ſpem reponit.Interim Moldauorum legati à Boiaribus inſtructi Byzantiũ perueniunt, poſtulantes ut Alexes regij ſanguinis, uti omnium experitus uoris, & publico conſenſu rex acclamatus,poſtquam Stephanum fata ſuſtulerint, Solymani liberalitate cõfirmetur.Tum uerò Petrus purpura-

purpuratos obſecrare, ut nihil de pſeudoregulo amentiente regiam ſtirpem temerè crederent: illius nomen & genus antea incognitum teſtari, idq; inductũ commento & malignitate Boiarum dictitare, ut ipſe auita regni ſede per ſummam iniuriam excludatur.His de cauſis Moldaui minus æquis auribus auditi ſunt:uel ob id,quòd nequaquam modeſtè & reuerẽter in deligendo creandoq; rege properantes,Solymani liberalitatem atq; iudicium præuenisſent. Itaq; legati continuò ad ſuos domũ perſcribũt,anguſtas omnino ſpes ſibi oſtendi, ut quicquam pro Alexe impetrari poſſe credant:præoccupatas enim eſſe purpuratorum uoluntates occultis magnisq; munetibus,commouereq; ſeſe uehementer Petrum, atq; contendere ut per Turcas reducatur.Proinde ſibi difficiles aditus præberi, frigidaq; ab omnibus & plena pudendæ dilationis reſponſa reddi.His cognitis, Boiares ut tyrannum ueluti nõ dubiam cladem ipſis allaturum nouis conſilijs regno penitus excludãt,legatos, diſſimulato habitu, ad Carolum Cæſarem Ferdinandumq; regem mittunt, qui doceant quo in ſtatu periculoq; Moldaui noui principis res ſint,peditũ auxilia implorent.Ea ſi impetrentur, Moldauos icto fœdere promittant Chriſtianorũ regum ſocios, & Turcici nominis perpetuos hoſtes futuros. Sed Ferdinandus fratre Cęſare peragendis conuentibus occupato,quòd multas longũ id iter difficultates habere uideretur, nec conducendo militi pecunia ſuppeteret, ei negocio, quod maximè liberalis officij celeritatem exigere uidebatur, adeſſe non potuit. Cæterùm ea legatio, quæ diu celari non poterat,per ſpeculatores Byzantij nunciata, uſq; adeò in Petrum Turcarum ſtudia accendit, ut Solymanus ſupplicem ac adiutum purpuratorum precibus,cliẽtemq; ſe & deniq; fidelem ſeruum Ottomannici nominis iureiurando profitetem,in gratiam receperit. Nec multo pòſt Himbrachor ſtabuli magiſter,dignitate & uirtute bellica illuſtris, qui Petrum regijs ornatũ inſignibus in Moldauiã reduceret, eſt delectus, paucisq; inde diebus coacto exercitu ad Danubium ponte iungendum contendit.Tum uerò Boiares metu perculſi, quum deſperatis Chriſtianorum auxilijs multitudinẽ cõſternatam, & magnopere Turcarum arma formidãtem conſpicerent, ſummo concepto ſcelere obtruncandi Alexis conſilium deſumunt: neq; enim antiquæ rebellionis noxã, niſi immani aliquo perfidiæ facinore deleri poſſe iudicabant. Nonnunquam enim accidit, ut mortalium animus ſcelere ſemel occupatus, quum in præſenti periculo timor ingruit, facilè uel inuſitati ſceleris infamiam cõtemnat. Ita inſontis ac intempeſtiui principis coniuratorũ concurſu patratur cædes, accumulataq; feritate iacenti caput decidit, ut Boiares ueluti expiata uetere perfidia atrocem aduerſum ſe tyranni animum eo cruento munere mitigarint. Arriſit Petrus exoptata dona ferentibus,placatiq; animi ſpeciem præbuit,quũ diligentiã maturati beneficij ſimulata oratione laudaſſet, utpote qui ſæui ultoriſq; animi decretum recõdere uellet, donec abiret Himbrachor.Is egregia omnium uoluntate paſsim receptus,Petro Zucchiniæ regia in ſede conſtituto, acceptisq; muneribus in Thraciam redijt. Nec mora Boiares circiter uigiti,detegente odium tyranno, alius alia de cauſa cõprehenduntur,& ſecuri percutiũtur. Eiſdem fermè diebus, quibus Rochandulfus ad Budam cum Turcis Budenſibusq; Hungaris bellum gerebat, & Solymanus aduentare dicebatur, Carolus Cæſar Ratiſponæ conuentum diſſoluit,confeſtimq; magnis itineribus in Italiam eſt profectus. Is autẽ Germanorum conuentus, qui Chriſtianæ religionis commodo indictus fuerat,hunc habuit exitum,ut poſtulãte Cæſare,Germani proceres & liberę ciuitates decreta perſcriberent,quibus Guilermus Cleuenſis rẽ gulus, quòd neglecta Auguſti imperij authoritate, Gheldrenſis principatus hæreditatem adijſſet, hoſtis iudicaretur: cõtrà uerò Carolus Sabaudius,qui Gallorũ armis regno excideret, publico totius Germanię conſenſu ſumptuq; utiliam receptus in clientelam,reduceretur: ſeueriſsimoq; obiter edicto caueretur,ne quiſquã Germanici nominis miles Gallorũ ſtipendia mereret: fratri uerò ad Budam cum Turcis rebellibusq; Hũgaris bellum continuũ alenti auxilia præberentur. Hæc ut facilius impetrari poſſent, Carolus totas eas opiniones Lutheranis condonauit,ita ut cunctis quę uellent de diuinis rebus & placitis impunè ſentirent, donec indicto celebratoq; ſacrorum antiſtitum concilio, omnis controuerſia ſupremis diſputationibus tolleretur. Id autem Cæſar, ut intra biennium fieret, cum Paulo ſummo põtifice curaturum promittebat: ita ut uel abnuente Contareno legato,concilio locum in ipſa Germania delecturus eſſe crederetur.Cęſar diſceſſurus è Germania,obnixè poſtularat à pontifice, ut ſibi in Italiã uenienti,ac in Africam traiecturo, ad Lucam occurrere uellet, quòd mutuis colloquijs deliberando de tota ratione concilij ſtatuendum eſſe uideretur.Nec Paulus eius colloquij aut loci cõditionem abnuerat. Non defuere Germani proceres, gliſcente fama de aduentu Solymani,Rochandulfique ſocordia,qui diſcedentis Cæſaris nomen tam falſè, quàm liberè lacerarent. Alij porrò neq; cõſtantem, neque ſtrenuum imperatorem uideri; qui urgenti à fronte nobiliſsimo ac infenſiſsimo hoſti terga daret,patrimoniumq; Barbarorum incẽdijs expoſitũ, atq; inde fratrem accepta clade perterritum, impiè fœdeq; deſereret,ut de immanis piratæ ſpadone ſeruo uictoria leuis in terra Africa quæreretur. Nihil enim profici,uel ad ipſius laudem, uel ad Germanię ſalutem ac dignitatem, ſi quum Italorum ac Hiſpanorum cohortes accerſendæ in Noricum forent, è Norico detractæ Germanorum legiones in Africã ducerentur. Cæſar enim Hiſpaniæ precibus adductus,expeditionem ſuſceperat aduerſus Aſanagam Tunetano bello illuſtrem, qui Algerij cum imperio à Barbaruſſa fuerat relictus.Apud eum prædones Turcæ coibant,Hiſpaniæq; litora prædabãtur,tanto oræ maritimæ damno metuq;, ut Hiſpani à Gadibus ad Pyrenæos montes, diſpoſitis in ora ſpeculis atq; præſidijs,ad incertos caſus excubare ſublata nauigatione cogerentur. Propterea Cæſar claſſem parauerat,cohortesq; in Italia,Sicilia ac Hiſpania cõſcripſerat,totusq; animo in Africã ferebatur: utpote qui antea Solymanũ minimè uenturum putaſſet, & ſatis uirium ad expugnandam Budam in Rochãdulfi diligentia & felicitate fratris poſitum arbitraretur.Contendens in Italiam Cæſar,in Tridentinis Alpibus, Octauium Farneſium miræ indolis adoleſcentem, adſcitum ſibi generum cum inſigni comitatu obuium habuit: moxq; ad Atheſim Alfonſum Vaſtium, qui Inſubrium nobilitatem inſigni armorum cultu exornatam,ac item delectos ex Hiſpanis ueteranos adduxerat,ut comitatus è Germania per ſe exiguus, intentusq; itineri, ea illuſtri auctus frequẽtia,dignus Cæſare ſpectaretur. Affuit properanti ſupra Veronam,inſignis legatio Venetorum,præbitaque ſunt præter gratuitos commeatus munera magnis hoſpitibus in itinere dari ſolita: nihilq; inde Cæſar Cremonæ Laudiq; Pompeiæ commoratus, Mediolanum contendit:exceptusq; eſt incredibili ſtudio ciuitatis,nec leui quoq; ſumptu reliquarum urbium, quum nihil auguſtius & opulẽtius in ornamenta triumphalis pompæ excogitari præſtariue potuiſſet, tegerenturque obiter coloratis uelis uniuerſæ regiones,quibus à Romana porta ad templum maximum, & in uetererem Vicecomitum principum curiam, tanto hoſpiti parem ſub umbella autea duceretur:ſed ipſe atra in penula uiliq; pileo-

lo ſpectari uoluit,multis lugubrem habitum admirantibus, quum fœminarum & plebis curioſa ſimplicitas, pictã ex auro trabeam, & fulgentem gemmis in Cæſaris capite coronam expectaret.Nec diſſimilis animi habitus in graui parumq́ue hilari eius oculo notabatur,ita ut cladem, quæ pridie accepta ad Budam fuerat,prę ſagire uideretur.Reuocauit tamen eum à ſeueris cogitationibus Maria Aragonia, ipſius Vaſtij uxor, cunctas ętatis fœminas excellentis formæ,præclaræq́; uirtutis, & fauentis fortunæ muneribus antecedens:nam quum ſæpè antea illuſtrem pudicitiæ famã felici fœcunditate nobilitaſſet, tum fortè marem pepererat. Huic ſummi honoris cauſa,Cæſar quum ſacro fonte lauaretur,humaniter præſtito Chriſtianę pietatis officio adeſſe uoluit, eumq́; de nomine Carolum appellauit. Aduenere demum legati ſingularum ciuitatum, méſtrui tributi onera peracerbè afflictis populis impoſita deprecantes: ſed eas preces uel iuſtis querelis ſupplicanter additas ita audijt, ut parum clementer in aliud tempus reijceret, triduoq́; poſt nullam indulgentiæ ſpem, ſed eundem, & quidé ab ipſa remedij deſperatione grauiorem miſeris gemitũ relinquẽs, Genuam cõtendit, ubi ex Ferdinandi fratris literis de Germanorum clade, Turcarumq́ue uictoria, & Solymani aduentu certius cognouit.Quo nũcio adducti Vaſtius atq; Auria, dictis ſententijs ſuadebãt, ut perendæ Africæ conſilia in uernum tempus differret,& cum his quas conſcripſiſſet Italicis cohortibus,& Germanorum legione quam adduxerat,in Italia moraretur, ut inde ad opem fratri ferendam, deterrendosq́; Barbaros, reuerſuri ſpeciem præberet:tueretur q́; interim Italiã aduerſus Gallos, quos nulli omnino occaſioni defuturos proſpicerent, ſi aliquod fortè incommodum, aut ui Pœnorum, aut iniuria tempeſtatis acciperetur.Nihilo ſecius Cæſar ſtabili propoſito conſtantiæ nomen,uel magno diſcrimine retinendum ratus, in Africam, abnuente etiam fortuna, trans fretare conſtituit, ut Turcas in Pannonia bellũ gerentes contẽpſiſſe potius, quàm timuiſſe uideretur.Interea Paulus pontifex ab Roma æſtuoſo itinere Caſsiam emenſus, Lucam peruenit, improbantibus medicis, quòd lethale foret, niſi pleno imbre infractis caloribus ab urbano cælo diſceſsiſſet. Nonnulli quoque ſenatores euntem retentare conabantur, in primisq́ue Franciſci regis legati, qui in nullam ſpem pacis ituro, poſtquam ab ea Cæſar auerſus obduraret,non modò ualetudinis incommodum, ſed parùm etiam ſinceræ æquitatis calumniam imminere diſſerebant: quoniam timerent, ne Cæſar honeſtiſsima petitione in belli Punici ſumptum pecuniam impetraret, quæ demũ occulto conſilij exitu ad excidium Narbonẽſis Gallię uerteretur.Magnorum enim principum cõgreſſus atque colloquia abſentibus ſemper ſuſpecta, in alienamq́ue perniciem uerti occulta conſpiratione exiſtimantur. Propterea Frãciſcus,ne ſe incauto atque imprudente Prouinciam admota claſſe repentinus hoſtis inuaderet, ad Maſsiliam & ad Rhodani pontes, legionarios Gallicæ diſciplinæ pedites, & ueteranas equitum alas, ut præſidio forent, maturare iuſſerat. Sed Paulus ea quoque de cauſa utire pergeret,magis ac magis accẽdebatur,quòd ſuborta erat inter Franciſcum & Cęſarem noua ſimultas, ueluti inducijs Rinconis atque Fregoſij cæde uiolatis,ueteriſq́; odij flamma,compreſſa aliquandiu induciarum fide,in multo atrocius quàm antea belli incendium exarſura credebatur.Egerat per aliquot annos Byzantij Antonius Rinco,Franciſci regis legatus apud Solymanum,uti ſæpè diximus:remiſſusq́; à Barbaro paucis antè mẽſibus in Galliam ad regem peruenerat, comitante eum ala equitum Cæſare Fregoſio, ne per Bergomatium fines & Volturenam uallem,ad Duriam Rhætiarũ tranſeunti,à Cæſarianis inſidiæ tenderentur.Cæterùm acceptis nouis mandatis à rege,quę ad confirmandam amicitiam pertinebant,rediturus Byzantium,ſuperatis Pœninis Alpibus in agrum Taurinum inter præſidia Gallorum deſcenderat,ut inde ſe Venetias properet, ac demum tutiſsima nauigatione in Epirũ aduehereturr. Placebat Rinconi per ſe obeſo,& fortè ceruice ac humeris ex ſtillicidio laborãti, ut iacta tio uitaretur,duobus nauigijs ſecundo Pado deuehi, fruſtra improbante Fregoſio, qui uel in publica induciarum fide,cùm regij commodi, tum priuatæ ſalutis rationẽ, Hiſpanorum ingenijs minimè committendam ratus, per eaſdem uel aſperas Rhætorũ Alpes reuerti, aut certè noctu pernicibus equis Placentiam peruolare mallet. Sed fatalis illius pertinacia huius prudentiam facilè peruicit, ut amborum interitu, dirus Chriſtiano nomini caſus incideret, quo inteſtinis affecta malis reſpub.nihil iam non auſuris in perniciem noſtrã Barbaris proderetur. Ab Hiſpanis enim,qui per ſpeculatores cognita eorum nauigatione in inſidijs terra pariter ac flumine diligenter excubabãt, quum meridie ad Ticini oſtium peruenijſſent, ab armatis lintribus, qui recti fronde ex occulta ſtatione repentè prodierãt, circumuenti iugulatiq́ue ſunt. Perijt cum Fregoſio Bonifortius centurio, ſeruatus autẽ eſt Camillus Seſſulanus Fregoſianæ alæ præfectus :iſq́; cum omnibus nautis, ne patratæ cædis fama certo indicio uulgaret, Cremonam deuectus eſt, & in arce cuſtoditus. Alterũ porrò nauigium, in quo erant comites cum ſcrinijs multaq́; pecunia, occupatis hoſtibus, in aduerſam ripam intactum feliciter euaſit,indeq́ue uectores ſimul & nautæ terreſtri itinere per nemoroſos calles occultari Placentiam,allato rei geſtæ nuncio,peruenerunt. Cęterùm cadauera poſt duos menſes elapſi cuſtodia nautæ, iuxta confluentes Padum & Ticinum ſemiſepulta, ob idq́ue diſcerpta feris, & rabe conſumpta monſtrauere, ita ut Fregoſij manus ex antiquo uulnere uno manca digito facilè noſceretur, ac augendæ repræſentandæq́; iniuriæ cauſa, ad Franciſcum,ab uxore,quę caſum deplorarat,auulſa & loculo condita deferretur. Scio Gallos nõ inepta ſuſpicione, nequaquam eos ſtatim interfectos putaſſe,ſed prius in quæſtione cruciatos, ut arcana legationis tormẽtis elicerentur:ſed de hac ſubtili cõiectura, quum nihil adhuc compertum ſit,rem utiq; dubiam in medio relinquemus. Verùm ab eo atroci facinore, Alfonſus Vaſtius, qui Ciſalpinæ Galliæ cum imperio præerat, incredibili inuidia deflagrauit, quòd inducias, in nouem annos ad ſummã ſpẽ pacis Nicææ indictas, uiolaſſe,& contra naturam generoſi eius ingenij, in humana cæde cruentus euaſiſſe uideretur,tanquam famæ ſuæ minimè parcendum putarit, modò apud Cæſarem,uel ignobili & crimino ſo officij genere gratiam mereretur.Sed Vaſtius eius impoſitæ contumelię notam,uel iure, uel preſcriptis,ac ideo publicatis libellis ita diluit,ut id poſtquam iure cognoſci non poterat, uel ſingulari certamine,ſi dignitate compar offerretur,diluturus eſſe crederetur.Itaque pontifex Lucam uenit,præmiſitq́ue Alexandrum Farneſium cardinalem, qui Cæſarem ad uiæ regiæ ſtationem triremibus appulſum,uenientemq́ue ab octauo lapide exciperet.Ad portam autem aſſuere cardinales ac antiſtites, atq; item ordo Lucenſis, qui intrantem ſub umbella deducerent.Curia prætoria,ubi decuriones ſedẽt,Cęſari data, pontifex ad antiſtitis domos templo maximo coniunctas diuertit. Ter Cæſar ad mutua colloquia pontificem adijt, ille Cæſarem ſemel. Introductusq́ue eſt Moninius Gallię regis legatus, ad id tum miſſus,ut quereretur Fregoſium atque Rinconem captos, atque eos ſibi reddi poſtularet: neque enim tum interfectos eſſe conſtabat. Cæſar ad id, apud ſe ius induciarũ inuiolatum eſſe inuiolabileq́; manſurum

manſurum reſpondit: quicquid uerò illis diſsimulato habitu nequaquam nomẽ profitentibus, dum in Pado nauigarent,præter ſpem accidiſſet, iniuſſu ſuo & ſe ignaro penitus accidiſſe:proinde ſi admiſſi facinoris authores indicarent, eos omnino cõpre henſurum, & ad ſupplicij pœnam Gallis traditurũ. Res uti in Pado acta erat,per nautas indicata,nõ obſcuram habebat coniecturam: neq; Paulus inducia rum,quarum ipſe ad Nicæam author extitiſſet, diſceptator eſſe poterat. Erant non iniquæ pacis conditiones,& Carolo quidem Sabaudio longè gratiſſimæ, quibus Franciſcus pro Carolo filio Mediolanenſe imperium præcipuo Cæſaris munere depoſcebat:quum inde demum cunctas Galliæ facultates & copias ſacro indicto bello collaturum profiteretur. Pontifex ubi nihil de pace impetrauit,ſuadere conatus eſt,ut quas in Africam copias eſſet traiecturus,poſtpoſita nauigatione Turcis opponeret, ad fratris Auſtriæq́; præſidium, ſi ea recenti uictoria Solymanus uteretur.Sed Cęſar fatali innixus cõſilio,in ſententia permanſit,nihilq́ue magis eo colloquio decretum eſt, quàm ut concilium quod petebat Cæſar & Pontifex,ut rectè peragi poſſet,exoptabat potius quàm ſperabat, in annum ſequentẽ indiceretur.Id uerò decretum pleriq; diuinarum ac humanarum rerum uſu periti,& libero uoto publica tantum commoda reſpectãtes,intempeſtiuæ atque præpoſteræ uoluntatis eſſe iudicabant: quãdo nihil ab ſurdius uideretur, quàm unum in locũ atq; conſenſum totius Chriſtianæ profeſsionis antiſtites euocare,qui de ſacris dogmatibus morumq́; cẽſura conſtituant,priuſquã inter reges,poſitis odijs, humanarum rerum cõtrouerſiæ finiantur.Expeterẽdam enim prius atq; parandam pacem, maturè demum ſalutarem ſynodum felici fœtura pariturã. Propterea non temerè ueteris ſeculi patres,regesq́; illuſtri pietate ad cœleſtia bona potius quàm terrena ingentibus animis anhelantes,pacem optimam optimæ & iuſtiſsimę ſynodi parentem appellauiſſe,quũ tranquillæ & ſecuræ pacis beneficio cœuntibus regibus,plures ſublatas hæreſes, infinitaq́ue reipub.uulnera,cõcilijs ubiq; terrarum celebratis, obducta atque ſanata meminiſſent. Cæterùm Pontifex Deum maximum diuosq́; omnes de more, ut nauiganti Cæſari feliciter aſpirarent,ſuppliciter precatus: quum Octauium Farneſium ad ponendum militiæ rudimentum in ſoceri Cæſaris cõtubernio, ſtudij ſui atq; beneuolẽtiæ obſidem collocaſſet, per Piſtorienſes montes Bononiam contendit,atq; inde per Æmiliam atq; Flaminiam modicis itinerib. in Vrbem eſt reuerſus. Interea Cæſar Italicis cohortibus,quas Camillus Columna,& Auguſtinus Spinula ſubitario delectu conſcripſerant,atq; item ſex millibus Germanorum, quorum duces erant Georgius Ratiſponenſis,& Baro Seiſnecus,natalium claritate nobilior,in onerarias naues diſtributis,è Lunenſi portu ſoluit,cum trigintaquinq; roſtratis nauibus,edixitq́; magnarum nauium magiſtris, ut ad Baleares inſulas curſum intenderent. Sed in altum prouectas,quum oborta tempeſtas in conſpectum Corſicæ detuliſſet,atq; ita diſiecisſet,ut per biduum aberrarent,Cæſar mitioribus demum uentis in Syracuſanum portum,quem hodie ab oppido præciſæ rupi impoſito Bonifacium uocant,claſſem intulit.Id oppidum in extrema parte inſulæ Sardonio freto imminet,deſpectatq́; Sardiniam modico traiectu in auſtrum exporrectam.Collectis demũ nauibus,& pacato mari ad Hypſitanas aquas flumine Thyrſo pertuq́ue, & Algarenſi noua urbe nobiles prouectus eſt.Eo quo appulit die,bicipitem uitulũ agreſtis mulier Cæſari dono obtulit, auerſantibus cunctis id monſtri omen,poſtquam in primo curſu uenti inſtabiles oſtentatæ ſerenitatis fidem improbè fefelliſſent. Inde quoq; cum Baleares peterent, alteram ab Africo ſubijt procellam,prima quidẽ labore atq; periculo ſæuiorem, quum fractis quorundam antenis,uelisq́; diſcerptis per aduerſos fluctus longa uehementiq́; remigum defatigatione in minoris inſulæ portum,Barchini Magonis nomine celebrem contendiſſent. Ab hac demum Cæſar in maiorem Baleare totam claſſem traiecit,ſingulari affectus lætitia, quòd Ferdinandus Gonzaga, Siciliæ præfectus, peropportunè cum Siculis triremibus, onerarijs q́; Italicis centum quinquaginta nauibus appulerat.Is nautici præſertim panis, & reliqui cõmeatus ingentem copiam,uel longo bello ſuffecturam attulerat. Expectabatur autẽ ab Hiſpania cum ſua claſſe Mendocius:ſed ille Cori flatibus coactus, quũ impetratæ nauigationis curſum tenere nequiuiſſet,ultimi conſilij propoſitum ad tempeſtatis occaſionem flectens felici compendio Algerium rectà contenderat.Ita Cæſar diligentiæ Mendocij nihil diffiſus,ratusq́ue id omnino eueniſſe quòd acciderat,hortante Auria ſecundo uento uela dedit,biduóque nauigatione Algerium peruenit.Quum appropinquaret claſsis,admirabiliq́ue ordine expanſa atque directa in conſpectu hoſtium conſtitiſſet, duæ prædonum biremes,quę ab oriente Algerium petebant,à promontorio oram legentes,imprudenter in ſinum delatæ ſunt. Earum maiorem Viſcontes Cicada trierarchus roſtratæ ſuæ nauis ictu demerſit, altera ueloci remigio incitata intra portus molem incolumis euaſit.Mendocianæ interim triremes promontorium Apollinis, quod hodie Caſſineum uocatur,ſuperantes, magna lætitiæ ſignificatione diſplo ſis omnibus tormentis, Cæſarem ſalutarunt, & ſubſequentem Hiſpanicam claſſem nõ procul abeſſe nunciarunt. In ea erant Cantabricæ Belgicæq́ue naues magnæ ſupra centum, ſed multò plures lenunculi,quos Hiſpani Scarzapinos uocant.Suſtulerant autem præter peditum cohortes, magnum equitum numerum ex totius Hiſpanię iuuentute.Nam pleriq; nobiles,neq; conſcripti, neq; nominatim euocati,ſed priuato ſumptu armis & equis liberaliter inſtructi,ut reipub.operam præſtarẽt,naues ſumma alacritate conſcenderãt.His præerat Ferdinandus Toletanus Albæ regulus, non modò ſua uirtute ſuperioribus bellis inclytus, ſed priuato & quidem pernobili uoto perilluſtris: ingenti namq; pietate magnitudineq́; animi excitus, Gaziæ patris mortẽ ultũ ire properabat: hunc enim in Mœnice inſula ad Girapolim,cõtra Pœnos occubuiſſe docuimus.Cæterũ hęc omnia nauigia uelis agebanẽ,neq; ex malacia promontoriũ ſuperabãt. Iam enim uenti ſumma ſerenitate inuecta,perflare deſierant:ſed à recenti tẽpeſtate mare commotũ,& uehemẽter adhuc fluctuoſum,ita planis litoribus allidebat,ut nullo pacto exponi milites in ſiccũ poſſent, niſi umbilico tenus marinis undis abluerẽtur: quo incõmodo milites affici nolebat Cæſar, ne per ſetẽdio maris atq; nauſea cõfectos repentinis ac audacibus Barbaris etiã madidos atq; rigẽtes obijceret: & Hiſpanos quoq; duabus de cauſis expectãdos iudicabat,ut uniuerſis admotis copijs cũ maiore ui,tũ maiore etiã ſpe uictorię oppidũ inuaderet:& cõmunicare integrã rei gerendæ laudem Hiſpanis uellet, quorũ precibus ſtudioq́; &inſigni liberalitate addu ctus,bellũ ſuſcepiſſet. Sed ea uel bidui tantũ fatali mora,quanq́ recta atq; honeſta ratione duceret, nõ exploratã modò uictoriã interpellauit,uerũ ingenti noſtrorũ incõmodo ſæuituræ fortunæ occaſionẽ aperuit. Interea Cæſar idoneũ hominẽ ad Aſanagã cum mãdatis miſit.Is ſignificatione facta, pariterq́; à Mauris reddita (excuſſo enim linteolo ſiebat, ut colloquendi cauſa in portum turò deſcendi poſſet) humaniter admiſſus poſtulauit,ut oppidum ui & fraude ab Horruccio occupatum, & demum ab Hariadeno Barbaruſsis fratribus ad perniciem hu-

mani generis communitum, extemplò dederet Carolo Cæsari terrarum domino, qui immaniũ prędonum ultor aduenisset. Id si faceret, & Turcis abeundi quò uellent, & Mauris incolis incolumi omniũ fortuna, suis legibus uiuendi potestatẽ fore: ipsum porrò ingentia bello paceq́ue præmia laturum, modò se in Sardinia natum, & sacro ablutum baptismate meminisset. Pulcherrimam enim offerri occasionem, qua ad ueri numinis cultum redire, maximiq; obiter imperatoris fidem & liberalitatem complecti posset, ut de crudeli tyrãno exectæ uirilitatis iniuriam uindicaret. Quòd si cunctandum, & uim tanti apparatus expectandá arbitraretur, inclusos proculdubio eundem pertinaciæ exitum laturos, quẽ funesto exemplo ad Tunetum pertulissent. Ad ea Asanagas respondit, insanum omnino sibi eum uideri, qui oblata ab hoste consilia sequeretur: interrogauitq; renidentiore, quánam fiducia adductus Cæsar, oppidum expugnare posse cõsideret: quum ille extemplò, hoc (digito ostendens classem) quẽ uideris tormentorum apparatu, uetera norumq; pe ditum ac equitum uirtute, respondisset: & nos quoque, in risum effusus subiecit Asanagas, pari præsidio atq; artificio mœnia defendemus, ut locum binis iam uestris cladibus nobilem, noua Cæsaris calamitate clarissimum reddamus. Erat enim uulgatum Algerij anum grandæuam magicis artibus, & mirabili uaticinio maximè celebrem, quæ antea Didaci Verræ, & Vgonis Moncatæ naufragia & clades prædixisset, Algerianis publicè dixisse, ita ut oraculo tempus præscriberet, quo Christianus imperator oppugnare oppidum aulus, ab infelici conatu, magnam terra & mari calamitatem esset aditurus. Eius autem uaticinij famam, in spem secundi euentus confirmandæ multitudini opportunã, ita alebat ac excitabat Asanagas: quanquam magicas uanitates astuto militariq́ue ingenio non admitteret, ut non iam erigere suorum animos, sed nostrorum quoque mentes, quum se importuoso in litore in hyemem coniectos perspicerent, terrere uideretur. Erant in præsidio Turcę tantum octingenti, sed magna ex parte equites, summæ spei summiq́ue roboris manus. Reliqua multitudo uix quinque milium numerum implere ferebatur. Constabat autẽ partim ex Mauris indigenis, partim è Granata Bethicæ oriundis. Accedebant & multi è Balearibus insulis, qui superioribus temporibus cœpta rebellione, ob idq́ue pœnam timentes ad Mahometanos ritus confugissent. Sed Numidarum duces magnũ equitum & peditum numerum effecerãt, qui extra urbem uagi patentibus in locis noctu ac interdiu lacessentes, nostrorum agmina perturbarent. Hos diligenter Asanagas proposita mercede, missisq́ue muneribus ad opimæ spem prædæ suopte ingenio nobis infensos, è proximis regionibus euocarat. Neque cuiquam uel paruos liberos, uel uxores ex oppido in tutiora loca & remotas arces educere, aut ulla omnino signa timoris dare liberum fuit: indicta scilicet supplicij pœna, si quis animo consternatus parum alacrem in periculo ostendisset uultum, aut minus uirilis cõsilij uocem edidisset. Cæsar per Auriam exploratis litoribus ab occidentali parte, quæ frequentibus scopulis erat incommoda, & superioris naufragij recordatione infausta uidebatur, ad tutiorem ab oriẽte stationem classem applicuit. Tanta autem fuit in obeundo munere omnium diligentia expeditaq́ue celeritas, ut quum insolentiũ multitudini plures scaphæ inter se alacriter officijs certantes, abundè suppererent, peditatus omnis nihil præter arma ferre iussus, momento temporis in litus descenderit. Cæsar quiete & cibo recreatis militibus, tres acies numero militum pares instituit: erant enim præter equites & euocatos, ac officio & uoluntate authoritatem atque fortunam Cæsaris A secutos, circiter uiginti milia descriptorum peditũ: singulis autem aciebus terna currulia tormenta ad deterrendos procursantes Numidas attribuit, progressusq́ue inde aliquot stadia non procul ab oppido consedit loco tuto atq; opportuno. nam castra ea ratione locata erant, ut binis utrinque fossis natura munirentur, quas delapsi iugis torrentes, sicuti repentinæ aquæ fert impetus, adeò profundè excauarant, ut subter exesis defractisq; marginibus neque equiti, neque pediti commodus nisi per pontẽ transitus daretur: ad læuã porrò ita assurgebat collis, ut eductis in uerticem tormentis, interiora oppidi ædificia dirui atque infestari posse uiderentur. Algeriũ olim Iuba regia, ut alio loco diximus, à Romanis Cæsarea Iulia uocata, in tergo asperos & excelsos habet montes, directa autem muri fronte ad septentrionem mari alluitur. Insula uerò parua, arce nuper insignis, eam Hispani Pinnonem uocant, obiecta oppido portum efficit, sed neque tutum à Borea, neq; multarum nauium capacem: quanquã Barbarussa, uti alibi meminimus, erepta Hispanis arce atque ea diruta, ad insulam egregio conatu molem adiecerit, ut continenti iungeretur, quum trãslatis in id opus è classe Christianis remigibus, ingẽtes lapides è Tipasæ ruinis asportasset. Cæterũ oppidi mœnia sensim educta in colles ad meridiem, ita molli flexu curuantur, ut erecti trianguli faciem procul ostendant: in summo enim fastigio propugnaculum inductæ calcis albo conspicuum, ad paruæ arcis & speculæ similitudinem exurgit: priuata autem introrsus ædificia, quum à planiore iuxta litus regione sensim recedant, in montem ueluti gradibus extenduntur, decenti uel ob id serie, quòd supra tecta singularum ædium, alienis extantibus fenestris subiecta maria despectantur. Curuatur autẽ litus lunato flexu ab oppido ad promontoriũ Matafusium, in quo antiquæ urbis Tipasæ, quondam à Romanis Cæsaribus Latij iure donatæ, extãtes adhuc reliquiæ uisuntur. Toto autem eo tractu oblonga, sed angusta planicies extenditur. nam ubi à litore aliquot stadijs recesseris, sensim enascẽtes tumuli desinentem planiciem excipiunt: inde enim tota regio innumeris collibus intumescit, absceditq́ue sensim augẽte natura in altissimos montes, qui longa serie oppidum à tergo præcingunt. Vlteriora ad Numidas pertinent, qui more suo diuagantes trãslatis armentis atq; mapalibus non infertiles agros, concessis ad annuam quietem glebæ inducijs, feliciter arant, & multo pecore, quo uno summæ eorum opes censentur, herbidi soli campos depascũt. Cæsar tribus per nationes distinctis castris, ab oriẽte oppidum complexus, in maximam spem ueniebat expugnandi oppidi, quòd sibi ad eam partem tormenta producere, atque acriter oppugnare statuenti, classem magno usui futuram iudicabat, quũ è triremibus summisq́ue malis atque carchesijs magnarum nauium, propugnantium hostium latera ex obliquo tormentis peti posse prospiceret: murus enim per accliuia perpetuo collis dorso erectus, uno extructo aggere, sicuti planis in locis opportunè fieri uidemus, neque protegi neque defendi poterat. Hispani sub prærupti montibus editiora loca tenuerunt, circa medios colles Germani iuxta prætorium consedere, Itali autem planioribus locis ad mare, ac ideo portæ oppidi magis propinquis. Interim dum tormentorum apparatus, administrante Petro Coua, qui ei negocio cum imperio præerat, nauibus educitur, & equi per trochleas moliendo suspensi demissiq́ue funibus exponuntur: Numidæ in summis montibus supra Hispanos magno clamore edito se ostenderant, omni telorum genere desuper subiectos facilè ferientes: toto integro die certatum est, nullo quidem periculo, sed longa Hispanorum defatigatione. Nam inductis etiam

etiam tenebris, Barbari alij alijs succedentes, neq; à A loco quem insederant, neque ab instituta iaculandi consuetudine discesserunt. Vbi enim excitati ignes uisebantur, in eas continuò partes magna uis telorum lapidumq; præsertim modo grandinis effundebatur: cui incommodo nostri extinctis repentè ignibus occurrebant, silentio expectantes lucem, ut tandem collato pede certaretur. Ita sub exortum solis, cohortante Aluaro Sandeo castrorum magistro, Hispani uel per ardua atq; impedita fortiter enitẽtes, deiectis pulsisq; Numidis, montium uertices occuparunt: nactiq; pastorales casas, ad quas in speciem munitionis se reciperent, conglobati consistebant. Eo die tanta confluxit Numidarum multitudo, ut nostri penè circumuenti, quum duas acies fecissent, in urbem pugnare cogerentur. Sed Sicilienſium cohortium uirtute, Numidarum audacia premebatur: hastati enim fulgentibus galeis atq; thoracibus muniti, iacula facilè contemnebant, & sclopetarij à lateribus insultantes, plumbeis emissis glandibus auertebant. Numidæ pedites è iuuentute deliguntur seminudi, promissa cæsarie, nihil præter iacula gestantes, equitibus se permiscent, atq; ita mutuo consilij præsidio rem gerunt, tantaq; pedum uelocitate cõgressus nostrorum deuitant, ut à statarijs non facilè uulnerentur. Equitum uerò prælongas & præfixo utrinq; ferro ancipites lanceas, ad auersos etiam ictus arte mirabili quassantiũ, ea erat agilitas, ut nemo nostrorum acie excederet, quin statim interceptus lethali cuspide figeretur: scutis ad effigiem cordis è corio oblongis & leuibus sese atque equum in occursu receptuq; usqueadeò habiles protegunt, ut exiguo summi periculi præmio ad condictũ proposito, septena iacula intorqueri se offerant, singulaq; uel hastæ celeri commotionem detorqueant, uel scuto in obliquum exporrecto certissima declinent. Interea dum Numidæ in nostem usq; ex omnibus locis decurrẽdo, ante castra uolitarent, & cuncta apud nostros, quæ bellica ratione instituti explorariq́ue poterant, egregiè prouisa uiderentur, fortuna Christiano nomini multo quàm unquam antea grauior ac infestior, spes Cæsaris interrupit. Ipso siquidem tormenta, equos, commeatus, ac impedimenta exercitus expectante, imber à prima statim uigilia maximè gelidus ac procellosus, adeò intempestiuè & grauiter est effusus, ut quum tota nocte nihil remitteret, totus exercitus ingenti accepto incommodo perfunderetur, turbulentissimaq; obiter tempestas mari repentè orta, classem iactatam immensis fluctibus, compulsamq; uehementer uentorum turbine, miserabilis naufragij periculo in litus adigeret. Excubabant extra castrorum fossam, quam lapideo ponte iunctam diximus, tres Italicæ cohortes, quas Camillus Columna medijs fermè spacijs ab oppido & ponte, inter accliues tumulos ficus arbustulis cõsitos ita collocarat, ut sensim per ardua collium extẽsis manipulis ad Germanos usque pertinerent. In has cohortes inalbescente cœlo Turcæ equites, Mauriq́ue pedites intermixti, qui summa uigilantia nostras stationes obseruabant, intellecta occasione celeriter eruperunt, tantaq́ue ui undique magno clamore edito, sagittis, iaculis, & multò maximè lapidibus adorti sunt, ut quum iam à pluuia extinctis funiculorum ignibus, lagunculisq́ue sulphurei pulueris madefactis, sclopetorum usus penitus esset ereptus, pauci hastati ingruentiũ impetum sustinerent, & reliqui omnes in fugã uerterentur. Sed consistere ausos, Turcæ celeriter obtruncarunt, interfectoq́ue signifero Cellesiæ cohortis, uexilloq́ue discerpto, fugientium tergis institerunt, tanta audacia persequendo cædendoq́ue, ut quum trepidos in castra compellerent, nonnulli hostium fossam superarint, ad tabernaculaq́ue peruenerint. Ex his præferocem Maurum cominus congressum, Lucidus Romanus, quanquam sauciatus, fortiter interfecit. Exaudito fugientium tumultu, Camillus à Cæsare missus protinus eò deuolarat, conglobatasq́ue aliquot cohortes ultra pontem in hostes eduxerat, Barbariq; iam confirmatis nostrorum animis repulsi atque impetũ remittentes, ueri aut certè simulati timoris, & tumultuarij receptus signa dabant: quum Ferdinandus Gonzaga, cuius prima secundum Cæsarem in exercitu erat authoritas, iratus cohortibus loco pulsis superuenit, cohortatusq́ue uiros fortes, ut fugæ dedecus nobili conatu diluerent, in hostes impetum facere, atque acriter persequendo intra portas compellere iussit. Nec mora, cohortes duce Augustino Spinula, magna alacritate magnoq́ue impetu hostes inuadunt, in fugam concitant, cædendoq́ue terga intra portam compellunt, tanta ui celeritateq́ue, ut nostri ob ductas repentè ualuas in porta cõtingerent, & multi hostium excluſi, notis itineribus ad aduersam portam, & in montes elaberentur. Tum uerò Barbari ex ipsa muri corona in temerè progressos omnis generis tela, & tum maximè lapides iacere, sauciare, sternere, terrereq́ue clamoribus, & illi qui extrinsecus refugerant, ad pugnam reuerti, porrò qui portã clauserant, rursus erumpere, & hærentes nostros, aut se recipientes adoriri. Neque Italis, quum calentibus animis aduenissent, uigoris constantia deerat, si tutam ad receptum uiam fortuna reliquisset: missilibus enim obruti, stratiq́ue tormentis, uti in ipso conatu spe deceptis facilè accidit, consilij inopes, ora atque animos in fugam uerterunt, nõ confertis quidem, sed per diuersos calles dissipatis agminibus. Erãt enim tyrones collectitij generis subitario delectu festinante Cæsare coacti. Ita peroportunè erumpens Asanagas, qui ex oris habitu cultuq́ue regio facilè nosci poterat, immissis Turcarũ turmis & Mauris peditibus, nostros in fugam præcipites egit: uni ferè omnium Rhodij equites, qui sub nauali uexillo pedibus pugnabãt, egregiè repugnando per sinuosas conualles constantissimè se receperunt, amisso signifero atque aliquot fortissimis uiris, qui Punicea in ueste candida cruce prætexta galeati thoracatiq́ue in postremo agmine constiterant: sed persequentium Barbarorum uim pauorem ueteranorum mirifica uirtus retardauit. In his fuere cum ipso Spinula, Franciscus Balneus nobilissimæ stirpis, è rogata Gallia cohortium præfectus, Titus item Amarinus, & M. Antonius Porretanus, qui ad ligneum pontem (is non longè à porta distabat) intrepidè consistentes, excepta thoracibus iacula in hostes remittendo, hastisq́ue maioribus prouectos & inermes fodiendo, aliquot acceptis illatisq́ue uulneribus spacium fugæ, & ob id multis salutem pepererunt: sed ea inæqualis & lutulenti loci diuersitas inter cauas uias & tumulos ad mare decliues, ut Barbari regionis usu periti, undique ualidè urgerent, intermixtiq́ue nostris & à suis intercluſi, ubique tumultuosissimo & nostris iniquissimo pugnæ genere uersarentur. Eo modo nostri, qui ab initio audacius procurrerant, quũ nouissimi agminis in receptu facti essent, cædente terga hoste, quinque stadiorum iter ignobili cadentes morte cadaueribus compleuerunt, atque hi ante alios, qui ad mare ex fuga deflexerant. Sed prima nostrorum agmina tanta trepidatione ad lapideũ pontem & ad castra fugam intenderant, ut nemo ducum in tanta & repentina rerum iniquitate, publicę salutis & militaris consilij rationem perturbato animo retineret, & cuncta ad summam cladem terra mariq; uno tempore delata crederẽtur. Verùm ipse unus omnium Cæsar, aduersus omnẽ urgentis fortunæ contumeliam inuictus & intrepidus, sibi atq; alijs eo die summus imperator fuit: quũ perditis prope rebus opẽ ferens, opportunissimo tẽpore cũ Germanorum

manorum legione decurrisset, præmissis è legione tribus uexillis, quibus fugam sisteret, & castra certo recentiq; præsidio ultra pontē firmarentur: sed tantus fugientium animos pauor occuparat, tantusq; erat incumbentium Turcarū impetus, ut Germani non temerè aliàs terga hosti dare soliti, tanquā linteata capita formidantes, neq; aspectum oculis, neque arma hostium firmis pectoribus sustinerēt. Tū uerò Cæsar prouectus equo, districtum tenens gladium, & fugam increpitans, phalangem promouit, oreq; maximè celso ac impauido, Germanica utens lingua: Quando, inquit, commilitones insultāti hosti frontem ostendetis, si quū in uestigio pro dignitate Christiani nominis, Germanicæq; gentis gloria, & pro salute omnium sit dimicandum, præsente Cæsare, paucósne & inconditos inermesq; Barbaros timetis? Nec mora, quum hæc diceret, ad non dubij pudoris motum exorto alacri fremitu, indignabunda legio, quòd ad præstandam operam cohortatione indigere uideretur, sese contra hostes effudit. Eius aduentu permoti Barbari, & quòd iam nobilium ducum uirtute Italica acies planè restituta spectabatur, subsistere pedemq; referre cœperūt: seu ueriti torméta currulia, impressionemq; nostrorum, seu se satis eruptione profecisse iudicātes, quū ad summam confecti belli uictoriam, horribili tempestate quassatam, classem perire conspicerent, & multi, Mauriq; præsertim ad spem certioris prædę, ubi nullum omnino periculū ab hoste foret, ad subiecta litora properarent. Inusitata enim & planè fatali diuersorum uentorum coniuratione, ad ciendā atrocissimam tempestatem, usqueadeò mare commotum intumuerat, & totis litoribus immani fluctuum repercussu frangebatur, ut iactatæ naues collisæq; demū atq; diffractæ spectante exercitu mergerentur. Eundem quoq; tempestatis casum tulere Hispanicæ naues, & ad unū Scarzapini omnes, quæ Cassineum superare nequiuerant. Ita ut totum id litus ab occasu ad Cercellum usq; oppidum, eiectarū nauium fragmentis, ac hominum & equorum cadaueribus sterneretur. Numidæ enim alij atq; alij pariter è montibus, conspecta nostræ classis calamitate, celeriter se demiserant, neq; inermibus eiectitijs neq; fœminis parcentes, secus ac Cercellani Turcę, qui enatantes uel auarè, uel humaniter ad seruitute conseruare, quàm interficere malebant. Periere paucissimis horis circiter centum & quadraginta naui gia, quæ sine remigio quadratis uelis agerentur. Rostratæ porrò quum à media fermè nocte in multam diem pertinaci remigum contentione, & magistrorum diligētia in anchoris perstitissent, neq; diutius tempestatis iniurias ferre possent, obruiq; timerēt, iacturam triremis facere, ac sese in litus remis & uelis uehementer incitare minimè dubitabant. Sed enatantes à Numidico equitatu totis discurrente litoribus, semiuiui & frustra se dedentes in ipso salutis limine cædebantur. In his Lazarus Amareus è Genua nobilis trierarchus est interfectus. Eratque spectaculum diuersis casibus ualde atrox, & ubiq; maximè funestum, quum quisq; pro animi habitu, natandiq; peritia, in ipso certæ cladis ancipiti metu, dum genus mortis prę optat aut refugit, uel mersus undis, uel hostili lancea transfixus, ad suum omnino uitę finem destinante fato raperetur. Nemo tamen erat qui non maximè cædem & uulnera perhorreret, nauisq; discrimen & tempestatis euentū expectare, quàm præuenire uitæ exitū mallet. Sed postquam rostrata insignis, qua Ianertinus Auria uehebatur, uti maximè propinqua litori, cohærentiumq; triremium pulsata ictibus, propelli ac arenis impingi conspecta est, non sustinuit Cæsar, ut spectatæ uirtutis iuuenis, & præfectura multarum triremium clarus, nullo ferente opem, in oculis ipsius auunculi Auriæ à Barbaris trucidatus interiret; statim q; Antonium Aragonium cum tribus Italorum cohortibus ad litus misit, quarum aduentu, coniectis in fugam Numidis, ille quidem ita seruatus est, ut eius salutē aliquot triremiū iactura sequeretur. Multi enim Numidarum timore liberati, confisique præsidio, ut se quoq; maris periculo & tot tempestatis incōmodis expedirent, proràs in litus intulerunt: ac nisi aliquot intrepidi nauarchi damni dolore ad acerbitatem & contumaciam ingenia uertentes, districtis gladijs per foros discurrendo & mortem cōminando, nisi remos inhiberent & se continerent, uectores & remiges deterruissent, maxima pars rostratarum exemplo superiorū omnino deperisset. Ipse Auria non tam sibi quàm Cæsari iratus, qui disciplinæ naualis rationem, & certos inclinantes autumni dies, nauigantium obseruatione prædamnatos neglexisse uideretur, incredibili animo contra tempestatem indomitus permansit, suadentiūq; preces, ut se conseruaret, adeò fortiter reiecit, ut eos acerrimis uerbis tanquā publicę salutis proditores ad imam carinam descendere iuberet. Pari quoq; perseuerātia, Virginij Vrsini Anguillarij quatuor triremes, totidemq; Rhodiæ earum æmulatione, uincente metum pudore, & Siculæ aliquot ac Neapolitanæ atq; Hispanicæ cuncta tempestatis in commoda feliciter pertulerunt. Eo casu quindecim omnino triremes desideratæ sunt, quarum detrimēto supra tot nauium onerariarum naufragia, etiam tum sequente uentorum rabie, tantus cum luctu dolor, tantaq; rerū desperatio, in ualde lugubri supremæ cladis expectatione, totum exercitum occupauit, ut nedum tyrones & milites de sua tantum uita soliciti, sed longè fortissimi duces de publica salute cogitantes, animos desponderent. Nunquam enim ab ulla annalium memoria ullas bello copias grauiore calamitatum concursu, uel seipsa sæuior fortuna perculerat: quum cibarijs omnibus eo triduo consumptis, nullus, quo tantisper inediam ferrent, commeatus adesset, tabernaculaq; deessent, quibus in tanta perpetui imbris iniuria, & lutulentæ regionis fœditate, ad quietem, labore, inedia, frigore, uulneribus, confecti milites tegerentur, in tantisq; demum incommodis ingens cura & præterito metu quidem acerbior, omnium mentes magnopere conturbarat, reputatione immanis naufragij, quum tot amissis nauibus, exoptatus in patriā reditus, in terram Africam proiectis, & miseris fato Cæsaris interceptus esse crederetur. Afflictorum tamen spes, quas apud mortales nulla sortis iniquitas penitus abrumpit, constantia Cæsaris egregiè sustentabat. Ipse enim mirabili alacritate cuncta munia prouidentiæ militaris ac humanitatis officia cunctis inuictus malis, & conspectu maximè serenus adimpleuit: nam postquam castra constitutis præfidijs atq; uigilijs, contra obstrepentes Barbaros firmata sunt, defatigatis ducibus in primisque Albanio in ipso pugnæ tumultu magnopere festo fœdeque madenti, ut sibi parcerent, quietique se darent imperabat: solabatur saucios, ac in ea tabernacula, quæ fortè substiterant (nam cuncta penè uis uentorum euerterat) referri fouerique curabat: ut quum sibi ipsi loricato madefactoque non parceret, pleniore cum laude uoluntates militū promereri uideretur. Desi derauit eo die hostili occisos manu milites circiter trecentos. In his cecidere prefecti, aut noti centuriones, Ioannes Calaber, Pancratius à Neapoli, Cancinius Ligur, Mirabilis Insuber, & Iacobus Strasoldius è Foroiulio: è numeroque Rhodiorum equestris ordinis, Didacus Hispanus, Georgius Aruernus, & Guido Roscius Neapolitanus: uulnerati autē multo plures ducentis, & in his Sulmonensis princeps Philippus, Caroli Lanoij filius. Sed maximum in demersis nautis detrimentū acceptum esse censebatur, quorū iacturam innumerabilia tormenta ænea mari

mari hausta plurimum augebant: & ob id cumulatiore damno, quòd in potestatem Barbarorū, quum pacatum mare urinantes admitteret, ad publicam perniciem peruentura prouideret. Nec multo pòst Andreas Auria diffusus loco, ad Matafusiū promontorium cum classe se proripuit, quòd tutiore ibi stationem & sine crepidine litora ad cōscensiones militum commodiora didicerat, commonefacto Cæsare, ut illuc terrestri itinere contenderet. Ita Cæsar comprobato consilio ad subleuandam inediam, equos, & primò quidem iugales ab initio trahendis tormentis ante omnes classe eductos, ac demū mili tares interfici iussit, cohortibusq; diuisit. nam ad excitandos ignes ex naufragijs ligna affatim suppetebant, fortuna ueluti uno eo beneficio tot iniurias compensante. Postridie Cæsar ab Algerio discedēs, quum triplici agmine, & ægris atq; saucijs in medium receptis, septem millia passuum confecisset, persequente & circumfuso undiq; Barbarorū equitatu, ad torrentem quem Punica lingua Alcaraz uocant, peruenit. Is imbribus ualde inflatus, retroque ad ostium uentis pariter ac irati maris fluctibus cōpulsus, tantum excreuerat, ut qui paulo antè humilem uel infirmo pediti uadum præbebat, propter aquę rapiditatem ac altitudinem, nec à ualido quidē equite transiretur. Multis tranare ausis cursuq; amnis celeriter abreptis, Cæsar ex reliquijs nauiū malos ac antennas passim nactus, subitarij operis pontem perfecit, atq; eo non omnino incommodè Italos atq; Germanos traduxit. Hispani enim in superioribus locis, uix suras adæquantia profluentis uada repererant. Neq; postea Turcæ, qui insequerent, conspecti sunt: reuocarat enim eos Asanagas, perse quendi & lacessendi negocium Mauris & Numidis relinquens, qui quū iam à sclopetarijs currulibusq; tormentis, quæ unicuiq; agmini gentiq; ad præsidium attributa fuisse diximus, egregiè peterentur, in egros maximè debilitatosq; uulneribus à nostris destitutos, atrocissimè sęuiebant. Nulli enim erant, qui inter angustas spes salutis proprio metu occupati, alienæ calamitatis misericordia mouerent. Sequenti porrò die, superato alio minore flumine, tribus tandem castris ad classem est peruentum: quæ quum Matafusij promontorij modico flexu tegeretur, exercitus omnis in Tipasæ antiquæ urbis ruinis iuxta mare consedit, loco ita opportuno, ut cadentium murorum reliquiæ ad admirationem Romanorum operum adhuc extantes, aduersus Barbarorum audaciam non inutile munimentum præbe rent. Iam mare remissioribus fluctibus agebatur, uentiq; perflare desierant, ac ea erat consecuta tranquillitas, ut exercitus in naues imponi, ac in Europam reportari commodè posse uideretur. Itaq; Cæsar omnibus edixit esse nauigandum. Sed tot nauibus naufragio absumptis, quū onerariæ naues tantam militum multitudinem uel angustè collocatā capere minimè posse censerētur, pronunciatum est gubernatoribus dominisq; nauium, ut equos ad unum omnes in mare proijcerent: quòd pietate Cæsaris indignum foret, uel generosos & incomparabiles equos gregariorum militum, aut deniq; lixarum saluti prætulisse. Ea res procerū dominorumq; præsertim animos uehementissimè perstrinxit: non priuari enim modò se ad belli usum inæstimabili carissimarū rerum instrumento, sed militariū equorum florem, nequaq; suprema necessitate ultro intercidi, & in reliquū tempus extinctis admissarijs, irreparabilē, orbata Hispania, præcellentium equorum sobolē interire prædicabant. Spectabātur itaq; cum dolore ac inani misericordia generosi & militares equi, toto pelago elatis ceruicibus ad proximas quasq; naues irrita spe salutis tanq; ad litora cōtendentes, quū demū longa defatigatione superati, cōsumpto spiritu mergerent. Sed uix dum dimidia pars militū cōsenderat, quòd scapharū inopia uel cupidè properantibus terditatem attulisset, quum Vulturnus & Eurus, alijq; mox uenti in orbe cōspirantes, secundā penè prima uehementiore tempestatem excitarunt. Quo casu nihil expectatis imperijs unaquæq; nauis sublato plena milite, ne in scopulos adigeretur, eò direxerit cursum, quò uis ipsa uentorū plenis uelis per alta maria rapiebat. Abiere quidem celeriter è conspectu disiectę penitus in cōtrarias regiones. Eumq; tēpestas habuit euentū, ut aliquæ naues iam planè quassatę, sensimq; absorptę in cōspectu aliarum perierint: ex alia aūt promptior res scapham occupantes, pereuntium sociorum testamenta supremasq; preces ad uxores & propinquos retulerint. Sed mirabilem casum duæ naues Hispanis militibus plenæ subierunt, quum in primo cursu reflantibus uentis ad Algerium detortæ, magnisq; rimarū hiatibus integros fluctus admittētes fatali in litore desedissent. Concurrerat ad litus Numidarum equitatus, subsequente Maurorū multitudine, ut iectos & desertos à fortuna trucidaret. Qua feritate atq; insolentia permoti Hispani, uirilibusq; animis indignantes, densatoq; agmine in orbem pugnantes, ad oppidum contenderūt, usqueadeò constanter & fortiter emenso spacio, ut coronam hostium multis illatis uulneribus à fronte sæpius effringerent, & à lateribus inuectos prælongis hastis egregiè summouerēt. Tum uerò effundentes se Turcas appellarunt, & per eos si uita incolumi reciperentur, Asanagæ in seruitutem se dedere nunciarunt: quod in homine Sardo Christianis orto parentibus, & tot præcipuè libertis & familiaribus Hispanici nominis stipato, neq; humanitatem neq; fidem omnino defuturam sperabant. Ita prodiens Asanagas præclaro iure uoluntarijs seruis fidem prestitit, depulsisq; Numidis, ad unum omnes humaniter conseruauit, quum solerti ingenio uel semiuir è tot mancipijs tanti prouentus lucrū, cum honesta, etiam clementiæ laude coniunctum, secus ac Barbari mirum in modum æstimaret. Ipsis autē Germanis ea terra mariq; accepta incommoda, contagiosam penè pestem attulerūt, quòd & antea corruptis uisceribus profluuio laborare cœpissent, quū ex inedia toto eo triduo, quo ad Tipasam est deuentum, palmularum bulbosis radicibus, & cepis agrestibus uescerentur: quibus malis & aliquot demum naufragijs effectum est, ut ne tertia quidem eorum pars incolumis in Germaniam redierit. Sed unius magnæ nauis longè durissimus euentus, omniū funestos casus miserabili calamitatis exitu superauit. Hæc enim quum in ea quadringenti fermè omnis generis milites ueherentur, inusitatis atque diuersis erroribus ita Mediterranei maris sinus atque insulas omnes circumiuit, ut quum portus appeteret, noua semper uentorum commutatione, è conspectu ipsoque limine tutissimarum stationum ac urbium raperetur, hominesque paulatim consumptis edulijs fame tabescentes, ad insolitam in uiuis corporibus maciem oraque lurida peruenirēt. Post quinquagesimum autem diem quum nauis exoptatam terram attigisset, alimentisque se milites refouere contenderent, neque ullis omnino cibis ueluti iam extincto calore proficerent, paucissimis diebus ad unum fermè omnes, alius alio celerius aut tardius omnino perierunt. Cæterùm Cæsar, obtestante Auria atq; imperante, inualescentem procellam effugiens, cum rostratarum classe prætrectus Africæ litora ad Orientem in Holcachitem sinū se intulit, in quo sita est Buzia, antiquitus Vzicatha Ptolemæo dicta, quam suo loco ab Hispanis duce Nauarro manu captam atque direptam fuisse memorauimus. Castellum tribus munitum turribus, in ea parte urbis quę mari alluitur, paucorum Hispanorum præsidio tenebatur: urbs autem ipsa paulo

antè

antè gymnasio & nundinis, ac Horuccij Barbarussę, qui dextram ibi manum tormenti ictu abreptam reliquit, calamitate percelebris, eâ ab clade deserti incolis penè tota perierat. Nec Hispani plus suburbani agri possidebant, quàm quantum tormentis & armis aduersus obsidentes Numidas tuerentur. In præsidio autem perexiguus omnino commeatus est repertus. Quum uerò in maximam spem cõmeatus deuenisset Cæsar, quòd Ligustica nauis, cognomento Furnaria, commeatu onusta, lætis omnibus in conspectu se dedisset, tempestas inualuit, nauisq; arãtibus uada anchoris, in litus ad naufragium ejecta est: ita tamẽ, ut ejectitijs & falsa alluuione semicorruptis rerum penè omnium cibarijs, excipiente ea confestim nauali turba, crescentem inopiam opportunè subleuaret. Interea Cæsar, quũ plures iam dies inflato mari, ac alternantibus uentis conturbato, in multa idoneæ ad nauigandum tẽpestatis expectatione substitisset, & spe noui commeatus omnino decideret, Siculas duce Gonzaga, Rhodiasq; triremes ab se dimisit. Boreas enim in Corum seuerat, præbebatq́ spem ad experiendam mari & fluctibus fortunam, omni cunctatione tutiorem. Ita quanquam turbulenta, felici tamen nauigatione in Vticæ portum, qui Farinas hodie uocatur, celerrimè delatæ sunt: ibiq́ præstò affuit Muleasses rex Tunetanus, Gonzagamq́ plurimum exoptatis esculentarum rerum muneribus liberaliter adiuit. Atq; inde demum incolumes ad unam omnes Drepanum traiecerunt. Nec multo pòst à Cucchino montanorum Pœnorum regulo, legati ad Cęsarem uenerunt, intra paucos dies commeatum affatim, & magna item auxilia aduersus Turcas pollicentes: sed eos Cæsar Punicæ fidei liberalitatiq́ue diffisus, amicæ uoluntatis ac officij nomine pecunia donatos remisit: quæ legatio demum euulgata per Barbaros, magno incommodo paucos post menses regulo cessit. nam tanquam amicus Christiani nominis Puniciq́ue hostis, ab Asanaga regno fuit expulsus. Iam defatigatis planè uentis usqueadeò resedebant tempestates, ut mare sedatum atque tractabile uideretur, & periti nautæ, cùm metu periculorũ imminentium, tum præteritorum tædio nauigationi se committere minimè dubitarent. Tandem aspirantibus Euris, Cæsar ad Baleares cursum direxit, diuæ etiam Catharinæ maligno fidere tranquillam nactus tempestatem, atque inde demum ad nouæ Carthaginis portum appulit.

SVPPLEMENTI
LIBER XXV.

INdicijs Rinconis atque Fregosij morte sublatis, Franciscus, uti maximè decuit, longa pacis expectatione deceptus, suæ dignitatis esse statuebat, quàm primum ulcisci iniurias, ac uno tempore summisq́ opibus, non modò Subalpinis oppidis in Italia, sed ipsis quoque citerioris Hispaniæ, Belgarumq́ue finibus arma inferre, neque prius absistere incœpto, quàm honesta pactione Cisalpinæ Galliæ imperio potiretur, aut postremo superatus, & Galliæ exutus regno, in eadem aduersa belli fortuna concideret. Omnes enim ineundæ cõcordię cogitationes abierat, quum præclaris admodum coniecturis, Cæsaris ingenium stabili decreto, ab ea rerum compositione, quæ Mediolanum eriperet, penitus auersum esse deprehendisset: grauiq́ue quidem incommodo ac infamia Annei Memorantij magistri equitum, cuius consilijs, ut aliqui dicebant, parùm sinceris, se totum rex adapertus, nec de æquitate Cæsaris desperans, traducendum fallendumq́; tradiderat. Dicebant enim Memorantium conciliasse sibi Cæsarẽ parùm fidelibus officijs, idq́ue unum non occulto astu contendere, ut regem decoris auidum, iustaq́; ob id & necessaria arma meditantem, ad turpe exitiale q́; otium deuocaret. Eo modo, qui militiæ atque aulæ maximis honoribus potens, totum regẽ unus occuparet, diutissimè regnaturum. Itaque rex priuato iudicio conuictum, & publicam inuidiam ægrè sustinentem, in Centeliam uillam, manẽtibus honorum titulis relegat: eam ipse in Bellouacis regio sumptu ad maximæ fortunę uoluptarios secessus extruxerat. Nec quisquã omnium repertus est, qui ruenti opem ferret. Amoto Memorantio, rex ipse consiliorum omnium summam, præparato animo ad gerendum bellum sibi desumit: grauissimarum rerum literas, sub breui ac ob id fallaci compẽdio offerri solitas, intenta cura perlegit, suoq́ue fretus ingenio, responsa notarijs dictat, ęrarij rationes excussis quæstoribus diligenter inspicit, in omniq́; obeundo munere, noua diligentia nouoq́ue labore ueteris incuriæ nomen emendat. Eo tempore Langeus, qui Taurino Gallicisq́; præsidijs in Italia præerat, solerti ingenio dabat operam, ut decreti belli consilia tegerentur. Si qua enim controuersia cum Cæsarianis de finibus ac iniurijs oriretur, compressis suorum armis, per legatos apud Alfonsum Vastium de iure militari ex præscriptis conditionibus disputabat. Ita induciarum imaginem sustentare conabatur, ut quum occasio rei bene gerendę adesset, in hostem improuisa arma proferrentur. Nam statim à Rinconis Fregosij cæde uehemẽter fuerat intentus sollicitandis ad defectionem oppidis, quæ hostium præsidio tenerentur, inclinatis multorum animis ad mutandam fidem, quum ęstiuis ac hybernis Cæsarianorum militum ad extremam redacti inopiam, mitiora omnia apud Gallos futura existimarent. Sed Alexandriæ detecta proditio incertam adhuc induciarum fidem exoluit, & deprehensi cũ literis speculatores, suspecta utrinque consilia atq; arma reddiderãt. Quibus de causis Daualus nouas cohortes conscripsit, ut maiore præsidio propinqua hosti oppida confirmaret, dubię incolarum fidei parum credens, & sæpe insidias à Langeo suspectans, quem eruditis pacis belliq́ue artibus instructum, ingenio semper excubanti paratoq́ue, non temerè cauendum intelligebat. Quina utrinque oppida, quæ gerendo bello maximè opportuna didicerãt, paribus præsidijs tuebantur. Regij Taurinum, & in proximo Montem calerium descensu regis ab Alpibus interceptum, Sabinianum item, Penarolumq́; & cinctum palude Varulengum. Cæsariani autem præter Astam coloniam & Varcellas urbes, Vulpianum Taurini ceruicibus impositum, Fossanum ire, felicium Antonij Leuæ operum supremũ, & Cherium, & Clarascum & Albã, quæ ab initio belli nequaquam temerè à Gallis occupata, sed neque fortiter demum aut feliciter defensa, Daualum magna ui terrefactis superatisq́ue præsidijs recepisse docuimus. Minora porrò oppida, uti incluſa certis limitibus, quos inducię in mutuos consensus antea præscripsissent, raro aut certè nullo stabili milite tenebantur, quòd ea uel una incolarum fide, & domesti co præsidio satis custodita existimarent. Clarascum cum tribus cohortibus, alaq́ue una Cremonensi tuendum susceperat Hieronymus Sangrius Neapolitanus. Is à Daualo per literas monitus, ut ab hostiũ insidijs diligẽter caueret, uigilias circuibat, & præsidia idoneis locis collocabat: sed quum militũ animis propter rei frumentariæ causam, minus propẽsis uteretur, Galli intempesta nocte à tribus simul partibus scalis oppidum ceperũt. Quum irrumpentium Gallorum clamor audiretur, Sangrius qui in medio foro submittendis, quò periculum uocaret, præsidijs

præsidijs aliquandiu cõstiterat, desperatis rebus in arcẽ se recepit: milites dimidia ex parte capti sunt, reliqua manus, ut profugeret, ex muro occupatis hostibus se demisit. Cæterùm biduo pòst Sangrius, quòd nullum antea commeatum pararat, certa pactione, ut inde saluis rebus, & duobus tormẽtis abiret, arcem reliquit. Sed alia Gallorum manus, quæ eadem nocte ad tentandã Albam contenderat, dissimili euentu audaciæ ac diligentiæ suæ periculũ fecit. Adorta siquidem urbis muros, eximia Francisci Landriani cohortiũ, quæ intentæ excubabant, uirtute depulsa est, Albanis incredibili studio atq; animo propugnantibus: adhortante præsertim pro salute patriæ decertantes, eorum antiste Hieronymo Vida, poëta celeberrimo. Sub id quoq; tempus, duce Ludouico Birago, quatuor Gallorũ turmæ, quæ sclopetarios celeritatis causa in equis cõsessores acceperant, Varulengo, ad oppidum Verucam, quod Pado imminet, profectæ, alam, quum Epirota dux Zucerus abesset, negligenter æstiuantem oppresserunt. His rebus cognitis Daualus, quòd Gallorum consilia iam planè abruptis inducijs ad gerendum bellum uerterentur, imperata urbibus pecunia, Germanorum cohortes mercede cõducit, ex Insubrum iuuentute delectum habet, profectusq́; Mediolano ultra Padum ad ueteres copias contendit: eius aduentu permoti Galli in eadem oppida, in queis æstiuarant, maturè concesserũt. Ipse autem deductis & coactis in unum omnibus ferè præsidijs, in minora oppida impetum facit: quoniam Clarascum ualido uigilantiq́; tutum præsidio non nisi magnis copijs magnoq́; apparatu expugnari posse didicerat. Itaq; celeri cursu ad duodecim oppida in potestatẽ sunt redacta, in queis fuere Villanoua, Raconisium, Carmagnola, Caramanum: quorum accessione Daualus, tametsi Gallorum audaciam abundè compresserat, nequaquam tamen Clarasci amissi iacturã uel captis tot oppidis æquasse uidebatur. At Fráciscus, qui ante initium renouati in Italia belli, cuncta quę longo grauissimoq́; suscepto certamini abũdè suffi cerent, inexhaustis ad id Gallię opibus, insigni cura compararat, inferendi belli munia liberis dispertit, peritosq́ue rei militaris duces, qui ætatem consilio manuq́ue regerent, attribuit. Henricus tacito ingenio, pallida facie, grauibusq́ue oculis, materni aui spiritus gerebat: Carolus uerò patri similior, fulgore rosei uultus, uigoreq́; liberalis animi, ac eruditis apertisq́; moribus, amari quàm metui malle uidebatur. Hic Belgarũ fines inuadendos desumpsit, illi Hispania citerior decreta est. Sed huius consilij famam silentio compressam uolebant, ut simulatione Italici belli deceptus Cęsar, & Daualus ambiguo distractus metu, ubi opus foret, periculumq́; uocaret, nequaquam maturè expeditis præsidijs occurreret. Henricus enim, quum citra Rhodanum milites cogeret, in Italiam per Cottias Alpes transituri speciem præbebat. Interea Belgarum fines diuersis & repentinis Gallorum incursionibus uexabãtur. Incũbebat enim è Morinis Artheſiæ prouincię Vandomius adolescens, ad quem certo stirpis ordine, si Francisci soboles interiret, Galliæ regnum redibat. Is adiuncto sibi Obiesio, totius regionis equitum præfecto, magnum terrorem adapertis hostium uicis intulerat. Forteq́;, dum Teruanã urbem Britannico bello claram, cõmeatu & nouo item præsidio muniret, Belgarũ equitum alam profligarat. Ea erat Hadriani Beureni, aulæ Cæsaris magistri, cuius imperio eius tractus præsidia regebantur. Carolus autẽ Aurelianus cui aderat Claudius Guisius Lotho ringiæ reguli frater, superato Mosa flumine, ad Lucemburgũ Leucorum olim urbem penetrarat. Ea regio ab urbe metropoli nomen ducit, pertinetq́ue ad Arduennam syluam, atq; hinc ad Eburones, & illinc ad Treuiorum fines extenditur. Nec Lucembur-

genses ualido ac improuiso hosti diu restiterunt, quin sẽ dederent, quòd eæ copiæ, quæ à Maria Cæsaris sorore cogebantur, nondum aduenerant. Ita nullum ferè oppidum fuit, quod Aurelianum adapertis portis non reciperet, præter unum Ennosiũ, quod præalta fossa latoq́; muro, & à tertia ferè parte palustri aditu munitum, Germani milites præsidio impositio tuebantur. Sed Aurelianus nihil earũ rerum difficultate deterritus, magna ui oppugnare cœpit: quassatusq́; aliquãdiu murus est, & reperito militum conatu fortiter tentatus: egregiè repugnãte Germano milite, ita ut oppugnatio alacriter cœpta, quum opinione durior ac asperior euaderet, militumq́; uires ac animos hebetaret, omittenda uideretur. Id consilium iuuenis dedecoris metu, & spe laudis adductus non probabat, uel suadẽte Guisio, & patre rege per literas reuocante. Itaq; abscedere incœpto turpe ratus, locum mutare, & in tumulũ tormenta transferre constituit, quibus singulari militum studio laboreq́; subuectis, tanta ui propugnacula deiecta, defensoribusq́; nudata sunt, ut percussis metu oppidanis, Germani milites, pacti ut sibi sub uexillis abire liceret, atq; omnium fortunæ incolumes præstarentur, deditionem fecerint. Eo successu Aurelianus magnopere lætatus, cum Germano milite liberaliter egit: oppidanos uerò ad spem immunitatis excitatos in fidẽ recepit, summa quoque cura adhibita, ut Guisio docente ac administrãte, oppidum nouis adiectis operibus inexpugnabile redderetur. Dum hæc ad Lucemburgum fierent, Guilermus quoq; Cleuensis regulus, Martino Rossemio duce, in Brabãtia bellum excitabat. Is enim, uti suprà retulimus, cum à Cæsare, tum nimis duro seueroq́;, ut Gheldriæ princeps appellaretur, impetrare nequiuisset, ad Franciscum in Galliam se contulerat, percussoq́; solenni fœdere, ei Franciscus sororis filiam, ex Henrico rege Nauarræ susceptam desponderat, ut geminata propinquitate quàm arctissimè iungeretur. Ludouicus enim Francisci socer, eius nominis rex Galliæ duodecimus, ex magna Cleuensis amita natus erat: ab hac affinitate societateq́; maximi regis Guilermus in spem ueniebat, ut Gheldriam quę sibi ex Caroli auunculi testamento in hæreditatem obuenisset, uel non ferente Cæsare, facilè tueretur: atq; eo quidem felicius, quòd ei fœderi socius adscriptus erat Daciæ atque Norueg iæ rex Christianus, qui Christierno, propter nefariam eius crudelitatem impiosq́; mores in carcere ad uitæ exitũ conjecto, opportunè successerat. Huius erant ditionis Cymbri in Chersoneso continentis siti (eos indigenæ Holsatios & Danos uocant) terribiles quondam Romanis, sub bina cęde Marianis q́; uictorijs deleti. Promittebat Christianus, mutua ope tuendis regnis armatum equitatum, armatasq́ue fortissimarum gentium legiones, & quam magno usui futurã crederent, ualidam classem, quæ secundum Frisiorum & Batauorũ litora duceretur. In intimo enim sinu eius peninsulæ, in Gothicũ pelagus excurrẽtis, Lubecum, portu nobile emporiũ, innumerabilibus mercatorum nauigijs frequentatur. Inde siquidẽ ad Gothorum & Suecorũ regna, per insulas urbibus refertas, uasto maris anfractu, Liuoniæ Sarmatiæq́;, & postremò Moscouię quoq; litora classibus petuntur. Fauebat Cæsar damnatæ Christierni causæ: quanquam hominem tabidæ ferę persimilem, ac ideo caueæ inclusum oderat: hortabatur q́; Fœdericum Palatinum, illis transmarinis imperijs ab eximia uirtute dignissimum, ut ingẽti animo ea regna capesseret, quæ sibi certa uxoris hæreditate prouenirẽt. Duxerat enim Palatinus Christierni filiam, ex matertera Cæsaris genitam. Propterea nouus rex Christianus, firmando regno adaugendisq́ue opibus, nouas amicitias nouasq́ue societates sibi ineundas existimabat. His constitutis

rebus, ac animo ad bellum parato, Cleuensis cum regia pecunia domum reuersus, per Rossemiũ è Menapijs atque Sicambris lectissimas copias coëgit. Erat enim celebre gratumque militibus Rossemij nomen, quòd dux uetus & impiger, prædæque auidus, cuncta ea uel aspera factu, quæ astuto grauique ingenio secum agitaret, manu fortiter atq; feliciter conficere consuesset. Excitari siquidem uetus disciplina uidebatur Francisci Cechingi, cuius memoria apud ueteranos adhuc erat insignis: quum ille, uti suo loco docuimus, in summa licentia ad corroborandam militiæ disciplinam, exactæ seueritatis leges inuenisset. Propterea plerique etiam nobiles ad Rossemij signa auidissimè confluebant. At regina Cæsaris soror, quæ Belgis præerat, ubi fama perlatum est à Rossemio tot copias cogi, ad Guilermum legatos mittit, qui eius animum explorent, coactique in ipsius finibus tanti exercitus causam perquirant, ille ambigua respondet: putare scilicet eam militum manũ ab initio, ut contra Turcas duceretur, à uarijs ducibus conductam, ac ideò finibus excessuram: ipsi porrò nihil opus esse copijs, cum undique bona pace cum finitimis utatur. Populis autem ad arma natis liberam semper fuisse potestatem eorũ auspicia sequi, quorum uel occultato nomine stipendia præberentur. Nec multo pòst Rossemius, motis castris in Eburones, ad Legionem clarissimam urbem, quam hodie Leodium uocant, iter intẽdit, ut consilium altè conceptum, compressumq; silentio diuersi itineris simulatione tegeretur. Ad immẽsas enim opes Antuerpiæ urbis tacitus anhelabat, neq; arduum rebatur opulentissimo totius occidentis emporio potiri, si populos, qui iampridẽ à patrum memoria finitis bellis pingui ocio & mercaturæ studijs dediti nunquam arma, nisi in ipsis spectaculis induissent, imparatos & nihil hostile timẽtes improuisus inuaderet. Petebat ab Eburonibus, ut sibi in Galliam copias ducenti transitus daretur. At illi armatis externorum copijs spontè iter commeatũque præbere, ex dignitate eius gentis esse pernegabant, cuius amplissima urbs & nomen & claritatẽ ex calamitate Romanæ legionis, integra adhuc bellicę uirtutis gloria, retineret. Itaq; Rossemius, quòd à uetere proposito discedere nolebat, in læuam iter flectens, ad Mosam singulari celeritate cõtendit, repudiatis humilioribus uadis, ut Brabantinorum custodię fallerentur. Nam regina uirilis animi mulier, atq; æmula fraternæ uirtutis, quot potuit equitum præsidia & subitarias item cohortes irrupturo hosti periculosis in locis obiecerat, quibus rebus prospectis ac exploratis, Rossemius ad Rauastenium pertendens, lintres atq; nauiculas nactus flumen traiecit: populatusque Toxandriam regionem, tantum toti ferè Brabantiæ terrorem intulit, ut pagis fortunisq; relictis & dispersis pecoribus, agrestes in munitiora oppida confugerẽt, ac urbes quoq; ipsæ inusitato pauore complerentur. Eo modo, qui sine maleficio ierat, direptis ac incẽsis pluribus uicis, capta aut in miserabilem fugam coniecta magna hominũ multitudine, ad Roiam insigne oppidum peruenit, quo capto diripoque, ad Verembecium & Horsco tum progressus, atq; inde passim uastabundus per Berliam descendens, ad Hostratũ castra promouit: id est oppidum inter Belgas, arcis ac mœnium structura domorumq; elegantia, & denique rerum omnium amœnitate pulcherrimum: in id ingens fœminarum & puerorum turba confugerat: multi quoq; nobiles undiq; carissimarum rerum sarcinas comportarant: sed quod magnopere deposcebat Rossemius, in eo magna uis pilarum & tormentarij pulueris seruabatur, qua una re plurimũ indigeret ad expugnandam Antuerpiam. Id enim in uoto erat, idq; unum ad susceptæ expeditionis finem explendis infinita præda militibus ante omnia petebatur.

Hostratenses præsentis instructique exercitus minis territi (omnibus enim cædem atque ignem tectis, ni extemplò se dederent sæuus hostis denunciabat) desperata defensione, animos ad maturandam deditionem inclinarunt: atque ita quum fœminarum ac imbellium deprecationes fortiũ uirorum consilijs officerent, danti fidem Rossemio portas aperuerunt: nec in duce præclara defuit fides, nemine enim uiolato, nihil ademptum est, præter ea, quæ in ipsa deditionis conditione postularat: sulphurei scilicet pulueris cados cẽtum, pluresq; item ferreas pilas, & quatuor torméta muralia. hęc enim ad expugnandas urbes, circunferẽdumq; terrorem magnopere pertinebant. Quum ad Hostratum milites plenissimi oppidi copijs recrearet Rossemius, per exploratores didicit Renatum Aurãtium, Nansoi filium, summæ inter Belgas potentiæ iuuenem, Bræda paterno nobili oppido cum ualidis copijs exijsse, ea mente, ut Antuerpiensibus auxilio accurrens, hostium aduentum celeritate præueniret: iam enim Rossemij consilia nõ inanibus coniecturis noscebantur, omnesq; uni præsertim Antuerpiæ, Amburitorum olim coloniæ, cauendum putabãt: qua urbe defensa gentium omnium fortunæ seruarentur, neglecta uerò & perdita, reliquę Belgarum ciuitates eandem summę calamitatis cladem subirent. Necesse erat utriq; diuersa & pari propè uia Antuerpiam contendenti, Brisco tum petere, quod erat castellum septem milium spacio urbi propinquũ, ad id uiæ militares in unum coibant: Rossemius expediti & durati in armis exercitus studio & diligentia feliciter usus, ut hostibus iter præcideret, ea celeritate præcurrit, ut Aurantiani magna ex parte tyrones, uti ad laborem solemq; ferendum insoliti, uix tres post horas pari emensо itineris spacio peruenerint. Erat ante Briscotum lata planicies, Rossemio minimè opportuna rendendis insidijs, quòd arboribus tumulisque careret. is enim adolescentem pugnæ auidum, & nihil præter alacritatem pugnacis animi ad conferendas manus afferentem, quónam astu eliceret & circumuenire posset, intentissimè cogitabat. Igitur inepta ad id quod perfici posset, regionis solię; natura, commentum. nouirate mirabile à solerti ingenio desumit. Legiones enim toto campo pronis pectoribus procumbere iubet, & equitatũ cui præerat Longaualles ipsius Cleuensis equitum magister, ad aduersam castelli partem diligenter occultat: duabus tantum turmis uia militari præmissis, alaque demum una grauis armaturæ constituta inter raras ac humiles arbusculas, quæ sub oppido ad amœnitatem consitæ, ociosis tenuem umbram parabant. Ductabat Belgas equites uir impiger, nomine Libertus: haud magno spacio ante peditatũ prouectus, quum raram & exiguã apud hostes equitum manum, ac inter arbusculas non multos equites & pedires uersari conspiceret, antecursores tantum aduenisse, grauioraq; agmina tardius sequi ratus, & profligari posse paucos, & castellum præoccupari facilè iudicauit. Nec mora à pluribus res ipsa uti cõspecta iudicataq; fuerat, ad Aurantium defertur. Is cohortes ad properandum cohortationibus incitabat. miro autem assensu Liberti consiliũ probatur: nec ille sibi ullo omnino moram affert, quin extemplò galeatis equitibus ad inuadẽdos hostes procurrat. At Rossemiani primum impetum fortiter excipiunt, sed mox uti fuerat impetratum, dant terga tanquam impares: cæterùm in fugam coniectis extemplò fert opem ala grauis armaturæ, quæ inter arbores constiterat, æditurq; insignis pugna: crescentibus uerò Belgis Rossemiani partim consilio, partim necessitate atq; impetu urgentis hostis, laxatis habenis longissimè fugiunt, eodemq; cursu Belgæ intemperanter terga cædentes ad arbusculas pertrahuntur: eas enim Rossemius hastatis hostium

stium cataphractis, magno impedimẽto futuras antè prouiderat. Festinabat Aurantius cum peditatu, ut uictorię equitum interesset: quum Rossemio, legiones ueluti nouo miraculo terra æditæ, repentè prosiliunt, attolluntur uexilla, tympana crepitãt, & quo maximè terreri hostis potuit, erectarum hastarum ingens sylua cõspicitur, prodeuntq; simul cum Longaualle equites ex insidijs, & in terga lateraq; hostium alas recuruant. Tum uerò Belgę perterriti, ac indagine ueluti inclusi, neq; uiribus neq; animis pares, undiq; profligãtur. Libertus temeritatis dat pœnas, & capitur: cohortes, ne tentato quidem certamine, ad terram arma proijciunt. Aurantius ipse, quum inter confertos hostes uersaretur, erumpẽte equo fuga elapsus, certum suę cladis nuncium Antuerpiam tulit. Incredibile dictu est, quantum eius aduentus ciuitati per se antea metu consternatę terrorem attulerit. Sed respub. in consules egregiè fortes inciderat, Lucium Vrsulum & Nicolaum Scherium: creatiq; fuerãt uirtutis eximiæ præfectus urbis, dicundiq; iuris prætor, & Marchio summus omnium signifer, qui darent operam ne ullus omnino uel negligentiæ, uel exercẽdæ perfidię locus inquilinis aut malis ciuibus relinqueretur. Externos enim ọpifices, genere Sicambros atq; Menapios, ad dicendum conceptę erga Cæsarem fidei sacramentum adegerant, expulsis, qui dicere recusassent: omnes qui arma ferre possent, in cohortes descriptos priuatis aut publicis armis instruxerant: ad hæc pomœrium cum multa priuatarum ędium ac hortorũ strage fuerat dilatum, nouusq; agger institutus, ubi uetustate collapsa mœnia desinebãt. Quotidie etiã magna uis priuati ęris ex domesticis uasis ad fabricanda tormenta conflabatur, per singulas quoq; urbis regiones, certam tormentarij pulueris mensurã dictim conficiendam uicomagistris imperarant, ea uerantq; seuero edicto nẽ quisquam è custodiæ stationis q; loco, uel in fortuito incẽdij discrimine, utimos erat, ad restinguendũ ignem discurreret: fraudem enim atq; perfidiam suspectantes, omnes excitandi tumultus causas accuratè sustulerãt, ut ne horæ quidem nocturnis diurnisq; officijs spacia populo nunciantes, ullo in loco pullarentur, edicto q; sublatus esset in sacris turribus campani æris sonitus, ne coniuratis ad patrandum facinus signũ daretur. Nam suspectos aliquot, & cogitatæ proditionis ex quæstione reos, custodiæ ad pœnã tradiderant. Sed tantis custodijs quũ urbana multitudo in tanti ambitus urbe minimè sufficeret, nec uti imperita, belli carum rerum operum labores atq; uigilias alacriter ferret, peregrini mercatores reipublicæ fortem fidelemq; operam nauarunt. Italicorum prima liberalis atq; promptissimi studij laus fuit: in his eminebant Ambrosius Bustius Insuber, & Paulinus Fundrius Lucensis, qui in Italia ordines duxerant, & tum maximè ad componẽdas acies instruendosq; tyrones, spectato gratuiq; munere fungebantur: horum ęmulatione, Lusitani, Germaniq;, & item Britanni negociatores longè ditissimi uexilla sustulerunt. Magno quoq; præsidio aderãt tres urbanæ societates, quæ antiquitus institutæ per dies festos uoluptatis causa, militaribus armis exercebantur, quum in certamine ad proposita prędia arcubus ligneis ex disciplina Britannica sagittarẽt, alij præpilata ueruta arcu ferreis balistis emitterẽt, alij autem ualidioribus sclopetis uterẽtur. His forum diuisis excubijs erat attributum, ut inde dubijs in rebus contra hostem per tesseram, cõsulum iussu ducerẽtur. His rebus ad custodiam summa consulũ diligentia cõstitutis, ac inter spem & metũ erecta ciuitate, Rossemius sine suorum uulnere & sine cæde hostium opimam spolijs uictoriã consecutus, ad urbem castra promouit. Nec mora regio more Araldus cum mandatis in urbem mittitur (huncuel arroganter & acerbè prolo quentem, ne uerbo quidẽ uiolare fas est) postulat, ut in fidem Galliæ Daciæq; regum se dedant. Horũ auspicijs Rossemium multis uictorijs illustrem, bella gerere, nec quicquã durius à ciuibus petere, quã iusiurandum: leges enim illis ac immunitates ueteris libertatis, præclarè & liberaliter adauctas perpẽtuò incolumes futuras: quòd si uim experiri, quàm sanis consilijs parere mallent, daturum operam, ut prolatis tormentis, immisso q; ueterano ac inuicto milite, funestũ contumaciæ exitum quammaximè lugerent. Ad ea consules grauissimè responderunt, ciuitatem ea esse dignitate, atq; ea uirium existimatione, ut fidem mutare lõgè turpissimum putet: ea uerò potentia atq; animi magnitudine, ut hostium castra despiciat, breuiq; idcirco Rossemium, si congredereturmœniaq; subiret, pœnas daturũ. Iratus itaq; Rossemius frumentarias molas quæ latis rotarum radijs excepto uento uoluebãtur, latè disiecit. Confederat ad Donnum uicum, nõ longè ab urbe, intererantq; frequentes suburbanæ arbores, ita ut earum densitate castra tegerẽtur, quòd è mœnibus, qui in statione erant, uel ad incertos ictus tormenta displodere nunquam cessarent. Acciuerant etiã consules è Flandra regione, quæ est secundum Scaldem urbi propinqua, circiter duo millia ualidorum agrestium. Horum turbam, quòd esset inermis, thoracibus, lãceis atq; securibus instruxerãt, ut populo tot noctium dierumq; labore atq; uigilijs fatigato, requies daretur. Nec multo pòst Rossemius ab eo singulari externorum & ciuium cõsensu & diligentia, occupandæ urbis consilio depulsus discedere, ne tẽtata quidem oppugnatione, cõstituit. Paratiores enim quàm antea credidisset hostium animos, & firmiora præsidia repererat: & tũ maximè mirabatur nullum triduo popularem æditum tumultũ, nullã obortam seditionem, nullumq; omnino excitatum incendium. Quis enim plebem inopem in tanta urbis opulentia, alienæ felicitatis inuidã, prædæ appetentem, in fide ac officio permansuram putasset? Sed eam profectò cladem fortuna urbis auertit. ferunt enim Rossemium de uictoria nulla ratione desperasse. Erãt enim supra duodecim millia delectorum peditum, & armatorum equitum duo millia: nec ampliorem numerum se deposcere Rossemius dicebat, ut cum duplo maioribus copijs ad certam spem uictorię aperto in campo confligeret. Itaq; discedens concrematis miserabili incendio suburbanis delicijs, Louanium Grudiorum olim clarissimã urbem iter intendit. Nec maleficijs ac incẽdijs finẽ imponebant, Ransto & Dufella oppidis ex itinere direptis, Lira urbe nequaquam tentata: quum pręterueuntẽ Lirenses emissis pluribus tormentis auertissent, Louanienses quoq; & ciuium multitudine, & munitione urbis, & peregrinæ iuuentutis præsidio confirmati, hostis aduentum atq; impetum fortiter tulerunt. in eam enim urbem liberalium artiũ gymnasio clarissimam, magna hominũ multitudo confluxerat: fama tamẽ ualuit, ciuium primates salubri consilio, ne patriam in discrimen publicæ salutis adducerent, sese multo auro redemisse. Cęterùm Rossemio Brabantię fines euastante, Henricus Francisci regis filius, sicuti decretum erat, Narbona profectus, ad Pyrenæos montes perrexit, ut Perpennianum, quòd est in aduersis montium radicibus, occuparet. Id minore cum inuidia peti uidebatur, quòd nostra memoria Gallicæ ditionis fuisset. Eam enim urbem à Marco Perpenna Sertorij percussore conditum, Carolum octauum Ferdinando Hispaniæ regi tradidisse docuimus: quũ hic maioribus suis bello ademptam repeteret, ille uerò inuadendi Neopolitani regni cupiditate incensus, in Italiam deferretur, nec eius litis occasione quicquam hostile ab Hispania timere uellet. Erat Henrico spes omnis occupandæ urbis in celeritate posita, ut priusquã auxilia

conuenirent, inopinantes ac imparatos inuaderet: neq; enim Gallorum consilia diu regi potuerãt, ipso præsertim Alfonso Daualo sæpius ad Cæsarem perscribente, ut Hispaniæ finibus caueret, illac enim irrupturos compererat: quòd nunquã ei, cùm in omni re semper liberali, tum in hac utilissima militiæ parte maximè profuso, ad exploranda hostium consilia, uel certissimi nũcij, uel audacissimi speculatores defuissent: præoccupare enim officij merita peramplis donis, & larga demum secretaq; manu præmia soluere erat solitus. Tantus uerò quibusdã Cæsarianæ aulæ proceribus ab elato animo Gallorum inerat contemptus, ut nihil de eorum aduentu credendum putaret: respondereturq; propterea Daualo, ut de alieno periculo solicitus esse nollet, ipseque potius prouideret, ne conuerso ad Italiam hoste, rebus suis timere cogeretur. Sed ubi leuis armaturæ equitũ ala intra fauces penetrauit, Perpeniano tantus incidit pauor, ut ciues qui à multis annis pacem colendo, arma nunquam induerant, paruos liberos ac uxores & preciosiora supellectilis in munitiora oppida cõportarent, & de salute magnopere dubitare uiderentur. Erat enim murus uetere structura per se tenuis & infirmus ad uim tormentorum perferẽdam, & propugnacula antiquitus aduersus balistas erecta, his maximè fenestris carebant, quibus accedentium ad fossam hostium latera ferirentur. Cæterùm Henricus modicis confectis itineribus, expectãdas Heluetiorũ legiones existimabat (quæ superato Rhodano ardentissimis solibus confectę, tardius sequebãtur) ut tota mole exercitus intra hostium fines irrũperet, ne si parùm felici conatu tentaretur, imminuta dignitate Hispanos primo successu lætos à concepta formidine ad animi constantiam reuocaret. Coactis enim in unum copijs, Henricus aliquanto serius quàm prima consilia in festinatione posita requirebant, Perpennianum peruenit. Mouerat à Leucata, quod est ultimum Galliæ Narbonensis oppidulum, transieratq; inter stagnũ & Pyrenæos montes, ut Salsas castellũ, antiquis Salsulas uocatas, euitaret. Petitur enim Hispania uia militari inter mare & stagnum exaggerata, cui eximiæ munitionis id castellũ imminet, tanta loci opportunitate, ut inde, si Hispani custodes uelint, quę que tormentis, accessu facilè prohibeãt. Id Carolus, Perpennianum fraude sibi ereptum indignatus, uti memorauimus, interfecta in expugnatione citerioris Hispaniæ nobilitate, diruerat. Refecerat statim Ferdinandus, adeoq; firmo præsidio munierat, uti Ludouicus demũ, exorto Neapolitano bello, id frustra uel maximis uiribus oppugnarit. Præcurrente Italico equitatu, ac obuia in prædam uertente, magnus terror hostili prouinciæ est illatus: prima scilicet excursione interceptis aliquot illustribus fœminis, quæ Perpenniano excedebant, ut in munitiora castella confugerent. Henricus ad urbem castra promouit, perductæq; sunt fossæ ad altitudinem hominis, depressæ tortuoso notoq; opere, ut milites à tormentis hostium protecti, erectis demum uimineis pluteis tutissimè commearent, tormentaq; producerent: quibus confectis, ad arcem, pinnarum corona, editioraq; propugnacula petebantur, nec consistendi in muro, & propugnandi hostibus potestas foret. Sed Galli firmiora omnia paratioraq; quàm antea putassent, apud hostes reperiebant. Magno enim incõmodo Gallis cesit, Heluetios expectasse, securitatiq; potius quàm festinationi studuisse, & quod minus expediret, traxisse etiã moras inutiles expediẽdis omnis generis commeatibus. Inter has igitur Gallorum moras, Albanus regulus in urbem uenerat, & Maciucca Cerbellioneq; notis in Italia ueteranis, munitioni custodiæq; præpositis, ad cogendas cohortes Gerundã discesserat. Mendocius quoq; castris præfectus ad oram urbi proximam, so- A ciorum naualium egregiam manum, duce Bezerra, uiro impigro, & tormenta cum perampio pilarum & sulphurei puluris apparatu peropportunè & diligenter aduexerat, commotaq; uniuersa Hispania, Cæsar redixerat regulis omnibus, ut quàm maximę peditum & equitum copiæ pararentur. Neq; Daualo ferendæ opis cura defuit: cum Andrea enim Auria collocutus, ueteranas quatuor Hispanorũ cohortes ex Subalpinis præsidijs, triremibus in Hispaniã aduehẽdas deduxerat: legionemq; item Germanorum unã, quę onerarijs nauibus imponeretur: missо etiam Petro Geuarra rei bellicæ admodũ perito, qui instruendis regendisq; tyronibus uetere suo castrorũ magistri munere in Hispania fungeretur: iunctumq; fuerat Antonio Auriæ & Garciæ Toletano, ut cum Neapolitanis Siculisq; triremibus Africanas cohortes è Sicilia atq; Sardinia in supplemẽtum earum quæ ex præsidijs detractæ essent, Sauonam transportarent. His cognitis rebus Henricus perplexo tentantiq; similis, an oppugnãda urbs foret, cum ducibus disputabat: nõdum enim maiora tormẽta protulerat, quibus mœnia grauissimè quaterentur. Aderant ante alios summæ auctoritatis Hanebaldus & Brissaccus, qui peditatui præerat, Paulusq; Rentij Ceritis filius, leuis armaturæ peditum præfectus, & Stampeius, genere & regis gratia pernobilis, qui honoris causa Heluetijs erat præpositus. Hi ab ipso statim initio sententijs inter se discrepant, quum Paulus diuersam muri partem (ea erat à conspectu arcis remotior) ualidè quassandam non inepta ratione censuisset, reliquis Hanebaldo libenter assentãtibus, cui minimè decorum foret à sententia discessisse. Iraq; tormẽtorum magistri, ex Hanebaldi consilio in decutiendis pinnis nihil omnino profecerant: quum ex aduerso Hispani & arce, & à portæ Elnensis propugnaculo, pares pilas B in ora tormentorum hostilium certissimis ictibus contorsissent, rotasq; curruum cum nece proximorum opportunè perfregissent. Acciderat quoq;, sed aliquanto maiore ludibrio quàm damno, ut quum cohortibus, quæ operibus atq; tormentis præsidio erant, tardius in statione succederetur, propterea q; ieiuni in sextam horam milites ardentissimisq; solibus perusti, sensim ut prãsum iretur, locum tanquã periculo uacuũ relinquerent, Maciucca repentinus erumperet, paucos fugaret, potitusq; tormentis, ea ferreis stilis in spiracula coniectis, ita ut minimè displodi possent, configeret. Sed id patratum facinus abducere etiam tormenta conantibus nequaquam lætitiæ fuit: superuentu nanq; Vasconum Italicarumq; cohortium, Hispani intra portam cum cæde compulsi, Brisacco ante alios, uti ducem decuit, uehementissimè dimicante. His casibus euenerat, ut nemo esset in consilio, qui discedendi sententiam nõ maximè probaret: adiuuabãt rem proclinatam alarum duces, quòd cõsumpto undiq; pabulo, equi nobiles macie confecti, cum summo dolore equitum aridissimis in locis interirẽt. Suberat etiam non occultus pauor, nec temerè quidem ex tanto Cæsaris apparatu cõceptus. Is enim maturare nunciabatur, & aliquot iam cohortes ab Albano præmissæ (has ueteranus Oliuar ductabat) nullo prohibente in urbem peruenerãt: quarũ accessione tantus iam erat Gallorum contemptus, ut pecus ab initio intra urbem receptum, sub mediocri præsidio in proxima prata, pastum emitteretur, integrisq; gregibus, frustra insidiante ac insultante hoste, in urbem reduceretur. Verùm id adeò licenter impuneq; facere obsessos nõ diu passi sunt Sampetrius Corsus, & Ioannes Thurinus. Nã conditis in conualle cohortibus, Hispanos quotidiana consuetudine armentis præsidio audacter prodeuntes, improuiso acriq; impetu adorti, multis interfectis & captis, ipso spectante Henrico, intra urbem compulerunt, qui Sampetriũ

uirtutis

uirtutis causa aureo torque, & cohortẽ pecunia donauit. Hi quoq; duo præfecti, Paulum Rentij filium cum delecta manu equitum excurrẽtem ad Helnã, quæ Ebura olim fuit, secuti, Hispanos circiter ducẽtos obsessis auxilio uenientes, in itinere peracri edita pugna deleuerunt, in qua Vicinij Vesini iuuenis uirtus enituit, quũ ei equus ab hoste suffossus fuisset. Cæterùm Henricus, postquã omnia in dies difficiliora fore prospexit, abundè officio uotoq; satisfactum ratus, si incolumi exercitu in Galliam rediret, Miglijs & Hillia oppidis ex itinere direptis, ad patrem est reuersus. Is ad Volcarum urbem, Mompelerium hodie uocatum, citra Narbonam cõsederat, ut ex propinquo communicatis cõsilijs in omnem occasionem ferendę opis paratus adesset. Porrò uenientem & quodam nobili pudore perfusum, quòd cœptis fortuna defuisset, complexus, festiuè admonuit, ne fraternæ laudis obtrectatione plus æquo angeretur, si fortuna cœptis suis minus alacriter arrisisse uideretur (aderat enim Carolus rebus prosperè gestis è Belgicis reuocatus) satis eum his cœptis claritatis & nominis esse cõsecutum, postquam Hispanię fines euastasset, redissetq; incolumi exercitu, & nullo accepto detrimento, ut in secũdis demum uotis fortunam constantis animi uirtute superaret. Redeuntibus copijs enata est controuersia iudicij militaris, quum Hispani captarum nobilium fœminarum propinqui, eas sibi liberaliter reddi postularent, negãtibus Italis iure belli captas sine precio dimissuros. Suffragabantur Hispanis ipsa ratio humanitatis, & mos antiquus, quòd imbelle genus omni uexatione indignum censeretur: proderat autem Italis recentis Romanæ cladis exemplũ. Constabat enim non matronas modò, sed infantes etiã pueros summa Hispanorum acerbitate multo auro redemptos fuisse. Sed rex apprimè liberalis donatiuum militibus ex merito per quæstorem dari iussit, exclusq; muneribus fœminas dimittit. Eadem quoq; liberalitate usus est erga Germanos, quos fluctuante nauigio ad Stechadas è Genua delatos, Virginius Vrsinus admotis triremibus, numero fermè trecentos ceperat: & eo quidem maiore clementiæ laude, quoniã Cęsariani multos Subalpino bello captos, ad triremes atroci cum iniuria relegassent. Fuere qui existimarent, inuadendæ Hispaniæ cõsilium in occulta spe uenturæ Turcarum classis ab initio fuisse collocatũ. Propterea Henricum classis expectatione suspensum, neque ab initio maturasse iter, neq; demum, quin celeriter se reciperet, oppugnandæ urbi hærere uoluisse: patre itidẽ reuocante, quũ Dexius è Rhodia militia trierarchus ad euocãdam classem Byzantium missus, indeq; reuectus Massiliam, certum negatæ classis nũcium retulisset. Quo modo autem ea res Byzãtij agitata sit, operæ preciũ erit explicare. Interfecto Rincone, Fráciscus Antonium Polinũ, qui institutæ legationis munere fungeretur, ad Solymanum misit. Is erat ex Langæi disciplina sobrio solertiq; ingenio, & quod intererat, corpore ad perferendos itinerum labores egregiè subacto. Militabat enim Subalpino bello, legatiq; nomine ad Alfonsum Daualum confirmandis induciis sæpius ierat: quo suscepto munere, eam excellẽtis industriæ opinionem erat adeptus, ut Daualus prudẽtiorem eo neminem Gallum se nouisse testaretur. Itaque Polinus per denios tramites Venetias delatus, atq; inde enauigato sinu Sibinicum usque, quod antiquis Sicum celebre oppidum fuit, transuersis itineribus per Illyricum in Misiam ad Solymanum Budã redeuntem peruenit. Munera ei allata sunt, quũ nemini sine dono ad Barbaros aditus pateat. Fuere operosæ supellectilis, ad usum ornamentumq; abaci, argentea uasa sexcentorum pondo: purpuratis uerò atq; itẽ ianitoribus, sericæ omnis generis, aut ex cocco laneæ talares uestes quin- A gentæ. Solymanus perlectis literis, auditisq; mandatis, quum Rinconis casum grauiter ferre uideretur, Polino promisit, se regi Gallo iusta arma propter uiolatas inducias aduersus hostem Carolũ paranti, neq; mari neque terra, quin opportunè opem ferret, defuturum: de his autem rebus nihil explicati posse apud properantes, tum uerò quum Byzantium peruenissent, purpuratos ad postulata ex communi consilio responsuros. Petebat ante omnia, ut classis Hariadeno Barbarussa duce, ad oram Prouincię, excipienda Gallicis portubus, futura æstate mitteretur: peteretq; Solymanus à Venetis, ut cũ Gallo rege contra Carolum fœdus percuterent, & socia arma in communẽ omnium hostem uerterẽtur. Non intermisit studium Polinus, quin sibi ad rem impetrãdam, toto itinere purpuratorum animos amplio tum quoq; spe munerum propitios pararet. Quum uerò ante calendas Decembres Byzantiũ esset peruentum, Solymanus, quæ antea promiserat se præstaturum pollicitus, Polino persuasit, ut in Galliam cum literis reuerteretur, atq; inde à rege suo inferẽdi belli terminata consilia referret: interea se missurum ad Venetos Iunusbeium, sæpè antea eo legationis mũnere perfunctum, curaturumq;, ut quàm amplissima classis pararetur. Polinus eo responso maximè lætus, dona retulit, binos insignes equos, & gladium gemmatum, miraq; celeritate ad regem contendit. Is tum cõsederat ad Abelleium Fontem in uilla, agresti in loco, ad uenationes suo ingenio, & regio quidẽ sumptu ædificata. Eo usus ocio Franciscus per triduũ Polino operam dedit, descriptis q; locis atq; temporibus, quibus arma inferre statuerat, datisq; amplissimis mandatis, eum nihil remissa festinatione, Byzantium reuerti iussit. Polino Venetias delato, Iunusbeius nõdum applicarat. In ea autem expectatione, ut nihil temporis ad maturandum deperiret, Pellicerius uetus legatus, & cum eo nonnulli ex Gallica factione Veneti homines adire tentareq; senatum. Apparebat enim Venetos, commodo suo consilia metientes, ad ineũdum fœdus, hortante præsertim Solymano, facilè descensuros, quum Maranum oppidũ ad Venetas paludes, citra Aquileiam in ipso Venetiãtum limine positum, persi fœderis præmio cessurum uideretur. Id ante triginta annos Austrianis Germanis proditum, Belrandus incola, adiuuante Turchettò centurione, Germanis fraude eiectis, occuparat, sublatoq; Galli co uexillo Petrum Strozzam Florentinorum exulũ principem, ad præsidiũ cum cohortibus circa Venetias cõscriptis euocarat. Itaq; Polino senatus datur: is Franciscí regis causam luculenter agit, interfectorum legatorum casum deplorat, Cęsaremq; tanquã conceptæ inchoataeq; tyrãnidis inuidia oneratum grauiter perstringit. Ad ea senatus per aliquot dies extracta mora, ut interim Iunusbeius applicaret, grauiter respondit, amicitiam Francisci regis, quam studiosè percolerent, ornamento sibi, nõ oneri esse debere: parem quoq; obseruari cum Cæsare, à quo discessisse uideri nolint, tametsi fastidito eo grauis fœdere, quo se Neapoli parũ feliciter implicassent, ad Solymanum eius hostem amicitia repetita contuletint: proinde patres conscriptos ac omnes ciuitatis ordines è republica existimare, tueri pacẽ, uti multa duris temporibus incõmoda perpessos, quæ uel sero tranquillitatis ocio sarcirentur. Cæterùm si explicata signa & planè inchoata bella conspiciant, tum maturè deliberaturos, tuerine pacẽ expediat, an bello permisceri, quum trium maximorũ totius orbis principũ amicitia perfruãtur. Appulerat interea Iunusbeius, publicáq; domo lautè instructa, exceptus fuerat. Is petebat, ut leges renouati fœderis à Badoërio Byzantij conscriptæ, senatus authoritate sancirentur, Franciscíq; regis causam ita senatui commendabat, ut nihil plus peteret, quàm ut eam

amicitiam, quam cum Gallo tuerentur, propensio-
re studio nouisq; officijs adaugere uellent, postquā
ipse Solymanus gratia atq; opibus iuuandū aduer-
sus Carolū Hispaniæ regem suscepisset. Nihil enim,
ut fœdus percuterēt, aut arma caperent postulabat,
secus ac Polinus & Pellicerius uehementissimè cu
piebant: tanta enim eminebat in mādatis ac literis
Solymani alioqui superbi, æquitatis atq; modestię
ratio, ut nihil ab inuitis exigi uellet, quòd ex cōmo-
do præstari minimè posse uideretur. Itaq; Polinus
frustra contritis apud Venetos aliquot diebus, trire
me publica Ragusium deuectus, ac inde mox disce
dens magnis itineribus Byzantium cōtendit. Quū
festinaret, Achomati magistro equitum in Panno-
niam properanti, in Thraciæ finibus occurrit, hunc
de Germanorum apparatu cœptoque itinere, & de
Francisci consilijs edocet. Vbi uerò Byzantium est
peruentum, cuncta spe sua duriora apud Barbaros
inuenit. Pernegabant enim purpurati educi posse
classem, quòd serius quàm oporteret, ad rem impe-
trandam aduenisset. Verni certè æstiuiq; temporis
ad nauigandum aptissimi, tres iam menses effluxe-
rant. Aduenerat etiam Dexius trierarchus, ut aduē-
tantis classis nuncium in Galliam deferret. Is in Bel
garum fines latè penetrasse, & Hispaniam inuasisse
regios liberos cum ingētibus copijs enarrarat. Pro-
inde Polinus, uti aliena fide deceptis, ac inanis indu
striæ suę successum deplorantibus facilè accidit, se-
se grauiter afflictare, peruersos ac instabiles Barba-
rorum mores execrari, implorare fidem Solymani,
conuentosq; priuatim singulos purpuratos obte-
stari, ne regem spe classis in Hispaniam prouectū,
& Belgarum fines inuadentem desereret. Ea enim
cessatione neq; honesta ipsis neq; utili, sui regis de-
cus prodi, interpellariq; uictoriam, quæ iam explo-
rata parta q; è manibus emitteretur. In his autē obte
stationibus adeò multus erat ac assiduus, ut fasti- B
dio quàm gratiæ propior uideretur, iudicaretq; So-
lymanus Eunuchus eius querelę causam graui ora-
tione finiendam, Polinumq; dimittendum. Nec Po
linus ab hac repulsa purpuratos detestatus spē abie
cit, deditq; enixè operam, ut per Capiagam ianito-
rem largitione conciliatum ad ipsum Solymanum
sibi aditum pararet. Præstitit officiū Barbarus: atq;
ita Gallus, quod paucissimis nostrorum hominum
antea licuerat, in intimum prætorium est introduc-
tus. Aderat Bederius interpres, per quem actitata
recensendo magnis precibus rogabat, ne regem tri
plici bello hostes inuadentem, ea promissæ classis
expectatione frustraretur. Ad ea Solymanus clemē
tiore & paucis admodum uerbis, non sua uolunta-
te quæ esset stabilis atq; mirifica, sed ipsius tarditā-
te, ac æstatis inclinatione occasionē educendæ class
is elapsam respondit: pollicitusq; est, se primo uere
duplo maiorem quàm peteret, classem amico fratri
que suo regi aduersus Carolum, communem hostē,
sine dubitatione transmissurum. Cum eo itaque re-
sponso Dexius trierarchus in Galliam reuersus, uti
suprà docuimus, effecit, ut Franciscus extemplò fi-
lium ab Hispania reuocaret. Redeuntibus autē co-
pijs, quum hybernorum subesse tempus, nec in Bel
gis propter anni tempus, quicquā ultrà moliri uel-
let, Heluetios fermè omnes, atq; item aliquot signa
Germanorum persoluto stipendio dimisit. Italicas
autem cohortes Hanebaldo tradidit, quæ in Italiā
ad Subalpinum bellum ducerentur: quòd in Italia
alendum omnium bellum rebatur, uel ob id quòd
& Germanorum integram ferè legionem, & uetera
nas Hispanorum cohortes in Hispaniam subsidio
missas intelligebat. Itaq; Hanebaldus durissimis ni
uosisq; Alpium itineribus in Italiam profectus, ad
oppugnandum Cunium oppidum cōtendit. Id ad
radices Alpium in plano situm, pręcinctumq; duo-
bus paruis amnibus, in Tanarum cōfluentibus, ma A
gnam habebat opportunitatem ad gerendum bel-
lum, quòd Fossano proximum esset, Monteuitoq; si
nitimum. Oppidani præclaro studio Cæsari faue-
bant, sed ut præsidium acciperent, nunquam adduci potuerant uel admonente obtestantēq; Daualo,
ut à Gallis maximè cauerent. Tantus enim erat me
tus Cæsarianorum militum, summa licentia ac im-
punitate sociorum fortunas in prædam uertentiū,
ut uim hostium minore cum periculo sustinendam
arbitrarentur. Sed ubi aduentū hostium certius sen
serunt, nō de uano cōceptus pauor usq; adeò apud
infirmos uiribus creuit, ut quod antea repudiarant,
à Daualo militare præsidium postularēt. Misit itaq;
Petrum Portum à Vicentia, nobilem strenuumque
alæ præfectum. Is cum sexaginta galeatorum equi-
tum manu, acceptis in clunes totidē confessoribus
scloperarijs, usus tenebris per stationes hostium ad
oppidum penetrauit. Eius aduentu Cuniates bona
parte metu liberati, impositum extruendi intus ag-
geris munus alacriter susceperunt. Nec multo pòst,
quum Daualus de oppidi salure solicitus, ad Petrū
Ciconium, qui Fossanū præsidio tuebatur, sæpè per
scriberet, ut Cuniatibus maturè opē ferret, Blasius
Summanus cum cohorte una, eadem felicitate, qua
Portus ierat, per medios & semisopitos hostes ad
oppidum peruenit, amissa tamen per tenebras circi
ter dimidia militū parte. Hanebaldus admotis ma-
ioribus tormentis magna ui murum quatiebat, pin
narum ruina fossam compleuerat, duosq; aditus ad
irrumpendū parabat. Portus & Blasius diruta mœ
nium obiectis lanarum saccis, congestaq; omnis ge
neris materia & gleba farciebant. Omnibus propè
horis certabatur, impigrè populus militibus inter-
mixtus propugnabat, usq; adeò pari omnium stu-
dio, ut fœminæ nequaquam tormentorū ictus for-
midantes, comportando onera corbibus, & militi
cibaria ministrando uirilem operam præstarēt. Gal
li instauratis per triduum prælijs conscendere mu-
rum conati, semperq; repulsi, multis suorū occisis,
pluribus uulneratis, desperata expugnatione oppi
di discesserunt. In postremo certamine Guilermus
Blandratus, qui antea ut diximus Casalem urbem
Gallis prodiderat, glande traiectus interijt, Sanpe-
trius Corsius in aduersum os lapide excepto defor-
miter uulneratus, Ioannisq; Turino brachium scala-
rum ruina debilitatum, uiri fortes supra centum de
siderati: & in his Italorum & Vasconū signiferi qua
tuor & insignes nōnulli equites Galli, qui pedibus
pugnare iussi alacriter subierant. Cuniates spectā-
tæ uirtutis merito, Portum & Blasium pecunia do
natos dimiserunt: nec multo pòst Hanebaldus, nul
libi cœptis arridēre fortuna, reuocatus in Galliam,
in Alpibus niuium procella obrutus penè interijt,
multis ex comitatu & in his fratris filio multa mo-
le niuiū miserabili mortis genere sepultis. Nec mul
tis inde diebus Langęo ab rege in Galliam euocato
profectoq;, Cæsar Maxius à Neapoli inusitatę calli-
ditatis dolum reperit, quo Taurinū belli arcem Gal
lis eriperet. Discessu siquidem uigilantissimi ducis
minus intentas diligentesq; custodias futuras ra-
tus, quatuor agrestes carros, per quos uenale fœnū
in urbes conuehitur, adeò solerti ingenio concame
ratos fabricarat, ut quum exterius uirentis fœni spe
ciem præberent, interius seni loricati milites cōde-
rentur, qui demū ingressis portam carris, in medio
aditu laxatis machinæ fibulis repentè prosilirent,
hastisq; hostium correptis, quæ ad parietem per ra-
stella dispositæ ad manum essent, custodes confo-
derent, & tādiu angusto in aditu carrisq; occupato
locum tuerentur, donec instituta ad succurrendum
una atq; altera ualidorū atq; pernicium sociorū ma
nus adcurreret. Fráciscus enim Isclanus Hispanusq;
Mendocius, modico interuallo idoneis in locis oc-
cultati fuerant, ut carros ingredientes celerrimè
consequerentur. Sed his aut animus, aut certè fortu A
na quæ dolis illudebat, importunè defuit: cum pri
mus enim carrus ab ignaris doli bubulcis, feliciter
esset introductus, erumpentibusq; armatis insidiæ
nudarent, catarrhacta à fabro ferrario, qui fortè ade
rat, opportunè demissa subsequētes exclusit. Ita pri
mi frustra socios expectantes, decurrente ad excita
tum clamorē Buterio duce, à Vasconibus sunt inter
fecti, uno tantū capto conseruatoq; ab Italis, Alexā
dro Magio, nobili Insubre, ut authorē atq; ordinem
insidiarū aperiret. Isclanus quoq; qui ad patrandū
subitæ rei facinus, sed non in sua fata serus adcurre
rat, è muro glande percussus interijt: milites uerò
tormentis pariter petiti è conspectu sese celeriter
eripuerūt. Ea res uti nouo insidiarum genere instru
cta atq; perducta penè ad exitū, Gallorū animos ma
gnopere cōterruit, admonuitq; ut nullam omnino
custodiæ diligentiā aduersus Maxij ingeniū super-
fluam putarent, quū ab eo ad tendendas insidias pa
rato paucis antè annis, ipso etiam ægrè defendente
Butetio portæ eiusdem propugnaculū noctu scalis
captū meminissent. Cæterùm Langeus, qui iter in
Galliā susceperat, niuosis in Alpibus cōcepta graui
pituita, citrà Lugdunū interijt: uir animi uirtute, ac
optimarum literarū notitia Gallis omnibus ea æta
te superior, & dignus hercle longissimo uitæ cursu,
quum supra Bellaiæ nobilis familiæ nomen, sobrij
& maximè constantis ingenij mores, ad bellum at-
tulisset. Sub id tempus Germania omnis, excitata
Ferdinandi regis precibus, grauissimisq; Hungaro
rū procerū obtestationibus permota, aduersus Tur
cas bellum suscepit. Nemo enim erat, qui animo do
lorem ac ignominiam ferre posset: postquā propin-
quis & fratribus ad Exechium fœda in fuga truci-
datis, & nuper ad Budam Rochandulfi exercitu tur
pissimè fuso deletoq;, uetere belli gloria decidissēt:
nec quisquā erat, uel Austriæ domui grauiter infen B
sus, qui acceptū dedecus nobili ausu sarciendū, Bu-
damq; omnino repetendam esse non duceret. Ad-
monebantur & desides non dubio uicini periculi
metu: quoniam apparebat Turcas nusquam uinci
solitos, perpetuoq; bellandi studio & consuetudi-
ne procedendi, prædam & prolati imperij famam
quærentes, occupata Pannonia minimè quieturos,
breuiq; futurū ut Germani, nisi Hungaris diro bel-
lo obrutis opem ferrent, irrumpente uictore Barba
ro iniqua domi conditione pro focis ac uxoribus,
& liberis certare cogerentur. Celebris tum erat Nu
rumbergæ regulorum & legatorum omnium pro-
pè gentium conuentus, diuq; in eo Pontificij cum
Lutheranis de Christiani dogmatis ueritate cōten-
derant: sed ea cōtentio eum habuit euentum, ut Lu
therani placita sua defendentes, concilio locum in
ipsa Germania deligi postularent. Nunquam enim
id concessurū Pontificem rebantur, ne Constantien
sis concilij exemplo dignitatis atq; salutis aleā subi
ret. Cæterū decreto bello, imperata adductaq; sunt
à regulis & liberis ciuitatibus ad triginta milia pedi
tum, & equitū armatorum septē millia Germanici
nominis: in his eminebat Mauritius Saxo, nobilissi
mæ stirpis regulus. Legionibus magna bellicæ uir-
tutis opinione præerat Conradus Hessius, direpta
urbe Roma ingentes diuitias consecutus: & Volf-
gangus Theodoricus è Sueuia nobilis. Supremi au
tem militaris imperij nomen delatū est Ioachimo
Brandeburgensi regulo, quem Turcico ad Viennā
prælio interfuisse docuimus: ita tamen, ut summa
consilij potestas ad octouiros pertineret. Hos natu
grandes, rerumq; peritos in cōcilio delegerant, qui
imperatori non multum foris in militia uersato ad-
essent. Vbi Viennam est deuentum, accessere Ferdi-
nandi regis copiæ. nam præter Austrianos nomina
tim euocatos, Hunganotus Styriæ præfectus circi-
ter decem millia equitū effecerat. In his erat Illyri- B

corum ala, Bartholomæo Croato duce impigro, cui
tu insignis uirtuteq; mirifica, & Nicolaus Sdrinius
cæde Cazzianeris hospitis æquè laudatus & infa-
mis: Hungaricus autem equitatus quindecim mi-
lium numerum efficere dicebatur. Nam Gaspar Se-
redius uir impiger, laudis & prædæ auidus, cis Da-
nubium multos Vsarones rapinis assuetos, ad signa
conuocarat: alia quoque ualidior manus Andreæ
Bathoris uexilla sequebatur: ueteranas uerò tur-
mas, quæ circa Agriam ultra Danubium hyemarāt,
ductabat Perenus Petrus, authoritate, potentia, u-
suq; militiæ Hungarorum nobilissimus. Nec ipse
Georgius Varadiensis antistes, quem à Solymano
in tutela regis pueri reginæque in Transyluania ad
Lippam relictum diximus, tanto excitatus apparā-
tu, Christianæ causæ defuturus esse credebatur: sed
astuto constantique uir ingenio, quum nihil sibi an
te belli euentum temerè præmoliendum arbitrare-
tur, ita solicitantibus regijs amicisq; uereribus uer-
ba dabat, ut transeundi spem præberet, nec obliga-
ret fidem ullo literarum testimonio, quo Turcis in
ta consilia proderentur. Paulus quoque pontifex,
tria milia delectorum peditum Viennam ad exerci
tum misit, his que ducem attribuit Alexandrum Vi
tellium: expetente rege magnis precibus, ut is præ-
cipuè mitteretur, qui spectatis operibus pugnacis
& egregij ducis famam quęsisset. Italos enim duces
& milites rex ipse, uti maximè idoneos expugnan-
dis urbibus quærebat. nam paulo antè Philippum
Torniellum cum aliquot cohortibus mercede con
duxerat, & Iacobus Medices Danubianę classis pre
fectus, alterum iam annū in Pannonia secunda no-
minis fama militabat. Sfortia quoque Palauicinus,
summæ spei summæq; nobilitatis adolescens, per
eos dies ornatissimam sexcētorum equitum alam
circa Padum conscriptam, in Pannoniam adduxit.
Descensum est secundum dextram præterlabentis B
Danubij ripam, miro quidem ordine, sed adeò mo
dicis ac intermissis itineribus, ut Itali Hungariq; du
ces iam adultæ æstatis meliorem partem gerendis
rebus opportunam segni ac inutili mora absumi te
starentur, fremebatq; ob id ante alios Medices, qui
multum antea regem fuerat adhortatus, ut ad pri-
ma ueris signa, prius quàm Turcarum præsidia ad-
augeri & confirmari nouis militibus possent, expe-
ditas copias cum classe demitteret: futurum enim
esse, ut strenuè atq; celeriter inuadendo, non Pesto
tantū, uerùm & ipsa quoq; Buda potirentur, quòd
Solymanus Budæ præfectus, quę natione Hunga-
rum, & professione Turcā conciliandis Budensium
animis à Solymano imperatore relictū diximus, pe
stilentia absumptus interisset, eumq; pari fato subse
cutus esset Stephanus Verbetius, qui Turcarū bene
ficio apud suos ciues prætoria potestate fungebat.
Sed ea cōsilia peritè atq; salubriter oblata, Ferdinan
dus aulæ suæ principibus immodicè credens, in eā
maximi appatatus occasionē distulerat. Nunquam
enim eorum adulatione circumuentō, hostilem a-
ciem uidere licuerat, quū per legatos gerenda bella
& regij nominis maiestatem, nequaquā manu, sed
consilio procul à periculis tuendam suasissent: re-
centi quidem exemplo fortunę Cæsaris, qui per du
ces tot trophæa de Gallis hostibus erexisset, quum
duo Pannoniæ reges temerè in aciem progressi oc
cisiq;, ipsorum genti & nomini ualde insignem cala
mitatem attulissent. His de causis Ferdinandus in
una securitate prudentiæ nomen reponens, tā pro-
cul à periculo q̄ à fructu speratę laudis remotus, Vi-
ennæ substitit expediendis cōmeatibus, qui naui-
gijs secūdo flumine in castra deferrentur. Iam enim
Ioachimus, quum tantæ tarditatis infamiam ægrè
sustineret, uel maximè lętis itineribus ad Strigoniū
usq; peruenerat. In promouendis castris talis ordo
perpetuo tenore seruabatur, qui tametsi nullo usui

fuerit,& ad periculum faciendum euentu caruerit, prodendus tamen, quià optimus ad exemplum po
steris uidetur. Triginta sub signis Hungarorum tur
mæ,moris hostium locorumq; perite explorandis regionibus anteibãt:Pontificię cohortes sequeban
tur, eæ siquidem primi pedestris agminis frontem obtinebant, Vitellio lętanter & alacriter Germanis ducibus gratias agente, quòd sibi potissimum, uti primis obiecto periculis, nobilem ostendendæ uir
tutis locũ dedissent. His,uti par erat,Sfortiani splen
dentis armaturæ equites ad mutuam opem feren
dam erant coniuncti. Succedebant continenti ferè ordine,tres distinctæ maiores alæ: prima Pereni & Bathoris:secunda proregis Hunganoti: tertia Ger
manica grauis armaturæ,deinde modico interual
lo peditum legiones quadratis agminibus. Apud has tormenta leuiora,falcones & minores colubri
næ ad campestres usus supra quinquaginta equo
rum iugis trahebantur. In dextro latere legionum adequitabat imperator cum robore Germanorum equitũ,qui fulgentibus protecti armis(nam & ple
riq; ferrea tegumenta equorum pectoribus & clu
nibus indiderant) insuperabilis & longè pulcherri mi agminis speciem præbebant: longa uerò series carrorum atq; rhedarum, quarum apud Germanos infinitus erat numerus, extra aciem ducebatur, ita ut irrupturis hostibus esset obiecta, intercedente duorum stadiorũ spacio,quo explicari posset equi
tatus. Inclinante sole castra ponebantur, ea institu
ta ratione,ut lunato circuitu connexis curribus & pluribus simul tormentis, Germanici nominis co
pias circumuallarent,reliqui omnes Itali atq; Hun
gari excluderentur,& una tantum Germanorum e
quitum manus extra munimenta pernoctaret. Ob eam rem Vitellius ut contra subitas hostium incur
siones tutior foret, editos colles & nemorosa loca sedulò quęritabat. E singulis autem legionibus sin
gulæ cohortes, quæ circa rhedas in statione consi
sterent, sorte ducebantur, & si quis hostium incur
sus tumultum excitaret, duo millia equitum descri
pta erant, qui dimissis equis, pedestri ordine cohor
tibus opem ferrent,uallumque defenderent. ad læ
uam reliquum castrorũ latus alluebat amnis, aqua
tionibus,& in omnes comitantis classis commodi
tates opportunus. Nunquam enim à Danubij ripa discedendum esse didicerant, superiorum ducum exemplo, qui in Pannonia militassent,& recẽti mo
nitu Ioannis Tarnouij Sarmatæ, qui Moldauica ui
ctoria clarus, uti summus bello dux eo exercitu, multorum iudicio uotoq; ad certam spem uictorię, longè dignissimus habebatur. Is enim inuitatus à rege,quum tanti muneris operam præstare nollet, ne Sigismundum regem suum,in uetere Turcarum amicitia quiescentem offenderet,salubre consilium dederat:præclarè monens,ne unquam à ripa disce
derent,nunquam se uel à refugientibus & perturbatis hostibus ad pugnam in campos elici pateren
tur. Nihil enim aliud Turcas omnibus ludificandi artibus instructos,eo bello quęsituros, quàm ut no
stri auiditate conserendæ manus progrediantur, à flumineque discedant,quo se celeriter ad ripam insi
nuent,circumfusoque innumerabili equitatu & la
xatis latissimè turmis cataphractorum impetus elu
dant,&demum intercluso commeatu nostros etiã, uti Ludouico rege miserè accidit,aquatione prohi
beant:quod ad Budam uerò pertineret, seuera uo
ce dixit, bis antea parùm feliciter tentatam, tertio etiam periculo tentari posse, capiq; : sed existimare munitiones adauctas,& Turcas aliquanto Hunga
ris cõstantiores,ad interitum usq; pugnaturos,quo animorũ decreto nostris militibus insuperabiles iu
dicaret. Nec de inuicta gente, quæ ueterano & ma
ximo polleret equitatu,magnã insignemq; uictoriã ratione cõcipi, & rectè sperari posse, nisi beneficio

A deorũ immortalium parta concordia,omnes totius Christiani nominis equites & opes in unam aciem cogerentur. Erat enim fama edita in uulgus, Soly
manum cum ingentibus copijs amittendæ Budæ periculo excitum in Pannoniam rediturum: aut si ipse subsisteret, missurum auxilio Europei equita
tus magistrum, qui suo more commoueri minimè posset,nisi equitum sexaginta milia ducerẽtur. Sed certi demum speculatores è Samandria reuersi, quũ eos omnes de Turcis falsos rumores extinxissent, tanti dedecoris tarditatẽ sustulerunt. Nam uix mil
le Ianizeros pedites,& bis totidem equites Budam aduenisse, & classem numero genereq; nauiũ regia multo inferiorem esse nunciarant. Valebat & pluri mum ad timorem minuendũ, cunctationemq; tol
lendam Hungarorum opinio plena bonæ spei,ple
naq; rationis atq; iudicij,affirmante præsertim præ dicanteq; Pereno, nullam Turcarum manum, quæ uel mediocris & exigui exercitus nomine digna ui deretur,ad Budam inuenturos,si continuò descen
derent: nihilq; amplius iam penè corruptæ occasio nis insigni flagitio,perdi paterentur, quòd Solyma no alternis æstatibus bella gerere solito, is annus stataę quietis & ocij foret,nec ullam omnino ualidę iustæq; expeditionis suspicionem adduceret. His de causis,quum omniũ militum animi ad profecti
onem erecti uiderentur, & iam ipse Ioachimus ab
rumpendam morã putaret,Danubium transire cõ
stituit:id non probabat Medices, qui quũ Strigonij integrum annũ in præsidio fuisset,Turcasq; sæpius ad portas excurrere ausos, multis interfectis & cap
tis late repressisset, rebus Budensium diligenter exploratis, petendum regni caput esse differebat: monstrabatq; iter expeditum,quo facilè in conspe
ctum Budę biduo peruenirent. Idem erat Pereni iu
dicium,eadem Hunganotiq; uoluntas: sed cùm du
cis,tum consultorum omnium mens erat, ante om
nia Pestum oppugnare, quod minore cum labore, minoreq; periculo fieri posse uideretur: atque inde demum perspectis hostium consilijs cognitisq; ui
ribus ad ueteris Budæ ripas reuerti: tum enim mili
tes multo alacrius expugnãdæ Budæ pericula subi turos, si Turcas, quod bono omini foret, in prima contentione deuicissent. Hæc opinio magnopere probabat ipsi Barcocio, Othoniq; Fotisco, qui pau
lo antè Pestum contra Mahometem insigni cum lau
de defenderant,locorũq; naturã & mœniũ uitia, & quicquid institutis ab se nec perfectis munitionib. deesset,exactè nouerant. Cæterũ ea res aliã quoque morã attulit.nã Danubius in insulã sancti Andreæ, & inde ad Vacciană ripã traiecturis gemino ponte & laborioso quidẽ opere iungendus erat. Vno de
mũ atq; altero ponte flumine cõstrato, petẽda erat Vaccia,urbs antea nobilis,sed Mahometis bello,uti antea diximus incensa,& demum euastata à nostris copijs,penè tota corruerat. Nec erat quisquã qui an
te alios adire atq; explorare locũ uellet. In ea cuncta
tione, adhortante Ioachimo, Vitellius alacriter id munus susceperit,ita ut fidẽ daret imperator Germa
norũ cohortes postero die secuturas. Itaq; Vitellia
ni celeriter confecto itinere urbẽ ab incolis desertã intrant,nec quenq; hostiũ,qui se in conspectũ daret, inueniunt:ita uniuersus exercitus ab insula in ulte
riorẽ ripam est traductus. Descendit & uno tẽpore Medices ornatissima classe, ut aliam minorẽ insulã à fano diuæ Margaritæ nuncupatã (ea est paulo su
pra Budam) occuparet:nec obstitere hostes, qui to
ta ripa sese diffuderant, è Budaq; uetere minoribus tormentis classem transitu prohibere conabantur. Sed classis singulari militum alacritate, & contẽ
tione remigum incitata,adiutaq; plurimum secũdo rapidissimi fluminis cursu,paucis acceptis uulneri
bus,insulam apprehendit, classemq; hostiũ subeun
tem coniectis in eam maioribus pilis ad suburbanã

Budæ

Budæ stationem compulit. Porrò inter insulam & A
continentis ripam,ubi iam pontem effecerãt,in spa
cio duorum stadiorum erecta quadrata munitione, parua castra,quæ septem cohortium præsidium ac ciperent,constituta sunt, ut onerariæ naues duplici defensæ præsidio,nihil timerent,& qui sub sarcinis in castra contendebant,securè commearẽt. Nam & interdiu aliquot turmæ equitum cohortibus adde
bãtur. Quum magno circuitu, uitandis Budensium tormentis, ad Pestum ire pergerent, ex transfugis reperiebant Balim Epirotam,qui mortuo Solyma
no Hungaro urbis præfecturam excepisset, in præsi dio habere circiter duo milia equitum, tria uerò ex Illyrico Vlamanę Persam adduxisse. Is deserto Tam
maso Persarum rege Solymanum secutus,uti suprà memorauimus, in expugnatione Castri noui ad Ri zonicum sinum insignem operam nauarat. Ad hos accessisse mille equites Amurathe Dalmata duce, Obroatij &Clissæ cladibus nostris claro. Aduenisse autem Byzątio ex numero prætorianorũ Ianizeros pedites mille, quibus pręerat Segemenes Acarnan, eximia uirtute chiliarchi locum meritus. Reliquos pedites ex genere Iatronũ agrestiũ Martelosios aut Mysos remiges esse, quos faciundo operi potius q̃ exercendis armis idoneos exigua mercede condu
xisse. Classem uerò constare paulo plus sexaginta Nasadis,decem biremibus, paucisq; magnis lintri
bus,quos undique educta sponda crasis asseribus contabulasse. Imperasse autem cunctis Solyma
num, ut Budam & Pestum cæteris omnino negle
ctis oppidis, summa ui defenderent, propositaque esse præmia fortibus, & supplicia ignauis : si quid porrò propugnantibus durius accideret, Achoma
tem magistrum equitum (Bellerbeyum ipsi uocãt) è Triballis accersert:consedisse enim eum ad So
phiam urbem,ut maturè opem ferret,monuisseque Sanzacos,ut parati profectionis imperium expecta B
rent. His rebus explanatis, castra ad oppidum pro
mouentur,Turcæ conspectis nostris Vacciana por ta erumpunt,Hungari singulari alacritate equos in citant,tumultuario prælio concurritur, sed paucis utrinq; cadentibus pari successu uires experti,Tur
cæ in oppidum,Hungari in castra reuertuntur. Vi
tellius à septentrione,qua una in parte oppidũ tutò oppugnari posse uidebatur,propinquum muro lo
cum cepit:Germani uallatis castris paulo remotius tetenderunt. Oppidi mœnia quadratam figurã effi
ciunt, & à meridie profluente Danubio, & per an
gustam ripæ marginem relinquẽte, opportunè mu niuntur. Vtrunque autem latus ab oriente pariter ac occidente,tormenta maiora, hinc ab arce Budæ; illinc à Gerardo monte, ad certos ictus constituta, ita detergebant, ut sine certo exitio, neminem nisi imperitum & insanum usqueadeò infestis in locis castrametari posse perspicerent. Buda enim editis collibus imposita,dirimente Danubio, Pestũ in pla no situm contrà respicit,dominaturque latè campis longo prospectu:ita ut nullam partem à tormentis metu uacuam relinquat, præter eam, quæ ad Agria nam portam obiectu oppidi protecta spectantibus eripitur. Postero die quum Vitellius, ut statuendis tormẽtis locum exploraret, cum tribus cohortibus & duabus Sfortianis turmis ad mœnia processisset, nec quisquam hostium conspiceretur,Turcæ repen tina eruptione è duabus portis nostros inuaserunt: initumque est certamen paribus primò animis ac uiribus, sed postquã noua manus peditum & equi
tũ subsidio suis aduenit,nostri pedites primò, mox & equites perturbati dissipatiq; Ianizerorum uim ferre nequiuerunt: secus enim ac nostri crediderãt, Ianizeri summa agilitate, suspensa ad utrunque la
tus anteriore tunica peritissimè longioribus sclope tis utebantur, celeritateque mirabili, ubi aliquis è nostris concideret, aut occiso equo sterneretur, ia-

centibus capita detruncabant: nec lato scuto prote A
ctus eques,longioreque hasta prælialidus, & grauí gladio aut claua ferrea galeas pertundens, armatũ nostrum equitem timebat. In ea pugnæ iniquitate perterritis militibus, Vitellius congiobata cohorte una,accensisque pudore suorum animis,insolenter urgentes Ianizeros graui impetu summouit atque dilecit:quibus pulsis, quod decorum Vitellio fuit; peropportunè seruati sunt Vistarinus, nobilis ado
lescens è Laude Pompeia,equitũ præfectus, & Lu
douicus Trechius à Cremona,primus Sfortianæ a
læ uexillifer, qui uulneratis & cadẽtibus equis sub multo armorum pondere in manibus hostiũ iam penè colla cædentium prociderant. Sed Laurentio Camerti cohortis præfecto opem ferre non potuit: eandemque fortunam tulere Mazza Cortonensis uir egregiè fortis,& duo cum totidem signiferis ex Vmbria centuriones. Vitellius ad sarciendum incõ modum dolore uehementer incitatus, satis iam cõ gnita natura hostium,& perspecto pugnandi more, confirmatis accensisque militibus, hosti insidias pa rare constituit,ante alios Perenum admonet,ut oc
casioni gerendæ rei paratus & intentus esse uelit. Confidebat Vitellius in hortis regijs muro præcin
ctis, qui æquali mille passuum spacio à maioribus castris & ab oppido distabant:ex his hortis duode
cim cohortes sub signis educit, reliquas intra septa consistere iubet,progrediturque magno circuitu ad inferiorem fluminis ripam. Nec hesterno successu elati hostes,quicquam moræ sibi afferunt, quin cõ
specto nostrorum agmine orientali porta Fulmen
tanaque pariter erumpant, & ad nostros magna ala critate deferãtur. At Vitellius suo periculo cautior, Turcarum impetũ densatis ordinibus excipit,sclo
petarios ab hastatis protectos, & sese in dextrũ ge
nu proclinantes,displodere iubet: uehementi strę
pitu prælium miscetur,multi cadunt,& Turcæ per tinaci audacia inuecti cuneis nostrorum aciem ef
fringere conantur,sed cohortes fortissimè resistũt. Interim quum iam Turcæ equites atque Ianizeri frequenti multitudine portis exissent, & multi pa
riter à Buda contemplati certantium agmina,ut uí ctoriæ interessent,transuecti nauigijs citeriorem ri pam compleuissent, Vitellius opportunè timorem simulat,sensim,sed conferta acie se recipit. Tum ue rò hostes clamorem tollunt,& uehementius ex om ni latere nostros perurgent, & equites ad cædenda terga discurrunt. Id Perenus attentè conspicatus, ubi iam satis magno spacio Turcas insequendi cu
piditate abductos,à portis discessisse uidet, expedi tas turmas inter oppidum & auersos hostes induc
it,celeriter turmæ locum occupant, & regressurũ hostem portis intercludunt. Adcurrit cum reliquis Pereńus,ualidaque Germanorum equitum manus duce Mauritio Hungaros consequitur. Tum uerò Turcæ animaduerso periculo,pedẽm referre, inda
gine se clausos intueri, in fugam ora atque animos conuertere. Nec consilio uotoq; Vitelliani desunt. promoto enim hastatorum agmine, & utrinq; sclo perarijs in cornua expansis,Barbaros inuadunt,eos undique circumfusæ Hungarorum turmę,& occur rentes Germani equites in medio trucidant. Tan
tus erat cõuersis & fugientibus illatus terror,ut ple rique præcipiti cursu ad portam delati intentis ha
stis suorum terga configerent, illisique in angustijs & mox cadentes sequentibus ingressum obstruerent. Multi quoque, quum è ripa, propellente e
quitatu, in flumen præcipites agerentur, & naues in tanta perturbatione conscendere nequirent,aut interfecti, aut abrepti flumine perierunt, nasadaq; una nudata remigib⁹,in litore capta demersaq; est. Eo die Segemenes Ianizeros supra centũ desidera
uit,quũ ex reliqs ad CCCC. omnis generis amisis
set. In ea pugna spectata quoq; est nobilis uirtus in

Mauri-

Mauritio,qui inuectus acriter in hostes,& ab his circumuentus equo q; deiectus tanto periculo fortiter se eripuit. Ab hac uel parua uictoria, nostris adeò creuerunt animi, ut Ioachimus proferri tormenta, & continuò quati murum iuberet. Itaq; erectis uimineis corbibus,quos multa gleba ad altitudinem staturæ hominis replebant,ut pluteorum more tormenta protegerent:productus est omnis tormentorum apparatus,sed longius quàm oporteret,tormenta à Germanis constituta,murum quanquá uterem,nec plus quinq; pedibus latum,languidissimè feriebant. Quòd si paulo demissius,aut æquo altius librata essent,facilè accidebat, ut pilæ uanis ictibus solo inciderent, aut trans Pestum ad Budá usq; iacerentur. Animaduerso uitio Medices atq; Vitellius monendo docendoq; à Germanis impetrarũt, ut propius admouerentur. Eo modo quum murus quadraginta maioribus tormentis assiduè quateretur, magno hiatu ad ingressum patefacto, repentè corruit. Nec dubitauit Vitellius se primum profiteri,qui primi periculi locum atq; discrimen subiret, si Germani cum expedita legione,ascendentes Italicas cohortes à latere sequerentur. Annuere Germani,atque id se facturos sublata manu promisere. Ab alio autem latere Hungari pedites,agreste hominum genus,& cæteris audacior equitum iuuentus, quæ ad æquandum pari uirtute bellicum decus dimissis equis, pedibus pugnare minimè recusabat, locum desumpserũt,truciq; ululatu edito, quo præstandæ operæ studium ostentabant, Italos tumultuario procursu ad subeundum murum inuitarũt. Expectantibus cunctis,ut ineundæ pugnæ signum daretur,Vitellius non pluribus uerbis suos cohortatus,quàm ut se in Italia natos in conspectu fortissimarũ gentium pugnaturos esse meminissent:ipsis enim & patriæ maximè decorum fore, si ante alios nobili ausu ad hostem prouecti, præcipua uirtutis laude potirentur. Neq; enim de pugnæ euentu feliciq; uictoria dubitandum,quum pro superis & dignitate Christiani nominis,cum inermi atq; fœdissima gente dimicarent:manere uictoribus amplissima præmia,egregiè autem fato functis,uti optarét æternæ felicitatis in cœlo sedes. Simili modo delectos uereranosq; socios nauales, quos è nauibus eduxerat,Medices accendebat. Perenus Hungaris, Germanis Hessius aderant. Mauritius Saxo & Torniellus ad tormenta cum magna manu equitum & peditum in statione constiterant, ut si hostes more suo erumperent,munimenta tuerentur. Erat mirũ apud hostes silentium,usqueadeò,ut nonnulli traiecisse flumen, & Budam effugisse hostes crederent. Segemenes enim exactæ disciplinę uereranus,compresso omni strepitu tacitè cuncta administrabat. Is nouum ab Vlamane præsidium acceperat,fossamq; intra murum præaltam decliui utrinque margine perduxerat: interiore autem in labro,uimineos corbes more nostro,atque item uinaria dolia arena cespiteque repleta collocarat. Post eam munitionem Ianizeri considebant:secundum eos sagittarij,& demum equites hastati scutatiq;, qui pedibus pugnare iussi erant:ad utrunq; uerò fossæ caput fenestratum aggerem erexerat,ut qui è nostris cõscenso per ruinas muro in fossam se demitterent,non maioribus tantùm tormentis ab utroque larere emissis discerpti,sed flamma etiam ex puluere sulphureo aridisque uirgultis repentè excitata, ad unum omnes correpti delerentur. Signo dato, quatuor signiferi, sequẽtibus cohortibus,audaci cursu in murum per ruinas euolarunt: sed dum uexilla defigunt, & fossam munitionesque hostium mirantur, & pari spemetuque ad descensum animos parant, repentina grandine sagittarum & glandium obruuntur. Nihilo secius adhortante Vitellio,alij atque alij intrepidè succedunt. In his eminet Carolus Meliteus,nobilis adolescens,cui Vitellius erat auunculus, & cum eo præfecti aliquot,& strenui centuriones. Cæterũ Germani pedites neq; spe uictoriæ, neq; sociorũ periculo pmouent. Hessius alienę cladis spectator,cõferta legione sub mœnibus cõsistit. Hungari quoq; qui alacriter procurrerãt, nec cõspecto quidẽ hoste à mœnibus recedunt. Ita fortuna iampridem Italicæ uirtuti plurimũ infesta, nostros deserit. Meliteo humerus glande traijcitur, præfecti cohortium Rufus & Fiolla Tiphernates cadunt, occisiq; signiferis uexilla deseruntur. Nec Turcæ occasioni desunt: partim è propugnaculo, quod biennio antea Barcocio ac Othone Fatisco defendentibus erectum dixi mus,partim à transuerso aggere prosiliunt, & tota muri corona diffunduntur,spirantibus spolia detrahunt,& capita detruncant:& mox glandibus, sagittis,& multo maximè lapidibus deiectos,nec se recipientes nostros incessunt. Eadem quoq; telorũ uis legioni Germanorũ incidebat. Pudore siquidẽ locũ tenebat,ne quæ turpiter sub mœnibus hæsisset,si se prima reciperet,secũdi dedecoris infamiã subire uiderẽt. Idem spectans, sed diuersa ratione, Vitellius nullũ timoris,nullum receptus signũ dabat: utpote qui uniuersas cohortes sterni, q̃ ullum uel minimæ laudis locũ legioni relinqui mallet, quũ se desertũ maiore ira q̃ dolore quereretur. Tum uerò Hessius pertinacia multis uulneribus expugnata,legionem reduxit,& cohortes Italicæ continuò se receperũt, adeò dissipatis omnium ordinibus, quũ à tormẽtis hostiũ celeri fuga se eriperent,ut multorũ opinione constaret,si Turcæ omnibus portis erupissent, magno detrimento nostros affici,& castra ad singularẽ ignominiã conturbari posse uiderentur. Eo conatu potius q̃ prælio septingentos è nostris desideratos ferunt:sed aliquanto plures ex fœditate uulnerum, nullis aut certè absurdis ad ea remedijs, toto demũ itinere perierunt. Medices quoq; dum ad cohortandos milites discurreret, immanis tormenti afflatu potius,q̃ ictu humi cum equo prostratus,summum uitæ periculum adijt. Sed nostris fortiter repulsis Barbari nihil se cõmouerunt: ita in castris sublatus est omnis tumultus, & curandis uulneribus militi quies data. Sub nocte uerò Ioachimus duces in consilium uocauit,disputatumq; est grauibus sentẽtijs, an abscedere incœpto, q̃ expugnandi oppidi discrimen iterũ subire satius foret,quũ à pleriſq; Germanis ea quæ tutissima,uti longè optima,probaretur. Tum Vitellius, An hoc,inquit, turpe sit,uos ipsi uideritis,uiri Germani, qui uobis præcipuũ militaris disciplinæ decus perpetua laude ab inuictis maioribus uestris traditũ,nõ iniquo iure uindicatis. Quis enim uel gregarius miles est,qui Christianæ militię nomen,si pari cum ignominia tam properè reuerti mur, q̃ tardè descendimus, non in præsens modò (tanto scilicet admisso dedecore) q̃ in reliquũ tempus existimatione spoliari non uideat? Ego quidem & cohortes meas,uel accepto incõmodo,alacres & prælium poscentes uideo, nec oppidum posse capi diffido,si uno atq; altero in loco murũ quatiamus, paribusq; animis ac uno simul tempore,triplici constantiq́ue acie inuadendos hostes arbitremur. Hęc dicente Vitellio,introductus est speculator, qui Achomatem superato ad Belgradum Sauo, ad Drauum peruenisse referebat. Huius aduentu uel astutè simulato, uel inaniter credito, Germani deliberationibus finem imponunt, atque inde mouenda castra, redeundumque Viennam censent, quòd præcipiti autumno matura hyems superat, quòd multi ex legationibus uulgatis morbis deperibãt, quòd maximè timendos imbres diuturna serenitas prænunciaret, quòd denique fossa interior, ante spem conceptæ uictoriæ, nostrorum cadaueribus replenda uideretur:nec tutus demum receptus foret,si Achomates expedita suorũ agmina de more præ-

re præmissurus,ad Tolnam, traiecto Danubio, hærentibus in oppugnatione oppidi superueniret. Erant militum omnium animi,si iterum mœnia quaterentur, ad præstandam supremi conatus operam intẽti paratique: sed dux ipse reputatione periculi, ab omni sua parata laude discesserat,aut certè quod potius de generoso credi uelim, octouirali iudicio circumscriptus. Itaque Ioachimo decreti propositũ tenente, Itali duces, qui discessum dictis sententijs improbarant,ægrè impetrarunt, ut sequenti die in speciem renouandi certaminis, tormentis mœnia quaterentur, nihilq́ue milites ad iter pararent, sed sub signis,nullo tumultu edito, in statione consisterent,quo suscepte profectionis consilium tegi posset,& distineri hostis, qui nullam ad insequendum moram facturus esse uidebatur. At Segemenes, ubi nostros tanto fortissimarum cohortium detrimento perterritos uidet,prima luce equitatum omnem & ualidas peditũ manus, quæ refugientibus equitibus præsidio forent,audacter emittit, pluribus in locis cum Hungaris pugnatur, nec uirtute, aut eludendi arte nostri hostibus cedunt: resq́ue eò deducta erat,ut in conspectu Germanorum ac Italorum indictis inducijs singulari certamine,ex utraque acie conspicui & promptissimi quique infestis hastis concurrerent,usqueadeò fide integra, ut utrinque Barbari Hungaris,& Hungari Barbaris inuiolata comitate misc erentur, nostriq́ue duces tanquam ludicro spectaculo uirtutis ac ignauiæ iudices interessent: acciditq́ue ut insignis dux Turca Vitelliũ sibi ostendi poscęret, atque ad eum (nam armis satis erat conspicuus) uirtutis nomine amplexandũ procurreret. Eo die supra quingentos equites nonnullis utrinque interfectis ac uulneratis concurrisse constat:sequenti porrò nocte,reducto omni tormentorum apparatu, exercitus ad classem ripamq; Danubij iter extẽdit. Tum uerò Barbari nostros discessisse conspicati,sese omnes effuderũt,clamoreq; sublato,quo nostris turpem fugam exprobrarẽt,postremis agminibus institerunt. Traiecerat & ipse Vlamanes,premebanturq́ue adeò nostri, ut nisi magno accepto incommodo sese explicare & agmen consequi posse uiderentur, nisi Vitellius uexilla fisti,conuertiq́ue ordines suos iubẽs monuisset Hungaros, & secundum eos Germanorũ cataphractos, ut impetu facto,& densatis turmis urgentem hostẽ impeterent. Ita armatus equitatus intentis hastis, inuectus non summouit modò hostem, sed protrubatum & frustra terga dantem latè cecidit. Durauit ea tumultuosissima hostium fuga pugnaq́; in multam noctem, quum clausis portis excluſi hostes ad Danubium usque secundum mœnia cursum intenderent, nostriq́ue auidè persequerentur, & cuncta tormentis undique emissis, in communi periculo perstreperent. E nostris autẽ ducibus, suprema insignis uirtutis opera egregiè nauata interijt Iacobus Trucses,nobilissimæ stirpis Valpurgæ regulus,qui Sueuorum equitatui præerat. Is quum equo ex uulnere procumbente oblatum alterum conscendere conaretur,interfectus est,caputq́ue eius hastæ prefixum ad Vlamanem miles detulit: trunco autẽ nostri potiti sunt,qui demum Vaccię omni funeris honore collato tumulatus est,hoc ipso publicæ pietatis officio dignissimus, quòd eius sacri suscepti bellі præcipuus adhortator extitisset. Eo accepto incõmodo multisq́ue desideratis Vlamanes equitatum continuit, patuitq́ue inde expeditũ iter nostris infami festinatione Germaniam repetentibus, quibus magno usui classis fuit. Medicis enim præfecti dili gentia,tormẽta omnia in naues sublata sunt:ægrorum tamen perampla manus segniter extremum agmen subsecuta classem conscendere nequiuit,ita ut superuentu Barbarorum septingenti ferè semianimes crudelissimè obtruncarẽtur. Duces uerò nostri iam tertio ac infelici ad grauem ignominiam conatu Turcarum uim atque peritiam experti, amissum militare decus tristi cogitatione deplorabant, quum iam Pannonici regni obliuiscendum, & pro salute Germaniæ consilia capienda faterẽtur, postquam summi reges obliti ueri decoris ueræq́ue pietatis,dum priuatis odijs decertant,rempub.Barbarorum commodo, eneruandam perdendamq́; immani animorum obstinatione suscepissent. Italis ab rege dimissis,redeuntibusq́ue in Italiam egregia fide stipendia persoluit Angelus Medices, præfecti classis frater,quem Pontifex ob singularem industriam Vitellio quæstorem dederat, ut fratrem Vitelliumq́ue eisdem sensibus coniunctos in amicitia contineret:ab rege autem, cum multa uirtutis commendatione, Vitellio atque Angelo aurata pocula dono data. Sed eas copias per Villacum & Carnicas Alpes, atque Venetiam domum iter habentes lentus potius,quàm fœuus morbus à castrensi illuuie ac alieni cœli,& pestilentis autumni iniuria conceptus,uehementer affixit,usqueadeò ut ferè dimidia pars militum desiderata sit,& Tiphernates principem ciuem,cum meritæ laudis laurea redeuntem ex domesticis funeribus atra in ueste susceperint. Sfortiani quoque equites cunctis fermè equis macie enectis,pedibus in patriam redierunt. Cæterùm ut rei malè gestæ fœdus exitus,ad minuendam infamiam auertendosq́ue hominum sermones alicuius insignis facti nouitate regeretur, Perenus Petrus affectati regni suspicione, regiorumq́ue liuore circumuentus in arce Strigonij à Liscano Hispano iussu regis capitur, traditurq́ue extemplò Medici præfecto classis Viennam deducendus. Quum caperetur, auarè ac inhumaniter agens Liscanus aureum torquem collo detraxit, exuitq́ue ueste quæ preciosis Sebelinarum pellibus suffulta erat. Id factum, uti clarissimo uiro atque insonti indignum, adeò Hungarorum animos contumeliæ dolore cõsternatos perturbauit, ut supra duodecim milia equitum,sublatis cõtinuò signis domum redierint. Per eos enim dies nunciatum erat, Pereni filium ex aula Solymani à Rasciano seruo felici astu eductum in Transyluaniam euasisse. Is admodum puer Solymano fidei obses datus, intra septa regiæ cum nobilibus coætaneis adoleuerat. Nam Perenus pater deuicto sublatoque Ludouico, quum Ioannem Pannoniæ regno potiri uehementer indignaretur, ad Ferdinandum transierat,ea spe,ut primum sibi post regem in Pannonia potẽtiæ locum pararet. Sed pari quoque ingenij mobilitate,quòd omnia apud Ioannem sub maiestate Solymani tuta atque felicia, apud Ferdinandum autẽ dubia ac infirmissima spectarẽtur,cogente pudore, authore Habraymo Bassa,cum Ioanne in gratiam redijt, ęgrè ut reciperetur impetrante Solymano, quum Ioannes Perenũ fluxa fide,uario instabiliq́ue iudicio hominem testaretur, proindeq́ue iterum ab se defecturum esse prædicaret. Ad ea Solymanus in hanc sententiam grauissimè respondit: Quid tu igitur Ioannes, ad gloriam maius à Deo magno, si sapis, exoptare potes, quàm ut Perenus à fide discedens,dum ingrati atq; improbi nomen subit, generosæ clementiæ decus tibi relinquat? Exinde Perenus in honore habitus, integra fide regem coluit:sed mortuo demum Ioanne ad ingenium redijt,quum Georgium tutorio nomine regnantem ferre non posset, & à Ferdinando solicitatus eadẽ ambitiosè affectata transfugij præmia inani spe præsumeret. Itaque filius Byzantio fuga elapsus,quum incredibile gaudium afferre uideretur,summam calamitatem misero patri attulit: à regijs enim ignauisq́ue hominibus, quibus aliena uirtus oneri,& calũnia uirtutis odio genita magno questui semper fuit,excitatus erat rumor, Perenum adolescentem simulata fuga elapsum, cum

Solyma-

Solymano transegisse, ut pater Hungaros propositis rerum omnium immunitatibus ad Turcarum studia traduceret, præmiumque illi foret, Pannonici regni præfectura, in spem quoque propinquã regij nominis, si fata Stephano infanti Ioannis regis filio adolescentiam inuiderent. At Perenus cum omni honore uerborum à Medice Viennam perductus, quum portæ appropinquaret, audiretque obuiam Medici aduenisse Philippum Torniellum, rogauit ut sibi adaperta rheda alloqui uiros fortes generososq; liceret. Id uerò facilè concessum est, quòd tanta uiri claritas & spectatæ uirtutis studium non custodia modò & carcere, sed nec ambiguæ fidei suspicione digna uideretur: isque ad eos conuersus: Me miserum, inquit, quem insontem immanis inuidia circumuenit: sed multo miserior Ferdinandus, cui domestici latrones & fortunas, & amicos, & denique regium decus eripiũt. Ita enim fit, ut hac præcipiti delati nominis mei iniuria Hungaricã gentẽ à studio fideque penitus auertat, ac ob id de Pannoniæ regno non temerè desperet, postquam mihi claritate natalium nulli secundo, & iam tribus bellis fortis fidelisque nauatæ operæ præmia ab iusto rege promerenti, de filio Barbarorum seruitute erepto lætari non licet, quum pro incomparabili gaudio iniqua mea sorte, non dubius uitæ metus ante oculos obuersetur. An delatores ignauiæ suæ conscij, in ipsa de me calumnia præcipui testes, capto custoditoque parcent? qui nec famę unquam regis pepercerũt. clarissimus enim quisque uel criminis insons, quum capitur, nõ conceptę quidem noxæ pœnas, sed aduersam fati sui sortem subit: me tamẽ animus integer scelerisque insons, quod unum dij certi iudices calumnia circumuentis & miseris solatio relinquunt, hac cura liberat, liberabitque hoc crudeli infamiæ onere Ioachimus imperator, cui oborta suspicione tale mihi periculum imminere prædixerim, & me obiter insontem interfici malle, quàm iudicio coràm non adesse confirmarim, & tum quidẽ quum tantis meis septus copijs nullius uim timerem. Hæc obsecro nobilis officij uerba Ferdinando renunciate, ut in discrimine mei capitis maturè generoseq; deliberet, & quantum inter amicos & delatores interfit, suo non alieno ingenio fretus intelligat. Nimis profectò miseri sumus duces, si re malè gesta ita plectimur, ut præuertisse belli fortunam uideamur. Deserti certè ad Exechium, fœdeq; amissi exercitus Cazianer iustas fortasse pœnas dedit, quũ inusitato oppressus metu imperij munus desereret, nec in ipso duce dedecoris quàm mortis metus grauior esse uideretur. Vltrò enim sese custodię dedes, ita concepti pauoris crimine damnatus est, ut desperatis causæ suæ præsidijs effracto carcere, tam sceleste quàm infelici consilio ad Turcas transfugerit. Sed neque summũ imperium apud me dudum fuit, neque nos uicti sumus, si non uicimus, quòd nobili certè receptu persequentis hostis insolentiã egregiè represserimus. Pannoniæ autem regnũ affectare, & tum promereri beneficio Solymani facilè potui, quum Ioanne rege morte sublato, expedienteque arma Ferdinando, clientelæ opesque meæ & Hungarorum in me studia, non leui ad uictoriã momento, ualitura spectarentur, nec absurdam ob id, uel intempestiuam spem consilijs uiro Christiano indignis afferrent. Pugnaui igitur, pugnaboq; dum uiuam, contra Turcas, si se æquum Ferdinandus in hac calumnia inimicorum malignitate conflata iudicem præstiterit. Perorante Medices, ut in clementia æquissimi regis spem reponeret, humaniter adhortatus est, moxque fidele officium præstitit, ipseque demum Torniellus uenientem nactus regem, ne quid durius de Pereno statueretur, opportunis precibus molliuit. Nec multo pòst Perenus, quum in dicenda causa, ut palàm audiretur, impetrare neA quiuisset, in ciuitate noua custodiæ traditur, uel noua perfidiæ, uel, ut credi par est, antiquæ leuitatis diuturno carcere pœnas daturus. Ita tres omnino reliqui antiquissimæ stirpis Hungari principes pro merendo Pannoniæ regno parẽs, Valentinus atq; Maylatus, ac ipse Perenus, paribus propè insidijs uirtutis inuidia circumuenti, omnem spem excitandi Hungari regis discordi, ac ob id afflictæ ipsorum genti sustulerunt. Sub id tempus Paulus pontifex suo uetere indicendi cõcilij proposito innixus, Tridentum tanto conuentui maximè opportunum delegit. Cupiebat enim satisfacere Cæsari, indulgereque his Germanis, qui ab authoritate Romani pontificis desciuissent. Igitur circiter calendas Nouembres, anno à partu Virginis supra millesimum quingentesimo & quadragesimo secundo, Pontifex ex senatusconsulto, tres senatorij ordinis Cardinales Tridentum misit, qui bene auspicatò inchoandę synodi, futuræque tot gentium frequentiæ sedem pararent, Paulum Parisium diuini ac humani iuris professione insignem, Reginaldumque Polum Britannum, qui supra regiæ stirpis claritatem, & Latinæ facundiæ laudem nemini ferè felicius partam, perfectum Christianæ uirtutis habitum præferebat: Ioannemque item Moronum, secunda morum atq; doctrinæ fama per omnes Germaniæ conuentus legationis munere perfunctum. Hos secuti sunt alii quot præclari nominis episcopi. nam Pontifex ad repræsentandam eius ordinis dignitatem excellenti ingenio doctrinaque supra centum descripserat, qui de ueritate rerum diuinarum saluteque labantis reipub. in consessu gentium omnium disputarent. Venientes Christophorus Madrucius, Tridentinus episcopus, pari splendore humanitateque uiri liberaliter excepit: nec multos post dies Peronotus Granuellius ab Hispania Genuam trirembus delatus, profectusque inde Tridentum inchoatæ synodi famam excitauit. Cæsaris enim occultè mandata detulerat, quibus indicti concilij decretum locũq; ad eam celebritatem opportunè atque rectissimè delectum approbabat, testabaturque eo usurũ esse Cæsarem maximo reipublicæ commodo: quoniã ipse ad prima ueris signa naues conscensurus, ut corrigendis publicis moribus censuram ageret, impiasque aut certè obscuras in religione opiniones inuecta uera luce reuelleret, concilio adesse statuisset. In eam quoque sententiam Antonius, ipsius Granuellij filius, præcellentis ingenij iuuenis, Atrebatũ antistes, luculentam habuit orationem, non obscurè emissis quibusdam aculeis in Pontificiũ nomen, quòd sacrorum principes perpetuis ludificandi artibus, tamdiu tergiuersando necessaria, atque ideo suprema publicæ salutis remedia distulissent. Negauere tres legati se quicquam publicè de mandatis audituros, ne uno eius aduentu synodus ritè cœpta crederetur. Eam enim grauissimarum rerum & dogmatum cognitionem ad uniuersas Christianę professionis gentes pertinere. Eò enim Granuellius tẽdebat, ut Pontifex terrore concilij iniecto, ab instituta sacrosancti parentis ac iudicis æquitate discedere, proferreque arma aduersus Gallum pro Cæsare cogeretur. Putarat etiam ab initio Cæsar, uetere suo incensus odio aduersus Gallos, Pontificẽ in partes facilè perducturum, uti maximis obsequijs atq; muneribus deuinctum, concessa paulo antè Nauaria, prælataque demum Farnesia domo, in qua (repudiatis aliquot illustribus generis, ipsoque præsertim Cosmo Hetruriæ principe excluso) unicam filiam, Mediceas opes dotali hæreditate secum trahentem, nec tum Octauio quidem coniuge ad nuptias satis maturo liberalissimè collocasset. Quibus de causis amarior factus Cæsar, legem in Hispania promulgarat, ne cuiquã externo pensiones, authoritate Pontificum sacerdotijs impositæ soluerẽtur,

Michaë-

Michaëlemq; Syluam Lusitanum cardinalem, legatum, pias dignasq; periculo cohortationes afferentem contumaci contemptione reiecerat, quum Syluę collega Sadoletus cardinalis in Gallia perhumaniter esset auditus. Certissimus enim speculatorũ nuncijs ac literis compertum habebat pontifex, Solymanum ea quæ imminebat æstate terra marique atrox bellum Christianis illaturum: & tum quoq; circiter quatuor Hispanorum millia ad extremos Sabinorum fines hyberna protulerat, imminebãtq; ita per Valeriam uiam Tyburtinis mõtibus, ut quũ non longè à pontificijs finibus Fabritius Columna, Franciscus Vrsinus (ille paterna ditione exutus, hic iudicio rerum capitalium absens dãnatus) exules uersarentur, non inanem metum Romanis incuterent. His de causis pleriq; senatores in contraria studia diducti, uti antea capti sacerdotiorum muneribus magnæ partis senatus cum pudore ac infamia diuenditæ libertatis Cæsari & Gallo diuersis sentẽtijs fauebãt, usq; adeò intemperanter, ut Dionysius ex ordine seruorum cucullatorum in senatum traductus, Franciscum auito Christianissimi cognomine spoliandum, persequendumq; armis & diris imprecationibus diceret, obstrepente senatu intempestiuæq; facundiæ insolentiam reprehẽdente, quum Dominicus Cuppius Romanus, senatus princeps, interrogando respondisset, In cuius ergo tutela rei Romanæ salus & dignitas erit? si pro Cæsare, à quo summæ calamitatis incommoda pertulimus, contra eum quem insigni merito liberatorem urbis fatemur, diuina ac humana arma nefario decreto expediamus? At pontifex sermones graui admodum aure exceptos, ita contracta uel remissa fronte trãsmittebat, ut nihil ea patrum cõtentione grauari putaretur: ingenio siquidem egregiè cõposito, & per omnem ætatem senatorijs artibus exaggerato, maximum prudentię munus existimabat, detegere hominum studia, nudare uoluntates, scrutari atq; introspicere sensuum recessus, in magnos scilicet usus publicarum actionum, quę omnia tum solerter assequebatur, quum in negocio dissentiẽdi materiam simulata consultatione præbuisset. Hinc collecta paratáq; habebat responsa, quæ legatis daret, excusationeq; legitima in alternos usus opportunè trãslata, utriusq; principis offensiones eruditissimè deuitaret. Detexerat & tum latè profundeq; principũ animos, tametsi eos antea, tanquã à concordiæ nomine plurimum abhorrentes, satis habebat exploratos: quum fortè Cæsar ad eum uti communẽ omnium parentem, sacrosancto q; iure omnis humanæ litis disceptatorem, literas perscripsisset, quibus in Franciscum uehementer inuectus superiorum temporum iniurias, ruptaq; toties fœdera, & concitatũ ad Christiani nominis perniciem Solymanum querebatur. Nec ideo dubitasset Franciscus, quin publicato ad defensionem insigni uolumine obiecta confutaret, adeò ut binis criminosissimis libellis ad inexpiabilem contumeliam editis, utrinq; tegij honoris fama immaniter dilacerata spectaretur, eaq; obiter arcana prodita, insuetæq; diræ factorũ noræ omnem spem conciliandæ pacis excluderent. Ea siquidem maledicta in grauissimo momento lesæ maiestatis insanis peruicacibusque animis, uti uerè propria ducebantur, quando omnis calamitas conflagrantis orbis non ad ipsos, sed ad miseras alienasq; gẽtes pertineret, quum integro pudore tueri regiũ decus uellent, & tamen hoc duorum & uiginti annorum curriculo supra ducentas urbes euastatas, castella amplius tria millia deleta, toraq; ea contentio ne ducenta millia hominum Christiani sanguinis interfecta faterentur, & subinde nihil permoti uel acerbissimo humani generis odio, deos ipsos, uti nunquam miserorum precibus affuturos, abdicata pietate contemnerent. Cæterùm Granuellius Tridento profectus, eadem qua uenerat, celeritate ad Germanos peruenit, qui conuentum ad Nurumbergam indixerant. Deferebat enim certissima Cæsaris animi decreta, quibus grauissimarũ rerum munus expediret. Ante omnia Guilermus Cleuẽsis regulus ad authoritatem Cæsaris erat traducendus: cohortandæ liberæ ciuitates, ut Ferdinãdo regi tuẽdo Pannoniæ regno adessent: Saxonũ, Cattorumq; principes Henrico Brunsuicensi conciliandi, quorum armis propter sacerdotij controuersiam ditione nuper esset expulsus, prouidendum ne Germani milites impunè ad Gallorum stipendia transirent: & commouendo denique omnium studia ad concilium celebrãdum, qua in re Lutheranorum uoto potius, quàm æquissimæ pontificis causæ fauere uidebatur. Neq; enim concilium libero gentium omnium cõcursu celebrari poterat, nisi prius pax ipsa regumque concordia pararetur: atque ita fiebat, ut promissiones Cæsaris, quibus Lutheranorum animos promerebat, nec ambigua ad id pontificis uoluntas, tanquam inanes & nihil ad causam profuturæ à plerisque irriderentur. Quis enim ab Hispania clarus antistes (quum in Gallia Georgius Maximiliano Cæsare genitus Valentinus episcopus, in itinere sub ipsam Rinconis atque Fregosij cædem esset interceptus, & Oceani Mediterraneique maris nauigationes Punicarum & Gallicarũ classium metus sustulisset) Tridẽtum omnino eundum esse arbitraretur? Quis demum è Gallia insignis uir sacratus per Rhæticas Alpes in eam urbem se conijcere auderet? quæ ad unum buccinæ cantum in potestate Germanicæ multitudinis futura crederetur, uel nolente obtestanteq; Ferdinando, cuius eximiam fidem in ipso periculo imploraſſe frustra esset. Interea tantis in Belgio detrimentis affectus Cæsar, & uehemẽter indignatus, Gallos se præsente Hispanię fines intrare ausos, ingens bellum parabat. Coniunxerat enim sibi nouo fœdere Henricum Britanniæ regem, ut eius gentis auxilijs, quibus Galli antiquitus magnopere terreri consueuissent, ditissimique regis auro adiutus, multo quàm antea ualidiore impetu Galliæ fines ingrederetur. Fuit ea societas ingrata suspectaq; pontifici. Mirum enim uidebatur, Cæsarẽ tanta pietate, tantaque honesti decoris existimatione præditum, summas iniurias animo deponere, inexpiabilisque odij penitus obliuisci, ut quum in Gallum atroci odio deferretur, atque ei omnino grauissimè nocere uellet, nullam pontificiæ dignitatis rationem habendam putaret. Henricum antea Clemens Catharinam uxorẽ, quæ Cæsaris erat matertera repudiantem, filiamque subindẽ, uti spuriam à regni successione procul abdicantem, postulante urgenteq; Cæsare sacris interdixerat, iusta quidem sed intempestiua seueritate: quũ ille contumelia perturbatus ab authoritate Romani Pontificis repẽtè discesserit, sacrorum imperium & templorum opes inuaserit, ac demũ Roffensem cardinalem, & Morum, multosque item sacratos uiros occiderit. Non fefellerat quidem eximiæ alioqui prudentiæ pontificem eius ancipitis iudicij euẽtus: sed Cæsari iusta petenti, prolixeque item pollicenti, nunquã se cum Henrico sine authoritate pontificis in gratiam rediturũ, supremæ potestatis officium diuino iure uel negari uel differri nõ poterat. Itaque exitialis ea simultas, causa commodoq; Cæsaris susceptа, eò recidit, ut Hericus omnem iracundiæ suæ impetum in pontificium nomen uerteret, consumptoque ob id uetere odio, Cæsari iungeretur, repudiata paulo antè Gallorum amicitia, quòd Iacobum Scotiæ regem antiquo ipsis iure fœderatum, asciscumque à Francisco generum, contra Anglos de finibus contendentes adiuuissent. In ea autem contentione quum æquatis cladibus esset dimicatum, Iacobus florenti corporis specie insignis

(ueneno an fato suo incertum) subitò certè correptus interijt, defecitque in eo Stuardæ familiæ generosa progenies, quæ à Roberto rege, eodem nomine quinq; Iacobos reges non intercisa stirpis serie tulerat. Sed occulta & admirabili sorte id regiũ decus singulis maximè funestum fuit: primò scilicet à coniuratis in conclaui trucidato, secundoque demum diffracti tormenti, dum id probaretur, uiolentia discerpto, quum mox tertiũ parricida filius, iusta acie ad Sterlingum occiderit: ut is demum ordine quartus, ab Anglis ad Floddon prælio cæsus fuerit, quintoque filio eadem infaustæ domus damnata regni hęreditas pararetur. Eo mortuo, regnum rege orbatum, ambiguis primò hæredibus, uagiente scilicet in cunis regia prole, ac mox uictoris Henrici arbitrio gubernandum cessit. Scotorum enim proceres, & in his Maxuuellum regulum autoritate insignem, exoptata libertate, multoque insuper auro donatos, eo consilio in Scotiam dimiserat, ut Anglicam factionem excitarent, cuius auspicijs rex nouus, eoq; beneficio Anglis astrictus, qui ad Henrici nutus imperaret, corruptis comitijs crearetur, pulso ante alios Dauide Betonio cardinale, qui Anglis æternis hostibus prodi patriam paucorum flagitio pati non poterat. Is non multo pòst, ut suo loco dicemus, cum Grimano Patriarcha, pontificis legato, qui è Gallia in Scotiam traiecerat, cõmunicatis consilijs Anglicos conatus fregit Gallorum ope, & fortisimarum gentium auxilijs reductus, quæ priscæ uirtutis ac innocentiæ decus tuentes, Picti olim dicti, hodie Syluestres appellantur. Is Scoticarum rerum tumultus Henrico, cur à Gallis discederet, non inanem causam præbuit, parauitq; inexpectatã occasionem Cęsari, qua recentis inimici opibus fretus antiquos hostes Gallos persequeretur. Itaq; Cæsar, cum Britanno ictis fœderibus, & ad gerendum bellum tempore cõstituto, Hispania excedere, ac in Italiam ut in Belgas properaret, adnauigare cõstituit: ante omnia Philippum filium sextumdecimum ætatis agentem annum, Hispaniæ regem appellat, ei totius regni ciuitates per legatos sacramentum dicunt, deligitur ipse Franciscus Couos, qui adolescentis ætatem regat, & negociorum omnium summæ præsit: Ferdinandus uerò Toletanus Albanus regulus militaribus copijs præficitur. Peractis autẽ conuentib. in quibus multa Cæsar, supplicibus libellis subscribendo indulgendoq; liberaliter concesserat, supra quadraginta myriades aureorum nummûm conferuntur, rexq; Lusitaniæ Ioannes grandi pecunia Cæsaris tantos ex futuro bello sumptus subleuat. Erant enim uno tempore conscribendę cohortes, quæ secum nauigarent, & quæ præstò essent, ut eas Martinus Corduba, Alcaudetus regulus aduersus rebellantes Tremisenios in Mauritaniam transportaret. Postremò quę per Oceanum, in Belgas ad Gallicum bellum ducerentur, earum numerus duodecim millium Hispanici generis peditum summã implebat. Germani uerò ab Genua superiore autũno ad Perpennianum transuecti, Hispanię præsidio relinquebãtur. His administratis, & cõfectis rebus Cæsar Auriæ perscripsit, ut rostratas naues ad idus Apriles Barcinonem adduceret, ut quum onerarijs equitatus esset impositus, expeditè cõscensuro nulla omnino mora ad nauigãdum afferretur. Non defuere pleriq; proceres, qui eo discessu Cęsaris, uti minimè redituri, non obscurè gauderent, quòd sub nimis magno principe, imminuta licẽtia seipsis minores facti uiderentur. Mos enim erat Hispanię regibus eos indulgenter obseruare, à quibus coli quã metui mallent. Ita fiebat, ut nobili pudore potius quàm terrore regiæ potestatis adducti imperijs & legibus parerent, quum incidente bello, rogati humaniter liberali studio grauique sumptu operam nauare consuessent. Elata enim generosaque ingenia certam fidem præstant, nec ab æquitate discedunt: at si contempseris, facilè coniurant. Propterea Cæsar Padillianæ rebellionis tantique tum popularis periculi memor, liberas quorundam uoces indignas regijs auribus, famososque item libellos, & atrox Mendocij Infantasiorum reguli facinus, mira prudentia deuorarat, ut Philippo conciliata tranquillaq; omnia traderetur. Mendocius enim, quod ad exemplum memoriæ prodendum uidetur, in ipso ludorum equestrium spectaculo præfectum rerum capitalium, sceptro turbam superbè dimouentem, quòd nec sibi parceret, discissa gladio facie uiolarat. Is conspectus cruor proiecti ad pedes, ac iniuriam deplorantis usque adeò Cæsarem commouit, ut quũ in reum lege acturus uideretur, uniuersi Hispani proceres spectaculo, ac ipso denique Cæsare deserto, ad Mendocij domum accurrerent, uel contra prætorianos, si uis afferretur, ianuam defensuri. Sed Cæsar graui iudicio totum iustæ uindictæ impetum ad dissimulationẽ reuocauit. Hispania enim eo tempore, quanquam non infida Cæsari, aliena tamen ab eius consilijs, quibus bella ex bellis serebantur, uideri poterat: quòd perpetuis pecuniæ collationibus uarijsque delectibus per tot annos grauissimè fatigata, magnum incommodum publicè sentiret: tanta siquidem uis auri contra legem, commeantibus præsertim Ligusticis triremibus fuerat exportata, ut illa grata oculis, Ferdinandi ac Isabellæ aurea numismata, nusquam comparerent.

SVPPLEMENTI
LIBER XXVI.

MAgnus, & nunquam antea grauior orientis undiq; belli metus, usq; adeò desperata pace, Europam inuaserat, ut nemo esset, qui non maximè timendum putaret, ne Solymano classicum canente, concursuris inter se uesano impetu nostris regibus, humana diuinaque omnia miscerentur. Conspecta quoque naturæ prodigia, quæ non temerè maioris semper mali prænuncia creduntur, multorum mentes nouæ cladis expectatione suspenderant. Rubentes enim locustæ, satorum dira pernicies, stupendis agminibus ab oriente per Illyricum in Italiam conuolarãt, quo itinere Turcarum aduentus portendi uideretur. Tanta autem famelicis erodendi rabies inerat, ut præter absumptas segetes, prata quoque uel rigua uiriditate graminis, & magnas frondosasque arbores, ocysimè toto foliorum honore spoliarẽt. Tremuerat etiam in Etruria, iuxta Florentiam, Mugellus ager, in radicibus Apœnini, quà Seua fluuius decurrit, cultura, amœnitate, frequentia nulli secundus. Ea subita clade, quæ noctu circa solstitium incidit, Scarpariam oppidum totum ferè prostratum, aut magnis deformatum hiatibus uidimus: quum septingentæ nobiles aut rusticanæ domus in eo tractu centum stadiorum oppressis multis mortalibus miserabili ruina corruissent. Læto tamen Cosmi principis augurio, quum tot ędificijs circumquaque laceratis & haustis, una ipsius Trebia uilla stupente populo illæsa cõstiterit. Qua de causa Paulus põtifex cognito Cęsaris decreto, ac exploratis Solymani cõsilijs post indictas supplicationes urbe profectus Bononiã iter extẽdit, uel niuoso ueris initio, atq; eo maximè senibus maligno. Maturata siquidẽ profectione Cæsaris aduentũ præoccupare, atq; itẽ Tridẽtinis actionib. si frequẽtes episcopi undiq; cõuenissent, ex propinquo uẽturi famã prębere cupie-
bat

bat: sed arcani consilij alię grauiores causæ suberãt; quum Mediolanensis imperij dominatum affectaret: quòd præsenti pecunia comparari posse uideretur, ab egente Cæsare, & ad Belgicum bellum properante. Quo suscepto itinere ita Romanorum obtestationes, detrimenta uectigalium, propinquorũ preces, & quorundam senatorum incommoda contempsit, ne suo peculiari officio deesset, ut alterutro euentu certam laudem petere crederetur, quũ propositus esset amplissimus laborũ fructus, si ipso pacificatore atque auspice reges ad concordiã rediret. Discedente pontifice, Rodulfus Pius Carpensis, Romæ legatus, eximiæ uirtutis atque prudentiæ cardinalis, urbanarum rerum curam suscepit. Alexandro autem Vitellio, qui præsidijs bellicisque operibus præerat, Leoninę urbis muro cingendæ munus impositum, ut postquam Roma ad orientem solem uasta intus & antiquis utiq; mœnibus à frequentia ędium remotis, rectè cõmuniri non poterat, uel paruis copijs defendi certum saltem, & temporarium ad salutem perfugium in repẽtino periculo per Ælium pontem ad Vaticanas ędes populo pararetur. Id opus insigni iudicio sumptuque Nicolaus Quintus, inter optimos pontifices literarum amore per illustris inchoarat. Eisdẽ fermè diebus quibus pontifex Roma discedere maturabat, Polinus Gallię regis legatus hyemantem Hadrianopoli Solymanũ, appetenteque uere in Pannoniam graue bellum parantem secutus, accuratis precibus impetrauit, ut Ottomannica classis Hariadeno Barbarussa præfecto Massiliã mitteretur, quæ inimicis litoribus infesta distraheret opes Cęsaris, ualida belli mole Galliæ finibus incumbentis, interclusoque Tyrrheno mari insularum ac Hispaniæ nauigationes impediret. Ea res multis purpuratorum deliberationibus agitata graues difficultates habuerat, contradicẽte præsertim obtestanteque eodem Solymano eunucho, qui post Lustibeium, uxoris iurgio dignitate exutum, Bassarum ordinis princeps euaserat, ualebatque ingenio & ingenti authoritate, Indicis Parthicisque bellis quæsita: is non obscurè oderat Barbarussam. Nec defuere qui eum à Cæsarianis, & Venetis pecunia inductum putarent: nam postea literas à Ferdinãdo Gonzaga, Siciliæ præfecto, sibi scriptas Polino tradidit, quibus ille per idoneum hominem Hispanum promissis muneribus petebat, ut eius ingenio solertiq; opera Solymanus cum Carolo Cæsare honestis amicitiæ legibus iungeretur: & ipse quoque Barbarussa quatuor aureorum nummûm myriades ab Hieronymo Zanio legato Veneto sibi oblatas iactanter retulit, si ea æstate minimè nauigaret. Itaque Polinus, qui inter tot curarum ęstus, desperata classe animum desponderat, nuncio decretæ classis exhilaratus Solymano gratias egit. Is enim, auditis & graui iudicio repudiatis suorum sententijs, datam fidem præstare suę dignitatis esse statuebat, uel cum discrimine tantæ rei, cuius iacturam uel immensum auri põdus minimè resarciret. Biduo pòst Rostanes gener, ac ipse demum eunuchus, quòd ita cordi erat Solymano, Polinum honoris causa solennibus epulis exceperunt, amicitiam & gratiam eo classis munere benignè adauctã gratulantes. Polino demum dono datæ sunt preciosæ ex auro textili talares togæ, bini quoque insignes equi eximiè phalerati, & pocula aliquot argentea: dignioribus uerò ex eius comitatu sericæ uestes impositæ. Discessuro autem Solymanus, classem ut incolumẽ præstaret atq; reduceret magnopere commendauit, eique literas in eandem sententiam ad Franciscum regem deferẽdas dedit. At Polinus, extemplò Byzãtium reuersus, classem ab Hariadeno egregiè refectam instructamque remigibus reperit, tanta adhibita celeritate, ut ad quartum calendas Maias conscenderint: petita primò Eubœa ad Caristium promontorium, quod hodie Mantelium uocant, ad Maleam cõtenderunt. Superata autem Malea, tota classis, reflantibus Etesijs, in Laconicum sinum coniecta, Matapanum caput, quod Tenarum antiquis erat, superare non potuit. His aduersis uentis allata mora est nouem dierum, sed secunda demum tempestate Hariadenus Methonem adijt, atque inde cum classe centum & decem triremium, biremium uerò circiter quadraginta, quas prædones adduxerant, Ionium præteruectus ad Messanæ fretum peruenit. Conspecto Rhegio prædones descenderunt, Barbarussa ad idoneam stationem classem promouit. Rhegini deserta urbe profugerant; sed Didacus Gaëtanus arcem tenebat. Is Polino colloquium petenti, quũ nihil responderet, & in subiectis collibus prędones spectaretur, tres Turcas tormentis interfecit. Eo sociorum casu accensi prædones urbem irruperunt, & quòd inanes essent domus incenderunt, ægrè id ferente Polino, & Barbarussa incendiarios ad pœnam à trierarchis deposcẽte: inde quoq; tormenta muralia in aduersum arci tumulum comportata: ea paucis ictibus ita Hispanum, lachrymante uxore, terruerunt, ut se atq; omnia dedẽs muro dimiserit. Ei Barbarussa, orante Polino, uxorique & liberis libertatem concesit: reliquis autem in templo ab iniuria custoditis, arcem militi diripiendã dedit: in his fuere circiter septuaginta Hispani milites, & multò plures Rhegini ciues, qui in seruitutem abducti sunt. Sed demum Didaci filia, eximiæ uenustatis uirgo, in quã senex Barbarus procaces oculos coniecerat, ad prætoriam nauem sic perducta est, ut eam ilicò Mahometanis initiatam sacris legitimæ uxoris loco habuerit, & Didacum patrem aliquot post menses ad portum Herculis inuisentem filiam, tanquam socerum humaniter liberaliterque susceperit. Eisdem fermè diebus circa solstitium, quibus Barbarussa magnæ Græcię, & citra Messanæ fretum Brutiorum oram percurrebat, Carolus Cæsar, aliquot cohortibus, & septingentis circiter equitibus in onerarias naues distributis cum quadraginta triremibus è Barcinone Genuam peruenit. Exceptus est Cęsar ornatissimo Aurianæ domus apparatu, præstoque ei affuere Alfonsus Daualus, & Ferdinandus Gonzaga, ipseq; mox è Florentia Cosmus Medices, ac è Bononia missus à pontifice Petrus Aloysius Farnesius, Octauij Cæsaris generi pater. Hic adolescens diu in Hispania socero comes eadem uectus prætoria naui in Italiam redierat, iturus ad uxorem, quæ Ticinum usq; progressa, patrem & maritũ expectabat. Cæterùm Farnesius qui ea de causa uenerat, ut ad explicanda maximarum rerum consilia, colloquio dies & locus diceretur, ad id prædurum atque difficilem Cæsarem reperiebat. Erat enim tum Cæsar contracto uultu sermoneque factus amarior, quòd Hispanico simul & Belgico lacessitus bello, nullam opem ab affine pontifice, atque eo sæpius ab se amicè ac liberaliter exculto, contra Gallos impetrasset. Propterea nihil sibi in Germaniam properanti colloquio opus esse respondebat, ne reliquum ęstatis tempus, Sicambrico destinatum bello, inutili mora deperiret. In hãc quoque declinandi colloquij sententiam abruptè filiam à Bononia literis acciuerat, ut eam ex itinere apud Ticinum inuiseret, postquam pontificem minimè uisurus esse uideretur. His cognitis pontifex Cæsarem demulcendum ratus, Alexandrum Farnesium cardinalem magnis itineribus Genuam misit, breuiq; eius iuuenis maximè illustri solertiq; ingenio, quum summa quoque ad persuadendum inesset authoritas, Cæsar adductus est, ut ad Buxetum cum pontifice iungeretur (id est oppidum Palauicinę familię inter Cremonam atque Placentiam) sed ea conditione, ut triduo plus colendo audiendoq; pontifici se daturum negaret. Fuere qui existima-

rent

rent, Cæsarem ad id se inuitum trahi uideri uoluisse, ne Britanniæ regem, dudum non obscuro fœdere contra Gallos percusso sibi coniunctum offenderet. Hominem enim ingenio suspicaci eo congressu alienari posse putauerat: quoniam ex diuini iuris censura impietatis crimine damnatus, pontificium nomen immani odio persequeretur. Sed Cæsari arma paranti cogenda in primis erat ingens pecunia, quæ expectari posset à pontifice, si Octauius gener, ut fama ferebat, Mediolani princeps augusta authoritate crearetur: ea res uideri poterat decora Cęsari, honesta pōtifici, & Venetis longè gratissima, quòd ille sese, eo liberali facto, affectatæ summæ potentiæ inuidia liberaret, filiamque obiter tanto dotali munere supra Alexandri Medicis titulos ornatam, beatiorē efficeret: hic uerò singulari cum laude exoptatam afflictis gentibus pacem pararet, ut inde expedita arma Turcis inferrentur, & Veneti Neapolitano fœderi sincerè satisfactum esse iudicarēt: quum in conditionibus prolixè cauissent, ne quisquā Austriani sanguinis Mediolani princeps à Cæsare diceretur. Apparebat quoque Franciscum Galliæ regem, qui pari iudicio Sfortiā Mediolani principem tulisset, ac eum denique à Cæsaris iniuria magnis opibus defendisset, haud grauatè expectationi Veneti senatus, & uoto pōtificis assensurum. Verùm tantæ rei negocium magnas ad explicandum difficultates includebat: quòd præalto consilio Cæsar, si transigendum foret, suis omnino prȩsidijs munitas arces tueri uellet, ne ipsi pontifici, pari solertia rationes subducenti, expedire pecuniam placeret, nisi omnino libera atque integra ditionis possessio ne potiretur: nec aliter quoq; Venetus senatus Octauij tutelam esset suscepturus. Huic consilio unus omnium Alfonsus Daualus uehementer incumbebat, quum diuersi Gonzaga atque Auria grauissimè dissentirent. Sed Cęsar uetere suo innixus consilio, ne Mediolano unquam excederet, in itinere cum Cosmo de redimendis arcibus opportunè transegit, ita ut supra ducēta millia aureorum nummûm in bellicos sumptus soluerentur, Florentinæ quoq; arcis, ac item eius quæ est ad Liburnum præsidia, nutu ac sacramento Cæsaris tenerentur. His de causis pontifex, cùm personæ, tum reipublicę dignitatem domesticis commodis anteferre nō dubio pudore coactus, priuati eius consilij cogitationes penitus abiecit, in eamque unam omnino curam totus incubuit, ut Cæsar, repræsentato Ferdinandi fratris periculo, & propositis æquissimis de pace conditionibus, ab instituto bello contra Solymanum uerteretur. Pontifex prior Buxetum uenit. Postero autem die, occursu totius aulæ Cæsar exceptus est, complectente demum pontifice, & honoris causa supra medium conclaue summa arcis cœnacula tanto hospiti concedente, ita ut bina cohortium & equitum præsidia, sub signis pari propè numero, parique uigilia, arcis ac oppidi portas æquata securitate custodirent. Cæterùm Paulus uel tridui colloquio, quanquam singulari memoria summaq; prudentia, & pietate ea sedulò commemorasset, quæ graui momento ad impetrandam pacem pertinerent, prædurum inueteratoq; odio à Gallorum amicitia penitus abhorrentem expugnare non potuit. Itaq; pontifex postulauit, ut postquam ipse hortando nihil profecisset, senatores cardinales de concordia reipublicæ Christianæ commodo disertè uerba facturos audire minimè grauaretur. Pertinere enim plurimum ad eleuandam, uel parùm æqui, uel omnino pertinacis animi opinionem, si in senatu libera uoce proferret cur à communi concordia dissentiret. Id uerò Cęsar honori senatus facilè tribuit: nec multo pòst uocatis cardinalibus, Marinus Grimanus eius ordinis princeps, ita locutus est: Nisi longè maximum, quod reipublicæ diuturnis affectæ ma-

A lis discrimen imminet, Auguste Cęsar, omnium animos uehementissimè commoueret, rem profectò toties actitatā, rursus agere maximè absurdum putassemus. Sic enim hic frequens senatus, cùm pristinæ tuæ constantiæ, tum modestiæ suæ meminit, ut priuatis colloquijs uigilantissimi atq; optimi pontificis officio grauissimè satisfactum intelligat. Sed dirus hostis in limine crudelia arma concutit, mareque Ionium magnis eius classibus constratum esse nunciatur, & tu tanta animi magnitudine, tātis opibus, & tanta denique fortuna summus imperator, neglecta Pannonia, deserto fratre, Italiæ, Siciliæq; litoribus Barbaro penè proditis, auersus in Belgas contendis: scilicet ut quum ignobili uindictæ studio rebellantem regulum debellaris, peruersæ laudis famam quæras: quasi, rectissima & perillustris laus aliunde, quàm à confecta pace, susceptoque sacro bello petenda uideatur. Æquo igitur animo tu leris, Auguste, si decreti tui nouitatem non insulsi homines admirantur: nam quum in periculo publica sit salus, occultas consilij tui rationes excutiunt, omitti uictoriam, parari cladem, religionem altius reuelli maximè dolent, agnatasq; Cęsaribus, & tibi proprias uirtutes requirunt: ueræ scilicet gloriæ cupiditatē, dedecoris metum, & præsentis animi pietatem: quarum rerum, quum tibi esses omnino persimilis, præclara, nō uno in loco, & quidem imitanda posteris documenta reliquisti. Sed in te una maximè pietas refulsit erga Deum diuosque immortales, qui te hac incedentem uia, & ritè uota nuncupātem nusquam fefellerunt. Nosti enim quanta euentus felicitate responderint, quum in Pannonia Solymanum tantarum uirium tumentem fastu, solo propè castrorum tuorum fremitu profligasti, Barbarussamq; acie deuictum ac exutum regno, terra Africa depulisti. At illi tibi demum ad intestina bel- B la, si non iniquè, importunè tamen conuerso, minus arriserunt, scilicet, ut salutem tuam, non uictoriam sibi curæ esse ostenderent, & præclarè monerent, ut à Christiano sanguine temperares. Redijsti siquidē è Prouincia incolumis, quum tertia ferè pars exercitus non hostili gládio, sed tabe consumpta perierit: uerùm aliquanto certius deorum numen apparuit, quum è Germania, Solymano ad occupādum Budam aduentante, in Africam traijcere properasti, quum à te supplex frater opem imploraret, retētarent Germaniæ proceres, mœstique Hungari tuo discessu se proditos quererentur: traiecisti scilicet durissimo anni tempore, ut cuncta terræ marisque pericula, ad exiguam, nec satis nomini tuo decorā uictorię spem subires: neque enim, & Eunuchus, & seruus Asanagas cum ipso nobilissimo imperatore hoste tum prȩsertim Christiana terga immaniter cędente, uideri poterat comparandus. Sed te, nosque tecum omnes, capitis tui aleam subituros, dij superi præclara miseratione conseruarunt, usque adeò clemēter, ut tibi in eo calamitatum omniū concursu, incōparabile trophæum de deuicta fortuna concesserint. Ergo si tam grata, quàm pia mēte, deorum beneficio cōmoueris, te ipsum hodie profectò uinces, quod certè magis pulchrum decorumque fuerit, quàm fortunam rerum omnium dominam admirabili cōstantia superasse. Hæc quidem agnoscis, Cæsar, & quæ tua iudicij atque memoriæ uis est, ad gloriam tuam, & seculi felicitatem pertinere confiteris: sed cum Gallo nunquam stabilem amicitiam, nunquam securam pacem parari posse contendis, quòd tibi ea gens è summis regni opibus facilè infrenis, alienæ ditionis appetens, noua spe, noua libidine semper inquieta uideatur. Hæc certè suspicantem à communi concordia auertunt, auertentq; semper. Nulla enim grauior pestis humano ingenio insidet, quàm altè concepta suspicio. Ea enim quū temerè semel irrepserit, ægerrimè uel maximè

illustri ratione conuellitur. Noli, generose, pieq; Cæsar, ullo modo pati, ut in te uel minima suspicacis ingenij nota residet. Patere autem si quid prædurum in intimis sensibus obcalluit, ut id totum Christiana pietate molliatur. Honestissimis siquidē nominique maximè decoris conditionibus, quas prudentium & reipublicę amantissimorum hominum iudicio descriptas dudum perlegisti, rex Gallorum pacē petit, affinitatē, opes, copias offert, occupata restituit, ut Mediolano tua liberalitate, beneficiarijq; iuris nomine recuperato, communem hostem Barbarum, coniunctis armis persequatur. Vt nihil porrò, uel occultæ fraudis, uel parùm sinceræ fidei pertimeas, qui nihil unquam inuicti animi fretus altitudine timere didicisti: cuncti ferè principes, inita societate fœderum spōnsores, uadesque aderunt, ut iustis armis sanctas pacis leges, iuraque omnia tueantur. Hanc à te pacis conditionem ante alios orat & exigit Carolus Allobrogum regulus, innocentia tantum sua depulsus regno, & quod longè miserrimū uidetur, per septem annos ancipiti duorum propinquorū iniuria fatigatus. Hanc item Veneti, tanquam ex fœdere debitam, reposcunt. Eandē regna tua, perpetuis tributis eneruata, tuorumq; præsertim, ac hostium rapinis crudelissimè diuexata, suppliciter efflagitant. Valeant aliquid, obsecro Cæsar, fraterna pericula. Hungarorum supplicantium lachrymę, senatus preces. Valeat ipsa sacrosancti pontificis authoritas, pijs atq; optimis nūquam spreta regibus, ut Christianus orbis, luctu, miserijs, & Barbarorum metu liberatus, post impetratā tuo incomparabili munere pacem atq; concordiam fecundissimè reflorescat. Ad ea Cæsar, ut à uetere consilio discederet, nihil omnino, uel amplissimi uiri facundia, quæ in Grimano summa cēlebatur, uel eius sacrati ordinis dignitate permotus, grauiter respondit. Nihil à se in toto uitæ cursu uel ad gloriam, uel B amplitudinem comparandam publica pace commodius & melius concupisse, quàm ut exoptata seculi securitas, cum trāquillitate rerum omnium pararetur, nihilque demum antiquius habuisse, quàm pace potiri, ut inde aduersus Barbaros arma distringeret, cuius uoti ac instituti sui præclara exempla, in Pannonia, Græcia, Illyrico, & tota denique Africa rebus gestis ostenderit: sed lacessitum Gallorum iniurijs, retractumque à nobili incœpto bella conficere nequisse. Nemini enim tutam pacem, utiliorem, chariorem q; uideri, quàm ei ad quem iure optimo ex sacri belli uictoria, cùm speciosissimi spes triumphi, tum inusitatæ laudis prouentus obueniret: sed Gallos semper noua odia ex antiquis simultatibus ferentes, ipsius semper, maiorumque suorum obtrectasse laudibus, ac potentiæ, amplitudini, & legitimis regnorum hæreditatibus inuidisse, id præclarè perspectum esse planeque cognitum imperatorijs comitijs, quibus multo auro suffragia præuertere conati sunt. Postremò ab ipsis cōcitatos Menapios atque Sicambros, ut Brabantiorum regionem inuaderent, euocatumque Solymanum, ut Austrianę domui quàm maximè noceretur. Ab his autem obiectati sibi inducias Rinconis atq; Fregosij cæde uiolatas, cuius patrati facinoris ipse prorsus fuerit ignarus, & pœnam denique Georgio patruo pecunia redempto nuper exoluerit. Proinde nunquam se ad animum concordiæ mentionem admissurum, nisi Belgarum suorum iniurias de rebellibus incendiarijsque latronibus uindicaret. Id enim dignum uideri Cæsaris maiestate, omnia belli detrimenta æquo animo perferre, sed nullam dignitatis pati contumeliam. Sibi autem, & summi pontificis, & totius denique senatus gratiam, honori ac emolumēto esse debere, non detrimento atq; dedecori: quid enim in re sua potius quàm aliena sapienti, & satis superque Gallorum fidem experto, absurdius atq;

A dementius, quàm iniqua pacis conditione, Cisalpinæ Galliæ imperio spoliari, ut Francisci regis minori filio, Britanniæ citerioris hæreditate penitus excluso, nouum ex alieno patrimonium paretur, quo demum Gallicæ augeātur uires in Italia, & suæ protinus minuantur? Ea quoque insana aut certè præpostera liberalitate, liberas nauigationum, ac itinerum sibi eripi facultates, quum repetere Hispaniam & Germaniam inuisere singulis propè annis necesse foret. Malle sé Augustæ dignitatis penitus obliuisci, & acclamatum Cæsaris nomen ultrò deponere, quàm indignāter pati, ut terra marique portus, hospitia, transitus, à dubijs uel ingratis clientibus impetranda uideātur. Postremò Cęsar sensim exardente facundia, eadem ferè commemorauit, quæ superioribus annis, cùm Romę, tum Nicææ etiam & Lucæ expetentibus pacē responderat, quum eam causam disertè atque accuratè perorasset. Ita uerò flagranti animo in Cleuensem iracundiam intenderat, ut Solymani impetum facilè contemneret, neque multum fratris periculo commoueretur. Cæterùm pontifex, quanquam conciliandæ pacis consilio deiectus, Ferdinandi tamen regis pericula, reipublicæ pariter ac amicitiæ causa se minimè neglecturum Cæsari confirmauit. Nec multo pòst, Baptistam Sabellum prætorij præfectum, & Iulium Vrsinum cum triginta cohortibus tuendo Norico ad Pannonię fines transmisit. Quinque diebus eo colloquio frustra consumptis, & Cæsare in Germaniā contendente, pontifex pari digressu Bononiam est reuersus, ut festum diem, Petro Apostolorum principi dicatum, solēni ceremonia celebraret: quo die Barbarussa à Pontijs insulis ad Tarracinensium litora delatus, Ostiam peruenit, tanto terrore hominum ab ora in montes refugientiū, ut populus Romanus subito metu cōcitatus in fugam, urbem om- B nino deserturus esse uideretur, nisi à Polino literæ ad Rodulphum legatum conscriptæ, perlatæq; Romam per Tarracinensium prętorem tumultum magna ex parte compressissent. In hanc enim sententiam ille perscripserat: Classis, quæ à Solymano ad præsidium Galliæ Barbarussa præfecto mittitur, ex præscripto mihi paret, ut nemini, præterquam hostibus nostris noceat: itaque edicito Romanis, cæterisque pontificiæ ditionis oram incolentibus, ut nihil hostile à nobis timeant. Nusquam enim fidem ab eorum imperatore mihi præclarè datam, Turcæ uiolabūt: & uos pro comperto habetis Franciscum Galliæ regem nihil habere antiquius, quàm ut rem Romanam non incolumem modò, sed maximè florentem, ac ideo ab omni impiorum iniuria defensam uelit. Eadem quoque usus diligentia Polinus Neptunianis ac Ostiensibus adeò animos confirmauit, ut expetentibus Turcis uenale pecus, & reliqui commeatus copiam adducerēt, & ex nauigijs Campano uenali uino onustis, quum ea in portu hæsissent, trierarchis aliquot amphoræ, in usum seruorum remigum præsenti pecunia uenderentur: acciditque ut nonnulli quaternis arietibus, aut binis iuuencis singulos ex Brutijs captiuos à prædonibus impetrarent. Sed ciuitas nocturno præsertim metu consternata, uel ipso legato ex aliena promissione propriam obstringente fidem, & uultu interrito animi securitatem in eo periculo præferente, ut quicquam de salute publica Barbaris crederet, adduci nō poterat: quanquam & P. Antonius prætor, cum præfecto uigilum, multis accensis funalibus ad coërcendam fugam, per omnes regiones discurreret, passimque abire classem nemini infestam, & nihil propterea metuendam pronunciando, timore in fugam præcipites retentare conaretur. In Sabinum enim agrum & Tiburtinum trepidę mulieres cum paruis liberis effundebantur: eratque eius nocturni tumultus facies, sicuti mox decedente periculo

ridenda iuuentuti, ita tum omnibus fœda & miserabilis, quum matronæ, nubilesque puellę, & sacratæ quoque uirgines è claustris in publicum se proriperent, oblitæ pudoris, ab obuio quoque in tenebris, ut ad proximas portas iter monstraret, lumenque præferret luctuosis uocibus exorantes. Barbarussa autem ad ostium Tiberis aquationem longè optimam nactus, triduo pòst inde discesit, Etrurię que oram atque Liguriæ fine maleficio præteruectus, Massiliam recta contendit. Eodem quoq; tempore & ipse Solymanus ab initio maturandum sibi ratus, ne ultra Budam prouecto, ætatis tempus ex natura Pannonij cœli in pluuias autumnales prę ceps, in cursu gerendarum rerum deficeret. Itaque Sauo flumine ponte traiecto, Amurathem Dalmatam, Persamque Vlamanem, ad expugnandum Valponium præmittit, hos quoque Achomatem Europei equitatus magistrum subsequi iubet. Erat id oppidum ad Draui fluminis ripam positum, non longè ab Exechio, fœda Austriani exercitus fuga, & Bachithij Pauli, Ludouiciq; Lodronij fortissimorum ducum cæde, percelebre. Tuebatur autem locum præsidio ex clientibus impositio, Petri Pereni uxor, eadem & Alexij Tursonis soror, quæ marito ab rege custodiæ tradito, uirilem animum induerat: sed defensores, quanquam egregiè munitum erat, uim Turcarum non tulerunt. Amurathes enim Hungaros omnes in deditionem clementi cõsilio accepit, seruauitque, ut qui agros colerent, proposita libertate in prouincia relinquerentur. Inde uerò ad Soclos Perennianę etiam ditionis oppidum exercitus ductus, ubi aliquandiu & quidem acerrimè, inuadẽtibus Turcis repugnatum est, quòd nobiles Hungari, uti erant ueri Turcarum hostes, multitudinem incolarum ad perferendos labores, contemnendaque pericula cohortando, ante alios fortissimè Turcarum audaciam propulsarent: sed ubi multis acceptis uulneribus, territaque & recedente à muro Soclensium turba, irrumpentium hostium impetus sustineri non potuit, in arcem confugerunt, ut inde Valponiensium exemplo, facta deditione salutem ac libertatem impetrarẽt: sed his iratus Amurathes, nulla pactione, sed arbitrio se dedentes egredi passurum respondit: atque ita exeũtes porta ad unum omnes interfecit, ut ea crudelitate reliqui, qui spẽ in armis potius, quàm in Solymani clementia reponerent, collata utriusque oppidi fortuna terrerentur. His cognitis rebus Solymanus capta oppida Amurathi dono dedit, & paratis exploratisque rebus omnibus, è Buda cum uniuerso terrestri nauali que exercitu ad expugnandum Strigonium contendit. Erant in præsidio Liscanus Hispanus, arcis custos, senioris Liscani propinquus, qui ad Cassouiũ, uti suprà docuimus, ob ereptas fruges ab agrestibus fuit interfectus, uir cogendo auro aptior, quàm bellicis muneribus obeũdis. In urbem autem missus ab rege, Salamanca pariter Hispanus, non admodum peritus belli, & ante periculũ uanissimus hostium contemptor. Is præter paucos Hispanos, Italicas cohortes duas effecerat ex his militibus, qui Medice præfecto classis, Alexandroque Vitellio in Italiam redeuntibus, in Pannonia remanserant, Alexij Nardoi & Vicentij Matricij signa sequentes. Ad hos accesserant uexilla duo Germanorum, quorum duces erant Tristanus Fortaler, & Franciscus Munechius, qui militum omnium numerus mille & trecentorum summam efficiebat. Paulus autem Strigoniensis antistes, præclaræ erga Ferdinandum fidei, in pacatam regionẽ abierat, quòd desperata uenia à Solymano certum cruciatũ expectaret, quòd eo deprecatore in gratiam Ioannis regis semel restitutus, iterum ad Ferdinandum defecisset. Strigoniũ in prealta ripa arcem habet, indeq; Danubium subterlabentem latè prospicit: ex aduerso æditum habet collem, qui portę urbis imminet: mœnibus autem extantia propugnacula desunt, per quæ emissis tormentis subeuntium hostium latera feriũtur. Is structuræ mos antiquis erat, quum nondum reperto bombardarum artificio, arietibus & balistis ingentibus, & turribus ligneis urbes caperentur. Propterea Vitellius & Torniellus superiore anno ad inspiciendam loci munitionumq; naturam à rege missi, ægerrimè defendi urbem à maximis præsertim copijs oppugnatam retulerant: quòd ab eo colle tormentis statuendis à Barbaris occupato, cuncta introrsus supernè conspecta ferirentur: & ea esset natura mœnium, ut quàto propius hostes succederent, tanto tutius protecti ab imo subruere mu rum possent: quibus difficultatibus, ueteres peritique milites, qui Strigonij præsertim hybernarant, nouis operibus occurrebant, & Solymani aduentũ expectabant. Sed ubi Barbarus hostis undique promotis castris latè campos collesq; omnes erectis tabernaculis occupauit, classemque pariter ornatissimâ aduerso flumine subeuntem prospectãtibus ostendit, nemo erat qui non magnopere de salute dubitaret: quòd pauci, quãquam eximia uirtute, cum numerosissimis hostibus, atque his pertinaci admodum deuoti animi proposito mortem petentibus, pugnaturi uiderentur. Adauxit quoque metum legatorum aduentus: Solymanus enim tres prætorianos è gente Christiana iampridem ad Mahometis sacra traductos, Italum scilicet, & Hispanum, atque Germanum, cum præsidium ex his constare didicisset, ad urbem miserat, ut quisque sine interprete suæ nationis homines alloqueretur. Hi namque ad missi peramplа præmia atque stipendia se dedentibus ita promiserant, ut quum prolata constitutaque iam essent tormenta, abnuentibus extrema supplicia denunciarent. Ad ea quum à signiferis præclara uoce responderetur, milites fide uirtuteque præstantes, neque præmijs turpiter capi, neque minis acignominia terreri solitos, extremas spes in armis habituros, Turcæ in castra redierunt, eodemq; die tormenta in collem imminentem urbi summa celeritate subuecta sunt, & detectæ toto ambitu ad oppugnandum infirmiores mœnium partes, tanto quidem Barbarorum iudicio, ut neque peritius, neque opportunius quicquam ad nocendum excogitari potuerit, uel ab his, qui cuncta interius diligenter explorassent: ita ut credi par sit, non fortunam modò Christianis hominibus, sed fidem quoq; aduersus Barbaros omnino defuisse. Salamanca diffisus suburbanis munitionibus, secus ac antea iactanter nequaquam se deserturum prędicarat, in urbem se recepit, quæ hodie Castelli nomen habet: superioribus enim hybernis exteriores Strigonij partes antiquitus muro cinctas, usqueadeò milites nauales que socij deformarant, ut sublatis ad usum ignis tabulatis & contignationibus, semicadentia tecta spectarentur: ea frequenti tractu per decliuia ad flumen usq; pertinebant, ubi tabernæ & nobiles quoque domus à fortunatis Hungarorum regibus extructæ uisebantur. Cæterùm Achomates, Europei equitatus magister, eam ad oppugnandum muri partem accepit, quæ episcopalibus hortis annectitur. Valamani autem Persæ data est quassanda subruendaque ea turris, quæ portæ Budanæ imminet. Is enim ingenio solerti, horumque operum maximè perito ea merita laude famam apud milites fuerat consecutus, quum in expugnatione Castrinoui ad signum Rizonicum cum Barbarussa, admirabilis artifex extitisset. Asappi ad opus faciundum idonei, gregatim à singulis ducibus ad perducendas fossas, attollendosque aggeres ducebantur. Incredibile dictu est, quanta ui tormenta displodi cœpta sint: continenti namq; ordine nusquam cessabatur, & erant colubrinę ingentis magnitudinis, quarum

rum ictibus non modò superiora mœnium decussis pinnis nudabantur, sed turris ipsa, deraso iam fastigio quassata inferius ac immanibus pilis perforata, nequaquam defensores uel adire uel consistere ausos admittebat, adeò ut proximus extantis coronæ murus omnis cum ingenti fragore prorueret, & terribili continuò terræmotu cuncta quati uiderentur: nec consistendi in muro propugnantibus facultas erat. nam Ianizeri sclopetarij, aut per fossas subter summa obiecti aggeris labra dispositi, aut è superiore loco protecti equitum scutis, quum maiora tormenta cessaret, excitatusque inde fumus subsideret, certissimis ictibus apparentium capita ferebant: & multi interius in statione perseuerantes, incidentibus ab alto sagittis uulnerabantur: sed multò grauiorem cladem fragmenta lapidum nostris inferebant, dum disrupta minutim, dissipataq; tormentis, euitari non possent, illisaque membris militum inutiles redderent quos attigissent. Quibus malis adducti milites, deserta exteriore corona, interiores munitiones celeriter erexerunt, ut minore cum periculo in defensione uersarentur. Nec animus Barbaris defuit, quin audacter subirent: ter enim instaurata pugna magno clamore edito in urbem irrumpere conati, ad cõgressum usque nostrorum peruenerunt: sed densissimæ phalangis frontem prælongis hispidam sarissis, Barbarus hostis leuibus hastis perrumpere non potuit, locoque detrusus multis acceptis uulneribus se recepit. In ea contentione Balraces Selimbriæ, quæ ad Pontum est, nobilis Sanzacus, quum suos ad irrumpendum uehementer urgeret, interfectus est. Subierat ad eam ripam, quam diximus, Turcarum classis, ac omnia quæ ad oppugnationem pertinebant, tormentorũ instrumenta, commeatumque affatim à Buda subuehebat, nostrisque uehementer occupatis, classiarij milites & remiges ad suburbanas domos, tanquam in foro rerum uenalium ociose uersabantur. Id nostri ab arce despectantes, impunè fieri non tulerunt, conglobatisque repentè ex sua quisque cohorte singulis centurijs, Michaël Rauaspurgus Germanus, Nardeusque Italus eruperunt. Tantus fuit eorum impetus, ut Turcę improuiso hostium superuentu perterriti, quũ pars arma capere, pars ad classem cursu se proripere uellet, tumultuosissimo pugnæ fugæque genere, aut intercepti caderent, aut adnatantes rapti flumine mergerentur. Sed qui in classe erant, opportunam planè profligatis opem tulerunt: sagittis enim & glandibus in nostros coniectis, ita incumbentium impetum retardabant, ut iam admotis undique nauigijs, aliquanto quietius, quàm paulo antè & tutius suos exciperent. Periere è Barbaris circiter ducenti, & ipse Zirmar, natione Persa, cuius erat classis imperium. Dum hæc fierẽt, & Barbari stratis mœnibus, effossisque cuniculis quibus turris excinderetur, ualidiore indies impetu expugnandæ urbi uires intenderent, & contrà nostrorum animi cùm multis acceptis incommodis, tum unà maximè auxilij desperatione frangerentur, sen ex Calaber è Crotone, artificio tormentorum assuetus, ad Barbaros transfugit. Eius autem nefarij impijq; facinoris causam prædicabat, quòd plura sibi seni & inopi stipẽdia rex deberet, ac ideo liberalis militiæ dominus, uitato præsenti uitæ periculo, adeundus esse uideretur. Is benignè susceptus à Solymano, interrogatusque diligenter à purpuratis, si urbe Strigonio maturè potiri uellent, Aquariam turrim omnino expugnandam esse perdocebat. Erat ea turris in extrema ripa, sub ipsa arce Strigonij, loco, ædificioque Budanę persimilis, quũ eodem machinationis artificio aquam exorbendo è flumine hausta m uarijs siphonibus in arcem effunderet: ab ea enim Nasadæ subeuntes onustæ commeatu, directis ad aquæ libram tormentis, magno Turcarum incommodo ita petebãtur, ut noctu tantum, & secundum ulteriorem amnis ripam pilarũ uolitantiũ metu solliciti nauigarent. Hanc Habraymus Eunuchus, Asiatici equitatus magister, admotis tormentis expugnandam susceperat: sed irrito conatu cuncta moliebatur, quũ ripæ margines statuendis tormentis perangustæ magnas Turcis afferrent difficultates, & milites præsidio impositi, directis ex aduerso falconibus constantissimè repugnarẽt. Monstrante itaque transfuga insulam in Danubio desertam, quæ contra frontem turri obiecta spectabatur: in eam Vlamanes noctu scaphis traiecit, erectoq; subitario aggere, cõuectisq; eò tormentis, nonnullos ex defensoribus interfecit, nudauitq; eorum latera, ita ut Asiatici, non apparentibus præmetu nostris, murum subire auderent, & scalas expedire properarent. Interea Turcæ è maioribus castris exteriora urbis undiq; maximis tormentis uerberare, prægrandibus uerò globis per ænea mortaria in sublime iactis, ut cum ruina tectis inciderent, interiora deuastare, subterq; magnos cuniculorum specus, sicuti aliàs in expugnanda Rhodo perfecisse docuimus, excauare nõ cessabant: in quibus Barbari, corpore pariter ac animo aduersus omnes belici laboris asperitates indomito, interdiu noctuq; cibum & somnum cum multa nostrorum admiratione capiebant. Accidit autem ut ænea crux inaurata, ob idq; percussa solis radijs latè refulgens, quamaximi templi fastigium ornabatur, assiduo collimantium Barbarorum studio contortis in eam pilis reuulsa atq; deiecta frangeretur: qua cadente Solymanum felicis ictus casum, more gentis ad lætũ augurium facilè uertentem exclamasse ferunt, expugnatum esse Strigonium, postq; signum inani superstitione à Christianis hostibus adoratum, è templo decidisset, neq; id omen pro uano à nostris acceptus est: defessis enim territisq; militibus, quibus nulla gleba saxeo in solo, ad extruendas munitiones suppetebat, Liscanus & Salamanca de rerum exitu timidè deliberantes, & secretò demum inter se collocuti, seruare sese, & deditionẽ facere decreuerunt. Erat Liscanus parum militiæ uersatus, & multo ex continua præda congesto auro prædiues, sic ut sibi planè opulento, pro inani constantiæ laude, Barbarico cædi gladio nimis miserũ putaret. Idem quoq; effugiendi periculi sensus erat in Salamanca, apud quẽ certa salus, & bona peculij labore ac industria castrensi parta, omni uel maximè decora laude potiora ducebantur. Cæterùm eius occulti consilij fama adeò astrictè contineri non potuit, quin ad milites emanaret, quorũ tertia ferè pars aut interierat, aut ægra morbis & uulneribus debilitata decumbebat: una tamen omniũ uox audiebatur, satis adhuc uirium superesse, ut interiora defendi posse minimè desperarẽt. Sed centuriones atq; signiferi, præfectis adulari soliti, si honestis conditionibus à Solymano fides præstaretur, omniũ certissimæ neci, & nihil demum Ferdinando regi profuturæ, deditionẽ præferebant. Nec multo pòst noctu demissus è muro signifer, acceptaq; per interpretẽ fide, Salamancá exciuit, ut is æquiore cõditione de deditione transigeret. Nec mora, occultè exiens ad Achomatẽ cõtendit, admonitis prius Aquariæ turris defensoribus, ut inde ad saluté celeriter in urbem se reciperent: sed eo nuncio territis, & cum tumultu euadentibus nostris, Turcæ intenti, animaduersa fuga protinus irruperunt, interfectis quibusdam, qui tardius elabentes efferendis sarcinis occupati, inhonestè conciderant. At Salamanca ad purpuratos deductus, quum accuratè loquendo multa sibi concedi postulasset, nihil explicatius aut mitius impetrauit, quàm ut maturè se dedentes, cuncta quæ salutem libertatemq; respicerẽt, ex liberalitate clementissimi imperatoris expectarent. Itaq; Hispanus quum

redire uetaretur, Liſcano quæ retulerat perſcribit, monetq́;,ſi ſaluus eſſe uelit, extemplò & maximè liberaliter ſeſe atq; urbem dedat. Acceptis literis, Liſcanus ad milites prodiens, deditionis neceſsitatẽ, & propoſitam ſpem uitæ & libertatis cunctis exponit: nec mora, ambiguo & frementẽ adhuc milite, Halis aperiri ſibi portam, ex deditione in caſtris facta, læto potius quàm feroci uultu poſtulat, eaq́; ſtatim patefacta à Liſcano introducitur, claues q́ue tradũtur. Ianizeri pacato agmine ingreſsi, munitionem, totamq́; muri & aggeris coronam occupant, milites noſtros ſecedere iubent, imberbes ex his ad unum ſecernunt, reliqui haſtas deponere, & ſclopetos in unum aceruum proijcere cogũtur. Nemo eſt omnium qui recuſet, edicto q́; non pareat. Improuiſo namq́; & contra ſpem nimis accelerato prætorianorum introitu terrefacti, ſeipſos demiſsis pudore oculis intuentes, priſtinam animorum ferociã exuerant, nihilq́; niſi ualde fæuum à Barbaris expectabant. Intendit quoq; noſtris pauorem caſus inſolitus, nam quum milites, uti imperatum fuerat, ipſas etiam cum ſclopetis ſulphurei pulueris lagenas in aceruum coniecíſſent, ab accenſo fortè funiculo, excitata repentè flamma, earum rerum cumulum corripuit, uſqueadeò conſternatis ira metuq́; Barbaris, ut non temerè inſidias ueriti, è noſtris nonnullos interfecerint: ſed deprecantibus præfectis, & nihil dolo, ſed caſu factum, oris & manuum geſtu ſignificantibus, ipſoq́; Hali facilè perſuaſo, & celeriter commota claua ſignum dante, Ianizeri à cædibus temperarũt. Tum uerò Halis compreſſo tumultu, apud noſtros per interpretes pronũciari iuſsit, parata fore peramplas ſtipendia, ac honeſta militię loca his omnibus, qui ad Solymanũ tranſire uellent: nec plures quàm ſeptuaginta ex omni natione milites reperti ſunt qui conditionem acciperent. Barbarorũ enim perfidiam timentes, & de uita ſoliciti, abnuen B tibus parari cædem & cruciatus, propter naturę immanitatem exiſtimabant. Hos Halis comiter allocutus, & cum his quos dixímus, delectos impuberes nauigijs deuehi Budam iuſsit, reliquos ab omni defenſos iniuria ad repurgandam arcem, ęquato cum Turcis labore delegauit. At Liſcanus, qui ut aurum ſeruaret, admiſsi flagitij dedecus, ſubſequentemq́; ob id pœnam ac ignominiam contrito pudore neglexerat, aureũ torquem, quo tam auarè, quàm inſolenter Perenus fuerat ſpoliatus, dono dare cogitur, quum illum Halis alioqui per uim erepturus militari comitate, tanquam nouũ apud Turcas cæruicis ornamentum expetiſſet. Eo namque munere Hiſpanus reliquæ ſuæ prædæ periculũ redimi poſſe cogitauit: ſed auaro imbelliq́; fortuna nihil indulſit. nam quum inſignes equos aleret, ut his arce excedens in pacatum eueheretur, ſignatumq́; aurum in ephippijs ſubter puluinos accuratè condidiſſet, ei poſtremò Barbarus equos iam ephippiatos, conditumq́; ſimul intus aurum ridendo ademit, quòd nauigaturo nihil equis opus eſſe diceret. Atque ita duces milites q́ue omnes exuti præſertim galeis atque thoracibus, ac ad naues deducti, traiectiq́; incolumes in ulteriorem Danubij ripam, Poſonium pedibus contenderunt. Ibi autem Salma, iuſſu regis, Liſcanum & Salamancam proditionis accuſatos cuſtodiæ tradidit, & cum his laxiore tamen cuſtodia Matricium, Alexium q́; Nardoum, & Triſtanũ Germanum, ut quomodo deditio cœpta, patrataq́ue eſſet in ipſo de reis iudicio teſtarentur. Occupato Stri ponio, Turcæ ægris noſtris ac uulneratis, qui unà proficiſci nequiuerant, omnia pietatis officia uſq; adeò diligenter præſtiterunt, ut quum recreati demũ dimiſsiq́ue ad Torniellum in Comaram peruenirent, reliqui milites tantam in Barbaris humanitatẽ extitiſſe mirarentur. At Solymanus expiato tẽplo, & uti Budæ fecerat, ad ſacrorum ſuorũ ceremonias A traducto, ſuperis gratias egit, quòd eo præſertim die, quo Baiazetes auus Methonem cepiſſet, Strigonio capto, ſe quoque ſimilis uoti compotem feciſſent. Erat is dies Auguſti menſis decimus, diui Laurentij memoriæ conſecratus. Nec mora, accitis Buda fabris, atque omni propè genere militum ad opus coacto, admirabili ſtructura celeritateq́ue urbẽ reſtituit atque muniuit, tanto quidem ſtudio apparatuq́;, uti in poſterum Chriſtianis recuperandæ urbis ſpem omnẽ adimere uideretur: exprobrata hęc clẽ ſegnitie ac imperitia Germanis & Hungaris, qui per quatuordecim poſſeſſam annos pingui ſemper in ocio munire neſciuiſſent. Nec multo pòſt Solymanus Oſſaino uiro impigro, Strigonij cuſtodiæ præpoſito, emiſsisq́ue ad læuam Tartaris Scythis, qui ad Albam Regalem prædabundi excurrerent, ad expugnandam Tattam, quę olim Theodara fuit, iter intendit. Id oppidum ualde exiguum arcem dixeris, diſtat à Danubio introrſus, contra Comaram, paucis miliaribus Hungaricis, ei Torniellus Hannibalem Taſsium Bononienſem, & Antium Germanum cum octoginta militibus præfecerat. Hi ſiquidẽ ante alios id munus ſibi dari depoſcentes, quòd quæſtui ſimul ac laudi futurum rebantur, omnem uim Turcarum ſe contempturos affirmabant. Sed capto demum Strigonio, & aduentantium hoſtiũ conſpectis caſtris, & Achomate qui præcedebat, ſi uim experirentur, grauiſsimos cruciatus denunciante, quin ſe extemplò dederent, uti uiribus impares & uitæ cupidi, nullam expediendo conſilio moram fecerunt. Exeuntes Solymanus, & ſcripto abeundi fidẽ accepturos, de more fericis ueſtibus donauit, atque omnes dimiſit. Tatta uerò funditus euerſa eſt, uetere Ottomannorum inſtituto, quum raris, ſed ualidis omnino præſidijs partas bello prouincias, minoribus paſsim deletis arcibus, tuendas exiſtiment. Torniellus autem ipſum Hannibalem fruſtra humani iuris æquitatem pro ſalute implorantem, aliquanto ſeuerius atque turbidius, quàm ea ualde lugubris rerum conditio poſtularet, capitali ſupplicio affecit. Eo enim pergraui diſciplinæ exẽplo intelligi edicíque uolebat cunctis, qui muniti loci cuſtodiæ præeſſent, turpiſsimę mortis metu egregiam conſtantiſsimè propugnando mortem minimè fugiendam. Antium porrò, quòd erat Germanus, ad Ferdinandi regis arbitrium reiecit, quum præclarè ſimilem de Liſcano & Salamanca, uti grauiora meritis, ſententiam ferre uideretur. Sed rex ingenio mitis, de Hiſpanis leuiſsimè ſtatuit, & diuturni tantum carceris pœna contentus fuit, quum Antium ad parem cum Taſsio ſupplicij ſortem atroci Tornielli iudicio reliquiſſet. Æquata ſolo Tatta, Solymanus ad expugnandam Albam profectus, circa lacum paruum, aquationi maximè opportunũ poſitis caſtris, non procul ab urbe conſedit. Ea urbs ob id Regalis cognomentum tulit, quòd ibi perantiquo ſolennię gentis ritu noui reges coronentur, ac eodem in templo priſcorum regũ ſepulchra cum rerum geſtarũ titulis uiſantur. Cæterùm Buda, Strigonium & Alba Pannonici regni nobiliſsimæ urbes, paribus ferè interuallis inter ſe diſtantes, trianguli figuram efficiunt, cuius ambitu dimenſiq́; lateribus, miliaria circiter centum includũtur. Albã, reliquas duas alluente Danubio, perpetua palus undiq́; præcingit, ſitu quidem aduerſus hoſtes ualde mirabili, niſi per æſtatem conſumptis hyemalibus aquis, decreſcenteq́; palude foret inſalubris. Ab urbe tres lati, præaltiq́; aggeres (iacentis rotæ radios dixeris) ad extremam circumfuſæ paludis marginem porriguntur. Hi longorũ pontium ſimilitudinem reddũt, habentq́; ſuburbanas domos, & utrinque hortos, intercedente lata regione, qua uiatores in continentẽ deferuntur: ad extremã uerò frontẽ, ubi deſinit palus, ac inde exitus atque aditus in urbem

bem datur, erecti firmi aggeres ſingulas portas cõmuniunt, quas Albani, ſuſpectis tantum belli temporibus, obſerare noctu ſolent. Suburbanæ itaque domus tribus his portis ab hoſtibus ſunt tutæ, quũ interiecta pontibus ſpacia palus latiſsimè inundet, propter cœnoſa uada omnino inacceſſa equiti, præpedientibus q́; iuncis & calamis natandi plurimum importuna. Vrbs autem interior, muro ſatis firmo, & præalta foſſa, quæ paludem excipit, ad circinum præcincta, difficilem habet oppugnationem. Quibus de cauſis aduẽtante Solymano, in eam præmetu, tanquam in arcem longè tutiſsimam, magna hominum, agreſtiumq́; præſertim multitudo præſactis pecoribus confugerat. Albanis præſidio erant uexilla duo Germanorum, & ducenti fermè equites ex eorum numero, qui in cuſtodia à Leonardo Velſio relicti fuerant, quum Albani mutata fide à regina defeciſſent. Ad has quoque copias acceſſerant quingenti Hungari equites, ex his qui infami nomine Vlarones appellantur. Sub id uerò tempus, quo Turcæ Strigonium oppugnabant, Torniellus cum Italicis cohortibus Iauarinum peruenerat: hũc Ferdinandus, de Strigonienſium fortuna ſolicitus, & Albanis quoque rebus uehementer timens, literis ac nuncijs hortabatur, ut tuendæ Albæ munus ſuſciperet: ipſe enim, tum cogendæ pecuniæ intentus, in Bohemia conuentus peragebat. Id ſe alacriter ſuſcepturum pollicebatur Torniellus, ſed graui, uti regijs uidebatur, adiecta conditione: quippe dux uetus, et periculorum caſuum q́; militiæ cautus æſtimator, ea præſidia poſtulabat, quæ opportuna forent capeſſenti iter, ac in primis ituro per infeſta loca Tartarorum incurſionibus, & demum defenſuro urbẽ aduerſus eos hoſtes, qui nunquam irrito conatu cœptis abſceſsiſſent. Hæc omnino erant Germanicæ cohortes quatuor, alaq́; una equitum grauis armaturæ, & tormenta decem, atq; item centum currus, quibus de more apertis in locis caſtra permuniret: B & ante omnia trimeſtrem pecuniam petebat, ne tractu longæ obſidionis, inter tot linguarum milites, uti plerunque accidit, tumultus efflagitatis fruſtra ſtipendijs oriretur. At regij togati homines, quibus ærarij facultates erant pertenues, quoniam pecunia omnis ſuperiore anno à Bohemis contributa, Peſtano bello conſumpta perierat, ante omnia periculum profectionis eleuare, ſitum urbis atque munitionem extollere, incolarũ & militum qui in præſidio eſſent, numerum augere, polliceríque non defuturos diuites Albanos ciues, qui pecuniam conferrent, liberalię; ſtudio milites inter ſe diſtributos priuatim alerent: poſtremò confirmare, teſtariq́; nõ magno diſcrimine ab his inſignẽ gloriam peti, qui clariſsimam urbem omnino defendendam conſeruandã q́; ſuſciperent. Ad ea Torniellus, ut quicquã de ea re ſtatuat, priuſquam ſingula exploret, adduci poſſe negat, mittiturq́; Albam Octauianus Scroſactus Inſuber, qui poſt Peſtanum bellum in Pannonia remanſerat. Is felici uſus profectione reditu q́;, retulit Albam inexpugnabilẽ reddi poſſe, ſi aliqua excogitata, atque ante prouiſa inchoatis operibus adderentur: pleníque imbres inclinante autumno minimè defuturi ad augendam paludem, replendas q́; exteriores foſſas opportunè deciderent. Tantam uerò commeatus, & maioris minoris q́; pecoris copiam è uicinis pagis in urbem eſſe conuectã, ut famem uel tota hyeme minimè timendam putaret: & eam eſſe præſidij ac urbanæ multitudinis alacritatem, ut hoſtes iam planè deſpici uiderẽtur. His cognitis Torniellus nihil temerè de ſe cõſtituit, nec ſibi ullo modo eundum cenſet: mediam tamen conſilij uiam tenet, mittitq́ue Albanis auxilio quatuor præfectos, ante omnes nauandæ operæ cupidos cũ ſingulis cohortibus. Hos cum ala equitum Barcocius ſequitur, apud quem iuſſu regis ſuprema erat A militaris imperij poteſtas. Vbi Albam eſt peruentum, extemplò Solymanus non procul abeſſe nunciatur: itaque Barcocius præfectos centurionesq́ue omnes in concilium uocat, unà etiam conuenit Birrous Albanorum prætor, cum toto ordine decurionum: diſputatur appoſitè atque acriter, an ſuburbana ædificia, quæ diximus, deſerere atque incendere præſtet, quàm tueri, ut tecta Barbaris deſint, & urbs interior paludis circumfuſæ munitione tutiſsima, minore militum labore, minoreq́ue periculo defendatur. Conclamant repentè Albani, nec ſe paſſuros dicunt, ut ſuburbia tot templis & ædificijs magnitudine urbis æquata, euerſis ſubinde multorum ciuium fortunis deleantur. Fauebat Albanis Octauianus, uti cæteris eius urbis ac regionis ſuperiore anno ſæpius exploratæ, uſu peritior: docebatq́ue pari conditione periculi, & urbem & ſuburbia defendi poſſe, quandoquidem pari paludis beneficio muniretur: nec etiam, ſi quid extra pugnantibus ab hoſte durius accideret, defuturus eſſet tutus atque certiſsimus in urbem receptus, quo demum temporis ſpacio, incluſi urbe, ſupremi conſilij deliberationes expedirent. Hæc eo dicente, cuncti conſurgũt, prudentes gnarique militiæ imperitis atque ferocibus parẽt. Eo modo Barcocius, nouæ uel ſimulatæ ſpei plenus, & repentè factus alacer, ad milites egreditur, cur ſuburbia defendenda cenſuerint, edocet, ac hortatur, ut parem decoro cõſilio uirtutis operam præſtare uelint: ipſum autem enixè curaturum, ut opportunè parentur, quæ ad uictoriam pertineant, & fortiſsimè propugnantibus ſupra perennem facti laudem, & triplicis ſtipendij prouentum, honeſta manſuraq́ue ipſis ac poſteris præmia perſoluantur. Hæc læto oré prædicabat, ut Albanorum animos eo beneficio in ſeruanda fide uehementer obſtringeret. Itaq́; promiſcuo concurſu ſtudioq́ue militum, ac urbanæ multitudinis ſuburbia muniũtur, inſtruunturq́; idonea loca maioribus tormentis, & cuſtodiæ diurnæ nocturnæq́; diuiſis ſpacijs, certis ducibus tribuũtur. Sed Turcæ appropinquantes, Budanæ tantum portæ ſuburbijs incubuerunt: explorato nanq́; ſitu, & per ſpeculatores Hungaros facilè cognito, ficiorem ab ea parte paludem reperiebant, ſolumq́ue ibi ualde fabuloſum, & ceſpiti atq; aggeri faciundo penitus importunum eſſe didicerant, quũ à reliquis duabus portis terra nequaq́ arida, ſed deuexæ paludis humore cruſtoſior, & latas paſsim glebas, & ſolidos ceſpites ad opus egregiũ largiſsimè præberet. Perſpecto hoſtiũ conſilio, Barcocius Italos Germanoſq́; omnes à reliquis portis ad Budanã traducit, Hungaros agreſtes, qui in urbẽ confugerãt, itemq́; Albanorũ iuuentutẽ in deductí præſidij locũ ſuccedere iubet, inſtitutũq́; antea propugnaculũ educere atq; perficere aggreditur. Id erat inter bina templa diuo Franciſco, & Deiparę uirgini dedicata, prominebatq́; exterius nota ratione, ut bina utrinq́; munitionis latera, directis tormentis contra ſubeũtes Barbaros defendi poſſent. Hæc parante adminiſtranteq́ue Barcocio, quum prima Turcarum agmina in conſpectum ſe darent, atque procurrerent, Vſarones, & ſecundum eos Germani equites, adiũcti peditibus Italis, alacriter eruperũt, conſertaq́; leui pugna, utrique ad ſuos ſe receperũt: eodemq́; modo ac ordine per triduum eſt decertatum, nullo tamen memorabili euentu. Nam duces proximam portę regionem, certo breuiq́ue ſpacio, ad procurrendum noſtris præſcripſerant, & Turcæ prouolantes celeriter cedendo gyros dabant, ut incautos, aut graues armis Germanos longius elicerent. Vbi uerò Solymanus aduenit, cõplexusq́ue latè urbem, ſpectantes admirabili atque ſtupenda caſtrorum ſpecie conterruit, noſtri obſtructis repentè portis, omnes exitus ſuſtulerunt. Ea res Vſarones, liberis excurſionibus aſſuetos, tempeſtiuè ad-

admonuit, ut sibi consulerent, nec se munitionibus includi paterentur. Ita quum missionem peterent, nec tutò retineri possent, frustra deprecante Barcocio, & reiectis Albanorum precibus, nocturno syluestrique itinere protinus abierunt. Interea Turcæ, confectis pluribus uineis more nostro, perductisq; sinuosis fossis ad munitiones intra sagittæ iactum processere: tecti namque antè præfixis frondibus, ita opus ex tuto faciebant, & summam aggeris coronam sagittis & glandibus detergebant, ut nemo iam nostrorum conspici posset, quin binos ternosque simul graues ictus ostensa parte corporis exciperet: & ea uis erat ingentium tormentorum, ut totam planè munitionem pilæ perforarent, fractisq; & per aëra dissipatis texentis materiæ stipitibus, uel distantes inde milites uulnerarẽt. Ob ea nostrorum pericula, subeuntibus Asappis tutum erat implere fossam, uti ualde siccatam serenæ æstatis solibus, abscessuque paludis omni penitus humore destitutam. Exæquata itaque fossa, multis uirgultorũ fascibus, arenaque superiniecta, Barbari audacter subeuntes propugnaculum ab imo scalpere, suffodereque cœperunt, ut agger interior subtracto fundamento cõcideret. Verùm animaduerso hostium conatu, ita à nostris pari cuniculo obuiam est itum, ut quum infelici cœpto atque exitu, præparatus intro ad Barbarorum exitium sulphureus puluis fortuitò flammam concepisset, multi ex nostris, nemine hostium concremato, fœdè perierint. Post id factum Turcæ uera ui nitentes, triplici acie instructa propugnaculo successerunt. Certatum est amplius tribus horis, pari spe uirtuteque, sed ad extremum Turcæ, multa iniquæ pugnæ uulnera perferentes, occisis & deiectis nostris propugnaculum ceperũt, ac expedito statim consilio, tres in eo paruos falcones statuerunt, ut utrinque è tota munitione propugnantes & discurrentes nostros deturbarent. Eodẽ quoque tempore bina templa ab irrumpentibus occupata sunt, eorum parietibus usqueadeò quassatis & perforatis, ut per hiantes rimas, & pilarum ui patefacta foramina, ex occulto conspecti nostri sagittis & glandibus peterentur. Verùm munitiones cohortium Italicarum mira constantia, adiuuantibus etiam fœminis cucullatisq; sacerdotibus, egregiè eo die sunt defensæ. Is erat diuo Ioanni Baptistę decollato dedicatus, quo Barbari Belgradum expugnatum, & cęsum in acie Ludouicum regem meminerant. Ob id rebantur augurijs & dierum sortibus dediti, auspicato mense & felici die oppugnare adortis uictoriam minimè defuturam. In eo certamine, quod minimè prætermittendum uidetur, excelsæ staturæ Hungara mulier, conscenso inter milites aggere, uirilis audaciæ facinus edidit, quũ prægrandi fœnaria falce, scandẽtibus duobus Barbaris uno ictu colla secuisset. Vnus autem ante alios Carolus Ruffus è Brixia, qui componendis ordinibus apud cohortes officio fungebatur, aduersus laborem atque pericula indefessi atque inuicti prorsus corporis ac animi laudem tulit. Signiferi etenim plures præfectique, ac ipse quoque Barcocius de euentu prælij magnopere dubitantes, ut celerius in urbem se reciperent, interiore in loco sub ipsa munitione constiterant. Ferunt Solymanum ad se in prætoriũ uocatos, Habraymum, Achomatem & Halim, grauissimis castigasse uerbis, quòd propugnaculo fortiter atque feliciter occupato, nulla demum peracri facta impressione, & quod pudendum esset, nimis celeri receptu partæ propè uictoriæ defuissent: iussisseque minaci uultu, ut tridui spacio cuncta quæ usui forent, diligenter pararent, nec ad se, nisi Alba capta reuerterentur. Ad ea duces nihil plus responderunt (neque enim uel culpa uacantibus excusare sese licet) quàm ut confirmarent, breui futurum esse, ut uoto ipsius & militum uirtuti fortuna re-

A sponderet. Itaque in unum supremi certaminis conatum, delectis accensisque militibus, postridie calendas Septembris, prælij signum dederunt, terribilique impetu ab omnibus partibus munitiones adorti, magnum terrorem stationibus nostris intulerunt. nacti enim matutinam crassiorem nebulam, uti palustribus accidit in locis, non prius à nostris in dubia luce conspecti sunt, quum nec ab usitato eorum disciplinæ silentio sentiri possent, quàm ad congressum peruenerint. Pugnabatur maximo tumultu, clamoreque edito ad diui Francisci templũ, sed uehementissimè ad eam munitionem, quæ est inter propugnaculum, ut diximus, ab hostibus occupatum, & Deiparæ uirginis ædem: quoniam ualida Ianizerorum manus in eum maximè locũ incubuerat, qui ad tuendum Germanis erat attributus. Ii dẽnsata acie, descensum Turcarum expectantes, ita per accliuem aggerem inclinatas hastas continebant, ut extantes earum cuspides in summa munitione conspicerentur: idcirco mirabili astu Barbari, ne temerè desiliendo, irruendoque sese hastis induerent, oblonga tigna capitibus ferentes euadentesq; in summum aggerem, transuersa ea supra hastarum seriem in subiectos Germanos prouoluerunt, casu usqueadeò repentino infestoque, ut primorum ordinum milites contusis manibus & brachijs hastas deserere cogerentur. Tum uerò Turcæ clamore sublato, præcipiti agmine saltuq; proruerunt: nec quisquam fuit qui ingruentium impetum sustineret. eodem quoque tempore, Italicæ cohortes, multitudine hostium potius quàm uirtute superatæ, deiectęque toto aggere, terga uerterunt. Sed paucis festinatus ad salutem receptus profuit, quum per angustũ ad cancellum, qui exteriorem portæ aream uestibuli modo claudit, aditus pateret, & Albani nulla fugientium misericordia permoti, muralis portæ pontem sustulissent. natura enim plerunque fit, ut præsentis periculi metus sine pudore perfidiam excuset. Per totum itaque suburbanæ regionis spacium cædendo terga, sternendoque Barbarus processit. Cecidere in ea rerum perturbatione egregiè propugnantes conantesque retentare inclinatam in fugã aciem, Carolus Siccus, & cum eo aliquot centuriones atque signiferi: Octauianus quoque qui uanitate consilij tantam cladem attulerat, trucidatus, temeritatis suæ pœnas dedit: ipse uerò Barcocius, quum incitato equo ad portam se proripuisset, nec ingressus per cancelli portulam equiti daretur, oraretque frustra fugientes, ut maiorem cancelli ualuam aperirent, Ianizerorum superuentu conciditur, dextraque ei manus multis gemmatis annulis adornata detruncatur. Dominicus etiam Tornielus aurata casside insignis, in eadem desiliendi cunctatione ex equo deturbatus interijt. Hunc aliquãdiu defenderat signifer egregiè fortis, nomine Cecolinus, quum intorto circa hastam uelo serico, acri cuspide inermia Barbarorum pectora perfodiens, honestè cadere, quàm præfectum deserere mallet. Reliqua autem multitudo, quòd cancelli portulã occisorum cadaueribus obstructam, ac Albanorum malignitate sublatum pontem uidebat, ad ultimã uitæ spem, in fossam præaltis aquis profundam se coniecit. Ea fugæ facies maximè fœda & miserabilis erat, quum plerique tranantes ab imperitis natandi crurum complexu mergerentur: alij euadentes ad certos urbis aditus, capitibus ac humeris frequentes sagittas exciperent: alij uerò per cœnosæ paludis uada fugam quærentes, deuoratis cruribus impliciti, per ludibrium ferienda sagittis & glandibus terga præberent. In his fuere Conradus Motta Nouariensis, & Rapizonius Vercellensis nobiles adolescentes, qui sagittis confixi in ipso traiectu fossæ perierunt. Carolus autem Rufus, desperatis rebus ad urbem feliciter enatauit. Erant in urbe

in urbe Germanorum equitum præfectus, & Vscasales Cremonensis, qui ex uulnere domi substiterat. Hi confirmato animo reliquias militum colligentes, in muro præsidia posuerunt, tanta Albanorum trepidatione, ut nullibi publico consilio locus esset, & prompta cibaria, quibus labore metuq; exanimati milites reficerentur, minimè reperirent. Iam enim conspecta nostrorum strage, Birrous prætor & senatores primarijque ciues animos desponderant, nec ab armis atque præsidio, sed ab una Solymani clementia petendam salutem existimabant. Nam multis antè diebus, priusquam noui præsidij cohortes è Iauarino mitterentur, Albani quidam (priuato an publico consilio incertum) ad notos ipsis Turcas nuncium miserant, pollicentes, si Strigonio potirentur, nullam demum, quin continuò se dederent, Albæ appropinquantibus moram allaturos: ob id facilem ueniam sperabant, parata excusatione, quòd id præstare præsidij regij metu, nequiuissent. Hac de causa fiebat ut defensionis studium tota urbe remitteretur, Vscasalique omnes & Rufo, ea manu quæ supererat urbem se defensuros ingenti animo pollicentibus, gratias agerẽt, & iam nequaquam perplexè responderent, cunctis omnino de conditione deditionis esse cogitandum. Itaque Birrous de muro cum Turcis colloquitur, petit ut tutò liceat mittere legatos, qui à Solymano deditionis conditiones accipiant: id facilè concedit Achomates, quo cognito, nostri milites Rufum deligunt, qui unà cum legatis eat, & coràm de salute libertateque præsidij paciscatur. Legati ad purpuratos deducti, per Hungaros interpretes postularunt, ut in fidem sese dedentibus libertatis & ciuitatis iura seruarentur. Sed his ea data sunt responsa, ut non omnibus uenia dari uideretur, quòd promissæ deditionis iusiurandum fefellissent: minuebat tamen eorum metum, quòd ad paucos eius rei B conscios ac authores pœna pertineret. Rufus porrò perhumaniter susceptus, omnibus uitam ac libertatem & res incolumes, & tutum denique ad Viennam reditum impetrauit: eandem conditionẽ obtinente Germanorum præfecto, qui Rufo comes adhæserat. Quum uerò datæ fidei diplomata scriberentur, Solymanus Eunuchus, purpuratorum princeps Rufum comiter inuitauit, ut Solymano imperatori militaret, proposito liberali stipendio, ac oblata quingenariæ cohortis præfectura. Sed cum abnueret, quòd sacramento militari præoccupatus à rege, nondum militiæ tempus impleuisset, purpurea ueste aureis distincta floribus, uirtutis ergò donatus est. Notus enim erat uel ipsis Turcis ab ænea barba, quòd sæpius in aggere spectatus, longè omnium acerrimè dimicasset: indicantibus etiam Strigoniensibus transfugis, qui tum aderant Barbarico cultu conspicui, atque eum Eunuchi monitu uehementer hortabantur, ut honoratioris militiæ certam spem dubijs atque tenuibus stipendijs præferret. quid enim forti ac egeno militi sperandum, si quum bellum uigere desineret, stipendia penitus interirent? In his erant Ioannes Neapolitanus, Vincentius Venetus, & Hieronymus Fauentinus, noti militiæ potius quàm domi clari, qui admissi sceleris notam eo nomine protegebãt, quòd nequaquã ad Mahometis sacra defecissent. Legatis in urbem reuersis, ac omnia clementer & commodè impetrata narrantibus, ciuitas paulo antè perculsa metu, ad spem salutis & ueniæ, pro quibus uota susceperat, extemplò redijt. Nec multo pòst Achomates per singulos linguarum interpretes in forum præmissos, pronunciari iussit Italis Germanisque militibus, ut in crastinum diem, ea quæ profectioni opportuna uiderentur, collectis sarcinis expedirent, diligenterque cauerent, ne quisquã Hungarus ipsorum agmini misceretur. Albanis uerò grauiter im-

A peratur, ut limine se contineant, donec externi milites emittantur. Exiuere ad cõdictum Itali Germaniq; duce agminis Homare alæ equitum præfecto, qui proficiscentes ab iniuria tueretur, & ad regios fines integra fide deduceret: nec quicquam nostris ademptum est, præter sclopetos paruos, quos nouo more hastati equites Germani ab ephippijs, ut mortiferum atq; habile telum suspendunt. Hos maximè concupiebant Barbari, nouitate capti, quòd ita mirum esset artificium, ut sine succenso funiculo, quum luberet, per machinæ paruę rotulam, percusso pyrite lapide, ignem repentè conciperent, & celerrimè disploderentur. Barcocij quoque currus, ab Homare sine tumultu retentus est, quòd interfecti ducis supellex nullos hæredes respiceret, sed ipsos tantum uictores lege bellica sequeretur. Petijt etiam comiter Homar ab Vscasale, ut sibi non iniqua muneris permutatione thoracem auratum plicatilem dono daret, quo alacriter exuto traditoq;, Vscasales cõtra spem ab Homare nobilem equum retulit. Per totum autem id iter Tartarorum excursionibus infestum, nostros Homar singulari fide laboreque tutatus est. Sed postquam ad regios fines est peruentum, Homarq; discessit, nostri in multo infestiores socios Tartaris hostibus, Hungaros inciderunt, qui iusta propè pugna conserta lacessentes multis illatis uulneribus, nullam propè spem euadendi nostris reliquerant, nisi regij equites è proximis castellis maturam opem circumuentis attulissent. Alia porrò Albanorum conditio fuit: nam Solymanus, emissis qui in urbem confugerant, & solitos agros colere iussis, eos qui antea dedendę urbis spem dederant, conquisitos comprehendit, atq; eos pariter Albanos ciues, qui in magistratu fuerãt, quum ciuitas à reginæ infantisq; regis fide, introducto Germanorum præsidio defecisset. Ex eo numero B aliqui interfecti sunt, cæteris partim Budam, partim Belgradum relegatis, quòd recẽtis perfidiæ nota uel alieno uindice punienda censeretur. Cæterũ Solymanus, Balibeio Albæ præfecto, munireq; urbem iusso (satis sibi glorię partũ ratus, postquã duabus summæ claritatis urbibus in potestatem redactis, Germanorũ ac Hungarorum animos cõtudisset) Byzantiũ redire constituit. Iam enim nõ dubia ingruẽtis hyemis signa maturandũ omnino reditũ indicabãt. Nunciabãt quoq; ab exploratorib. Torniellũ in insula Comara Danubij sinistrã partẽ ualidis sublicis in uado defixis & cratib. intertextis, subituræ classis aditũ præsepsisse, eo cõsilio, ut eius insulæ oppidũ maius atq; ualidius cũ reliquis cohortib. tuerẽt, & iã Põtificię cohortes, quę integrę ac ornatissimæ legionis numerũ implebãt, Baptista Sabello & Iulio Vrsino ducibus Viennam peruenerãt. Nec longè aberat Ferdinãdus, adductis Marcomannorũ & Bohemorũ auxilijs, ut ascensuro hosti & cõmeatũ atq; tormẽta nauibꝰ aduehẽti, terra & flumine obuiã irẽt. Sed q perditis iã rebus opẽ laturus serò aduenerat, tẽpore demũ exclusus, ut amissa recuperaret, nihil regio noĩe dignũ ꝑficere potuit. Discedẽte aũt Solymano, unus ante alios uetus imꝑator, & nostris maximè cladibꝰ insignis, Mahometes Iahaoglis (is à ꝑfectura Belgradẽsis dicebãt) graui iudicio delectus est, q toti Pãnonię cũ imꝑio ꝑsideret. Ab hoc prędabũdis agminib. uehemẽter uexata est ea regio, q̃ ad Iauarinũ & Quinq; Ecclesiensiũ fines ꝑtinet: cui malo cũ à nostris occurri minimè posset, quodã genere induciarũ impetrato, coactas copias rex utili cõsilio dimisit, & põtificiæ cohortes in Italiã redierũt. Toto aũt eo bello Georgius Varadinensis episcopꝰ, Stephani pueri regis tutor, q summę authoritatis atq; potẽtię nomẽ apud Trãsyluanos obtinebat, nihil se cõmouit, quis eũ Solymanus cũ eius gẽtis auxilijs euocaret. Se etenĩ ꝓhiberi distineriq; Moldauorũ incursionib. quo minus imꝑio pareret, prædi-

prædicabat,quum prouinciam ipso custode præsidioque uacuam irrupturis hostibus minimè relinquendam arbitraretur,& satis superque satisfecisse officio uideretur,postquam ingentem commeatus copiam in castra transmisisset. Ita uir ille eximiè fortis & cautus,incolumi uel in speciem tantum apud subiratum Barbarum amicitia,sese atque prouinciã Christiano nomini conseruauit.

SVPPLEMENTI
LIBER XXVII.

CÆsar ab Italia Pontificeque discedens, ad Belgicum profectus bellum, ad Bonnam Vbiorum oppidum, iuxta Coloniam Agrippinã, copias coëgit atque recensuit. In his fuere Germanorum peditũ quatuordecim millia mercede conducta, atque itẽ singula quaterna millia Italorum & Hispanorum. His præerant duo tribuni, Aluarus Sandeus, & Ludouicus Peretius: illis uerò Camillus Columna, & Antonius Auria, qui illos ex sibi notis ueteribusque militibus in Italia conscripserãt. Ad hos quoque Aurantius regulus Belgarum, peditum duodecim, equitũ uerò armatorum duo millia ad Cæsarem perduxit. Aderant autem partim Germanici, & partim Sequanici nominis galeatorum equitum quatuor millia, & Italici Epiroticique generis leuis armaturæ equites sexcenti. Cæsar diuisis muneribus Stephanum Columnam, authoritate militari uirum insignem, ut eo bello operã nauaret à Cosmo Medice sibi traditum, castrorum magistrum effecerat. Tormentis autem præfecerat Iacobum Medicem, quem bellicæ uirtutis merito iampridem dignitate Marchionem appellarat. Totius uerò equestris leuis armaturæ tribuerat Francisco Atestino, qui erat Ferrariensis principis germanus frater. His tamen omnibus uices Cæsaris implẽs, imperabat Ferdinandus Gonzaga, cuius uirtuti Cęsar plurimum tribuere erat solitus. Quibus inspectis ordinatisque, Cęsar cunctis agminibus sese armatum, aurataque purpura paludatum ostendens, adhortansque ut ad prædam & laudem ire pergerent, ad Duram oppidum tertijs castris peruenit. Id erat primum in Eburonum finibus, quod tanquam eximiæ munitionis aduentanti Cæsari obiectum, Guilermus inexpugnabile rebatur. Vir quoque Menapius, nomine Flattes, præsidij prefectus, qui ualidas cohortes in oppidum adduxerat, & Durensium iuuentutem armauerat, se omnium salutem, & antiquum Sicambrorum decus aduersus Cæsaris iniuriam constantissimè defensurum profitebatur. Neque enim deerant ueteris historiæ regionisque periti, qui non longè à Dura, sub Titurio Sabino, & Caio Cotta, Iulij Cæsaris cohortes olim concisas fuisse memorarent, nec eius gentis milites, tanquã astutos maximeque pugnaces, Cæsariani contemnebant. Nam biduo antè leuis armaturæ equitum alam exploratum præmissam, hostès egregia ineundæ pugnæ, & mox fugæ simulatione in insidias pertractam, subitò prouolantes è syluis, & more Germanorum per equites sclopetarios rem gerentes, insigni illato detrimento perturbarant, quum ante alios ex prefectis Vbertum nobilem Mantuanum, & Marcum Buluanum, illustris nominis Epirotam occidissent, Ioanne etiã Zucero uetere Græcorum duce intercepto. Cæsar ex propinquo, nec sine periculo loci situm contemplatus, ut repentinum hosti metum inferret, primis conatibus celeritatem adhibendam iudicauit, extemploque confici & promoueri uineas, & tormenta produci iussit. Expugnandi autem, inuadendiq;

A oppidi negocium, pari conditione Hispani atq; Itali tanquam agilitate corporis, ac ingeniorum expedita ui promptiores, primaque pericula contemnere soliti, desumpsere, quum in proximo Germani, gemina phalange cõstituta, quadratisque totidem equitum agminibus instructis cõstitissent, ut oppugnationis successum, aduentumque exteriorum hostium, parati ad prælium expectarent. Nam rumor increbuerat, non longè abesse Martinum Rossemiũ cum ualidissimis Menapiorum & Sicambrorũ copijs, qui Cæsarianos in oppugnatione oppidi occupatos adoriretur. Sed eos rumores de Rossemij aduentu, nequaquã importunè excitatos, uictoria Cæsaris paucissimis horis extinxit. nanque expugnatio quadraginta maioribus tormentis ante aurorã cœpta, neque per totam ferè diem unquam intermissa, eum habuit euentum, ut deiectis ex corona defensoribus, & perfossis undique lateque disruptis editioribus propugnaculis, milites Itali Hispanique pariter æmulatione laudis, iniussu, nulloque accepto signo certatim procurrere, prioremque fossam, non superante umbilicum aqua transire, & in aggerem conscendere minimè dubitarent: grauiter primò id ferente Gonzaga, sed mox eorum audaciam, quam imperio reprimere non poterat, bono euentui commendante. Erat enim atrox spectaculum, quum ij qui aggerem occuparant, expositi ad hostiles ictus, è muro assidua glandium procella, & maioribus pilis sternerentur, necessarioque aut in exteriorem, aut in secundam fossam deturbati prociderent. Verùm qui audaciæ & temeritatis pœnas dabant, ne inulti caderent, incredibili animorũ fortitudine in præaltam fossam sese gregatim intulerunt, hastis & plicatilibus usi scalis, quas ad murum deferebant, & acri tumultuosoq; impetu ad conscẽdenda mœnia transnatarunt: quanquam multi grauati armorum pondere, pressique ab alijs incumbẽtibus absorberentur, atque itidem in transitu ab imminente paratoque hoste uulnerarentur. B Erat muro coniuncta excelsior domus, in qua Flattes cum delecta suorum manu uersabatur, magnaque inde hostium strages edebatur. nam & aggerem & fossam hostium cadaueribus cõpleuerat: quo animaduerso detrimento magistri tormentorum demonstrante iubenteque Cæsare, maiores aliquot in eam domum globos statim coniecerunt, præfractisque tectorum contignationibus, & Flattem & reliquos omnes ingenti ruina oppresserunt. At Flatte cum promptioribus miserabiliter interfecto, Durẽsibus usqueadeò comminuti sunt animi, ut iam languidius sese defenderent, & Cæsariani sese subleuãtes, reptantesque per ruinas, in murum uexilla efferrẽt, contemptisque ignibus inanium circulorum ex resina & pice ardentium, uasorumque huiusmodi fictilium, quæ prouoluebat hostis, muro atque urbe incredibili celeritate potirentur. Durenses ad unũ omnes, & præsidij milites, sæuiente uictore trucidati sunt, eo acerbius, quòd ex Italis ac Hispanis sexcenti ferè, aut in promurali aggere occupando, aut in superãda fossa perijssent. Ex his longè promptissimos centuriones Facium Pisanum, & Sanseuerinum Neapolitanum, qui ceciderant, spectator pugnæ Cæsar, uirtutis nomine publicè laudauit. Quũ uerò muralis coronæ decus præmiumque duo ante alios signiferi peterent, alter Randolazus, natione Cantaber, & alter Ligur, cui Gregorio nomen fuit, & uterque testes suos produceret, accensis utriusque gentis ad fauendum studijs, res ad iudiciũ Cæsaris delata est, qui graui consilio suspensa sentẽtia, ut neutrum offenderet, amborum spes longissimè extraxit, ne ex ea contentione augerentur odia iampridem multis de causis ab utrisque concepta, quæ non semel aliàs in cruentam seditionem exarsissent. Eo modo Sicambrorum urbs Dura, ad septimum

mum calend. Septemb. tam fortiter capta, quàm sæuè trucidatis ciuibus direpta, subditis facibus aut spontè exortis incendijs tota conflagrauit; sic ut tẽplum cum sacra turri, insigni fastigio conspicua, penitus cremaretur. Hoc exẽplo territæ proximæ urbes Ruremonda & Vanthlodium, quæ Guilermi præsidijs duce Cortopia tenebãtur, admouenti iam castra Cæsari continuò portas aperuerunt. Nec multo pòst ipse Guilermus Durẽsium clade perculsus, usqueadeò animum despõdit, ut salutis & fortunarum suarum reliquas spes omnes in Cæsaris clemẽtia collocandas arbitraretur, in castraq; deductus, à Brunsuico atq; Aurantio deprecatoribus supplex à Cæsare ueniam petijt: eaq; conditione in gratiã est receptus, ut in posterum principis nomine abstineret, præfectusque tantum authoritate Cæsaris Geldrensis appellaretur, eiusq; nomine Geldrensibus imperaret, & Gallicæ amicitiæ penitus obliuiscere tur. Ei Cęsar ad genua prouoluto, dedentiq; se, nihil arrisit, quum infensi seueriq; oris habitum cum dignitate retineret, quanquam postea ei Ferdinandi fratris filiam nuptui dederit, quãdo ille iampridem sponsalia dissoluisset, quæ cum Henrici Nauarrę regis filia suo loco celebrata fuisse docuimus. His pactionis legibus cognitis Guilermi mater, uirilis animi mulier concepto animi dolore indignabũdã excessit è uita. Cæsar quoq; Martino Rossemio clemẽter ignouit, ac eum cum sua legione, tanquã rei bellicæ peritum acerrimumq; ducem, militiæ suæ adscripsit, & aduersus Gallos cũ ingentibus copijs est profectus, inito per eos dies fœdere cum Henrico Britanniæ rege, ut ex composito duobus exercitibus Galliæ fines inuaderent. Galli per uernum ęstiuumq; tempus superioris anni Carolo Aureliano in Leucis prosperè bellum gerente, & Vandomio inferiores Belgarum fines peruastante, grauia detrimenta Cæsarianis intulerant, Landresiumq; oppidum, id metu deserentibus incolis occuparant, propinquum Cameraco, quod est urbs libera & immunis, mediaq; inter Gallos & Belgas, utpote quæ pari studio Belgarum principum & Galliæ regum amicitiã colat. Cameracum antiquitus Samarobrinam, Iulij Cæsaris hybernis celebrem fuisse nonnulli existimant: nos eam hodie sancti Quintini oppidum potius esse credimus, quòd Sommæ fluuio adiaceat, & Samarobrinæ cùm oppidi tũ pręterlabentis amnis nomen fuisse locorum peritis uideri possit. Landresium itaque, quòd ad inuadendos hostium fines magnam opportunitatẽ esset habiturum, rex Franciscus ingenti studio ita muniẽdum existimauit, ut suis inde frequenter erupturis, & facilis egressus, & tutissimus receptus daretur. Regis studium proceres æmulantur, suoq; sumptu singula propugnacula, conductis undiq; operis, erigenda suscipiũt, usq; adeò feruidè, ut intra paucissimos dies perpetuam munitionem extruxerint. Perfectis aggeribus, oppidoq; egregiè undiq; permunito, Lãda præficitur, uir apprimè fortis & strenuus, cui collega & adiutor additur Deceius cum expeditis equitũ turmis. Landresio per hunc modum in oculis Belgarum iustis Gallorum præsidijs confirmato, proximi Cęsarianæ ditionis incolæ, utpote qui quotidianis Gallorum iniurijs sè expositos prouidebant, magnis precibus à Cæsare postularunt, ut ante omnia Landresium ex hostium manibus eripere, regionemq; graui incõmodo atq; periculo liberare uellet, prius quàm in anteriora Gallię peruaderet. Hoc idem uehementer expetebat Arescotus peculiari incensus dolore, quòd Landresium eius ditionis fuisset. Indulsit facilè Cæsar æquissimis suorũ precibus, coactoq; exercitu per Cameracẽsium fines ad Guisam, nõ longè à Landresio, profectus est. Subijcitur Guisa oppidum, antiquissima turri insigne, his à tergo collibus, è quibus Scaldis fluuij fontes erumpere di

A cuntur. Non longè autem ab oppido, Gonzaga positis ad Marollam castris consedit. Hæc opulenti permunitiq; cœnobij uicus est, unde Guisam, si ex commodo fieri posset, adoriri cogitabat. Sed iam eum imminentem noui præsidij aduentus, & Francisci Atestini casus facilè auerterunt. Petrus enim Strozza lectissimos sclopetarios numero ferè quingentos, qui ad cõficiendum iter, ut integris uiribus rem gererent, singulis equis uehebantur, peropportunè in oppidum introduxit: quum fortè Atestinus exploratum incautius procurrisset, conspectoq; hoste & concidente equo ferè inermis & pedes esset interceptus. Amisso leuis armaturæ equitum præfecto, nihilq; tentata Guisa, Ferdinandus ad Landresium se cõuertit: ad id enim oppidum Arescotus, & Hadrianus Beurenus è Croia familia summi Belgarum proceres, Mariæq; reginæ copiarũ duces, multis antè diebus castra posuerãt. Apud eos fuere, præter Belgarum copias, quatuor millia Germanorum, & Hispanorum tria millia peditum, quæ ab Hispania per Oceanum aduecta fuerãt à Petro Toletano, cui Nocturno cognomen fuit. Iuxta eos Britannorum exercitus, qui ex fœdere paulo antè in continẽtem traiecisset, duce Galoppo, uallatis castris constiterat. Britannorum copiæ ex sagittarijs magna ex parte constabant, quum uix quarta pars hastis non multi roboris, aut alabardis uteretur. Equites leuis erant armaturę, semiermes, exili lancea, aut leuibus iaculis pugnantes, qui seorsum à Belgis sua castra, connexis inter se curribus, interpositisq; tormentis claudebant. In ipso autem castrorum umbilico partiam munitionem erexerant, in quam tormentarij pulueris copiam omnem procul ab omni incendiorum periculo contulerant. Gonzaga iussu Cæsaris, qui ualetudinis causa Canouo in oppido subsederat, uniuersum exercitum Landresio admouit, ab ea B parte castrametatus, quã decurrens amniculus sua castra à Belgicis atq; Britannicis dirimebat: sic ut inde tres exercitus aquarentur, & à triplici loco certatim admotis tormentis Landresiana propugnacula uerberarent, maximeq; unam omnes lateritiam turrim, quæ muro propè coniuncta altius eminebat, diruere conarentur. Sed ueteris structuræ tanta erat firmitas, ut quum media turris solida terrenoq; repleta esset, omnem uim tormentorum facilè perferret, elisaq; tantum incrustatione indomita persisteret. Qua in re peragenda Britanni simul & Belgæ pertinacius hærentes, irrito conatu magnam uim tormentarij pulueris & pilarum, acerrimè sese tuentibus Gallis consumpserunt, & Gonzaga studium operamq; omnem ab oppugnatione ad obsidionẽ, scalpendasq; subtus aggerum radices, uertendam censebat: quòd Landa uir indefessus & acer, rerum inopia potius, & auxiliorum desperatione, quàm ui tormentorum subigi posse uideretur. Sæpius enim eruperat, noctuq; semel egressus, graue tormẽtum, sopitis Belgis & nequicquam demum experrectis ademerat, & impunè per fossam uel profunda aqua redundantem ergatarum funibus extraxerat. Neq; Deceiani equites unquam cessarant, quin erumpendo pabulatores & lixas hostium intercipere niterẽtur. Per hunc modum, quum Belgæ Britannique in ea oppugnatione multos dies contriuissent, & qui ab imo fundamenta operum subtrahere conati fuerant, nihil proficerent, Gonzaga fit certior, Franciscum regem, ut Landæ opem ferat, aduentare. Itaq; pugnę auidus, Arescotum & Beurenum, atq; ipsum Galoppum opportunè admonet, hortaturq; ut mõtis castris, superatoq; flumine sibi se cõiungant: quoniam Gallis aduentãtibus is amniculus minimè erat superandus, & ipse ad excipiendum regis impetum futurus esset infirmior, nisi ad se in una castra copias traducerent, quando disiunctæ singulorum uires nihil ad uictoriã parandam prodesse possent.

Sed uiri ingenio pertinaces nulla ratiõe adduci potuerunt, ne in suis ueteribus castris permanerent: sic ut Gonzaga amitti pugnæ atque uictoriæ occasionem querens, ultra fluuiolum ad eos castra sua traduxerit. Interea Franciscus sibi indecorum fore iudicans, si Landæ de se bene meriti salutem negligeret, fineretq; amitti oppidum tanto sumptu, tantisq; laboribus permunitum: generoso consilio totius fortunæ uirtutisque suæ supremum periculum facere constituit, nihil reformidata pugnæ alea, quã proculdubio subituras esse crederetur. Nã magnanimum & ad arma promptissimũ regem plurimũ accendebant, eique non incertam uictoriæ spem faciebant Heluetiæ legiones, quę Germanis disciplina pares, & æquato numero, quibusdam etiam rebus superiores forent: quando his lectissimę etiam cohortes Italorum & Vasconũ accessissent, & præter has noua legio Gallicæ iuuentutis ex ordine nobilium sponte gratuitoq; nomina dantium, decora armis, plenaq; ingenuæ alacritatis insignẽ spectãti regi operã præstare percuperet. Equitatus quoq; ex omni Gallię puincia nominatim euocat⁹, se domũ nõ nisi uictore rediturũ profitebat. Ab hoc animi decreto Franciscus à Guisa oppido explicatis uexillis descẽdit, cõfectoq; decẽ miliariũ spacio, acie instructa ita Landresio appropinquat, ut in conspectum hostium atque obsessorum daretur. Primo agmini præerat Henricus Delphinus, secundo rex ipse duplici subsidiaria acie circumseptus, subsequebantur carri complures & sarcinaria iumenta, quibus magna uis commeatus obsessis importabatur, claudebat agmen Hannebaldus dignitate Amiras. Quum rex appropinquaret, atq; hostes cõiuncti in unum, instructisq; ordinibus parati ad pugnam nihil se cõmouerent, leuem armaturam equestrem, Brisacco atque Decarso impigris ducibus, emisit, qui excitatis diuerso in loco leuibus prelijs, hostes distinerẽt, uniuersæque pugnæ spem & speciem præberent. Non defuere Cæsariani, qui pari pugnę studio incitati procurrentibus Gallis occurrerẽt, intercursuq; expeditorum peditum contracto tumultuosissimo certamine præliarentur. Interim Franciscus dextro cornu late extento, præmissaque peditum atq; equitum ualida manu, quos aduexerat, commeatus in oppidum intromisit, præsidiumque labore atque uigiliis confectum recenti milite renouauit, egroq; & multum defesso Landę Varminium suffecit: summa in his conficiendis rebus usus tranquillitate, quũ Ferdinandus nisi lacesseretur, nequaquam sibi uniuerso prælio decertandum existimaret, quòd equio rem loci situm, quem ultra flumẽ paulo antè tenuerat, culpa sociorũ amisisset: nec absente Cæsare collatis pedestribus copijs dimicare uellet, quem Martini Rossemij, & Mauritij Saxonis copias expectare intelligebat. Franciscus totum id quod propositi sui fuerat egregio ausu consecutus, ad Cambrasinũ uicum, inde centum ferè stadijs distantẽ castra uertit: moratusque ibi integros dies duos, Cæsarianis committendæ pugnę potestatem fecit: quandoquidem Cæsar è Canouo oppido ad exercitum peruenerat, auctus his quas diximus Rossemij & Saxonis auxilijs, usque adeò auidus ineundi prælij, & in eam occasionem intentus, ut intra minoris tormenti iactum, castra castris hostium conferret. Pugnabatur enim cõtinenter omnibus horis & locis ab leui armatura, cui sclopetariorum dispersa manus miscebantur. Cæterùm Cæsar, quòd diei serum esset, & uti hybernis & caliginosis diebus tum accidit, parum lucis supereset, in posterum diem eius consilij rem differendam censuit. Multi enim utrinque consauciati fuerant: in partibus scilicet Gallorũ, Andouinus, Delphini gratia clarus eques, glande traiectus occubuit: apud Cæsarianos uerò Hieronymus Pacecus, Hispanorum tyronum, qui nuper ab Oceano ad Belgicam oram uenerant, præfectus. At Franciscus qui se eo consilio uenisse meminerat, ut Landresium obsidione liberaret, abundè dignitati suæ satisfactum esse ratus, quòd hostes pugnam detrectasse uideri possent, de secũda uigilia castra mouit, nonnulla impedimenta, & uarij commeatus uasa, ignesque de industria relinquẽs, ut præsentis exercitus speciem hosti præberet, nec prius quàm diluceseret, de eius discessu hostis certius cognouit. Perspecto itaq; hostium discessu, Cęsar serius quàm oporteret leuem armaturam & expeditos pedites postremum abeuntiũ agmen insequi iussit. Verùm Franciscus ad Guisam iter extendens, Delphinum tueri terga, & idoneo in loco inter syluas consistere iusserat, ut hostes si persequi auderent, auideque & festinanter more suo tanquam ad paratam prędam longius à castris proueherentur, ex insidijs inuaderet, atq; reprimeret. Necinanis consilij res fuit: nam uti Franciscus præsenserat, quum plures hostium disiunctæ manus insequerentur, in Delphini turmas, inciderunt, à quibus repentè facto impetu facilè cęsæ pulsæq; sunt, iniquiore sorte Germanorum equitum, qui ex ala Brunsuici reguli fuerant. nam in eos ardentissimè res gesta est, à Græcis præsertim equitibus, quos summæ peritiæ atque uirtutis dux eorum Theodorus Bedenius Spartanus, ex insidijs in perterritos emiserat, eo pugnæ euentũ, ut nonnullis interfectis & captis, reliqui ferè omnes in facie uulnera susciperent, mira Græcorum agilitate, qui in apertas subducta buccula galeas transuersim graues gladios adigebant. Delphinus re bene gesta patrem est cõsecutus, qui iam totum iter quietissimè confecerat. Huius strenuè initi consilij, feliciterq; susceptæ expeditionis euentum ita pleriq; rerum periti laudabant, ut non immeritò inter præclara fortia que regis facta numerarent: quanquam hostes pleniorem ei laudem inde obuenturam fuisse dicerẽt, si se patrato negocio maturius explicasset: quando nequaquam cauti bonique imperatoris fuerit, sese ex bidui mora, ad maximè periculosi certaminis discrimen ferocissimis & inuictis gentibus obiecisse. Cæsar uerò, quòd hyẽs iam suberat, & lethales morbi ex uentris profluuio uulgari inter corpora militum cœpissent, nihil ultra sibi tentandũ decernens, exercitum ferè totum dimisit, & à Cambresio ad Cameracum profectus est: ubi aliquãdiu peculiares aulæ suæ copias in hybernis continuit, quòd ea ciuitas erga Gallos æquo propensior uisa esset: utpote quæ se toto eo bello grauia detrimenta à Cæsarianis copijs perpeti quereretur. Sed primores senatus aduentanti continuò portas aperuerunt, ab hisque factus est intempestiuæ consternationis author, & reus urbis antistes, cui quòd esset ex Croia familia, facilè Cæsar ignouit: sic tamen ut leuis populi, qui nouum & inane neutralis (ut aiunt) stu dij nomen arroganter desumpserat, ceruicibus munitam arcem imponeret: qua se non dubij, sed Cæsariani iuris esse in posterum faterentur. Nec multo pòst Cæsar ad conuentus peragendos, quos Germanis indixerat, Spiram Nemetum urbem ascensurus, Ferdinandum Gonzagam & cum eo Castalium, in Britanniam ad Henricum regem misit, ut eum aduersus Gallos diu ante multis de causis, multisque legationibus concitatum, ad traijciẽdum in proximam Galliæ continentem adhortando solicitarent, & quæ usui ad bellum terra marique gerendum uideri possent, sigillatim perdocerent. Ferdinãdus Gonzaga ad Cæsarem reuersus, Henricum regem, à quo elaborati argenti preciosa supellectile ad ornamentum abaci fuerat donatus, renunciauit suopte ingenio aduersus Gallos uehemẽter esse cõcitatum, sequentiq; æstate proculdubio cum ingentibus copijs in continentẽ Gallię traiecturum, ut totius Britãnici regni prolatis opibus, longè maximũ

Galliæ

Galliæ bellum inferret. Interim Cæsar omnibus cõ filijs ad Gallicum bellum intentus, operam dabat, ut quosdam Germanos proceres in fide atque amicitia contineret, qui per causam Lutheranarũ partium à uetere erga se Austriam q; domum officio discessisse ferebantur. Id enim unum Cæsar sibi contendendum existimabat, ut quamplurimos è bellicosis regionibus Germanos militiæ suæ adscriberet: nullos uerò, quantum per leges seueriss imi edicti fieri posset, inuitantibus magnaq; proposita mercede conducentibus Gallis relinqueret. Transeuntibus enim in Galliam, perpetui exilij, interceptis uerò ultimi supplicij pœna imponebatur. Sed populo fissimæ liberæq; gentis uiri militares, tanquã uberrimis inuitati præmijs, nullo pœnę metu deterreri, nullaq; custodiarũ diligẽtia prohiberi poterãt, quin in Galliã manipulatim transirẽt. Eiusdẽ anni Augusto mense, quo Strigonium in Pannonia à Solymano captum, & Dura in Belgis à Cæsare expugnata est, Hariadenus Barbarussa ad Nicæam Prouinciæ classem admouit. Fremebat enim Barbarus, quòd tantum maris spacium emensus, frustra uenisse existimari posset, cum iactura suæ dignitatis, postquã rex Gallus magno hostium suorum commodo, inita agitataq; toties consilia ad gerendum bellum explicare terminareq; nesciret, & totius suscipiẽdę maritimæ expeditionis tempus segniter effluere pateretur. His de causis idem Polinus, qui à Byzantio classem adduxerat, & legationis munere apud Barbarussam fungebatur, ad regem contendit, expositisq; ordine rebus quæ in negocio opus forent, & Barbarussa superbo conuicio flagitaret, regis decretum ad classem retulit, quo Nicæam aggredi, & oppugnari terra mariq; iubebantur. Iudicabat enim rex, nequaquam ab æquitate discedens, ea quæ suę ditionis antea, nec omnino dubij iuris essent, armis repetenda. Nicæam namq; urbem à maioribus suis urgentis belli necessitate, pecunięq; inopia coactis, Sabaudio regulo oppignoratã fuisse constabat, quã oblata eadem, amplioreq; pecunia, iustis primò precibus, & graui demum obtestatione, sibi reddi frustra postulasset. Præfecerat Gallicæ classi Anghianum adolescẽtem, è Borbonia familia regiæ stirpis, Vandomij reguli germanum fratrem, ut trierarchi, & nonnulli item Galli nobiles è classe, qui Virginij Vrsini tanquam externi ducis imperio probè prudenterq; obedire nollent, nobilissimo suæ gentis præfecto obsequentissimè parerent. Classis consta bat uiginti duabus rostratis, & decem & octo nauibus onerarijs, quibus imposita sunt octo milia peditum, præter commeatus in multos dies suffecturos. Quaterna enim milia Polinus in Narbonẽsi Gallia, è Vasconibusque præsertim, altera uerò quaterna Scrocchius, Sabaudio ex priuatis odijs factus hostis & exul, ex citeriore Prouincia, gentibusq; Lemano lacui & Alpibus propinquis conscripserant. Classis è Massilienși portu lambendo oram in Monęci Herculis portum se intulit, biduoq; pòst eodem cursu Barbarussa cum centum & quinquaginta nauibus, quæ remis agerentur, subsecutus est. Primum omnium Polinus, iussu regis, Genuensibus scripsit, ut nihil timere uellent: Turcarum enim classem quæ regijs auspicijs regeretur, nemini præter quàm Nicensibus, ni se dederent, esse nocituram. & ut regiæ uoluntatis decretiq; fidem faceret, nonnullos Ligures in biremibus cathenatos à Turcis impetrauit, eosque Genuam remissos propinquis & parentibus insigni benignitate restituit. Nicenses uerò humaniter est adhortatus, ut ueterem iustumque ipsorum principẽ, non minus liberalitate quàm potentia inclytum, susciperẽ, quàm supremæ cladis discrimen subire mallent, eius egentis perplexique principis gratia, qui cùm à Cæsare, tum ab ipso rege, cunctarum propè regni sui urbiũ dominatu spoliatus, hullum omnino alium difficultatibus suis exitum reperiret, quàm ut utriq; fortunæ suæ reliquiũ, sciẽs & uolens fineret. Proinde Nicenses nihil omnino, uel in præsentia tutius atq; salubrius, uel in posterũ fructuosius ac honestius esse facturos, quàm si necessariæ deditionis cõsiliũ celeriter expedirẽt: quando ipsi ultrò se dedentes summa beneficia publicè & priuatim expectare possent ab eo rege, qui idcirco eos expeteret, ut indulgentissimè complecteretur, & urbem Massilienșium coloniam nouis immunitatum cõmodis augeret & perornaret. Decuriones nihil se fide potius habere responderunt, quam tueri uellent erga Carolum Sabaudium, quòd eum putarent legitimum esse principem, & æquitatis clementiæque nomine longè optimum experirentur. Proinde literis & nuncijs ciues solicitare desineret: se enim eos omnes qui se in cõspectum darent, pro hostibus habituros. Hæc eadẽ oratores à senatu ad Anghianum missi detulerunt. Itaque Galli à cohortationibus ad uim consilia atq; arma uertentes, expositis copijs, trinisq; promotis castris, urbem oppugnare cœperunt. Niceą excelso adiacet promontorio, quod initium habet ab Alpibus, perpetuoq; dorso descendens in mare excurrit. Huius extremo in iugo arx posita est, antiquorum Prouinciæ regũ opus, clarisșimorum sępè ducum carcere, & miserouitæ exitu nobilitatum. Hæc subiecta maria latè despectat, arduoq; calle urbi coniungitur. Sub rupe iuxta litus salubris aquæ copiosissimus fons erũpit, maximarum classium aquationi peropportunus. Mœnia urbis, uti uetusti operis, nõ magnopere munita sunt, sed ea paulo antè Nicenses nouis propugnaculis adauxerant, docente atque administrante Paulo Simeone, arcis præfecto. Is magnum habebat militiæ usum, & uti erat Rhodię militiæ eques, à prædonibus olim captus, Barbarussæ aliquandiu seruierat: hortabaturq; ciues, ut Turcarum uim constantissimis animis contemnerent. Hoc ut alacrius & pertinacius facerent, uxores eorũ & liberos, imbellemque turbam, in arcem receperat, & quicquid militaris instrumenti præsens periculum deposceret, studiosè suppeditabat. Polinus ab ea muri parte, quæ uergit ad septentrionem, portamque habet ad Villafrancham perducentem, oppugnabat. Anghianus intercedente amniculo, qui torrenti similis saxeo alueo non longè à mœnibus decurrit, subductus in accliuem locum tormenta cõtulerat: Turcæ uerò non longè à Polini castris admirabili celeritate atq; peritia productis operibus, constitutisque tormentis, mœnium coronam decusserant. Gallorũ interea classis circumuecta promontorium, in urbẽ ita tormenta dirigebat, ut nonnunquam præteruolantes pilæ in aduersa Turcarum castra decíderent. Quo animaduerso periculo Turcæ ad eam partem, quam Leo Strozza iuxta Polinum uerberabat, sese applicarunt. Id erat propugnaculum nequaquam durata calce confirmatum, uti paulo antè à Nicensi bus ædificatum. Itaq; tantum muri, tantumq; eius propugnaculi à Turcis uehementissimè rem gerentibus, dirutum prostratumq; est, ut prælatis uexillis conscendere auderent, pariq; audacia Etrusca Leonis cohors æmulatione uirtutis Barbaros æquare conaretur. Verùm Nicenses magno præsentiq; animo propugnantes, multis interfectis & uulneratis, Turcas simul & cohortem per ruinas depulerunt. Eo die captum est Turcarum uexillum interfecto signifero, alterum uerò Leonis discerptum, quum eum tamen uulneratus uexillifer egregiè pugnans seruauisset. Periere ex Turcis, aut tum, aut postea ex uulneribus, paulo minus centum, ex cohorte uiginti duo. Sed mox Barbarussa uim omnem conferri iussit ad diruendam eam turrim, quæ portæ immineba t, maximeque emissis inde tormentis oppugnantibus nocebat: qua nõ diu quassata laceratáq;,

& proſtratis nõ uno in loco mœnibus, Nicenſes deſperatis auxilijs, præſidioq; ſuo militari, quod erat exiguum, magna ex parte ſagittis conuulnerato, de deditione è muro proloqui cœperunt: eaq; conditione Anghianus eos in fidem recepit, ut iureiurando confirmaret, eos eiſdẽ legibus ſub rege futuros, quibus hactenus ſub Sabaudij imperio fuiſſent. Veritus autem Polinus, ne Barbari tranſactæ deditionis pactiones impedirent, doloreq; amiſſorum cõmilitonum, & ſpe prædę irritati, in urbem irrumperẽt, ab Hariadeno impetrauit, ut milites reuocaret, & ad claſſem redigi iuberet. Qua de cauſa non multo pòſt Ianizeri uti fraudati ſua ſpe, Polinũ & Leonem à colloquio Barbaruſſæ redeuntes interficere conati ſunt. Vrbe in poteſtatem redacta, conſultatũ eſt de expugnanda arce, cuius conſilij duæ rationes à Barbaruſſa proponebantur: quarum altera in cuſtodia urbis poſita uidebatur, ne eam ab arce improuiſus hoſtis inuaderet, & in tutãdis ſuburbanis campis, ne alicunde hoſtes in oppugnatione occupatis ſuperuenirent: altera erat poſita in adminiſtratione tormentorũ, ipſoq; quaſſandæ arcis negocio. Barbarus explorato in loco, & celerrimè ſuis aggeribus permunito, tormenta ſeptem collocari iuſsit, in queis fuere duo eximiæ magnitudinis, quum reliqua iuſtam more noſtro amplitudinem non excederent. His ſumma arcis propugnacula idoneaq; ad excubias ædificia celerrimè perfregit, ſic ut propugnatorum in corona conſiſtere auderet nemo, & imbellem turbam uel impauido Simeone magnus in uaderet pauor. Galli etiam partiti inter ſe munera, ab alijs uehementer oppugnabant locis, ſingularéque cum ſumma agilitate Turcarum peritia in producendis dirigendisque tormentis admirabantur. Verùm toti ictibus ad tantam deuentũ erat tormentarij pulueris & pilarum inopiam, ut hæc Polinus, aut mutuo, aut precio à Barbaruſſa petere cogeretur: fremẽte atq; obiurgante Barbaro, quòd in Gallia alieno apparatu indigerẽt, qui Maſſiliæ multis uini dolijs, quàm rebus ad bellum neceſſarijs nauigia onerare maluiſſent. Quibus de cauſis uehementer Gallis iratus, De reditu nanq; ad orientem, maturaq; profectione ſe decreturum dicebat, poſtquã apud imperitos rerũ, ſæpeq; mendaces & ignauos, ſecus ac polliciti fuerãt, cuncta imparata reperiſſet. Promiſsis tamen & precibus, ipſoq; præſertim Anghiano iratum ſenem leniſsimè demulcente, non ægrè eſt impetratum, ut indictæ profectionis conſiliũ abijceretur, nec ab inſtituta arcis oppugnatione diſcederetur. Sed uixdum pacato, & ad belli gerendi conſilia conuerſo Barbaruſſa, interceptæ ſunt literæ Alfonſi Vaſtij, ad Paulum Simeonem arcis præfectum ſcriptæ, quibus eum prolixè hortabatur, ut tantiſper hoſtium uim ſuſtineret, donec ipſe præmiſsis iam expeditorum militum cohortibus, cum toto robore grauis armaturæ ſuperueniret: ſe enim per maritimarum Alpium tramites iter facere, affuturumq; biduo, ut cum Turcarũ cæde, ipſum atq; arcem omni periculo liberet. Qua emanante fama, adeò grauis & repentinus timor Turcarum pariter, & Gallorum animos inceſsit, ut quum fortè ea nocte ad conſternandos nouo incommodo milites procelloſus atq; denſiſsimus imber ingruiſſet, cuncti per arduos calles ſuperato dorſi iugo præcipiti fuga deſcenderent, & ad claſſem confugerent. Sed dies, qui mox perterritis illuxit, & nuſquã conſpectus hoſtis, & obortus inde pudor animos reſtituere. Nec multo pòſt quum arx ipſa omnium propè iudicio, uti excelſa in rupe poſita, ægerrimè tormentis quati, neq; cuniculis ſubter rupem excauatis, niſi longo difficiliq; labore, atque item dubio euentu, capi poſſe cenſeretur, reduci tormenta communi conſilio cœpta ſunt. In eo diſceſſus decreto tumultuarioq; labore, Barbari imperio contineri ne- A quiuerunt, quin in urbẽ celeriter irrumpentes cuncta diriperent, & in tectis ſæua incendia excitarent. Diſceſſum autem eſt à Nicæa, quũ iam Scrocchius aliquot oppida regionis, hortatu ſuo atque authoritate, qua multum apud eas gentes ualebat, ad dedi tionem compuliſſet. Atq; eo modo, quum Anghianus ultra flumen Varum copias reduceret, Barbaruſſa ad Antipolim cum uniuerſa claſſe conceſsit, ubi quum ſtationem haberet, ad inſulam Lerinam, quam Margaritam nautæ uocant, cognitum eſt Vaſtiũ atque Sabaudium cum Auriana claſſe in Villafranchæ portũ perueniſſe: cuius in ingreſſu uis ſubitæ uehementis q; procellæ quatuor triremes Aurianas, ſeſe in apertum mare eripere conantes, in rupes exeſi promontorij tranſuerſus egit, uſqueadeò uiolentis fluctibus, ut ſeruis ad tranſtra cathenatis ad exeundas compedes ſpacium defuerit: atque ita ſubmerſi ad unum omnes interirent, & tormenta hiantes carinas grauantia profundo mergerentur. Eo hoſtium periculo aduentuq; cogniro, Polinus tanquã explorata occaſione delendæ hoſtium claſſis, Petrum Angeliũ Bargæum, poëtam, uirum Græcæ peritum linguæ, ad Barbaruſſam legatum miſit, quòd ei uſque à Byzantio notus eſſet, qui inſignem ab hoſte procellaq; oblatam pulcherrimi edendi facinoris occaſionem demõſtraret, ſtudioſeq; eum hortaretur, ut eximiæ laudis certiſsimiq; prouentus educta in hoſtem claſſe fructum percipere maturaret. Annuit conſilio Barbaruſſa, ſibiq; ubi laus ſpectaretur, minimè defuturum promiſit: ſed quominus id audacter expediteq; tentaret, perflantes Euri prohibere uiſi ſunt, quibus tamen citò ſubſidentibus, quum fluctuoſum mare miteſceret, ipſeque educta claſſe contra conſuetudinem conſideratius & ſegnius proueheretur, circa Antipolitani litoris uineta curſum ſuppreſsit, admirãtibus primò, & mox ridentibus trierarchis atque Sanzachis, uſqueadeò liberè, ut per ironiam dicerent, æquum eſſe, ut Hariadenus Auriæ tanquam fratri, & ex piratica conſpiratione legeq; ad mutuam ſalutem fœderato, nihil officeret, parq; illi beneficium optima fide redderet, quod aliquot antè annis ad Hipponã ſe liberaliter accepiſſet. Ex his qui eam cunctationẽ carpendo ad inuidiam uerterent, erat Cayeroglis, Sanzacorũ facilè princeps, eius Memphitici Cayerbei filius, qui prodito Campſone Sulthano, totius Ægypti præfecturam à Selymo meruerat. Eius autẽ omiſſæ rei nomen, & tum & Byzantij Hariadenus ita refellit & diluit, ut diceret multa ſibi exactę ætatis duci, uel hebetibus oculis, clarius & certius quàm iunioribus uideri: & quum de Cayeroglẽ mẽtio inferretur, renidens inquit ad ſuos conuerſus: Ergo non diſsimili ratione magna mihi præmia ab hoſtibus erunt expectanda, dum eis lubẽter parco, poſtquam pater eius ad Singam ab ſuo dextro cornu obiectos hoſtes Turcas non inuadens, ceſſantis operæ præmium, Ægypti præfecturam ab hoſte uictore tulerit. Cæterũm deſinente procella, miteſcẽteq; mari, Salechus cum uiginti quinq; triremibus, & cum totidem Gallicis Leo Strozza, ad portũ contenderunt: potitiq; ſunt eius naufragij reliquijs, ſic ut perurinatores alligata funibus torméta è profundo ergatarum molimine extraherent. Nec diu pòſt Barbaruſſa uerſus Maſſiliam ad Tolonis portum, qui Taurenta antiquitus fuit, eſt reuectus. Vaſtius autem cum Sabaudio Nicæam inuiſit, laudatoq; Simeone miſeros ciues conſolatus eſt, & inſpectis Turcarum operibus eorum ſolertiam ac artificium in conſtruendis aggeribus ſic mirabatur, ut noſtros, Barbarorum comparatione, huiuſmodi in rebus multo inferiores ſibi uideri fateretur. Exinde Vaſtius cum his copijs, quas metu Barbaruſſæ conſcripſerat, aliquot etiam additis cohortibus, ad oppugnandum Monteuicum, quæ eſt ampliſsima &

& fertiliſsima ciuitas inter Subalpinas urbes, du- A xit. Nam in ea erant ualida Gallorum Heluetiorum que præſidia, quæ duce Carolo Droſio indigena, uiro egregiè forti, frequentia incommoda Cęſarianis inferebant. Itaque magno ſumptu magnoque labore adductis tormentis, urbs non uno in loco quaſſata eſt, uſqueadeò uehementer, ut muri undique collaberentur: uerùm enixè & uigilanter defendente Droſio, res eò reciderat, ut Vaſtius penè de expugnatione deſperaret. Sed deditio, quę ab obſtinatis hoſtibus ui atque tormentis exprimi non poterat, dolo quodam, quod prætermittendum non uidetur, expreſſa eſt. Implorarat ſæpius opem Droſius à Buterio, qui ſummæ rei Gallicæ imperium apud urbem Taurinum obtinebat. Hoc ex difficultate periculoque hoſtium, interceptis eorum literis, Vaſtius didicerat. Quamobrem literas Buterij nomine Gallica conſcriptas lingua effingit, quibus gemmæ eiuſdem ſigillum apponit, exemptum ex ueteribus literis. Eæ erant in hanc ſententiam, ut ſibi conſulerẽt, neque opem expectaret, quoniam rex Belgico bello occupatus, ſuppleméta cohortium in Italiam ſubmittenda non putaret. Idcirco, ſi rebus atque opibus ſuis diffideret, nec defendi urbem poſſe his, quas obtinebat militum & neceſſariarũ rerum copijs arbitraretur, æqua atq; honeſta deditionis conditione accepta cum hoſte paciſceretur. Has literas Vaſtius reſignatas, tanquam ab ſe interceptas, Droſio mittit, hortaturque ut pertinaciæ finem faciat, ne ſeſe torquẽ milites egregiè ſuo munere functos, & imbellem ciuium turbam in non dubium ſummæ calamitatis diſcrimen deuocet: ſe enim deditionem extemplò facienti ea omnia integra fide, quæ honeſta conditione tribui poſſent, conceſſurum, ne ſibi neceſſe ſit multo ſanguine uictoriã parare, quæ iam eſſet explorata. Droſius perlectis literis, Buterij ſignum agnoſcens, nec quicquam de earum fide B ſubdubitans, multumque in Vaſtij hoſtis clementi ingenio reponens, uti multis rerum difficultatibus circumuentus, deiectusque ſpe auxiliorum, deditionem facere conſtituit: ſcilicet ut urbanam multitudinem, copiasque omnes, & ſeſe ſeruaret. Itaque paciſcitur, ut ſibi cum præſidio ſaluis omnium rebus, ſub uexillis egredi liceat. Id unum poſtularat Vaſtius, ut caſtellum, quod erat in proximo Droſij præſidio cuſtoditum, ſibi dederetur. In eo filium puerilis admodum ętatis Droſius habebat. Verùm abeunte iam Droſio, qui id ſe dediturum promiſerat, & ſuas copias præeunte, quum cuſtos caſtelli, idemque pueri nutricius, Cęſarianos, qui eò aſcenderant, nequaquam admittere renunciaretur, Vaſtius ſubitò in iram exarſit, iuſsitque nominatim quibuſdam equitibus, ut Droſium continuò perſequerentur, eumque tanquam fidem fallentem retraherent. Tanta autem fuit aliquorum equitum, uel ſimul præſtandæ operæ, uel (quod credi par eſt) prędæ cupiditas, ut integræ turmæ tumultuario procurſu, ultrò ſe primis aggregarent, & quum Droſius pernici equo uectus, in fugam ſe extenderet, milites præſidij, ipſoſque præſertim Heluetios lenius ſuo more irer habentes, nec tale quicquam ueritos hoſtiliter inuaderent, multisque occiſis & uulneratis inuſitatæ crudelitatis & autaritiæ facinus admitterent, uel reclamante Vaſtio, & unum tantum Droſium depoſcente. Sed tantò tumultu incõſultè prõruentium Hiſpanorum res cœpta patrataque eſt, ut Vaſtius penè ferò perturbatis & direptis, maleque mulctatis opem attulerit. Id uerò præter ſpem, & ſecus quàm imperarat, Vaſtij animo moleſtiſsimũ incidit, tanto cum dolore pudoreque perturbatæ mentis, ut omnì benignitatis officio illata detrimẽta reſarciri iuberet, occiſorumq; propinquis & uulneratis dona conferret, qui truculentis uocibus & minis contra ius gentium inſigni ſe affectos detri- A mento querebatur. Nec multo pòſt diuiſis per municipia ueteribus cohortibus, nouisque dimiſsis, Aſtam conceſsit, indeque inſtauratis copijs uicina oppida iampridem occupara à Gallis in deditionẽ recipit, Ludouicum Viſtarinũ, qui erat Cherij, cum omnibus eius præſidij copijs egredi, & Carmagnolam adoriri iubet. Is iuſſa facit, dedentibusq; ſe oppidanis, arci tormenta admouet, eaque potitur. Gallis tum id erat conſilij, ut deductis præſidijs uires cogerent in tutiorem locum, infirmioraque oppida ita deſererent, ut ea muro & munitionibus nudarentur, ne Cæſarianis paulò longioris moræ ad ea receptus foret. Itaque Oſſumius Vaſco, & Vicomercatus Inſuber, equitum præfecti, & cum his Azalius ſclopetariorum cohortem adducens, Carinianum uenerant, ad munitiones euertendas exportandosque commeatus: quo in opere quum eſſent occupati, Vaſtius cum globo equitum in aduerſa Padi ripa ſe oſtendit, monuitque Viſtarinum, qui nõ procul aberat, ut equites ſuos Padum uado tranſire, abeuntesque hoſtes aggredi imperet. Fœdericus Douaria, uir impiger, adhortãte Viſtarino nihil dubitat, quin tranando cum turma ſua in ulteriorem ripam euadat, Gallosque laceſſat, eoque audacius, quòd ei Vaſtius maturè opem ſe laturum pollicetur. Iam accenſa erat ardentiſsimè inter Oſſumium atque Douariam pugna, quum Vicomercatus & Azalius, qui Vaſtiũ planè cùm ex ipſo cultu, tum præclara uoce alloquentem cognouerant, Oſſumium adhortantur, ut contentioni finem imponat & ſe recipiat, quòd in conſpectu eſſet Vaſtius, qui multitudine ſuorum equitum ipſos eſſet confeſtim inuaſurus. Oſſumius ſtudio pugnę incenſus, nihil eius cõſilij ad animum adhibet. Illi ſuo innixi cõſilio ſe expediunt, & quò iter intenderant, proficiſcuntur. Nec mora laboranti Douariæ auxilio ſuperuenit Hieronymus Sylua, cum ala equitum à Vaſtio ſubmiſſus, à quo Oſſumiani equites profligantur, ipſeque equo deiectus capitur. Re bene geſta, Vaſtius Carinianum intrauit, animaduerſaque loci opportunitate, oppidum munire, præſidioque confirmare conſtituit. Erat enim in umbilico medioque propè ſinu eorum municipiorum, quæ Gallorum præſidijs tenebantur. Probato ab omnibus conſilio, reſtitutisque operibus, & inſtituta noua munitione eius oppidi tutelam Pyrrho Stipitiano, cuius ingenio uirtutiq; multum confidebat, attribuit, & nonnulla inde oppida ad deditionẽ compulit. Nec multo pòſt diuiſis in hyberna copijs, Mediolanum eſt reuerſus. At Barbaruſſa Tolone ſuſceptus, inſpecta claſſe, uigintiquinque triremes delegit, quas prædatum ad Hiſpaniæ oram emitteret, attribuitque eas Salecho, & Aſſani Celebo, arcta propinquitate ſibi coniuncto. Ii præteruecti Narbonenſem ſinum prædabundi, & Caput Illyberis oppidum antiquæ olim urbis ueſtigium, in eademque ora Cadecheſiũ & Rhodam, quam Roſam uocant, hoſtiliter inuaſerunt, ſuperatoque promontorio Veneris, quod Creum à nautis uocatur, circa ueteres Emporias magna præda potiti ſunt: nactique onerariam nauem, & triremem unam in portu, qui dicitur Palamos, Algerium, ubi imperatum erat, ad deponendã prædam, hyemandumq; traiecerunt, ut primo uere ad Barbaruſſam in Prouinciam redirent. Is ea hyeme quum partem claſsis reficeret, & nonnullis armamentis renouato apparatu inſtrueretur, Genuenſium, ipſiuſque præſertim Auriæ amicitia comiter utebatur, qui quodam maritimo iure per cauſam redimendorum captiuorum, quæ uſui forent Barbaro lubenter ſuppeditabat. Ligures enim omnes amicè conſeruatos, & nuſquam uexatos rex Franciſcus præſtabat, in id accepta à Barbaris fide, imperio atque authoritate Solymani confirmata. Neque enim Auria, exiguis in apparatum rei naualis ob-

sequijs importunè denegatis, hostilem animum ostendere uolebat: quanquàm se Cęsaris ducem profiteretur, ne patriæ noceret, quam expositam tantæ Barbarorum classi ad omnem iniuriam conspiciebat. Eisdem fermè diebus, quibus Hariadenus Barbarussa legendo Italiæ oram, ut Galliæ præsidio foret, Massiliam est profectus, Muleasses rex Tunetanus in Siciliam traiecit, eo consilio ut Cæsarem ab Hispania Genuam deuectum conueniret. Causa susceptæ nauigationis ferebatur, ut à Cæsare maiora præsidia aduersus Turcas impetraret. Nam Turcæ Hariadeni clientes aliquot opportunas regni urbes firmissimis uiribus obtinebant: in his quę; præsertim Constantinam, mediterraneam urbem eximię munitionis, quam antiquitus Cyrtham fuisse alibi ostedimus: & in ora Leptim paruam, quam hodie Mahemediam Pœni, nostri uerò Affricam appellãt: atque item Adrumetum, quæ Mahometa hodie uocatur. Eo autem ordine ex Africa discessit, ut in regni tutela sibi maximè fidos atque acerrimos uiros relinqueret, Mahometem in primis, qui urbi præsideret. Is tũ erat in summo apud Tunetanos magistratu, qui Maniphætes uocatur, & propter oris titubãtiam Temtes appellabatur. In arce quoque constituit libertum, genere Corsum, cui nomẽ erat Fares, quod alacrem exprimit. Copijs Amidam filium præfecit, qui suburbanos campos ab hostium Turcarũ & Numidarum incursionibus tueretur. Afferebat autem Cæsari munera, preciosi operis tapetes, uariaque ornamenta lectorum, atque item aliquot nobiles gemmas, & duos eximiæ proceritatis Numidicos equos. Verùm quum è Sicilia soluisset, rectà cursum Genuam tenere non potuit, aduersisq; uentis, Caietam primò, & mox Neapolim est reiectus. Ei prorex Petrus Tolitanus, hospitalis munificentię munera, domumq; lautissima supellectile exornatam cõtulit, Neapolitanis nouum gentis cultum, uescendiq; morem, & odoramenti omnis generis exquisitam luxuriem admirantibus. Cunctis nanq; dapibus insani sumptus unguenta infarciebãt, constabatque pauonem cum duobus phasianis à structore ex regiæ culinæ disciplina conditum, centum aureorum impensam excessisse. Exinde terrestri itinere ad Cæsarem proficisci constituit, mare reformidans Barbarussæ hostis classibus occupatum. Iamque Rodulphus Pius, Romæ legatus, in gratiam Cęsaris, uel alienos colentem deos regem Barbarum, pręmissis qui inuitarent, lautaq; hospitia offerrent, erat susceptурus, nisi eum Neapolim subsistere Cæsar iussisset. Erat enim uehementer intẽtus grauissimis rerum consilijs, Buxetoq; in oppido cum Paulo pontifice collocutus ad Sicambricum bellum iustis itineribus contendebat. Sed postea ab ipso Muleasse regno pulso, orbatoque luminibus auditum est, eum supra illas quas diximus susceptæ nauigationis causas, idcirco Africa libẽter excessisse, ut magnum, quod sibi imminebat periculum effugeret. Nam uti erat astrologiæ peritissimus, fatali astrorum influxu amittendi regni, & sæuæ necis cladem sibi portendi diuinabat. Quum unum uerò maximè Barbarussam sibi timẽdum existimaret, propterea se facilè credidisse eam classem, quæ Byzantij ornabatur, aduersum se omnino parari. At iudicio suo potius quàm siderum monitu deceptum, in eam calamitatem fuisse præcipitatũ, quam tamen & exul, & inops, & utroque captus oculo fortissimè perferret. Dum Neapoli moraretur Muleasses, certis ab Africa nuncijs didicit Amidam filium ex repentina defectione regni Tunetani sedem inuasisse, interfectisque ipsius amicis atque præfectis, & gynæceo incesta libidine profanato, arcẽ occupasse. Quibus cognitis rebus grauissimè perturbatus, in Africam omni postposita mora traijcere, & perditis rebus uel seram opem afferre constituit, ratus se excitatæ rebellionis initia, filiumq; prius oppressurũ, quàm ille collectis uiribus sese confirmaret. Illum namque præcipiti consilio asciturum sibi Turcas in auxilium putabat, qui ex Lepti, Adrumento, Cyrteaque facilè accersiri possent, ut Hispanis apud Guletam opponerentur, si ipsius Muleasis causam tueri uellent. Itaque quanta potuit festinatione prolata pecunia milites conscribit, probante Petro Toletano prorege, & ueniam exulibus cõcedente, qui nomina darent, in Africam que traijcerent. Ad huius edicti famam, malefici, iudicijsque damnati homines, Neapolim confluxere, adeò frequẽtes, ut ex eo genere hominum iustus exercitus conflari posse uideretur. His ducem se præbuit è patritiorum ordine Ioannes Baptista Lofredius, ingenio acer, gloriæ militaris & certi quæstus ex præfectura impense cupidus. Is cum Muleasse trimestre pactus stipendium, quod statim persolueretur, delectum habuit, conscriptisque cohortibus, milites mille & octingẽtos nauigijs impositi, profectus in Africam, cum rege ad Guletam applicuit. Quomodo autem Amida filius à Muleasse patre defecerit, & quis eius cruentæ rebellionis fuerit exitus, non alienum erit enarrare. Erant apud Amidam summæ authoritatis proceres, qui iuuenem alieno consilio obnoxiũ, facileque parentem pro libidine regebant, & ante alios Mahometes eius Bohamaris filius, qui regnante Mahomete fuerat Maniphætes. Huic Muleasses potitus regno, defectis uirilibus cõtumelioſam necẽ intulerat, obtrectatione amatoria incẽsus, quòd Rhahamanam incomparabilis formę puellam Abderomenis arcis custodis filiam, quam ipse deperiret, maturatis nuptijs præripuisset. Ab hac paternæ necis iniuria Mahometes capitale in Muleassem odium conceperat, quod ideo multis compressum annis fuit, ut demum ex occasione patrandæ ultionis grauius erumperet. Secundum hunc erat uetere gratia insignis alter Mahometes cognomento Adulzes, ex Granata Maurus, sclopetorũ mirus artifex, Muleasses per contumeliã nequissimum seruorum appellerare solitus, ab se totum alienarat. Ii cũ paucis coniurantes, excitatis falsis rumoribus, effingunt Muleassem apud Neapolim fato concessisse, admissoq; supremę impietatis flagitio, prius quàm moreretur, ad Christiana sacra defecisse. Hac uerò fama repentè permotum excitatumque Amidam circumsistunt, adhortanturque, ut ad paternam sedem properè aduolet, ne Mahometes frater, Christianis ad Guletam obses datus, studio fauoreq; Tuarris, qui expeditas haberet uires, ipsi præferretur. Erat enim Mahometes duodeuiginti natus annos, toto ore atque ingenio autum referens, & propterea Tunetanis ab ea indole gratissimus. Itaq; Amida nequaquam impiger ad capessendam patris fortunam, citato cursu è stationis castris Tunetum contendit. Populus, qui nihil de regis morte audierat, ambiguis uultibus eum excipit: & quum plerique mirarentur, cur iniussu patris ad urbem temerè uenisset, prodijt ipse Maniphętes, ut diximus cognomento Temtes: hic Amidam seuera obiurgatione tanquam capitalis audaciæ facinus ausum uehemẽter increpitat, & ut in castra reuertatur suadet, restitantemque occursu multitudinis extra urbem propellit. At Amida consilio deiectus, deceptusque sua spe, ad Martiam regionem deflexit, quę à portu Vticæ ad promontorium dirutę Carthaginis pertinet, insignium ædificiorum frequentia, & regiorũ hortorum amœnitate pernobilis. Cæterùm Maniphętes reiecto Amida, celeri nauigio ad Touarrẽ se confert, ut si quid aduersi rumoris ex Sicilia allatum esset, ab eo certius exploratiusq; cognoscat, & de Amidæ temeritate, intolerandaq; audacia conqueratur. Erant apud Touarrem dati obsides Abdalages, ipsius Maniphætis frater, & Corsi Faręe arcis custodis filius. Cum his diu colloquutus Maniphætes, reuersusque Tunetum in suspicionem uenit perfidiosi initi consilij, quum ipso authore subleuanteque Touarre, Mahometes obsęs paternum regnum affectare diceretur. Pœni siquidem suopte ingenio mobiles, repentini, suspicaces, incertis rumoribus facilè seruiunt, & quæ audierint sæpissimè etiam falsa, temerè interpretantur, pro commodo scilicet studioque suarum factionum, quibus pertinacissimè sese addicunt. Exoritur itaq; per urbem rumor ambiguus, & glissente suspicionis fama, non leuis populi tumultus. Nec diu pòst huius turbulentæ commotionis casus, causaque per quosdam ciues, quibus odiosum erat Muleasis nomen, ad Amidã celerrimè defertur. Is ab eo nuncio redintegrata spe, & certis augurijs confirmatus, Bohamaris & Adulcis, suorumque omnium hortatu, fortunæ rursus non semper incertæ bonoque euentui occurrendum ratus, Tunetum reuertitur, patentique ingressus porta, ad Maniphętis domum decurrit: quo absente, propinquos eius & familiares crudeliter obtruncat, patrataque cæde cruento cum agmine ad arcem continenti cursu protinus ascendit. Ingressu rum Fares custos, cancellata exteriore ianua, prohibere conatur, comprehensisque audacter equi habenis inuectum urgens retro auertit. Sed Fares ab Æthiope Amidæ promptissimo satellite, adacto per latus mucrone confoditur, renouatoque equi impetu, Amida per expirantis prostratique Faræ corpus equum adigit & irrumpit, repertumque Maniphætem extemplò iugulari iubet, & per hunc modum unius horæ momento, urbe, arce, regnoque potitur. Exinde in minores patris liberos cędibus grassatus est, usqueadeò insolenter conturbatis rebus omnibus, ut patris etiam concubinas cruentus sine pudore constupraret. Harum rerum, uti acciderant, Muleasses certior factus, nihil differendum esse iudicãs, cum tumultuarijs, ut diximus, copijs in spem recuperandi regni in Africam traiecerat. Igitur Franciscus Touarres rege atque Lofredio appulsis, uti erat prudenti perspicacique ingenio uir, ideoque solerti ratione imminentes casus expendens, regi suadere cœpit, ne cum his copijs Tunetum ire properaret, priusquam de Tunetanis rebus, ciuiumque animis certius cognosceret. Suspectabat enim Punicá fidem, & uenalium Arabum insidias. Eo autem gratuius ac apertius Lofredium, ne ire pergeret admonebat, quòd in mandatis, quæ discedenti prorex dedisset, differrè perscriptum erat, ne regi auidè ituro procedentique pareret, nisi ualida Numidarum manus auxilio uti promiserat, aduenisset. Sed regẽ atque Lofredium in sua fata præcipites uehementer incitabant aliquot Afrorum proceres, qui simulatione officij egressi urbe præstò fuerant, eique solenni ceremonia, gladijs iugulo admotis more gentis, fidei militaris sacramentum dixerant: testabanturque Amidam pudore metuque perterritum, ubi ipse in conspectum se daret, urbe arceque, arrepta fuga, protinus excessurum. Nec mora, Touarre frustra obtestante prædicenteque, ut à Punicis insidijs sedulò cauerent, Muleasses explicatis uexillis ad Tunetum iter intendit, subsequente alacriter Lofredio. Nec defuere nonnulli periti militiæ ex cohortium præfectis, & ante alios Cola Thomasius, & Iacobus Macedonius, qui Lofredio suadere nitentur, ne inexploratò progredi, & fallacissimę gentis promisso incautè credere uellet: sed tantisper cunctaretur, dum promissa expectataque ab rege propinquorum Numidarum auxilia superueniret. Ad quos superbo ore conuersus Lofredius: Definite, inquit, qui fœdo metu correpti estis, ea impudenter commemorare, quæ uiris fortibus animos cominuant. Ad ea Thomasius respondens: Fortuna, inquit, Lofredi, non sera unquam temeritatis ultrix, breui ut uideo, utrique nostrorum testandæ uirtutis expeditum iter aperiet. Antecedebat rex cum ala familiarium, uexilla regiorum insignium præferens: subsequebantur compositis ordinibus cohortes, iamque ad cisternas, ubi Cæsar cum Barbarussa paucis antè annis conflixerat, tertio ab urbe lapide erat peruentum, quum magna celeritate Hispani equites à Touarre missi superuenerunt, nunciantes à Barbaris proculdubio instructas esse insidias ad oliueta, quòd multa Numidarum agmina in his condita ab exploratoribus referrentur. Sed hæc rex ipse atque Lofredius facilè contempsere, quum in fata sua prorueret, & tam feruidè quàm incautè ad eam portam proueherentur, quæ naualibus portuique imminet. Tum uerò è mœnibus conspecto Muleasse, Afrorum equitum ualida manus hostili impetu porta erumpit, & magnis clamoribus editis pugna committitur. Ala regia familiarium erumpentes egregiè sustinet: sed Muleasses impigrè hastam quatiés, & obuios quosque saucians in fronte uulneratur. Cruenta regis facies suos magnopere conturbat, & terga uertere cogit. Nec mora, ex oliueris frequentes equitum aleę, peditumque cohortes sese undique Lofredianis circundant, in quos nostri aliquot minora tormenta currulia emittunt. Verùm his semel disploſis ad iterandos ictus spacium nostris deest. Tanta enim incurrentium Barbarorum uis atque celeritas fuit, ut nostris, ubi se circumuentos ac indagine clausos uiderunt, animi concíderent, & fœdè abiectis armis in paludem se conijcerent, & enatando apprehendendo que nauiculas sese à Barbarorum gladijs eripere niterentur. Eæ nauiculæ magno usui fuere profligatis, quum instructæ minoribus tormentis Barbaros, admissis etiã in paludem equis, nostros auidè consectantes displodendo perterrerent, atq; ipsos adnatantes exciperent. Lofredius inopinato hostium in cursu attonito similis, equum Thraciũ, natare solitum, in paludem adegit, ubi nequicquã per uoraginosa uada eluctante equo, à Barbaris cõfossus atque equo deturbatus in palude perijt, & cum eo Carolus Toccus illustri Græcorum sanguine progenitus. Solus ferè omnium Cola Thomasius, uti prędixerat, constantissimè occubuit, adhortatus noros centuriones atque præfectos, ut secum impigrè dimicantes decorã pro dignitate anteactę militiæ morte potius opperere, q̃ turpissimè in paludis cœno perire malẽt: atq; ita multis Barbarorũ confossis & obtruncatis, inter cadauera hostiũ non inulti ceciderũt. In his fuere infaustæ uirtutis laude digni, Iacobus Macedonius, Antonius Grandillus & Laurentius Monfortius, Neapolitani honesti ciues. Reliquos hausit palus, aut hostilis gladius absumpsit, quũ meliore sorte Fráciscus instruendæ aciei magister, cũ Antonio Buccaplana, & Lucio Brutio incolumis enataſſet. Muleasses suo cruore, & multo puluere fœdatus, quũ inter turbã terga uertentiũ profugeret, nulla alia re magis eum hostibus prodẽte, q̃ unguentorũ odore agnitus captusq; est. Desiderati sunt ex ea cæde supra mille & trecẽti, reliquos Touarres uestiendos recreandosq; curauit, qui nó multo pòst transportati in Siciliã, à Messanæ freto pedibus redeuntes, ab egestate squaloreq; deformes, eam cladẽ Neapoli miserabilẽ fecere. At Amida uictor nihil antiquius habuit, q̃ ut patrẽ, adẽpto ei oculorũ lumine, immaniter obcæcaret, quòd fiebat candenti scalpello, prosciſſa utriusq; oculi pupilla. Eandem fraternæ sæuitiæ iniuriã tulere Nahasar & Abdalas cum Muleasse patre capti. Francisco autem Touarri significauit apud se seruari paucos, & hos quidem imberbes captiuos. Muleasi uerò patri atrociora promerito, uti ille fratribus suis olim feciſſet, oculorum se usum ademiſſe, reiiquiſſe autem uitam, ut cæteris crudeliſsimè læuientibus

exemplo foret,& ipſe erga perfidioſum patrẽ à clementiæ nomine non abhorruiſſe teſtaretur. Firmauit demum certis conditionibus eandem,quę cum patre fuerat amicitiam: quum eam ſibi magno uſui, in ea præſertim nouirẽgni perturbatione,futuram exiſtimaret,nihil aſpernante Touarre,quòd præſenti commodo ſeruire poſſet. Nam perculſis inducijs Amida aliquantum pecuniæ repræſentauit,quæ ſtipẽdij nomine præſidiarijs Hiſpanis ſolueretur: reddidit́q; nonnullos captiuos, & in his è Rabatinorũ ordine circiter uiginti equites Chriſtianos,quos cuſtodiæ antea tradidiſſet,tanquam in fide patris contumaciſſimè perſeuerantes. Ad hæc quoq; reſtituta ſunt cuncta ad unum Lofredij uexilla, cadauerq́; eius,adempto tamen capite, ad ſepulturam remiſſum eſt. Dedit etiam obſidem Sehitem filium annorum nouem,quòd nomen apud Pœnos bene fortunatum ſignificat:ea tamen conditione,ut ſi ex his inducijs,quæ temporariæ uidebantur,pax eſſe non poſſet,atq; inde oriretur bellũ,Sehitem ſibi Touarres incolumem continuò redderet. Impetrata quoque ſunt à Touarre Lofrediana tormenta,quorũ iacturam quanquam non magnificaret, Tunetanis tamen hoſtibus aliquando profuturam iudicabat. Eę inducię quanquam non iniquæ,&multis de cauſis neceſſariæ uideri poterant,ideoq́; à multis probarẽtur: nequaquam tamen Touarres ex dignitate Cæſaris eſſe ſtatuebat,quòd indignum foret eum potiri regno,qui immani perfidia,nefarioq́; ſcelere,id cõtra Cæſaris authoritatem occupaſſet. Quamobrem Touarres noua agitat conſilia,accerſendumq́; legitimæ hæreditatis regem ſtatuit, qui nutu Cæſaris Amidæ iniuria uehementer offenſi,apud Tunetum Chriſtianis auſpicijs imperaret. Erat apud Numidas Abdamelech,exul ab eo tempore, quo Roſcetẽ ad Barbaruſſam confugiſſe docuimus. Hunc,quòd eſſet Muleaſsis germanus frater, ad ſpem regni euocat,conſiſum Anemſehæ Numidarũ reguli opibus. nam apud hunc benignè exceptus hoſpitio,diu permanſerat,quum è Biſcari mediterranea urbe, occupantibus eam Turcis,ad interiora Numidiæ profugiſſet. Nec oblatæ occaſioni deeſt Abdamelech,hortante præſertim Numida,& prædicentibus iampridem aſtrologis,eum proculdubio regem euaſurũ, & regni compotem in ipſa regia Tuneti exceſſurũ è uita. Patrandæ autem rei peropportunum tempus adueniſſe uidebatur, quòd tum abeſſet Amida, uti compoſitis urbanis rebus, ad Biſertam profectus, ut ibi piſcoſi lacus magnum uectigal exigeret. Itaq; Touarres,ut pactionis fidem tueatur, Sehitem puerum nauigio Tunetum remittit,excipiturq́ue ab eo Abdamalech,qui noctu maximè confectis itineribus ad Guletam peruenerat, & cum globo Numidarum ad Barbaſuecam Tuneti portam peruolat, ingreſſuſq́; confeſtim ad arcẽ contendit. Nec eum portæ cuſtodes morantur,rati eum eſſe Amidã, qui à Biſerta redijſſet. Nam Abdamelech felici dolo totam faciem linteis ſudarijs inuoluerat, Pœnorũ more,qui eo uelamento uti ſolent,ut ora à ſolibus puluereq́ue defendant. Eo cognito attoniti cuſtodes, quũ ad arma diſcurrerent,illico trucidantur,unusq́; ante alios aduerſari auſus primæ cuſtodiæ præpoſitus Nanſerhalla,natione Siculus confoditur: atque ira Abdamelech deterritis cæteris,& nihil præmetu ſe commouentibus,admiſſaq́; in arcem Tunetanorũ ciuium manu,rex ſalutatur. Is ante omnia Sehitem puerum cuſtodię tradit,& in eandem formulam Touarri tributum pollicetur, qua Muleaſſes à Cæſare regnum accepiſſet, eiq́ue in partem ſtipendij aureorum nummũm ſex millia dinumerat. Nec multo pòſt in lethalem incidit morbum, & ut diuinantium mathematicorum fidem impleret,trigeſimoſexto imperij die uita excedens,regio funere elatus eſt. Potentiſsimi autem amicorum & Tunetani principes,obnixè fauente cohortantéque Touarre, Mahometem filium,annorum ferè duodecim, regẽ crearunt: eiq́ue ſtatim adhæſere,qui ætatem eius regerent, muneraq́ue rerum publicarum ex arbitrio obirẽt, Abdalaget Maniphætes,qui interfecti Temitis erat frater, & qui tum erat Meſuar Abdelchirinus,quæ uox ſeruum exprimit liberalem. Secundũ hos Scyriſſus Mahometanę peritus legis, ex Bugęa origine Maurus,& Ioannes Perellus ex equitũ Rabatinorũ ordine,patria Tarentinus. His cuncta parebant, ſed Abdelchirinus intempeſtiuæ probitatis atq; prudentiæ conſilium coquens, quum diceret Tunetanæ ciuitati nequaquã puero rege eſſe opus, ſed ſtatæ ætatis maturiq́; ingenij uiro, qui alienis conſilijs circumduci non poſſet, exitium ſibi citò peperit: præoccupantibus collegis eſt interfectus, ea crudelitate,ut nec propinquis eius nec cliẽtibus parceretur. Eo ſublato,cæteri,quos diximus, ſummæ potentię ueræq́; tyrannidis triumuiratum conſiderunt. Sed Perellus gynæceum inuaſit,& in libidinem effuſus,Amidę concubinas ad unam omnes conſtuprauit,ſingulari cum dolore Amidæ, qui Tuneto excluſus, errabundus q́; ad Leptim, atq; inde nauigijs ad Sceccum Gyrapolitanum Mœnicis peninſulæ regulum confugerat, paſſim ab omnibus opem implorans ad repetendum regnum, quòd à nefarijs hominibus ſumma perfidia occupatum indigniſsimè uaſtaretur, quum regi puero impotẽter atq; improbè dominari, quàm ei ſincera fide in adminiſtranda republica adeſſe mallent. Hæc eadem uera eſſe Tunetani ſentiebant,querebãturq́; de Abdelcherini morte,qui optimatum princeps paterq́; patriæ,à perditiſsimis hominibus nefariè fuiſſet interfectus: neq; pati poterant ciuitatem gubernari à triumuiris,qui nullum auaritiæ,libidinũ atq; ſæuitiæ modum imponerent,quorum dominatus, ſi regis pueri maturior ætas foret expectanda, creſcente indies licentia, multo durior ac acerbior euaſurus crederetur. Dum eo modo Amida notos ſibi adiens,& à ſingulis auxilia poſtulans,ciuitatum ergaſe uoluntates excuteret,multis q́; pollicitationibus nouas paſsim ſibi amicitias parare cõtenderet, Muleaſſes pędore carceris,& ſuæ calamitatis deformitate miſerabilis,à fratris filio rege impetrauit,uti arce egredi adireq́; templum ſibi liceret Ameti Benaros,uiri olim,ut ipſi aiũt,ſanctiſsimi, quod apud Afros in urbe Tuneto aſyli inuiolabilis nomine auguſtiſsimum habetur. Nec diu pòſt, quum Bernardinus Mendocius, Hiſpanicæ claſsis præfectus ad Guletam applicuiſſet,expetente Touarre,è templo ad ſtagnum,atq; inde nauigio ad Guletam perductus eſt,ut cõſultationibus intereſſet, quibus arma aduerſus Amidam, totiusq́; eius oræ Turcas pararentur. Muleaſſes antea Tunetanorum ſibi ualde infenſorum gladios effugerat,mulierculæ inopis miſericordia ſeruatus,quæ eum anili pietate in ſcrobe multis allij ſertis coopertum aduerſus quęritantes abſcondiſſet. Nec minore quoq; ſalutis ſorte mortem effugit,quum opportunè ad Guletam eſſet aduectus,quando ei Amida uir ſæuus,qui mox Tunetum repetijt,uel in auguſti templi aſylo,minimè eſſet parſurus. Muleaſſes paulo antè filiã nomine Meluccam,quę uox Angelam exprimit, Touarre auſpice,puero regi,uel improbãtibus Tunetanis,deſponderat. Ea res ciuiũ animos ita exacerbauit, ut Amidam euocare literis, nuncijsq́; accerſere maturarẽt: quibus ille confiſus, ne occaſioni iam planè ſuo arridenti uoto deeſſet,è Gyrapoli profectus, biremibus Turcæ prædonis, cui debilitati cruris uitium Claudi cognomen fecit,Leptim aduehitur, atq; inde coacta equitum manu Tunetum peruenit,tanta celeritate, ut regi puero uix euadendi, & ſcapham conſcendendi ſpacium daretur, cunctaq́ue ei paterent,nec quiſquã arma corripere, aut hiſcere auderet.

ret. Primum omnium Amida Perellum è latebra errorum omnibus tormentis excruciat, abſciſsisq́; uirilibus uiuum in foro comburi iubet. Nec Perello animi conſtantia defuit, quum oblato uitæ munere adduci non poſſet,ut à Chriſtiana religione deficeret. Nec multo pòſt quæſtione habita, Maniphætem, quem Adamelech crearat, interficit, atque item urbis prætorem,& ſecundum hos ex ordine Rabatanorum circiter quadraginta, quorũ cadauera rex inhumanæ feritatis laceranda canibus obiecerat, aliàs ſolitus in uiuos etiam homines mordaces mooſſos, diuturnaq́ue fame, ut aſperius ſæuirent efferatos immittere. In eo quoque ſupra crudelitatem inceſta libido uehementer efferbuit, quum nec ſorori quidem parceret, & in omnem ſexum improbiſsimè debaccharetur. Cæterùm Muleaſſes nõ diu apud Guletam ſubſedit,ut ipſe aiebat, Touarris auaritia grauiter offenſus. Querebatur enim ab initio depoſitam apud eum regiam gazam, nequaquã integra fide tam iniquè à fortuna mulctato redditã fuiſſe,precioſæq́; ſupellectilis partem,cum inſignibus gemmis certoq́; auri pondere, ſibi miſero iniquiſsimè ſurreptam. Quum autem eius contumelię notam Touarres pluribus argumentis diluere properaret,eò res eſt perducta,ut Touarres ab rege furti & peculatus apud Cæſarem reus efficeretur,& uterq; in Germaniam contenderet. Verùm Cæſar ad æquitatem facti controuerſiam adducens,compoſita potius quàm dijudicata lite,eo exitu utrumque dimiſit,ut Touarres ex Guletæ præfectura detractus ſit,Muleaſſes uerò in Sicilią perduceretur, publico Siculorum ſumptu alendus. Filius autem eius Mahomeres,qui obſes fuerat,ad ulteriores Numidas Lentigeſiæ auiæ propinquos,ut fraterni imperij ſucceſſum tutus ab inſidijs expectaret, auijs itineribus confugit. Quum ex itinere Muleaſſes Romam ueniſſet,excipereturq́ue conuiuio ab Alexandro Farneſio cardinale,ita ſe ad uarias percontationes humanum facilemq́ue præbuit, ut inſigni cultus & geſtus grauitate ueteris fortunæ maieſtatem tueretur. Ab eo demum narrante multa literarum memoriæ digna,de recentibus bellis,Punicisq́; rebus & inſtitutis cognita ſunt: & quum non ineptè de philoſophia ſermones illati eſſent, perſpicuè eũ Auerrois ſtudioſum & ſectatorem fuiſſe deprehendimus. De natalibus autẽ ſuis ita diſſerebat ut Choreæ familiæ nomen,ex qua ipſe præalto ſtemmate natus eſt,ad Homarem,Mahometis pſeudoprophetæ conſanguinem atque diſcipulum referret, cuius ſtirpis Tunetani reges,nihil interciſa,aut alieno ſanguine deprauata ſerie per noningentos ſupra quinquaginta quatuor annos regnarint. Propterea affirmabat Tunetanum regem,auguſtiore cognomento appellari Emir Mumenim, hoc eſt, in religione optimè credentium principem. Memorabant autẽ familiares eius neminem ei uirtute equeſtri peritiaque armorum poſſe comparari, quum ex adulatione iactarent eum, quod ad uenatoriæ artis decus pertineret,non multis ex quo imperaſſet annis, ducentos amplius iubatos leones in ſyluis equeſtri lancea confixiſſe,quorum tergora ſiccata repletaq́; paleis,ad imaginem uiuorum, teſtimoniumq́ue uirtutis,tanquam decora proximaq́ue militiæ honeſtiſsimæ exercitationis trophæa,in peramplis hortorum porticibus ſpectarentur. Quibus de cauſis, Muleaſſes tam ſæuo diræ calamitatis infortunio prorſus indignus nobis etiam uideri poſsit. Eodẽ hyemis initio,quo Muleaſſes ab aduerſa fortuna acerbiſsimè mulctatus eſt,& Barbaruſſa Nicææ arce nequicquam oppugnata, ad Tolonem in hyberna conceſsit,Franciſcus rex à Belgico bello honeſta cũ laude reuerſus, quòd Landreſiano præſidio opem fortiter attuliſſet, noua copiarum ſupplementa in Italiam miſit,ut amiſsi Monteuici detrimentũ Buterius nouo auſu reſarciret. Iam enim Hipporegiã tormentis adortus,eò præſidium Cæſarianorũ adduxerat,ut proſtrato muro ægerrimè Gallorum impetum ſuſtineret,& deditionem breui facturum uideretur. Sed aduentu Anghiani nouidu cis ex Gallia,Buterius quum ab eo ceſſare opeririq́; ſe iuberetur,cum recentibus ſcilicet copijs appropinquantem,ut prælio & expugnationi urbis intereſſet, indignabundus ita impetum repreſsit, ut hoſti ad eriendos nouos aggeres, cõfirmandos q́; animos ſpacium daret, & partæ propè uictoriæ deeſſe mallet, quàm eius propè confecti negocij laudem cum adoleſcente imperatore cõmunicare. Galli etiã per eos dies Creſcentinum oppidum tormentis quaſſatũ, & Deſannam,ſanctiq́; Germani uicina oppida Cæſarianis ademerant,magno cum dolore Vaſtij, quę fruſtra diu poſtulata à quæſtoribus Inſubrum pecunia,ut nouas conſcriberet cohortes, imparatus, inferiorq́; multis rebus per hyemẽ bellum gerere cogebatur. Proceſſerat tamen Nouariam uſque, quantis potuit coactis copijs,ut prouinciæ præſidio foret. Nam Galli intra Montisferrati,& Sabaudiæ ditionis fines ſe intulerant, & circumſeſſuri Carinianum oppidum,quod eſt iuxta Padum poſitum, uidebantur. Id Vaſtius paulo antè occupatum (ut diximus) ualidis aggeribus munierat, præfecerat́que ei Pyrrhum Stipicianum, ſummæ uirtutis atq; conſtantiæ uirũ. Ei aũr aderãt Felix Archius, cum Germanorum cohortib. tribus,& Michaël Hiſpanus,cũ totidem Hiſpanorum uexillis, congeſtóque omnis generis commeatu Gallorum impetũ expectabat. Gaudebat Vaſtius acceſsione eius oppidi multis de cauſis,eaq́; precipuè,quòd amiſsi ſuperiore anno Clariaſchi par detrimentum hoſtibus rependiſſet. Itaq; obſtinatis animis,& Vaſtius id tueri,& Anghianus obſidere atq; recipere contendebant, tanto ſtudio,ut Anghianus longam obſidionem inſtitueret,caſtris in conſpectu hoſtis poſitis, & Vaſtius è Germania in auxilium duas legiones accerſeret. Tota namque utriuſq; imperij, exiſtimationis q́; ratio in eius oppidi defenſione, expugnationeq́; poſita erat, ſic ut pleriq; facilè prædicarent, uti mox euenit, eam contentionem uniuerſæ pugnæ caſum allaturam, quod antea per octo annos inter perpetuũ gerentes bellum nunquã accidiſſet. Iam plures mẽſes Pyrrhus obſidionem atq; inediam fortiſsimè ſuſtentarat, ſic ut præſidij lectiſsimi milites ab inopia rerum extremaq́; deſperatione auxilij, de eruptione cogitarent. Sed eos Pyrrhus animo corporeq́ue ad perferendas totius inopiæ difficultates paratiſsimus, blandis honorificis q́; alloquijs in officio continebat. Vaſtius quoque eorum animos per literas, quum ſpeculatorũ facultas dabatur, bonæ ſpei implebat, ſalutem q́; totius præſidij, & ſingulorũ præfectorum decus ſummæ curæ ſibi futurum pollicebatur. Eo tempore Cæſar ueteribus ſuis innixus cõſilijs, ingens agitabat bellum, quo Galliam ineunte æſtate inuaderet, experireturq́; maioribus coactis uiribus, an Franciſcus rex elici perſtrahiq́; poſſet ad ſummam dimicationem uniuerſæ pugnæ, in ſpem ampliſsimæ uictoriæ, quam ſibi nuper ad Landreſium propoſitam, è manibus elapſam fuiſſe iudicabat. Hoc ut aſſequi poſſet, aſsiduè dabat operã per legatos,ut Heinricus Britanniæ rex in Galliam maturè traijceret,ſuopte ingenio magnopere concitatus. Cum eo namq; ita fœdus percuſſerat, ut Galliæ regnum certa conditione cum Anglis partireſ. Tantum enim Cæſaris odium ualebat aduerſus Gallos ab auorum uſq; memoria conceptum, ut graniſsimarum offenſionum ex repudiata matertera penitus obliuiſceretur: nec iniquum exiſtimaret, ad cõtumeliam Pontificij nominis, cum eo rege fœdere cõiungi, qui propter euerſa ſacra, deſpectamq́; & cõuulſam Romani pontificis exiſtimationem, anathe

mato

mate à Romano senatũ fuisset damnatus, ipso præ-
sertim Cæsare id orante postulanteque. Quod autẽ
erat reliquum, assiduè inuigilabat, ne Germani mi-
lites Gallicis stipendijs allecti in Galliam transirẽt,
propositis edictis atrocibusque pœnis ijs qui id au-
si deprehensi que essent. Pari diligentia pagorũ Hel
uetiorũ principes aggrediebatur promissis, ut Gal
lorum delectus in conscribendis cohortibus impe
dirent aut retardarent, quando in eius gentis auxi-
lijs salutem Galliæ positam esse prospiceret, quæ
Germanicis legionibus tanquam exæquata uirtu-
tis opinione opponi possent. Ne uerò Italiam negli
geret, ipsumque præsertim Mediolanum nouis An-
ghiani copijs ad prædam expositũ, Neapolitanosq;
Barbarussæ classis reditum extimescẽres, duas Ger
manorum legiones in Italiam misit, quibus iniun-
ctum est, ut Vastio operam præstarent, ac demum,
si ita usus posceret, mari Neapolim deueherentur.
His præerant duo Scaligeri proceres, Christopho-
rus & Brennor, qui stirpis ueterum Veronensium
principum esse dicebantur. Harum spe legionũ con
fisus Vastius, quòd erant ex delectu Vindeliciæ, Ba-
oariæ & Norici, splendentibusque thoracibus &
galeis Mediolani fuerãt instructi, è Vercellis Astam
se contulit, & magnum inde sarcinariorum iumen-
torum usque à Mediolano, agrestiumque carrorum
numerum contrahi iussit, quibus magna uis instru-
ti & antea parati commeatus omnis generis, Ca-
rinianum ad obsessos conueheretur. Et quanquam
non multi apud se essent Hispani, nec plenæ admo
dum essent ueterum Germanorum cohortes, quas
Baro Seisnechus ductabat: tamen nõ deterrebatur
quin prodiret, cõfirmatus præsertim Italicis cohor
tibus, quę amplius sex millium militum numerum
implebant: eorumque magna ex parte sclopetario-
rum, qui assueti inueteratique perpetuis Subalpini
belli expeditionibus, egregię exercitationis opinio
nem fuerant consecuti. His omnibus præerat Ro-
bertus Sanseuerinus, princeps Salernitanus, cui ad-
iutos & propè magister à Vastio fuerat attributus
Cæsar Massius, è Neapoli uetus peditum præfectus,
quo nemo plura stipendia meruerat, quum per tri-
ginta annos Cæsari integra uirtutis & fidei fama
operam nauasset. Vna tantum Vastius angebatur e-
quitum paucitate infirmitateque, quum uix septin
genti galeati recenserentur, qui etiam leuis erant
armaturæ comparatione Gallorum equitum, apud
quos iusti roboris cataphractorum alas esse didice
rat: ob id præcipuè, quòd illustres aliquot iuuenes,
quorum principes erant Vidamius, summo loco in
Carnutibus natus, & Asseius Aruernus, Galeoti to-
tius Galliæ tormentorum præfecti filius, pugnę stu
dio è Gallia hortatu regis in castra uenisse, secumq;
adduxisse plures eximiæ alacritatis equites, explo-
ratum habebat. Quibus de causis coactus est confu
gere ad Cosmum Medicem, implorando ut sibi in
tanto periculo; tantaque exiguitate temporis, no-
uos conscribere milites nequeunti, ab Hetruria e-
quites submitteret. Cosmus, tametsi cauendum si-
bi ab insidijs exulum, & tuendam à Barbarussæ im-
petu maritimam oram arbitraretur. Cæsari tamen,
cui summa omnia debebat officia, & Vastio æqua
postulanti, communi in rerum discrimine deesse no
luit, misitque Rodulphum Baleonum, Malatestæ
filium cum insigni ala ueteranorum equitum: cuius
accessione Vastius adeò lætatus est, ut in spem ue-
niret confirmandi equitatus sui, experiundæq; præ
lij fortunæ, quum peditatu superior, aut certè par
tutò confligere se posse speraret. Porrò apud Gal-
los cuncta erant paratiora, & rerum omnium opu-
lentiæ pleniora. Nam Anghianus, quãquam adhuc
imberbis imperator, ueterum ducum suorum con
silia secutus, Termei præsertim atq; Buterij, Carinia
num duplici fossa, perpetuaq; munitione circũualla
rat, binos in Pado pontes statuerat, lunatisq; agge-
ribus utraq; pontiũ capita munierat, per quos quo
tidiana omnis generis commeatus copia nusquam
impeditus utebatur, & ad uillã Stalloniam, qui est
uicus ultra Padum, positis castris, atq; his aggere &
fossa permunitis (ut suprà diximus) hostium aduen
tum expectabat. Erat in conspectu Carinianum, in-
tercedente Pado, ad dextram relinquebatur Carma
gnola oppidum, & ad læuam Montecalerium, quæ
Gallicis præsidijs tenebantur, ita ut Cæsarianis in-
ter castella præsidiaq; hostium ab Asta mouẽtibus,
iter esset habendum. Interim Vastius misso ad Mon
temlarum Salernitano cum Italorum cohortibus,
quum illac se transiturum simularet, eo non multo
pòst reuocato, ad læuam per superiora uersus Sum-
maripæ oppidum exercitum duxit: eodemque die
Montatam castellum, quod ex itinere occuparat,
peruenit, ratus se postero die Summaripam, tertio
Casalem, quod appellatur Crassum, quarto Carinia
num omnino peruenturum. Cuius suscepti itineris
rationes disertè explicabantur, quòd superioribus
locis Padum uado transire, eoq; itineris flexu Trãs-
padanos hostium commeatus intercipere, & si ho-
stes superuenirent, erumpentes præsidij certissima
ope, ancipitique acie inclusos, aut auertere, aut pro-
fligare soluta obsidione sperabat. Verùm hęc uel ap
positè cõsulta fortuna irrisit. Nam cœlum densa nu
be turgidum, tantam uim imbrium iter habenti su-
perfudit, ut riui agrorum dudum sine aqua in spe-
ciem amnium atque torrentium intumescerent, iti
neraq; præalto obsita cœno, profectionem uehemẽ
ter retardarent. Augebat tanta incommoda cõmea
tus propè imminens desperatio. Nam assiduo im-
bre infusus humor, cruda pariter & cocta cibaria
corruperat, tam fœdo tristique incommodo, ut mi-
lites quatuor dierum cibaria secum ferre iussi, cùm
publica tum priuata alimentorum iactura magno-
pere turbarẽtur. Tum uerò Vastius frustra indigna
ri infestæ fortunæ, ab Asta noui commeatus supple
mentum adduci iubere, cõsolari passim milites, ut
id pluuiæ detrimentum constanter ferre, & non di
biam cœli serenitatem ad uictoriam expectare uel-
lent. Interim per Salernitanum Italicasq; cohortes
castellum Sancti Stephani expugnari iubet, grauio-
raque duo tormenta ibi deponit, quòd ea propter
iniquitatẽ itineris, uel duplicatis equorum & boũ
iugis perduci non possent. Cunctis difficultatibus
remedia quæ ferri poterant diligenter adhibet, &
cohortando milites spe prælij atque uictoriæ im-
plet. Iam designati itineris quartus effluxerat dies,
quũ Montana nondum excessissent, grauissimis atq;
inopinatis rerum casibus retardatus. At Galli de cõ
silio itinereque hostium non inani coniectura iudi-
cantes, è uilla Stallonia, ubi aliquandiu consederãt,
motis castris, ut hosti propinquiores essent, ad Car-
magnolam oppidum se contulerunt, intentique, &
cuncta explorantes, ad omnem pugnæ occasionem
corpora atq; animos pararunt. Sequẽti die Vastius,
quũ sol uel ambiguus cœlum serenasset, uti statue-
rat, iter à Montata ad Summaripam direxit. Ipse ad
dextram cum manu equitũ ad Stallonia castra, un-
de hostis discesserat, & ad Carmagnolam usque lu-
strando loca prouectus, reperit hostes contra cõsue
tudinem ad leuia certamina elici non posse, eosque
tormentis tantum instructos in muro cõsistere. Va
stius interea, quod magno usui fuit, ex itinere Cere
solam uicum à præeuntibus occupari iussit, eique
Guterium Chesadam corporis custodiæ præfectũ,
cum ducentis sclopetarijs præsidio imposuit. Et
quanquam ad Summaripam, quod magnoperè cu-
piebat, peruenire contenderet, Ceresolæ tamen ne-
cessariò castra ponere coactus est, quòd Germani
tardius subsequerentur, propter tormenta, quæ nisi
difficili magnoque conatu pertrahi non poterant:

& Hi-

& Hispani ad postremum agmen relicti, ingruente
iam nocte, redintegrataque pluuia, à reliquis longè
abessent: ac Salernitanus Italos, uarijs atque durisi
mis afflictos incommodis, extremaque lassitudine
fatigatos adduxisset, quibus omnibus, si Summari-
pam petere uellet, uallis frequenti aquarum uoragi
ne & alnis, multisque huiusmodi arbusculis impe-
dita, per tenebras erat superanda. Vltra enim uallẽ
paulo antè extraordinarij recentioresque Itali leuis
armaturæ processerãt, ductante Cæsare Massio: cœ
ptisque & protractis leuibus prælijs propinquo ho
sti speciem præsentis atque instructi Cęsariani exer
citus fecerant, sic ut Galli, qui densa acie incumbe-
bant, aliquandiu sustentati atque repressi, transeun
dæ uallis consilium abijcerent: quam si transissent,
Cæsarianis profectò magna & certa clades erat ex-
pectanda, uti postea Vastius animaduerso disiuncti
imparatique exercitus sui periculo confessus est. Is
postero die à Ceresola discedens, cunctum exercitũ
tormentaq; traduxit, sic ut distincta suorum agmi-
na aduentanti à Carmagnola hosti, patentibus in
campis ostenderet, & per leuem Italorum armatu-
ram pugnam accendi iuberet. Nec defuerunt obla-
tæ pugnę Gallorum duces, qui se alacriter ad com-
mittendam pugnam accinxerant, eam multo tuba
rum clangore deposcẽtes. Iam utrinque leuis arma
tura dispersa tumultuarioque certamine pugnaue-
rat, quum fortè Itali tormenta duo audacius in acie
producta Gallis ademerunt, indeq; clamor ingemi
natæ uictoriæ sublatus est. Tum uerò Anghianus
uniuersas copias hoc ordine constituras promouit:
in media acie VasconES, & reliquos Gallici nominis
ueteres pedites optimè armatos, decoro cultu cri-
stisque fulgentes ita collocarat, ut eis Heluetiorum
iampridem Subalpino bello inueteratorum, ualidã
manum applicaret, quibus tota frons latè extensa
& æquata certo subsidio firmabatur. Dextrum cor
nu Heluetijs, qui nuper aduenerant, insigni animo-
rum ardore pugnam poscentibus, attribuit: in sini-
stro autem cornu constitere Gruerij nõ multi usus,
& subagreste militum genus. Hi erãt ex regionibus
quæ ad Losannam & Geneuam, Lemanumq; lacũ
pertinent, Heluetijs Bernensibus & Sedunis finiti-
mi. His admixtæ erant Italicæ exulumq; præcipuè
Insubrum & Allobrogũ, Subalpinorumque aliquot
cohortes. Triplicem peditum aciem, triplex equitũ
agmen distinguebat. nam interualla quæ relicta e-
rant inter utrunque cornu, & mediam aciem, diuisi
per alas equites occupabãt. Inter hanc & Heluetio-
rum phalangem constiterat Thermeus, apud quem
erat tota uis leuis armaturæ equitum, unius cata-
phractorum alæ præsidio confirmata. Buterius cũ
reliquo equitatu Grueriorum apertum latus tueri
iubetur. Ex aduerso Vastius hostium ordines cõspi
catus, integram Germanorum phalangem, quã in-
uicti roboris existimabat, mediæ hostiũ aciei, ipsis-
que Vasconibus opposuit, eo ordine, ut in prima
fronte Aliprandum Madruccium, Tridentini cardi
nalis fratrem, ipso id ad decus deposcente collocã-
rat. Nam superioribus etiam diebus generosus &
egregiè pugnax iuuenis alacriter fuerat professus,
se Heluetios, quorum impetum nequaquam impe
ritè Vastius uereri uidebatur, cum sua tantum legio
ne, quæ trium milium summam non implebat, in-
uasurum & strenuè prostraturum. Secundum eum
Scaligeri fratres uexillis in mediam aciem collocã-
tis suas cohortes confertis ordinibus ductabant.
Cornu dextrum Gruerijs oppositum, Hispanis con
cedit, sic ut his statariæ militiæ quinque Germano-
rum cohortes, duce Seisnecho, adiungeret. In sini-
stro Italos omnes constituit, iussitque ut sese in tu-
mulum, qui à modica ualle leniter exurgit, sensim
tanquam in æquiorem locum erigerent, nec inde se
commouerent, ne inordinati ab Heluetijs, qui erãt
in aduerso loco, uti disciplina impares funderẽtur:
sed persistentes in acie Salernitani & Massij iussis
obtemperarẽt, & uti sors prælij deposceret, per sclo
petarios operam præstarent. Philippus Belga, La-
noij filius, qui toti præerat equitatui, eo spacio q;
inter Germanos & Hispanos intererat, cõsistere est
iussus. Idem ut faciat Baleonus, Thermeo opposi-
tus, iubetur. Præcipit autem Carolo Gonzagæ, ut
Buterianos contra instructos diligenter obseruet
& iuuadat. Eo modo constituta directaque utrinq;
acie, & displosis utrinque tormentis, signa cecine-
runt: appropinquareq; acies cœperunt, inter quas
magno cum periculo uolitantium undique pilarũ
& glandium Vastius obequitans, collustrando cun
cta oculis, Germanos segnius quàm uolebat pro-
gredi animaduertit, sic ut propius accederet, & præ
fectos ad intendendum gradum comiter hortaret:
in uultu Scaligerorum fratrum deprehendit nõ du
bia, ab inusitato tristique pallore, lethalis metus in-
dicia. Proinde conuersus ad familiares Scalengum,
Landrianumque & Saiauedram, qui eum ad excipi
enda reddendaque per acies imperia sequebantur:
Deus, inquit, magnus hoc omen auertat, & uti ma-
xime indigemus, hodie præsenti numine nobis ad-
sit, postquam in his Germanis, in quibus tota spes
& ratio parãdæ uictorię posita est, quòd antea nus-
quam accidit, præsente prouocanteque hoste ad di
micandum nullam alacritatem conspicimus. Primi
omnium accepto pugnæ signo, quòd Vastius suo-
rum hortatu dederat, Thermei & Baleoni equites
concurrerunt, usqueadeò graui impetu, ut multi u-
trinq; sternerentur, magnoque ardore post abiectas
hastas clauis atque mucronibus res gereretur. Ibi
Thermeus quum in pedites Italos procurrisset, ab
his repulsus, uulnerato & cadente equo, à tyrone pe
dite capitur. Baleoni autem ala, cataphractorũ inua
dentium uim sustinere non potuit, sic ut multi in eo
peracri congressu, in his q; Iulius Actius, tyranni Tu
dertis filius, caderent, ipseque Baleonus suffosso &
moriente equo oppressus uix eriperetur, & pedes
& saucius ad Italos pedites se reciperet. At in alte-
ro cornu fortuna ludo quodam prælij euentum al-
ternare solita, Hispanis & ueteribus Germanis arri
dere uisa est. Nam Raimondo Cardonio & Seisne-
cho ducẽtibus, exporrecta sclopetariorum ala, quã
manicam uocant, tanta ui Gruerios inuaserunt, ut
eorum aciem totam perturbarent, & in fugam uer-
terent, rusticaque cæsa, ad quam se applicarant, & a-
liquot tormentis potirentur, & alam Gallorum e-
quitum fusis subsidio missam cruenta conditione
perrumperẽt. Cecidere in eo conatu Scrocchius &
Carolus Drosius, qui in eo cornu summam nomi-
nis authoritatem obtinebãt: Asseius quoq; summę
spei iuuenis feruidius irrumpens, Germanicis ha-
stis ab ephippio deiectus, ex geminato uulnere tri-
duo pòst interijt. Eo celeri, quanquã incerto uicto-
riæ prouentu, Hispani accensi animis, fusos ad mul
tum spacium persecuti ita procurrerunt, ut cæden-
do capiendoq; ad Carmagnolam usq; cursum intẽ-
derent. Eodem tempore Germani, qui humi procu
buerant, ut torméta uitarent, imperante Vastio con
surrexerunt, collectumq; pulueręm, quæ est uetus
& religiosa eius gentis consuetudo, post terga pro-
iecerunt, quum ea ceremonia conciliari uictorię nu
men arbitrarentur, promotisque signis hastas incli
narunt. Aliprandus, qui in prima phalangis fronte
constiterat, paucis passibus extra aciem procedẽs,
Molam in Gallica acie ducem, insignibus conspi-
cuum armis, manu ad singulare certamen prouoca
uit. Nec detrectante Gallo ita concurrit, ut mutuis
ictibus ora perfossi ambo corruerent: Mola qui-
dem lethifera cuspide supra oculum ad oram ga-
leæ recepta, & Aliprandus genа usq; ad aurem per-
forata. Cadentibus itaq; ducibus asperũ & maximè

cruen-

cruentum prælium à primis ordinibus consertum est, quum utrinque robora lectissimorum militum & centurionum pro dignitate nominis & pro uictoria dimicarent. Aliprandi aciem ardentius promoram, Scaligeri aliquanto lentius quàm oporteret secuti sunt, propter depressi & inæqualis loci impedimentum, quo neque hastæ æqua serie ferri, neque aptè cohærentes ordines deniari poterant. Eodem temporis momento, quum inter utramque mediã aciem commissa pugna ardentissimè certaretur, Cęsariani equites sinistrũ hostium cornu, ubi cum suo agmine Buterius ad procurrendum paratus & intentus uidebatur, adorti sunt, alacri quidẽ, sed inani procursu. nam profecti ad hostilem aciem, nulla facta impressione, necinclinatis hastis sese in gyrũ cursu prouoluerunt, siue, ut leuem hostium armaturam equestrem, extra cataphractorum subsidia ad pugnam elicerent: siue quòd aciem perpetuo rigentem ferro ipsi leuius armati tentare non auderent: siue adducti incerta uoce à Goito, ut dicebatur, præfecto edita, qua equos flectere iuberentur, quasi nõ collatis equorum pectoribus & conserta acie, sed per iteratos incursus & recursus Maurorum more, cum cataphracto hoste foret dimicandum. Ea sese præter spem inflectentium species admirationem primò Gallis, & mox socijs non incertæ fugæ suspicionem præbuit: sic ut repentè Buteriani terga uertentium ualido procursu insequerentur, nec Cæsariani, clamante increpitanteque Vastio sisti possent, sed præcipiti cursu in transuersam Germanorũ phalangem deferrentur, eamque paululum post signa laxatam, ueluti adacto cuneo totam aperirent atq; proscinderent. Quo casu Galli eisdem uestigijs in hiatum perruptæ phalangis insinuari, cunctos eius postremos ordines fœdè turbatos, quòd neque galeis, neque thoracibus, uti anteriores, essent muniti, paruo negocio trucidarunt, quum latis & prægraui bus gladijs, quos à uenatorijs cultris non absimiles suspensos ab ephippijs gestabant, integros inermiũ artus facilè detruncarẽt. Tum uerò Heluetij ad Germanos infesta signa uerterunt, quòd Italos per cauum & inæqualem locum adoriri non possent: & uictis opportunè Germanis partam fore uictoriam iudicarent. Ita Germani qui à fronte Vascones & ueteres Heluetios summa ui certantes constantissimè propellebant, inuadentium ex obliquo Heluetiorũ recentem uim sustinere nequiuerunt, quum in tergo à Gallis equitibus cæderentur, & in fronte urgente *hostium peditatu* amissis ducibus, stratisque uexillis terga uerterent, ad unum propè omnes interficerentur. Cecidere cum Scaligeris fratribus uiri illustres, aut uarijs militiæ honoribus clari, præfectique cohortium, ante alios Vulcanus Furstembergi reguli filius, Michaël Preusingher, in regenda ductandaque phalange Brannoris Scaligeri legatus, & Antius Vrsus multorum stipendiorum fama notus, & præter hos Hildebrandus Tunnius, Balthasar Chaldesius, Iacobus Figer, Martinus cognomento Bursa, Adamus Bralius, & Baro Grinistennius. Aliprandus uerò Madrucius multis uulneribus susceptis, inter suorum & hostium cadauera semianimis repertus, in Anghiani potestatem deuenit. At Itali, ubi strata phalangis uexilla, & equites iusto cursu in fugam extentos conspexere, necessario & utili, uti mox apparuit, consilio subducere se in tutũ reformidato uictore, & per depressum, quem diximus locum, conseruatis tamen ordinibus, se recipere cœperunt, eoque modo ante mediã noctem Astam peruenerũt. Eò multo antè Lanoius cum suo equitatu integer applicarat, sub occasum uerò solis ipse Vastius superuenit, quum sclopeti glande per ferream ephippij frontem supra genu uulnus accepisset, aliquotque clauarum ictibus collisa casside nequaquam hosti cognitus, gladioq; se defendens, è medio aduersæ pugnæ tumultu se eripuisset. Tum enim secus ac aliàs soleret, non imperatorijs insignibus, sed atro & mediocri sagulo, ne facilè agnosci posset, usus fuisse dicebatur. Cur autẽ Italos Gallicus equitatus nec inuaserit, nec sit persecutus, hanc fuisse causam reperiebamus, quòd amisso Thermeo duce, sese dispersim ad opprimendum dextri hostilis cornu milites conuertissent: Hispani enim Seisnechamique Germani, qui Gruerios latè profligarãt, longeque fusos fuerant persecuti, quũ redirent, perfusi nauatæ fortiter operæ gaudio, sociorumque ignari cladis, suspensis stupentibusque animis ad conspectam stragem, in uictores Gallos inciderunt, à quibus circunfuso equitatu tanquam indagine clausi, propè sine uulnere capti sunt, quòd uiri fortes perditis rebus fortunę cedere, quàm stulta exitialique pertinacia repugnare satius existimarent. Ante alios sese dedidit Raimundus Cardonius, castrorum magister, eius filius qui cum Gallis, Gastoneque duce ad Rauennam improsperè consilii xit: & cum eo Hispani clariores cohortium præfecti, Ioannes Beamontius, Ludouicus Chexada, Cõsaluus Hernandius, atque Cheuedius. Baro autem Seisnechus, oblato sibi equo periculum euasit, & Carolus Gonzaga, quum pedites turpiter effugere cõspexisset, ne id dedecus subiret, in Gallos irrupit, deiectusque equo captus est. Pari etiam pudore, sed iniquiore honesti conatus sorte accensus Hercules Martinengus, illustri loco Brixiæ natus, quũ in confertam hostium aciem cum ala sua sese, uti Vastij alumnum decebat, uehementer intulisset, cum Attilio fratre interfectus est. Pugnatum est ad Ceresolã postridie idus Apriles, quarto & quadragesimo anno supra quingentesimum atque millesimum Christianæ salutis. Occisa autem referuntur ad duodecim millia hominum, sed multò maxima ex parte Germanorum. Neque enim quum in acie utrinque æquato ferè numero supra quadraginta millia peditum cõstitissent, omnino incruenta uictoria Gallis obtigit. Dum Vastius acceptæ cladis dolore, & totius summæ rei periculo perculsus, seruatas uel ex turpi fuga copias colligeret & inspiceret, in spem uenit uictores Gallos his præsidijs posse sustineri: dissimulabatque non obscura quorundam delicta, eo uultu, ut nemini palàm succẽseret, & de una tantum fortuna quereretur: Baleonum uerò eximia ornaret laude, quem ferè unum, fortissima edita opera, & Cosmo principi à quo erat missus, & paterno auitoque suo nomini egregiè satisfecisse, attestante etiam Thermeo, differebat. Hortabatur autem Lanoium, ut fatalis erroris notã noua uirtute abolendam existimaret. Salernitani quoque & Masij consilia probabantur, qui in eo perangusto atque difficili aduersæ rei momento cohortes Cæsari magno usui futuras seruauissent. Verùm eius iusto prælio inuicti antea ducis existimationem, præsentemque omnem militaris prouidentiæ diligentiam, odium (uti sæpè fit) ex re malè gesta repentè obortum, & plerique ex amicis obtrectatores facti uehementer obtrebant, iniqua hercle & planè misera imperatorum conditione, quòd saluberrimæ cunctationi periculosam pugnæ aleam prætulisse diceretur. Sed cuncta eo bello prælioque uel rectissimè ordinata, unum, ut credi par esset, diuinum magni ultoris numen uiolenter euertit: scilicet ut elatos, uirtutique suæ insolenter confisos, & nihil de uictoriæ euentu dubitantes, leniter castigaret. Post eam pugnam in subiectis Ceresolæ campis à Cæsarianis malè pugnatam, Anghianus uictor, quanquam effuse lætaretur, sese tamen commouere ultraque progredi in Insubrum fines, & denique uictoria uti non potuit, quòd multis rerum difficultatibus esset circumuentus. Ante omnia ueteranę cohortes, promptissimo quoque militum occiso aut uulnerato, uehemẽter attenuatæ,

attenuatæ, orbataeq; multis centurionibus atq; signiferis, nouo supplemento erant instaurandæ, & cuncti pariter equites & pedites ex uetere militari consuetudine, uti acie uictores, dignum fide & felicitate generosi nouiq; imperatoris donatiuum postulabant: quòd tametsi prolixa pollicitatione & datis uadibus differri extrahiq; posse uideretur, nihil tamen quæstorum inopiam subleuabat, quoniã Heluetijs persoluẽdi stipendij dies aderat, quibuscum nulla excusatione utendum foret. Cuius negocij difficultates, neq; facilè neque celeriter poterat explicari, propter præsentis rei nummarię defectũ. Nouum quoque expediendis consilijs impedimentum attulerant Heluetij, quum inconsultis pagorũ suorum magistratibus se Cæsaris fines inuasuros, pernegarent. Dicebant enim se ea præcipuè de causa in Italiã missos fuisse, ut Subalpinæ ditionis oppida quæ regijs præsidijs tenerentur, à Cæsarianorum ui iniuriaq; defenderent, atq; obiter integra fide renouati sæpè fœderis iura tuerentur, quæ uigerent inter Heluetiam gentẽ, cui Grisones socij antiquitus essent annexi, & ipsas Mediolanẽsis imperij ciuitates, quibus tanquam uicinitate finium, & mutuo mercaturæ commercio amicissimè coniunctis inferre arma, neq; ex fœdere liceret, neque ex commodo suæ gentis expediret. Illud uerò unum præcipuè progrediendi tentandæq; iterum fortunæ deliberationes suspẽdebat, quòd relictis in tergo tot hostium præsidijs, nequaquam prius in Insubres signa ex tuto uerti possent, quàm Carinianę obsidionis euentum spectarent. Itaque Anghianus, Tessiũ qui pedestribus præerat copijs, ad occupanda Montisferrati oppida, cum parte copiarum misit, & Carinianum arctius obsidere constituit. Pyrrhus enim, nihil aduerso Vastij successu terrefactus, hortãti cõminantiq; Anghiano, ut dijudicatæ belli fortunæ cederet, desineret expectare nouam opem, & pertinaciæ finem imponeret, postquam uirtuti existimationique suæ tamdiu perpessus inediam cumulatè satisfeciſſet: elato animo respondebat, ipsius atque omnium militum, qui essent in præsidio, unum esse decretum, perferre cuncta obsidionis incommoda, donec extremæ alimentorum quisquiliæ superessent: his uerò cõsumptis, ad cruentam eruptionem corpora atq; animos parare. Ab alia quoque parte Vistarinus è Cherio sæpè erumpendo obsidendoq; itinera, magna quotidie inferebat detrimenta. Certior etiam fiebat Anghianus Vastium integris Salernitani cohortibus, & incolumi toto ferè equitatu confirmatum, si ipse progredi inciperet, continuò prouehentis sese uestigijs instituturum, aut adiuncto sibi Vistarino, & eductis coactisq; in unum omnibus præsidijs, Pyrrhum obsidione liberaturum. Istum ab Asta secundo Pado ad Ticinum urbem descenderat, ut uulnus quanquam minimè sæuum, & obortam inde podagram curaret, & ex propinquo Mediolanenses præsides, reliquarumque urbium præfectos hortaretur, ut timere desinerent, confirmarentque præsidia, & studiosissimè, uti semper fecissent, in stipendia pecuniam expedirent. Nec multo pòst Anghianus, ut generoso consilio omnem captiuorum multitudinem dimisit, ea conditione ut Hispani in Hispaniam, Germani in Germaniã, per Galliæ fines reuerterentur. His præsidium est datũ, quod passim inuiolatos præstaret atq; deduceret, edictoq; regio cautum est, ut commeatus transeuntibus pagatim præberetur. Iere Hispanici nominis milites sexcenti & quadraginta tres, Germani uerò supra mille: liberauitque demum certa permutatione Raimundum Cardonium, & Carolũ Gõzagam, ut Thermeum, cuius uirtuti plurimum tribuebat, pro duobus acciperet: quibus etiam liberaliter additus est Aliprandus, cardinale Tridentino fratre eum accuratis precibus impetrãte. Interea Vastius crebris speculatorum nuncijs certior fiebat, regem Francisum uni huic consilio maximè incumbere, ut Anghianum nouis augeret copijs, & bellũ multo ptiore acrius & intentius in Italia accenderet, ut Cæsaris & Henrici impetum auertere aut retardare conaretur. Apparebat enim Cæsarem, si amittendæ Cisalpinæ Galliæ periculo distineretur, remissiore quàm statuisset uirium apparatu Galliam inuasurum. Quamobrem Petrum Strozzam, qui Florentinorum exulum erat princeps, regiæq; domui arcta propinquitate cõiunctus, per Rheticas Alpes in Italiam misit, datis secretioribus mãdatis, quibus Gallicæ factionis studiosos ad nauandam operam excitaret, quibuscum communicatis consilijs & coactis copijs, instauratoq; propere bello Cæsarianos adoriretur. Erat Strozza elato ardentique ingenio, & optimis exculto literis: sed eo plerumq; infræni, & aduersus pericula prorsus indomito, quum ardua quæq; atq; aspera tentando, excelsæ & immodicæ laudis famam appeteret. Is nauandæ operæ cupidus, totius obeundi atq; implendi consilij uim omnem in una maximè celeritate positam iudicabat. Itaq; quæstores Gallos nihil expectãdos decernẽs, ex sua pecunia circiter septem millia hominum cõscribit, & apud oppidum Mirãdulam cogit, quibus Georgius Martinengus nobilis Brixianus cum ala equitũ adiungitur. Inde Venetias peruolat, ut cum Hippolyto Aretino cardinale, apud quem instruendæ rei, & consilij explicãdi summa erat authoritas, colloqueretur. Is acciuerat Petrum Mariam Rosciũ Italicis cohortibus Belgico bello præesse solitum, & Galeotum Picum Mirandulæ Comitem. Quum de tota itineris capiũdi, faciundæq; irruptionis ratione disputaretur, & uariæ essent sententiæ, Strozza cui omnis tum inepta tum aduersa audacibus eius consilij tarditas erat, se suo usurum consilio, & bellum gesturum dixit, illacq; perducturum copias suo sumptu conductas, quà eius suscepti belli fortuna iter monstraret. Proinde æquo animo perferret, si non ignarus rerum suarũ ab aliena sententia dissentiret, & celeritate sibi utendũ arbitraretur: quãdo ipse peculiari suo periculo, quod salutem, famã, & opes respiceret, sui studij operam insignem regi esset probaturus. Hippolytus hæc Strozzæ deposcenti, enixeque uolenti uel inuitus concesſit, ratus eum ex arcano consilio quod deregi nollet, nequaquam temerè, sed exploratò aliqua tentaturũ, quæ subsequentibus copijs Romanis aperiendæ uictoriæ initium præberet. Habebantur interim Romæ, omnibusque pontificiæ ditionis regionibus militum delectus, pari studio Cęsarianarum & Gallicarum partium, quum utrinq; factiosi proceres, cardinalesque beneficijs obstricti pecuniam proferrent, in neutram partem inclinante pontifice. Franciscus Vrsinus, magni Pitiliani nepos, & cum eo duo Sanseuerinæ familiæ reguli, exules Neapolitani, Sommeus & Capaccius, aliquot ueteranas cohortes ex factiosis, Guelphoq; nomini addictis, instruxerant: parique contentione Martius Columna, & Iulianus Cæsarianus ueteres suos milites, partiumq; studiosos ad signa uocauerant, magno armorum strepitu in Galliam Cisalpinam properantes, hi ut Vastio laboranti opem ferrẽt: illi uerò, ut Strozzeanis copijs iungerentur. Verùm Cosmus Etruriæ princeps, expeditiore feliciореque in Cęsarem studio, labantem Mediolanensium rerum statum, & Vastium asperrimis difficultatibus implicitũ, opportunissimo tempore erexit atque firmauit. Is enim pòst aduersam Ceresolæ pugnam, contecto maximè consilio, quid paret ad Andream Auriam perscribit, postulatque, ut sibi classem uiginti triremium ad Etruscum litus mittat; quòd ea auxilia, multo celerius ab Genua Mediolanũ, quàm alio itinere, peruentura iudicet. Probatur ab Auria consilium, missisq; triremibus,

duò milia ueteranorum peditum imponuntur. Hi
A
turum. Tum uerò Strozza, qui ad Orium uicum ca
summa celeritate Genuam deuecti, minimamq; fi
stra habebat, prouiso rerum suarum periculo, con
bi ad quietem horam tribuentes, Mediolanum ma
silium quod necessitas offerret, repentè commutat,
gna omnium alacritate peruenium, adducente Ro
& ad Padum soluto Lambri ponte, ne per eum ho
dulpho Baleono, qui eis obuiã ierat, ut singulos ad
stis insequeretur, signa conuertit. Id iter concepti ti
conficiendũ iter hortaretur. Præerant cohortibus
moris plenum, tumultuosæque fugæ simile, ac exi
Otho Montacus, Fœdericusque eius frater, & Iulia
tu pernicioſum uideri poterat, nisi Petrus Aloysius
nus Strozza egregiè uiri fortes. Hęc conspecta ma
Farnesius è Placentia aliquot lintres ad parandum
nus, quòd ex ueteranis notisque militibus consta
transitum peropportunè atque amicissimè suppe
bat, Insubrum iuuentuti, quæ iam animos, consilij
ditasset, ut eius matura opportunaque ope Strozza
& opis inops, propè desponderat, pristinam spem
subleuatus, summum quod instabat salutis discri
alacritatemq; restituit. Fama enim erat edita in uul
men euaserit. Erat eo tempore Farnesius alieno erga Cæsarem animo, quòd à patre Paulo pontifice,
gus, ab his qui Gallico nomini fauebant, Strozzam
multo maiores quàm haberet, trahere copias, Gal
Parmæ atque Placentiæ princeps & dynasta consti
los occupata Nouaria in Ticino põtem parare, quo
tutus, nunquam id pontificium munus uel in gra
pauciſsimis horis Mediolanum peruolarent. Stroz
tiam Margaritæ filiæ enixè orantis, Cæsar Augusta
za enim sua usus celeritate, eductis Mirandula co
li authoritate confirmare uoluisset. Hæc enim ge
pijs, Padum traiecerat, ad Casale maius oppidum:
mellos pueros rara felicitate, in spem auiti principa
indeque recreatis copijs oppidi commeatu, prœter
tus Octauio pepererat, durioremque in ea re con
uectus Cremonæ mœnia, Abduam amnẽ iuxta Ca
cedenda patrem Cæsarẽ fuerat experta. Sed in Far
stellionem nauiculis coniunctis ita superarat, ut in
nesio irritę petitionis dolorem in modum augebãt
margine ulterioris ripæ erecta statim munitione,
multa aduersa, quæ de Cæsaris animo nusquam si
primi qui transierant, dum reliqui transueherẽtur,
bi propenso nunciabãtur. Nunquam enim eum uel
egregiè sese ab hostibus defenderent. Eò namque
in præscriptione literarum, uel in legatorum collo
Hieronymus Sylua cum duabus turmis equitum,
quijs honestiore titulo duceri, aut principem ap
& quibusdam Cremonensium peditum uexillis ad
pellare uoluerat, ne uel inanis tituli præiudicio im
uolarat, ut Strozzeanos amnis transitu prohiberet.
peratorij iuris authoritatẽ abrogare uideretur. Qua
Sed in ea contentione Sylua glande brachium traie
contumelia offensus, studium suum ad Gallicas par
ctus, ab eo conatu sic discesserat, ut hostes quò uel
tes conuertisse credi poterat, non ignaro, aut disi
lent, nemine qui resisteret inuento, iam adesse trepi
mulante pontifice, qui in omni actione Tridentini
dis agricolarum nuncijs crederentur. Timebat Va
concilij Cæsarianos præsides pontificiæ dignitati
stius Laudi Pompeiæ, propterea eò Caldaronẽ His
grauiter maligneq; aduersos extitisse cognouisset,
panum cum turma equitum miserat, qui Lauden
& Britannici fœderis contumeliam subamaro ani
ses in fide contineret. Verùm Mediolano multo ma
mo toleraret: Cæsare id totum de Paulo Farnesio
ximè timere cogebatur, quòd cum Strozza Pallaui
que facile suspicante, cùm aliquot in rebus nequa
cinus Vicecomes aduentarat, qui apud Insubres tã
quam leuissimis, tum eo præsertim tintrium bene
quam ex uetere principum stirpe ortus, magnas &
B
ficio in Strozzam collato grauissimè perstrictus, pa
illustres habebat cognationes, multasque popula
rem iniuriam Farnesio aliquando se relaturum pa
rium clientelas, quibus inductis & concitatis, tu
lam dixisset. Cęterùm Strozza circa Placentiam re
multus facilè posset excitari in perampla ciuitate,
cepto, multis ex numero suorum militum dilaben
quę assiduis ac intolerandis tributis alienata, para
tibus, Pitialianus, qui erat Farnesio arcta propinqui
ta credi poterat ad nouandas res, ut inuisum & præ
tate coniunctus, sese cum Romanis quas adduxe
graue Hispanici imperij iugum excuteret. Sed post
rat copijs, Strozzæ coniunxit, ut secunda suscepti
quam Rodulphus Baleonus, ad quẽ antea Cosmus
belli cõsilia, postquam eos prima fefellissent, nouo
ad reparandam alam dono pecuniam miserat, Etru
consensu sequerentur. Coniunctis apud castellum
scis cohortibus obuiam profectus, redire atque ad
sancti Ioannis in una castra copijs, Strozza ad Padũ
ducere magni roboris auxilia nunciatus est, defer
se conuertit: occupatoq; Rifofreto oppidulo, quod
buit in populo conceptus timor & trepidatio, mira
est Padanæ ripæ finitimum, traiecturi speciem prę
que tranquillitas urbi dudum attonitæ reddita est.
bebat, ut hostes distineret & falleret. Nam eum Va
Quibus rebus cognitis Strozza, quòd Etruscarum
stius Pitiliani auctum copijs, consisumq; Placenti
cohortium celeritate se uictum uidebat, nec sese po
norum nauigijs, id ausurum nõ temerè suspicatus,
pulus, uti speraſſet, commouere sentiretur, inanes q;
adiuncto sibi cum equitatu Philippo Lanoio, & ad
omnino Pallauicini exulis spes esse conspiceret, ad
ducta Germanorum & Hispanorum manu, ad tuen
læuam deflexit, Lambrumq; amnem subitario pon
dam Padi ripam, è Ticino sese contulerat (præmis
te iunxit: eo quidem indignantius & properãtius,
so antea Salernitano cum reliquis copijs ad uicum,
quòd Anghianum, secus ac eum facturum credide
qui antiquitus, non procul à Clastidio, Iterobuium
rat, nihil sese in ea rerum occasione prouehere, sed
appellabatur, hodie uerò Stratellæ nomen habet,
Cariniano lentè obsidentem inefficacius & pertina
Æmiliæ uiæ impositum) eo consilio, ut Salernita
cius quàm oporteret hærere didicisset. Is namque
nus, ubi arctior est uia, aditu conciso præsepto que
paulo antè præclarè audenti, atq; expedita inferen
trãsuersam munitionem erigeret, tormentisq; in ea
ti arma literis ac nuncijs significarat, se nullam rei
constitutis aduersarios illac perrumpere audentes
ex composito bene gerendæ occasionem esse præ
deterreret, & locum hosti iniquissimũ summa suo
termissurum. Interim Vastius explorato, animad
rum securitate tueretur. Eius institutæ rei negociũ
uersoq; hostium itinere, multũ diuerso ab eo quod
Salernitanus ita opportunè atq; celeriter exequu
antea fuerat suspicatus, tanquam liberatis metu In
tus est, ut Strozzã cuncta explorantẽ suscipiẽdi eius
subribus, lectica sese efferri iubet: eductisque copijs
itineris tota spe deijceret, propereaq; hostis mul
Lanoium cum equitatu ad Belgiosium oppidũ præ
tus uersaretur in simulatione traijciendi amnis: ut
mittit, pedestres uerò copias administrante Cæsare
pote qui per asperos montes ad læuam secundum
Masio, idoneis in locis, quæ hostis imperum sustì
Apœnini radices agmen ductare decreuisset, quòd
neant, & motum obseruent, properè disponit, le
omnino insanum arbitraretur, uel Salernitani mu
uiaque passim prælia ab extraordinarijs committi
nitiones aggredi, uel contemnere insequuturi hos
iubet. Sperabat enim se hostem magnis inclusum
tis equitatum, si per loca plana id rectum iter esset
fluminibus, planeq; irretitum, nullo negocio dele-
habituros. Itaq; prouisis quatuor dierũ cibarijs, si-
lentio

lentio noctuque se proripuit in montes, arduumq;
A
in acie glande traiectus cecidit. Ipse Strozza cũ Ni
iter Placentinis usus ducibus insigni studio, & tole
colao Pitiliani filio, Flaminioq; Anguillario in fines
rantia militum per impeditissimas conualles, & cõ
sociorum Gallorum proximos euasit, sæpè deteſta
fragosa collium iuga, triduo confecit, sæpè lacesi
tus Tesij segniciem non obscura malignitate con
tus in tergo, & in lateribus ab his qui Salernitani
iunctam, qui uti promiserat, alam equitum è proxi
iussu abeuntium uestigijs institerant. Is enim cogni
mo Montis ferrati oppido sibi obuiam nõ misisset:
ta hostium profectione, Cæsarem Massium, & Ro
eius enim equitum præsidio famaque hostes deter
dulphum Baleonum, qui nouissimos consectarentur, Sfortiamque item sanctæ Floræ Comitem, &
reri superariq; potuisse multi prædicabant. Nec
multo pòst Strozza, qui in aduersis inuictos spiri
Sfortiam Pallauicinum, qui notis tramitibus, altio
tus gerebat, experiri iterum fortunã, inusitata, sed
req; circuitu hostes antecederent, & circa saltus de
felici temeritate constituit. Confluentibus enim ad
morari retardareque contenderent, cum expeditis
eum ex fuga militibus, cõquisitisque multis equis,
equitibus, & selopetarijs præmiserat. Ipse uerò, ut
& nemini communicato consilio, quod tutum sua
imperarat Vastius, recto uię militaris itinere uicum
celeritas faceret, inopinantibus hostibus rectà per
Iriæ & Dertonam præteruectus, ægrè raptatis atq;
Æmiliam uiam Placentiam est regressus, quum ru
demulsis cohortibus, quæ tot itineribus fatigatæ
brę crucis insigne militaribus sagis insuisset, ut pas
certa stipendij subsidia flagitabant, tertijs castris ad
sim iter habens, Cæsarianæ alæ speciem præberet.
Scriuiam flumen peruenit. Id ex Apœnino præceps
Is ad Placentiam receptus, milites colligere, suoq;
datum, ubi Liguriæ rupes desinunt, ad Sarauallem
sumptu cohortes scribere cœpit, uel id cõsilium ne
oppidũ, uti per plana loca diffusius uadabile se prę
quaquam probante Anghiano, qui solicitus de Gal
bet, innominatumq; antiquis scriptoribus, ab uno
lici belli euentu, quando iam Cęsar & Henricus ter
tantum Paulo Diacono Scriuia uocatur. Iam Stroz
ra marique ex composito ualida inferrent arma, ni
zeana uexilla conspici, appropinquareq; cœperant,
hil ultra tentandum, perspecto Strozzeanæ expedi
quum Laonius cum suo equitatu Salernitano se cõ
tionis fœdo exitu, iudicaret. Sed Strozza nihilo se
iunxit, & ij qui per montes persequuti hostes fue
cius pertinaci incitatus studio subleuandam nouo
rant, è iugis ad castra descenderunt. Nec mora, leui
ausu partium fortunam ratus, ineffica ciaque Gallo
bus & tumultuarijs prælijs certari cœptum est: quũ
rum ducum cõsilia, nec ea quidem usquam tempe
uerò Strozzeanæ cohortes amnis uadum superan
stiuè satis explicata despiciens, collegit copias, inu
tes, ad accliuia uineta metu equitum se subducerẽt,
sitatisq; tramitibus per Ligustica saxa, ad Mantocu
& lentior ad uada amnis esset pugna, Cæsarianæ ali
lum Flisicum castellum eas perduxit, atque inde
quot cohortes proximum hosti collem occuparũt.
commeatu adiutus, in Pulciferam se dimisit uallẽ:
Id non ferentes Strozzeani, eas usqueadeò uehemẽ
eo tutius atq; facilius, quòd sese Genuenses in neu
ti impetu adorti sunt, ut neque consistere, neq; uim
tram partem cõmouerent, pacatumq; iter transeun
sustinere possent, & compulsi in fugam, tormenta
tibus præbere montanos Ligures iuberent: grauiter id ferente Figaro a Cæsaris legato, qui ciuitatem
duo amissis signis deserere cogerentur. At Strozza
eos quos Cæsar inimicos duceret, pro hostibus ha
secundo suorum successu, tanquam oriẽte uictoria
bituram persuasum habebat. Eo enim tempore se
maximè lætus, cohortante Matthæo Forosempro
B
natus Genuensis Gallicum nomen, quod in nego
niano præfecto audaci potius quàm perito, se con
ciationibus & mercaturis ipsorum nauigantiũ ma
tinere nõ potuit, quin è uinetis erumperet, ingemi
gnopere conduceret, amicè colendum esse statue
natoque uictoriæ clamore edito, Pitiliani agminis
bat. Itaq; Strozza intra Gallica præsidia sine ullo in
præfectos admoneret & accerseret, ut cum phalan
commodo penetrauit, Albamque Pompeiam ador
ge postrema subsequi intento passu, & cœptæ uicto
tus, eiecto Capinio Mantuano, qui urbi præerat, in
riæ adesse uellẽt. Pitilianus ipse in crure, suo an alie
potestatem redegit, amisso ibi Matthæo Forosem
no gladio incertum, grauiter uulneratus, Placentię
proniano, quem intempestiuo hortatu suo uictoriã
subsistiterat: sic ut apud eius copias, nõ unus, sed plu
corupisse ad Scriuiã suprà docuimus. Eisdem die
res imperij authoritatem obtinerent, nec peritioribus, quibus Strozza conscribendis cohortibus erat
bus præfectis, sed honore prestantibus regulis mi
intentus, ut acceptum ad Scriuiam detrimentũ ali
lites parerent. Quamobrem exaudito uictoriæ cla
qua ex parte resarcire conaretur, Ioannes Vega His
more, quanquam Sommeus atque Capaccius den
panus ad Vastium ab urbe peruenit, ut collegæ no
sata phalange, eundum esse ad uineta præciperent,
mine administrandis rebus esset adiutor: is apud
noui milites contineri nequiuerunt, quin dissolutis
Paulum pontificem Cæsarianæ legationis munere
ordinibus procurrerent, extenuatoque agmine ho
fungebatur, uir efficax & seuerè grauis. In conscri
stium equitibus occasionem irrumpendi prębereẽt:
bendis enim Italicis cohortibus, quas diximus, con
cui non defuit Salernitanus, increpitis equitibus,
quirendaque pecunia, enixè operam dederat, ut Va
qui aliquandiu infami segnicie cessatores, neque e
stio certa spe auxiliorum maturè confirmato Cisal
quos tanquam fessos acriter incitare, neque alacri
pinæ Galliæ succurreretur. Discesserat demũ à pon
ter phalangem adoriri uoluerãt. Erubuit eques, &
tifice alienato planè animo, quòd illum à Gallica a
extemplò uehementer equos incitauit, irrumpen
micitia non abhorrere crederet. Eius aduentus quã
teq; ante alios Bartholomæo Græco Volaterranæ
quam Vastio parum gratus, & Salernitano præci
stirpis, Baleoni alæ præfecto perrupta est hostilis a
puè grauis, non obscura honoris obtrectatione ui
cies malè cohærens: inuadenteq; demum ex omni
deretur, tamẽ in unum communicatis consilijs Cę
parte equitatu, & consequentibus cohortibus, tota
saris causa consenserunt, Vega sese apertiorem & ę
fœdè profligata disipataq; est, eo euentu, ut paucis
quiorem præbente, quàm crediderant. Præferebat
occisis, integri fermè omnes caperentur, renouata
enim ingenium more gentis elatum, & uultum ab
memoria incruentæ patrum nostrorũ militiæ: nam
Italica comitate prorsus alienum, fed qui suas par
Italus clementer deditis parcebat, spolio cõtentus.
tes inspiciendis præsidijs, & parandis commeati
Bona quoq; sorte Sanseuerini proceres Sommeus
bus diligenter obibat. Conuertit se demum Vega
atque Capaccius exules Neapolitani, qui capitis nõ
ad oppugnandum Anxianum oppidum, quod eo
dubium discrimen adibant, dimissi sunt, quũ quis
euentu expugnatum est, ut oppidanos ad unũ om
que miles Vastio & Salernitano sanguine coniun
nes cum præsidio trucidari sineret, sæuas manus ad
ctos, humaniter potius dimittendos, quàm seuerè
eam cædẽ præbentibus Hispanis & Germanis, qui
ad necem reterrimam externo iudicio tradendos
seruatos ad Scriuiam hostes ab Italis ægerrimè fere
existimaret. Vnus omnium nobilissimi sanguinis,
bant. Vega quoque eius cruenti facti sæuitiem inui
& summæ spei indolis adolescens Vlysses Vrsinus,
dioſa

diosa seueritate cumulauit, quum deditos præfectũ A
præsidij & signiferum cum centurione, nonnullisq;
militibus Insubri nominis, ad subgrundia porticus
laqueo suspendi iussisset, quòd aliquanto pertinacius & insolentius quàm deceret, aduersus Cæsaria
nos tanta ui oppugnantes propugnassent: sic ut Ita
li iniquis animis eam Hispani nouæ ducis acerbitatem ferrent, quando ij, qui sese perseuerantius pugnando, cùm fidei, tum militiæ decus tueri uellent,
inhumano prorsus more latronum supplicio punirentur, & eo quidem indignantius, quòd ipsorum
cohortes post diu oppugnatum murum ex ipso cruento conatu Vega reuocasset, ut succedentibus Hispanis, qui recentes & integri fuissent, expugnati oppidi laus ipsaque præda omnis pararetur. Sed Vega
seuerioris eius facti inclementiam eo nomine excusabat, quòd transfugas & exules apud Gallos stipendia facientes, tanquã Cæsarianæ ditionis, iusta pœna damnandos iudicasset. Ab hoc etiam terrore hostibus resistere paratis illato, Vega Andesanam oppidum sine uulnere recepit. Nec multo pòst his rebus gestis Vega ad suũ suscepræ legationis munus
Romam est reuersus, ipso Vastio disponente præsidia, & Carinianę obsidionis successum, Anghianiq;
motus obseruãte. Nec multis inde diebus Pyrrhus
extrema alimentorum inopia compulsus, honesta
conditione Anghiano deditionem fecit, ita annuentibus Germanis pariter & Hispanis, quos diu spe
eruptionis sustentatos in officio continuerat. His
uerò conditionibus deditio facta est, ut Germani in
Germaniam continuò redirent, Hispani extra uetures Subalpinæ ditionis fines, quò uellent, demigrarent, neque intra quartum mensem Cæsari militarem operam præstarẽt: Pyrrhus ipse sub fide dimissus, ad Franciscum regem in Galliam statim profici
sceretur, & ab regia clementia libertatem peteret:
bellicus uerò apparatus omnis, qui Cariniani esset, B
Gallis cederet. Eo modo Pyrrhus à Gallis Cherium
deductus, non multo pòst ad regẽ se contulit, à quo
singulari humanitate susciputur. nam Franciscus uel
in hoste uerę uirturis admirator, facilè eum ad liberale stipendium inuitauit, abnuẽtem affecit donis,
& ut transiret ad Cæsarem, potestatẽ fecit. Sed præfectus Hispanorum, cui cognomen fuit sanctus Michaël, nequaquam sincera fide conditionis stare uisus est, quòd nonnulla à Gallis sibi uiolata fuisse diceret: atq; ita conniuente Vastio, secundo deuectus
Pado, ad Brixellum Atestinorum ditionis cohortes
exposuit, expeditisque tormentis oppido ita potitus est, ut præfectum oppidi cognomine Bellingam
bum tormentis excruciaret, & oppidani gratuito
uberioreque conuictu Hispanos alere cogerentur.
Hoc indulsisse Vastius non inuitus credi potuit, q
eius oppidi copijs cohortes alendas putaret, atque
odium in Cæsarem Hippolyti Atestini cardinalis
ulciscereturr. Eisdem fermè diebus quibus hæc inter Cæsarianos & Gallos in Subalpina regione gesta sunt, honesto pioq; consilio rex Franciscus Barbarussam censuit dimittendum. Barbarus namque
sibi satagere, undique prædari, neq; ocium pati soli
tus, querebatur se non sine contumelia sui nominis
retineri: utpote qui neque Gallo utilis, neq; Cæsari
hosti infestus foret, & sibi opportunum ad nauigandum tempus elabi prædicaret: addens, si iuberetur,
& rex Cæsari implacabili suo hosti in Galliã irrumpenti æquo iure nocendum putaret, se paratum fore, ut expedita & strenua excursione totius Hispaniæ oram summis ferro atq; igne illatis detrimentis, à primo Pyrenæi promontorio ad Gaditanum
usq; fretum peruastaret. Id consilium rex ab insita
sua pietate prorsus alienum, quanquam amicissimè
oblatum continuò repudiauit. Itaq; in supplementum demortuorum Turcarum condonauit ei rex
Turcici Puniciq́ue nominis seruos omnes numero
fermè quadringentos, qui essent Gallicis in triremi
bus ad remum damnati: ipsoq; instruente omni genere commeatus, multaq; insuper munera in ipsum
Barbarussam congerẽte, Ottomannica classis oram
soluit, tenuitq; rectà cursum à Leronijs insulis ad ua
da Sabatia, qui est portus Sauonæ propinquus: ibi
ab Genuensi senatu multa tela serica, multisq; recẽtibus cibarijs benignè donatus est, indeque exiens
professus se in Liguria nemini nociturum, ad Iluam
insulam cõtendit. Vbi uerò appulsa est tota classis,
Barbarussa literas ad Appianum eius insulæ Populiniq; regulum, in hanc sententiam perscripsit: Scio
apud te seruire adolescentem Turcam, Sinæ præfecti triremium cognomento Iudæi filium, iampridẽ
Tuneti captum: hũc uelim ut amicè restituas, quòd
munus ostẽdam mihi fuisse gratissimum. nam hæc
nostra ingens classis dum præteruehetur, ab omni
hostili iniuria & maleficio integra fide temperabit.
Quod si mihi obsequi hac parua in re grauaberis, sci
to eam cladem in ora ditionis tuæ esse expectandã,
quæ ab infensissimo hoste inferri possit. Ad eas lite
ras Appianus ita respondit, ut dissimulare metum
ostẽtatis in muri corona armatis hominibus, & mu
nitioni loci confidere uideretur: diceretq́ue se, quo
minus petenti obtemperaret, prohiberi religione,
quòd adolescẽtem Christianis initiatum sacris fine
piaculo tradi non posse, sacerdotes confirmarẽt. Cæteris autẽ in rebus cuncta humanitatis officia trãseunti præstiturum, & iuuenem nequaquam serui,
sed filij loco ab eius commendatione sẽper habiturum. Addidit etiam munera recentis cõmeatus,
quibus minus grati responsi sui conditionem leniret. Hæc ubi à legato suo renũciata sunt, Barbarussa
uehemẽter iratus Appiano, quòd cũctantius & perplexius quàm ipse cuperet, respondisset, occupatis
cunctis insulę litoribus, ut milites descensiones facerent, & ad prædam discurrerẽt, pronunciauit. In
Ilua, quæ Æthalia etiã dicitur, gemini sunt portus,
procurrente inter ambos enormi quodam cõcisi litoris anfractu, ad latioris isthmi similitudinem, cuius dextra pars in oblongam exporrecta frontẽ promõtoriũ efficit, iuxta Magnetis rupes, quòd Caput
Liberũ incolæ uocant: huic introrsus subiacet portus, quantumuis magnæ classis capax, sed Vulturni
& Euronoti flatibus expositus. Is propter sinus hiãtis longitudinẽ, Longonis nomen obtinet. Alter uerò in diuersa insulæ parte, qui olim Argous fuit, &
hodie Ferrarius uocatur, uergit ad septentriones, &
aduersam Etruriæ continentẽ spectat, contra Baractum antiquæ Populoniæ portum: Longone quidem tutior atque nobilior, uel ob id, quòd aduncomollioris pelagi sinu profundissima atque optima
uel octoginta triremibus statio arctis adeò faucib.
includitur, ut cathena aduersus omnem impetum
præcingi possit. Binis quoq; editis arcibus latè maria spectantibus, & portũ aptissimè protegentibus,
quas hodie Cosmus Medices opportuno inaccessæ
utrinq; rupis supercilio imposuit. Harum alterã ab
ipsa radiosi ædificij figura Stellam, alterã ab excelsa
structura Falconem appellauit, ut portus usum Barbaris prædonibus metu imminẽtium tormentorũ
eripiat: eo etiam grauiore consilio, quòd magnis circunductis operibus peramplam coloniã ad tuti celebrisq; emporij nomen condat, maximè salubri in
loco, piscosoq; litore, ad quã incolis omnibus conspecto hoste tutissimus sit receptus. Primũ omniũ
Barbari oppidum, Caput Liberum de proximi promõtorij nomine uocatũ, ea celeritate aggressi sunt,
ut oppidanos fermè omnes interciperẽt, effusiq; undiq; ad prædam incolas frustra in rupes senticosas,
& nemorosa loca fugientes, uenantiũ more cõsectarentur: cõuersiq; inde ad Vulturaiũ, excelsum prærupta in caute castellũ, misilibus frustra tentarunt, lateq; munita loca prædati ad classem redierunt: qua
suorum

suorum calamitate nunciata, Appianus, ne eius in- A
sulæ quæ sibi ferrariæ sectura, multarumq; rerum
uberrimum uectigal præbet, supremum excidium
lugeret, consilium mutauit, redditoq; adolescente
pacem redemit: non temerè iudicans se tantæ classis uim non esse laturum, si irati Barbari impetus esset expectandus, quanquã Cosmus integræ cohortis præsidium sibi præmisisset, id cùm publicæ catisæ facilè tribuens, tum priuatæ item amicitiæ, quũ
Saluiata ipsius matertera in Appiani matrimonio
esset. Itaque recepto adolescente Barbarussa ab reliquis insulæ oppidis & maleficijs abstinens, adolescentẽ, quẽ Salecus adduxerat, Italica insigni adornatum uestę, tanquam fortissimi uiri ueteris q; sodalis sui filium, paterna charitate cõplexus est, gratiasque agens Appiano, promissi fidem nusquam ei
postea iniurius impleuit. Hunc adolescẽtem honoris causa septem triremibus præfecit, sic, ut postea
mitteretur tanquam postliminio redditus ad patrẽ
Sinam usq; ad Suetiam Rubri maris portum, Memphi urbi propinquissimũ, qui antiquitus Arsinoes
fuit. Ibi enim Sinas, propter naualis disciplinę peritiam, magnumque usum in re militari, ædificandæ
adducendæq; in Indiam classi aduersus Lusitanos
à Solymano tuerat præpositus. Verùm, senex inexpectatam singularemque ex recepto filio lætitiam
diu sustinere non potuit, quum præ gaudio supremum animæ deliquiũ incurrisset. Erat Sinas, ut sæpè alibi diximus, ipsi Hariadeno opinione uirtutis
ferè par, & ætate æqualis, prudentia uerò æquitateque iudicij facilè superior, uel ipso captiuorum testimonio, qui eum, Barbarussa, uti sæpè iracũdo atq;
acerbissimo, mitiorem dominum experti fuissent.
Interim Cosmus per Græcum speculatorem, quem
opimo stipendio in ipsa Barbarussæ naue prætoria
diu aluerat, de profectione arcanisque etiam Barbari consilijs certior factus, sicuti Etruriæ principem B
deceret, frequentibus literis Senenses admonebat
de aduentu Turcarũ classis: hortabaturq;, ut quàm
maxima possent præsidia per oram ipsorum ditionis accuratè disponerent, ne aliquod repentino Barbarorum impetu detrimentum acciperetur, quòd
Barbarussam inhiare Etruscæ oræ portubus, & tutam sibi stationem in Italia parare uelle didicisset.
Propterea ad auertendam communem immanium
hostium perniciem, quas ipse haberet paratas peditum atq; equitum copias illis offerebat, si eas intra
fines reciperent, ut eius oręlitoribus atq; hosti, quũ
expediret, essent propinquiores. Sed Senenses ea tota consilia atque præsidia repudiarunt, quòd finitimorum ualida arma intra fines recipere minus tutũ
putarent, proprijsque uiribus Barbaro resisti posse
confiderent. At Barbarussa Ilua excedens, Telamonemq; delatus, expositis illico tormentis oppidum
adoritur: iuxtaque arcem, quà murus erat debilior,
magna pinnarum strage edita, ingressum sibi parat:
quo periculo territi, qui exiguo præsidio præerant,
Hieronymus & Ambrosius cum Verdone cẽturione, perforato muro ad aduersam oppidi partẽ effugere conantes, à Turcarum circunfusorum corona
capiuntur: oppidumque ita diripitur, ut Barbarussa
in domũ Bartholomæi Telamonij igne desæuiret,
sepulchrumq; eius paulo antè defuncti uiolatis ossibus disijceret, quòd is superioribus annis põtificiarum præfectus triremium prædabundus ad Lesbũ
insulam usque prouectus, Mitylenæum agrum, paternasque Barbarussæ possessiones euastasset. Eadem ui celeritateq; Barbari introrsus à litore octo
millibus passuum distans Monteanum oppidũ nocturno peruenere, Monteanenses que ad unum ferè omnes miserabili captura oppressere, sic, ut pauci tantum aratores & agricolæ, qui in opus exierant, seruarentur. His nuncijs territi Senenses, quum Barbarussam ad portus Herculis oppidum imperitè in-

ualideque munitum, contendere serò prouiderent, B
Ioannem Lunam urbis præfectum cum manu Hispanorum & tumultuarijs ciuium cohortibus, ad
mare descendere iusserunt. Sed interim Barbari singulari usi diligentia atque incredibili artificio, eductis in præaltam rupem tormentis, suppositam arcem ipsumque oppidum tanta ui diuerberarunt, ut
Carolus Manutius Senensis, & Coranza Hispanus
inusitato summæ cladis periculo territi, cum præsidio in seruitutem se dederent, oppidum incenderetur à Barbaris, & Chisianæ magnificentissimę domus deliciæ uastarentur. Chisius enim Senensium
uir elegantissimus, qui summæ opulentiæ erat publicanus, hoc oppidum operosis ædificijs exornarat. Fumante autem oppido Luna serus aduenit, &
quum amisso deflagrantiq; oppido opem ferre nõ
posset, in oppidũ Orbatellum, quod in palude media situm est, se intulit. Is locus admonet, antiquis
parum celebratus, ut eius regionis faciem breui descriptione legentibus ostendam. In medio ferè totius Etrusci litoris spacio, à Tiberi ad Macram, nullum omnino maius atque porrectius promontoriũ
uisitur ipso Herculeo, quod hodie Argentarium uocant. Id præcisis undiq; cautium lateribus ita exurgit, ut tanquam naturæ circino circumductus sese
reflectat introrsus in geminos sinus, qui ceruici extentæ, quia cõtinenti iungitur, aptissimè cohærẽt,
& humani capitis affixi trunco, corporis figurã exprimunt, non secus ac Peloponnesus Corinthiaco
isthmo Achaiæ connexus cernitur. In his cauis finibus utrinque ad continentis humeros patescunt gemini portus, ad ortũ quidem solis, qui Herculis uocatur, ad occasum uerò Stephanius, ab antiqua æde
sancti Stephani sic uocatus. In summo autem promontorio, planicies lętissimi prospectus, purgatissimiq; aẽris fontibus scatens, olea & palmis, lauro
& myrto conuestita, in spacium centum fermè stadiorum expanditur, condendæ prorsus magnæ &
perbeatæ urbis sedem ostendens, si regibus nostri
seculi inesset laudis amor, & extendendæ famæ studium, uti olim id in Græcis atq; Romanis, Gallisq;
Transapinis uiguisse perspicimus. Quando duo tutissimi portus, ad omnes mercaturæ inuectiones
fructuumq; exportationes commodissimi, & ager
intus frumentarius, & uberrimæ alendo pecori pastiones, syluæq; cæduæ, & uitiferi colles urbi nondum conceptæ, neq; unquam fortasse nascituræ, rerum omnium copiam, & nõ dubiam toto anni tempore fertilitatem repromittant, & supra hæc benigno naturę munere argẽtarijs fodinis ditescere possit, quũ etiam in tergo piscosissimo lacu inter utrũque portum ditetur. In hoc lacu, qui à quibusdam
olim Prilinus fuisse putatur, situm est media in insula oppidum Orbatellum angusto ponte continenti
iunctum, contrà omnem prædonũ & hostium uim
munitissimum. In id, ut diximus, Luna cum præsidio se contulerat, Barbarussaque inuasurus credebatur, quũ ab expugnatione oppidi portus Herculis,
nihil eius peritiæ & uiolentiæ imperuium fore constaret. Iam enim cæsa materia parabat rates, quibus
maiora tormenta oppido admouerẽtur. Quare animaduersa tantus Lunæ præsidioque incessit timor,
ut uno consensu, desperata defensione, inde perfugere cogitarent, & nemo uel Senensũ ciuium, quibus imperare poterat ex senatus authoritate Fantocius Senensis, consistere auderet. Sed hunc terribilẽ
metum opportunè sustulerũt aduentantes Cosmianæ copiæ (eas enim postea admiserát Senenses) prę-
eunte Vitellio sequenteq; Stephano Columna, qui
intrauit oppidũ, moxq; uti erat uir impiger, in hostes in litus expositos cum ipso Luna erupit, sic, ut
productis equitibus & scloperarijs hostes qui audacius in litus exierant, in mare propelleret, & qui
scaphatim accedebãt, Turcas descensione prohibe

ret. Quamobrem Barbarussa, quòd sibi ab armato equitatu, quem turmatim augeri conspiciebat, militaribusque cohortibus, quæ sub signis in conspectum se dabant, nō temerè cauendum existimaret, & capta iá passim multa præda satis in Etruria profecisset, ad Igilium se conuertit. Hæc insula suauissimo uino celebris, duodecim miliaribus à portu distat. Itaque extemplò facta descēsione, ac expugnato tormentis oppido, magnum numerum omnis sexus & ætatis mortalium in seruitutē abduxit. Hoc subito, ac propè inexpectato Barbarorum discessu, Orbatellani non præsenti tantum timore, sed grauioris etiam futuri incommodi suspicione liberati sunt, quòd Barbarus suopte ingenio peracutus, edoctusque uti quibusdam rerum peritis facilè ausurus credebatur, ibi sedem figēdam iudicasset. Vir enim immensæ prudentiæ, ac imperij gloriæq; auidus, cogitarat (sicuti didicimus) ab ipso Stephanio portu fossam ad altitudinem commeantium triremium, perpetuo seruorū labore perducere ad proximam Orbatelli paludem, quam inde non plus quàm ad sagittæ iactum abesse iampridem nouerat: scilicet, ut ibi capacissimum & aptissimum tantæ classi portum efficeret, ad infestanda maria, inuadendumque totius Italiæ imperium, ad quod non obscurè Solymanum aspirare didicisset: quādoquidem nullis se inde uiribus, uti gnarus nostræ infirmitatis atque discordiæ, depelli posse confideret. Quum præterueheretur Linarium promontorium olim Pyrgæum, quod supra. Centumcellas eminet, eam urbem inuadere atq; incendere uelle comminatus est, ex eadem causa qua Telamonem deleuisset. Sed deprecante Leone Strozza, ne tanta inde Francisco regi inuidia cōflaretur, uix impotenti ira cupidiæ obsistens, ab iniuria temperauit: indeque directo cursu in Ænariam delatus, odij sui ad Niceam in Alfonsum Daualum concepti, omnem acerbitatem effudit, quum nocturna descensione facta, undiq; insulam complexus, omnes propè incolas, nequicquá in altissima Aboceti montis culmina euadentes intercepisset, tresque præcipuos eius insulæ pagos, Fornium, Pansam & Varranium euastasset. Ipsum uerò oppidū Pythacusas, Dauali sedem, abrupto in colle disiunctoque à mari positum, quum tormentis egregiè esset permunitum, aggredi non potuit, exinde abradens Prochytam illato minore detrimento, quòd incolæ demigrantes magna ex parte Pythacusas confugissent, in Puteolanum sese intulit sinum, eo ordine, ut classis à Miseno ad Auernum toto Baiano litore extenderetur, turaque esset à tormentis eius excelsæ arcis quæ est ad Baulos antiquis Hortensij oratoris delicijs nobiles. Tum uerò Salecū cum parte classis in aduersum litus trāsire, & tormentis à mari Puteolana mœnia ferire iussit, ut si quid de expugnatione effici posset, explorata urbis munitione tentaret. Magnus incesserat Puteolanis timor, quòd nullo militari præsidio confirmarentur, conscijque essent ipsorum inopiæ, nec eis in triduum molita frumenta sufficerent. Accidit etiam importunè ad terrorem augendum, quòd Hispanus Saiauedra uir militaris, dum in muri corona discurreret, tormento fuisset abreptus, sic ut Puteolani ingenti periculo essent circumuēti. Sed prorex ipse Neapoli Petrus Toletanus cognito Turcarum aduentu, nullam sibi moram attulit, quin Neapolitanos circueūdo, singulas tribus ad capienda arma splendidissimis adhortationibus excitaret, statimque nihil recusantes, & pro patriæ dignitate saluteque armatos ad opem ferendam Puteolos adduceret. Fuere cum eo amplius mille galeati equites, & secūdum eos tumultuaria strenuorum peditum manus: quorum multitudinem descendentē è collibus conspicatus Barbarussa, descēsiones militum suorum inhibuit, segniusq; iam Puteolanos oppugnantem Salecum reuocauit: utpote qui improuisis tantum, & tutis sibi expeditionibus obuia tentare, nec expositō milite usquam cum armato hoste congredi statuisset. Atq; ita Barbarus uno tantum Hispano equite cataphracto iuxta proregis hortos intercepto, quòd ille audacius procurrisset, orā soluit, sub Capreis cursum dirigens, quum in tergo Ioannes Auria cum rostratis uiginti quatuor è Pauonis portu, Euripoque Nisitæ insulæ profiliens nouissimi agminis hostium nauigia, tormētis procul impeteret. Superato autem Athenæo promōtorio, quod nautæ Campanellam uocant, ea mente in læuam deflexit, ut urbem Salernum inuaderet. Verū oborta tempestas, eam ab amœnissimo litore perniciem auertit eo euentu, ut disiecta classis inualescētis Cori flatibus ultra Palinurum raperetur, Brutijsque litoribus & Carreato præsertim oppido, luctuosa inferret detrimēta. E Brutijs demum multa onustus præda profectus Liparas, quadraginta maiora tormenta exposuit, eiusque insulæ urbem usque adeò pertinaci atq; terribili oppugnatione concussit, ut Nicolai primarij ciuis meticulosi hominis opera deditionem exprimeret, ipsoque uno tantum Nicolao conseruato, cæteros omnes Liparitas comprehensos in seruitutem abduceret, qui septem millium humanorum capitum summam impleuere. Tantam autem omnis generis mortalium prædam, qui in classe erant, fuisse retulerunt, ut in toto cursu ad Byzantium directæ nauigationis, plura captiuorum enecta fame, siti, mœroreque corpora, uti erant in infimis carinis inter naturæ sordes angustissimè constipata, omnibus propè horis in mare proijcerentur. Hunc annum tot diuersis clarum bellis subsequutus est quadragesimus quartus supra quingētesimum atque millesimum à partu Virginis, post grauissimum bellum inexpectata pace ualde insignis, quanquam ea uti maximè exoptata, non ita firmis exæquatisque legibus constituta esset, ut diu statura crederetur: utpote quá necessitate potius, quàm sincera regum uolūtate expressam mortales iudicarent. Cæsar siquidem & Henricus Britanniæ rex, antiquis atque recentibus incitati odijs, aduersus Franciscum ita conspirarant, ut consociatis uiribus uno tempore diuersas Galliæ regiones irruptu ri, exuturique proculdubio eum magnę partis Galliæ regno putarentur: Cæsar è tota ferè Germania legiones quatuor lectissimarum cohortiū conscripserat. In his plurimum eminebant duces, qui paulo antè hostes fuerant, Martinus Rossemius Flandrico bello clarus, & Guilelmus ipse Furstembergus, qui multos annos Gallica stipendia meruerat, indeque maximè diues factus, sed propter auaritiam malignitatemque rapacis ingenij, crescente undiq; in eum odio, Galliæ finibus exactus, Cæsari sese applicarat: & secundum hunc Conradus Heßius Italicis bellis illustris, Mauritius quoq; Saxo nobilissimæ stirpis, cuius Pestano bello spectatam uirtutem fuisse meminimus, armatorum equitum ingentem alam adduxerat, alteramque ei parem uirtute & numero, Albertus Brandeburgus. Reliqui equites erant partim Belgæ, partim Menapij, & Burgundiones, qui uarijs præfectis parentes, unum præ cæteris Maximilianum Burram, singularis animi regulum, obseruabāt. Veteres autem equites Italicis & Gallicis exercitati bellis, sub præfectura erant Franciſci Atestini Ferrariēsis, qui superiore anno ad Guisam captus, non multo pòst à Francisco rege in gratiam Hippolyti fratris Ferrariēsis cardinalis humaniter fuerat dimissus. Reliquæ copiæ Hispanicis cohortibus constabant, quæ septem milliū peditū numerū implere dicebanē. In his duo primores duces, reliquos omnes authoritate nominis anteibāt, Aluarus ipse Sādeus, disciplinæ militaris corrector acerrimus, tā bello militię q; probatus, q̄ Hispano militi

liti propter sæuam in exigenda pœna acerbitatem odiosus: secundum eum manebat egregiæ uirtutis fama penes Aloysium Peretium, & Alfonsum Viuesium. Eo bello Cæsar Italico pedestri subsidio incōmodè caruit, quòd superiore anno Italici, quia stipendijs ægrè sibi persolutis, nequaquam honestè atque amanter habiti fuissent; ueluti indignantes ipsorum Romani ducis inclementiam, & subagrestes erga se contumelias, ad Gallica Britannicaque stipendia, tanquam uberiora certioraque se contulerant. Nam tum apud regem gratia maximè ualebant, qui Italicis obnixè studerent, Petrus Strozza Florentinus, qui ualidam Hetruscorum & ciuium suorum manum circum se habebat: & Petrus Maria Roscius, sancti Secundi comes, apud quem ex omni Italiæ regione Gallici nominis studiosi milites facilè coibant. Penes hos fortissimo cuique notoque militi ad liberale stipendium erat locus: utpote, qui non in lucro interuersis militum stipendijs, sed in laude & gloria uerum militiæ fructum reponerent. Cæsar quoque ad suas lectissimi generis copias maiorem quàm unquam antea tormentorum apparatum adiunxerat. Ante omnia autem ad Lucemburgum, uti ferunt, urbem olim Leucorum, rectà duxit. Eam Galli paulo antè Aureliani uirtute in potestatem redactam, magnis operibus additis, peregregiè munierant: & quū aliquanto pòst à Cæsarianis oppugnaretur, ita per Sergianum Caracciolum Melphitanum regulum, quem rex conciliato torque nobilitatis atque uirtutis causa donauerat, omnium rerum copijs, ui facta, feliciter illatis opportunè seruauerant, ut in ea supra septuaginta mediocris maiorisque generis ænea tormenta relinquerent. Sed non satis magnum aut ualidum armatorum præsidium, quod mœnia tueretur, ibi restitit: neque tantum penuarij commeatus in urbe reconditum ab initio fuerat, ut obsidio diu sustineri posset. Atq; ita usu euenit, ut Cæsar celeritate usus, omnem hostium diligentiam præueniret, & inopia potius rerum premendos, quàm tormentis adactis uera ui subigendos esse statueret. Præerat præsidio uir nequaquam animo fortis: is per sesquimensem, quo spacio annona ei egregiè suffecit, incorruptus est: sed mox adeò ignobilem fecit deditionem, ut territus amplitudine castrorum hostilium, & despe ratis auxilijs, tormenta Cęsari atque arma concederet. Lucemburgo per Gonzagam in potestatem redacto, Cæsar qui in Mediomatricibus substiterat, Arduennæ syluæ finibus egressus, & Mosa flumine superato, ad oppidum Comercum rectà duxit, prolatoque toto tormentorum apparatu, & constitutis uineis, grauem Gallorum oculis, uti mox oppugnaturi speciem præbuit: quo terrore adducti qui erāt in præsidio, quatridui spacio deditionem fecerunt. His duobus oppidis fœdè amissis, magnus illico Gallis omnibus incessit timor, ob id præsertim quòd Cæsar ipsorum opinione celerius coactis copijs, & confectis itineribus in Galliam perrupisset. Apparebat regem aliquanto tardius quàm usus imminentis belli poscēret, Heluetiarum legionum auxilia accersenda curauisse: quandoquidem penè im prouisus Cæsar Lucemburgum occupasset, & Galliæ fines terribili expeditoq; exercitu prius intrasset, quàm Heluetij, in quorum auxilio præsentique manu regni constaret salus, nondum erectis uexillis ad profectionem parati dicerētur. Gonzaga Comersio potitus, inde properè discedens, ad Ligninium castra posuit. Id oppidum satis frequens, uereque arce munitum, rex omnino defendendū esse censuerat, quòd Briennium & Rosinium è Lucemburga familia regulos, quorum ditionis erat oppidum, nouis auxilijs confirmasset: eò scilicet intromissis duabus Hetruscis cohortibus, & totidē Gallicis, duce Sceneio Tintauilla iuuene impigro, Gonzaga nihil spacij hostibus dandum ratus, Ioanne Iacobo Medice, qui tormentario negocio præerat, apositè atque celeriter administrante, à quatuor partibus tormenta mœnibus admouit. Is autē erat oppidi situs, ut duobus aduersis utrinq; collibus subiectum, tanquam media in ualle facillimè cum grauissimo etiam interiorum ædificiorum detrimento uerberaretur, & à planioribus item locis directus murus tanto impetu quateretur, ut ingenti ruina edita, peramplus aditus non pediti modò, sed equiti ad irrumpendum paratus esset, nequicquam laborantibus Gallis, qui nouos aggeres introrsus erigere contendebant. Nam tanta erat uis incidentiū undique pilarum, ut nemo in munitione consistere auderet, quum magna ipsorum pars tormentis discerpta perijsset, aut debilitata uulneribus, tueri locum nequiret. Quibus rerum difficultatibus Galli duces facilè perterriti, de deditione cogitare cœperūt: ob idq; festinantius, quòd Hispanos iam ad irrumpendum paratos in acie conspicerent, quorum uim & multitudinem multis de causis se nequaquā laturos esse fatebantur: quanquam aliqui non deessent animo firmiore, qui indecorum cunctis, ipsiq; præsertim regi maximè detrimentosum fore testarentur cum hoste pacisci, priusquam eius uirtutis atque audaciæ periculum facerent. Cuius sententię princeps erat Petrus Paulus Tosingus, nobilis exul Florentinus: quanquam ei contradiceretur à Vincētio Taddeo collega, qui quanquam egregiè strenuus, in sententiam regulorum, nihil exuano hostium formidantium inclinabat. Illi nanque malesana periculosaq; in resistendo constantia publicam omnium salutē, suique patrimonij oppidum in summæ calamitatis discrimen adducere nolebant. Itaque Rosinius per auersam portulam ad colloquiū Gonzagam sub fide uocauit, demisseq; se uictos cōfessus: & accuratis precibus molliores conditiones à uictore impetrare contendens, seuero & duriore quàm putarat in ea re Gonzaga reperto, eo modo deditionem fecit, ut cuncta præter omnium uitam, uictoris arbitrio concederet. Nec mora, Gonzaga cum familiarium militum caterua in oppidi possessionem manu ductus, Briennium ipsum atq; Rosinium, ipsumq; Sceneium iure belli captiuos fecit, in castella Cæsarianæ ditionis separatim custodiendos misit. Ea inexpectata fœdaque prorsus trium insignium oppidorū deditione Franciscus magnopere perturbatus, intentiore cura, quæ ad sustinendum bellum opportuna uidebantur, parare cœpit, ita ut nobiles quosque è singulis propè regni oppidis equites euocaret, & per eos extraordinaria usus opera, remotius conuehi frumenta, & quæ nondū in agris defecta essent, comburi, & proprios hostiū commeatus obsessis itineribus intercipi iuberet. Quibus curandis muneribus intentum, & incautè sese offerentem Surionium è Borbonia familia Cæsariani equites interceperunt. Re feliciter ad Ligninium per Gonzagam gesta, Cæsar singulari affectus lætitia, quòd nusquam Galli in aciem prodirent, & negligentissimè singula oppida, per quæ transire hostes oporteret, permunisse uidebantur, castra promoueri iussit ad proximum oppidum satis munitum atque opulentum, à templo sancti Desiderij à Gallis Sandesirium appellatum. Id in satis magna purgataque planicie situm, à septentrionibus mediocri interiecto spacio Matrona amne permunitur, reliquis partibus circumdatur densissimis syluis, murum autem habet nouis operibus auctū. Ibi namque Hieronymus Marinus, Bononiensis architectus, opportuno in loco mœnium propugnacula feneſtratis lateribus accuratè perfecerat, neuasque quotidie munitiones instituebat. Præerat præsidio uir Gallus, singulari uigilātia, fortitudine q; animi, nomine Landa, quem superiore anno cum

insigni gloria apud Landresium binas uno tempore Cæsarianorum & Britannorum oppugnationes pertulisse memorauimus. Ea autem uis oppugnantium fuit, ut à meridie subuecta tormenta à spacio trecentorum passuum incredibilem procidentium mœnium ruinam ederent, & duo turrita propugnacula ab utroque mœnium angulo asiduè colubrinis terebrata quassataque prosternerét, sic, ut prius quàm à Gallis interior agger tutò erigi posset, illac Hispani non omnino incommodè in oppidum perrumpere se posse dictitarent. Sed ea militum alacritas ducibus inanis & periculi plena uidebatur, quoniam tametsi oppidi in plano siti murus tormentis abrasus erat, & solo penè æquatus, frequentior tamen ædificiorum pars in mollem tumulum, qui in medio oppidi paululum assurgebat, ita erat subducta, ut inuasuris denum ferè pedum scalis opus esse perspicerent, priusquam ad paratos in statione Gallos conferendis manibus perueniri posset. Hoc impedimento deterriti Cæsariani duces, in labro fossę quadratum & solidum aggerem, turris instar, è cespite glebaque erigere cœperunt, in cuius superiore platea aliquot maioris generis tormenta educenda constituendaque censebant: ut his superante altitudine hostes depresßiore in loco consistentes uerberarent. Id uerò opus quũ ab hostibus inchoari Galli duces animaduertissent, præmonéte demonstranteque Marino, parem ex aduerso munitionem ædificare cœperunt, tanto animo, tantaq; industria frequentissimis tormentis propugnantes, ut multa quotidie hostibus detrimenta inferrent, nec ullam perterriti animi, aut demissæ spei significationem darent. Accidit autem idibus Iulijs, ut Renatus Aurantius regulus, qui Belgicum adduxerat peditatũ, iuuenis omnibus naturæ atq; fortunæ muneribus ornatissimus, ideoque Cæsari longè charissimus, tormenti mortifero ictu uulneraretur. Is enim quũ fortè ad Gonzagam, ad opus faciendum milites cohortantem assidentemque in fossa munitionis superuenisset, eique honoris causa ille assurgens sellã suam concessisset, paulo pòst in eum locum directo ab hostibus tormento, ita globus ferreus aggeri incidit, ut diffracti resilientisque lapidis frustulo lethaliter in humero uulneraretur. Eum iacentem humaniter inuisit Cæsar, expirantemque complexus, nequaquam fictæ beneuolentiæ in ea casus acerbitate lachrymas effudit. Nec multo pòst Hispani milites non satis animaduerso periculo, ab incondita quadam alacritate à ducibus postularunt, ut adoriendi oppidi signum dare minimè dubitarent. Ipsos enim accepta uictoriæ tessera in oppidum fortiter atque feliciter irrupturos. Laudauit eorum alacritatem magnitudinemque animi Gonzaga, atq; ita eos periculi admonuit, ut prius locum propius explorare, pręmissa pernicium sclopetariorum manu, quàm murum aggredi iuberet. Sed res ita cecidit, ut quum audacissimus quidam Hispanorum nomine Chirosa, Aloisij Brauij cohortis signifer, id munus explorandi loci deposceret, & sublato uexillo ad murum oppidi ire contenderet, reliqui ad unum signiferi omnes æmulatione laudis eum auidè atq; certatim subsequerentur, atque uniuersi demũ milites, eadem spe potiundi oppidi uehementer incitati, quin fossam superarent, & per ruinas erepere conarentur, nullo uetantium & deterrentium præfectorum imperio retineri possent. Qua effræni atque immoderata militum cupiditate permotus ipse castrorum magister Aluarus Sandeus, ne in omnem temeritatis atque fortunæ euentũ certus dux suis deesset, inuocato magna uoce uictoriæ nomine, quin procurrentibus se immisceret, minimè dubitauit: hunc statim subsequéte collega Aloisio Peretio, qui uirtute animi nequaquam ei inferior putabatur. Verùm ubi ex eo tumultuario procursu ad hostes appropinquatum est, inanis ea alacritas & plurimum funesta extitit. nam Landa peritissimè tormenta collibrari, & sclopetarios cõtinuò displodere iubens, tantam in subeuntes & confertos tormentorum omnis generis procellam effudit, ut totius fossę spacium interfectorum cadaueribus compleretur. Nam quod antea à Cæsarianis animaduerti nequierat, hostium tormentarij magistri binas in aduersis duorum aggerum lateribus fenestellas in eius diei usum astutè constitutas, & tenui gleba cõtectas, repentè aperuerant, è quibus directis in latera colubrinis miserabilis fortium uirorum strages edita est. Ad hæc etiam Galli fictilibus & tubis ligneis, nota atque usitata ratione, bituminosi & sulphurei ignis flammas iacientes, quæ thoracibus & galeis adhærerent, multum profecerant, tanta quidem propugnantiũ simul atque inuadentium constantia audaciaque, ut Germani hærẽtes Hispanos, & planè magno cum incommodo repulsos conspicati, insilire in fossam, eisque succedere minimè recusarét. Verùm ubi appropinquatum est, paria propè ac Hispani pilarum, uolitantiumque ignium uulnera susceperunt, eo exitu, ut aliquanto celerius quàm pugnam appetissent, pedem referrent. Ea die ex Hispanis ad quingentos, partim in fossa occisos, partim grauibus affectos uulneribus desideratos ferunt. In his periere signiferi tres, saluis tamen uexillis, Saccaratus, qui pridie inauspicatò ad Médociæ cohortis præfecturam uirtutis nomine fuerat traductus, & Romerius Solerius, atque Spinosa. Ex præfectis autem Alfonsus Caruaial nobilissimo ortus genere, & Monsaluus Valentinus atrocibus flãmis circumuentus. Cæterùm ipse Aluarus Sandeus manus atque ora deformiter ustulatus, & Aloisius Peretius femore glande traiecto, uix sese è tanta clade eripuerunt. Germanorum autem qui ceciderunt inclyti nominis, fuere Eytelfrictius Hohenzollernus & Ludouicus Curtauilla. Chirosa ipse, qui exitiosæ temeritatis author fuerat, quum omnium uoce damnaretur, pœnam ueritus, neque ignarus seueritatis Cæsaris ad Barium oppidum Gallicæ ditionis perfugit. Biduo pòst rescitum est Landam pari propè sorte, qua Aurantius è uita sublatus est, tormento ereptum fuisse, cui cum imperio successit Sanserrius regulus iuuenis impiger, sed fortitudine animi, usuque militiæ nequaquam Landæ par, eo Sanserrio patre genitus, quem apud Mediolanum Heluetio prælio cecidisse memorauimus. Eo tam audaci atque improspero suorum conatu permotus Cæsar, usqueadeò appetenter Italicam legionẽ desiderasse dicitur, ut se parùm prouidi consilij sui pœnitere fateretur, quòd Italicas cohortes parcendo pecuniæ ab initio secus ac aliàs fecisset, & nuper ad Duram fuisset expertus, non cõduxisset. His de rebus existimabat Cæsar huiusmodi certamina minimè instauranda repetendáue, quum in his asperrimis conatibus florem militum absumi, augerique inde hostibus animos, tanquam ex æquissimo semper loco pugnaturis, manifestè prospiceret. Itaque ut cuniculis res ageretur, ducibus præcepit quibus supposito atque incenso tormentario puluere hostium agger superstantibus defensoribus excinderetur. Quo iam inchoato productoque opere, cognitum est hostes ex aduerso pares cuniculos, uti disciplinæ consuetudo postulabat, diligenter instituisse, sic, ut ea oppugnatio ad obsidionem deducta uideretur. Sed Cæsar consilium mutare coactus est, quum certior esset factus Gallorum equitum & peditum peramplam manum ad Vitriacum oppidũ, duodecim inde millibus passuum distans, Brisacco duce peruenisse. Is aliquam non omnino periculosam ferendæ opis occasionem expectans, inde ad obsessos penetrare statuebat. Propterea Cæsar, ut obsessis expectandi auxilij spem minueret,

&

& quantum nouus hostis in congressu ualeret, statim experiretur, eum nocturno prælio adoriri constituit. Itaque sub occasum solis missus est Franciscus Atestinus cum Italico equitatu, cui ducenti Sequanici generis galeati equites adiuncti fuerant. Datus est etiam Francisco comes Castalius dux uetus, & secundum hos Mauritius Saxo, cum duobus millibus Germanorum equitum, cuius uestigijs hærebat Gulielmus Furstembergus cum peditum suorum legione, qua cum septem muralia tormenta trahebantur. Continenti igitur agmine euntes, interfectis ex itinere Gallorum excubijs, ad secundũ à Vitriaco lapidem trecẽtorum equitum alam, quæ hostium motum præsenserat, atque equos ascenderat, acri impetu facto profligarunt, multis utiq; interfectis & captis. Tum uerò Brisaccus ex suorum fuga cognito hostium aduentu, certius agnoscendi hostis, explorandique suorum casus cum ualida manu prouehitur. Circiter autem duo millia peditum, quæ partim ex Gallicis, partim ex Italicis cohortibus constabant, in acie consistere iubet, reliquas equitum alas præterfluentis Matronæ amnis pontem tueri, iussaque sua operiri præcipit. Eo modo Brisaccus feruido ingenio prouectus, in Atestini equites incidit, & quum conserta statim pugna incumbentium hostium impetum sustinere non posset, ad suos refugere cœpit, ita à tergo instãtibus hostibus, ut grauissimè premeretur, & nequaquam contentis habenis tumultuoso incursu peditum suorum ordinem perturbaret. Quo casu puncto temporis tota Gallorum acies dissipata est, eo euẽtu, ut nisi Sampetrius Corsus sclopetarios suos urgentibus Cæsarianis opposuisset, ipse Brisaccus in uado fluminis opprimeretur, & permixti Gallis hostes in oppidum irrumperent. Reliqui Gallorum equites continuò fugæ se mandarunt, & bona pars peditum interfecta est: Sampetrius tamen, qui ducem seruasse uideri potuit, cum ea, quam diximus, manu, infestos hostes glandibus coniectis repellẽs, seipsum cum sua cohorte tenebris tectus seruauit. Ex numero Gallorum Italicorumque peditum circiter trecenti in templum se contulerunt, quod erat iuxta oppidum, atque inde sclopetis emissis se defendere cœperunt, frustra eos Atestino atque Castalio hortantibus, ut se dederent, neque tormenta, quæ cum Germanis adducebantur, expectanda ducerent. Id uerò milites egregiè fortes minimè credebant, quum hæc terrendi sui causa ab hostibus dici arbitrarentur: atque eo modo his conditionibus quæ militare decus offenderent, repudiatis, in eodem proposito sustinendi hostis per aliquot horas perseuerarunt, donec Furstembergus superuenit. Is dum templi situm inspiceret, glande circa ceruicem ictus, ideoque crudeli ira percitus, templo suorum legione circumdato, admotisque muralibus tormentis, id immaniter quatere cœpit, ita ut perforatis lateribus & perfractis columnis, integra propè testudo concideret, obiterque infelicis uirtutis atque constantiæ homines, ne fornicum & totius contignationis ruina opprimerentur, clamore sublato, ad easdem quas repudiarant deditionis cõditiones recurrerunt. Sed eo tempore, neque Atestini, neque Castalij, apud inexorabiles Germanos iustæ deprecationes ualebant, utpote qui deditis seruare uitam cuperent, atque ita patefacto templo à Germanis ad unum omnes trucidati sunt, oppidumque direptum. Hæc nocturna uictoria nunciata Cæsari, & obsessis ad illudendum significata, mirum in modum eorum animos contriuit. nam uti erant auxiliorum expectatione suspensi, & ad summam multarum rerum, tormentarijque præsertim pulueris inopiam redacti, de fortuna sua conquerebantur: quandoquidem plerique eorum amissis commilitonibus, acceptisque uulneribus & perpetuis uigilijs semienecti, iamque deficientibus esculentis nequaquam abundè recreati de deditione cogitarent, nec pari authoritate ac antea facere solitus esset Landa, Sanserrius desperantium animos confirmaret. Cæterùm Cæsar Vitriacum suis copijs obtinendum ratus, ibi in præsidio quinque cohortes Furstembergæ legionis remanere iussit, quæ demessa frumenta colligerent, & ea munia capesserent, quibus hosti maximè nocere possent. Sed Germani triduo consumptis omnibus commeatibus, quum ibi diutius subsistere nollent, concremato oppido iniussu Cæsaris in castra redierunt, ita ut subiratus Cæsar Gulielmo acerbissimè succenseret, & in locum earum cohortium, quæ oppidum deseruissent, Aliprandum Madruccium Tridentini cardinalis fratrẽ cum quatuor cohortibus, & quadringentis equitibus suffecit. Per eos dies calendis Augusti aliquot Galli equites, quum in syluis aliquandiu Cæsarianorum exploratorum oculis obuersati essent speculantes occasionem ferendi obsessis auxilij, ingenti ausu globo facto triginta equites ad Sandesirium percurrerũt, singulos tormentarij pulueris sacculos à tergo deferentes. Sed his eorũ exitus fuit, quanquam citatissimis equis uterentur, ut non omnes, aut metu deterriti, aut intercepti à Cęsarianis, oppidum ingrederentur. Qua re ex captiuis cognita Cæsar facilè intellexit summam esse apud obsessos sulphurei pulueris inopiam, sic ut milites æquiore iam conditione murum se inuasuros, si Cæsar iuberet, pollicerẽtur. Re ad Vitriacum à Cęsarianis bene gesta, nihilo secius Galli pleni fiducia rei bene gerendæ, si hostis mœnia repeteret, uigilantissimè oppidum tuebantur, cunctaque opportuna ad defensionem ex Marini architecti præceptis solertissimè comparabant, quum repentè oppido emissus tubicen postulauit, ut sub fide legatos colloquendi causa obsessis emittere liceret: factaque potestate, Viconius, Riueria, & Sineus cohortis præfectus, ad Gonzagam uenerunt. Summa mandatorũ hæc fuit: Sanserrium, quanquam ea uirtutis atque constantiæ documenta dedisset, ut sibi nullo pacto timendum arbitraretur, alienum tamen non esse à deditione oppidi, si honestis conditionibus ageretur. Petebãt Galli, ut ipsis excedentibus, arma, resq; omnes, & cuncta tormenta concederentur: mensis unius induciæ fierent, intra quas, nisi rex iusto cum exercitu obsessis opem ferret, & Cæsarem soluta obsidione depelleret, continuò oppidum Cæsari traderetur, ea tamen conditione ut reficere mœnia, & construere nouas operum munitiones intra sex menses Cæsarianis non liceret. Hæc tanquam insolentius postulata, Ferdinandus ita reiecit, ut legati facilè intelligerent, quanta speratæ uictoriæ confidentia hostis niteretur: atque eo modo redeuntes in oppidum, non multo pòst iterum atque iterum æquioribus cum mandatis remitterentur, atque eo die præter omnium opinionem de oppidi deditione transigeretur, his conditionibus: duodecim dierum induciæ sunto: intra id spacium, ni Franciscus rex promoto exercitu obsidioné soluat, Sanserrius oppido statim excedito: à Cæsarianis exeunti præsidij causa duo tantum tormenta concedantor: Gallis omnibus sub uexillis ad tympanorum sonitum, more militiæ, abeundi quò uelint, potestas esto: reliquum omnem tormẽtorum apparatum totamq; commeatus copiam Cæsari relinquanto, de hisque rebus quatuor obsidibus cauetor. Ab hac pactione acceptis obsidibus, Gonzaga in oppidum intromisit Hispanum equestris ordinis nomine Contrariã, qui accuratè obseruaret, ne Galli noctu uel interdiu munitiones augerent. His confectis rebus, quum id rescisset Franciscus, nec ut opem ferret, ex usu esse iudicasset, à Sanserrio integra fide traditum est oppidum. Ferunt Sanserrium fictitijs Claudij Gui-

sij

sij primarij ducis literis deceptum, aliquanto maturius quàm expediebat, ad deditionis cōsilia descendisse. Hæ literæ apud Granuelium confictæ fuerāt, & exempto ceræ sigillo ex ueteribus Guisij literis, usqueadeò arguta falsarij manu exaratæ, ut pro ueris agnoscerentur. His siquidem literis Guisius Sanserrio respondere fingebatur, tanquam intempestiuè ferri sibi opem postulanti, regem graui de causa alienum esse à cogitatione ferendæ opis, ne sese, & liberos fortunasque omnes regni in unius pugnæ non necessariū discrimē adduceret. Proinde ipsum qui amplius quadraginta diebus insigni regis commodo summaque sua laude acerrimorum hostium sustinuerit, si urgeretur acrius, & desereretur à fortuna, non indecorè aut turpiter facturum, si sese atque præsidium honesta pactione conseruandū existimaret. Quibus literis à Gallo lixa præsenti pecunia corrupto in oppidum delatis, qui eas calceo insutas ad simulandam periculi diligētiam afferebat, & in corona à Sanserrio perlectis, nemo militū fuit, qui à deditione dissentiret. Dum hæc ita geruntur, mortem obijt Antonius Lotharingię dux: cui Franciscus filius successit, qui Cæsaris è sorore Danię regina, neptem, quæ Francisci Sfortiæ Insubriæ principis uxor fuerat, habebat in matrimonio. Per hūc modum non sine risu Gallicæ simplicitatis Sandesirio potitus Cæsar, quid sibi agendum foret in consilijs agitabat, ualde perplexus, an Catalaunum oppidum, quod Sciallonum hodie Galli appellant, in eodem ferè itineris cursu secundum Matronam amnē positum oppugnaret, an ad Lutetiam usque progrederetur. Sed in arcano pugnæ cupidus, ut secretum tegeret, ostentandique animi causa ad Catalaunum castra mouit, tanquam oppugnare uellet, hostibus metum iniecturus. Cæterùm suo innixus consilio, repentè motis castris ad Aspernectum oppidū destinato itineri impositum contendit, præterque opinionem regis atque hostium eo potitus, opulenta omnis generis commeatus copia largissimè sese recreauit. Tum uerò rex adiuncto sibi cum reliqua copiarum parte Claudio Guisio promotis castris in conspectum Cæsaris se dedit, intercedente Matrona amne, qui uado transiri non poterat, certatimq; utrinq; excitata per agros incendia uisebantur, quū Galli sua omnia, ne his potiretur hostis, ultro peruastarent, & Cæsariani, ut Gallis maximè nocerent, incendijs effusissimè grassarentur. Ab Aspernecto Cæsar in Parisios iter habebat, quum in altera amnis ripa regiorum agmina uiserentur, ideo pari instructa acie, ut si Cæsar in amne pontem faceret, aut uado transire conaretur, in margine fluminis prælio decertarent. Quod quum à Cæsare ex non iniqua conditione tentari posset, Gulielmus Furstembergus, uti erat peritus regionis, noctu in amne tutum uadum quæritabat, uerùm incautè ripis inhærens, à quibusdam exploratoribus Gallis pro speculatore interceptus est, deductusque ad regem & agnitus, cunctis propè eum ad laquei necem deposcētibus custodiæ traditus est. Eius uiri casu spe pugnæ decidit Cæsar, quum in eius audacissimi hominis industria superandi amnis conferendæque pugnæ facultatem se reperire posse confidisset, & regem tumultu Lutetiano perculsum non temerè pugnæ potestatem facturum arbitraretur. Tantus enim timor indigenas inuaserat, ut cuncti fugam capesserent, neque ipse Medonius cardinalis, qui Lutetię regio nomine cum imperio præsidebat, tantum ualebat authoritate, ut fugam perterriti populi usquam sisteret. In eo tamē tumultu peregrini omnes, qui ibi per gymnasia liberalibus studijs operam dabant, arma sumpserunt, præbente se eis ducem Caracciolo Sergiani Melphitani reguli filio, qui Lutetiæ sacerdotium inter cucullatos opulentum liberalitate regis fuerat consequutus. Quæ armata manus studio

A sæ iuuentutis alacriter digesta in cohortes, tametsi impar sustinendis hostibus uidebatur, nouo tamen & numeroso armatorum subsidio populus confirmatus, quòd pari passu instructo exercitu regē aduentare didicerat, fugam repressit. Quum eo modò nullo congressu, sed crudelibus incendijs bellū gereretur, de pace per idoneos homines agi cœptum est: nam paulo antè per Bertouillam equitē Lignij captum, dimissumque per Iacobum Medicē & Frāciscum Somalium Insubrem uirum clarissimū, qui Cæsaris consilijs adhibebatur, Hanebaldo Amiranti significarant, Cæsarem usqueadeò diri atque exitialis belli pertæsum, eo esse animo, ut si honestis conditionibus pacem rex peteret, ab æqua concordia minimè discessurum: ipsos autem Medicem atque Somalium, ueteris suæ militiæ stipendijs & beneficio regis addictum, profiteri fidelem operam suam, quam ea in re non ingratam Cæsari futuram scirent. His à Bertouilla nunciatis, neque ipse Amiras, neque rex postea surdas aures præbuerunt, ita ut Bertouilla cum Bailiuo Digionio rerum perito sene cum mādatis remitteretur, quibus colloquio locum & diem primarijs constitui postulabāt. Eius autem actionis exitus fuit, ut Granuelius atq; Gonzaga cum Hanebaldo atq; Nulleio uiro togato colloquuti, eo facilius de pace transigerent, quòd in eius rei negociū iam antea Gabriel Gusmanus Hispanus cucullati ordinis, à regina Gallię ad fratrem Cæsarem missus, se Christianæ pietatis nomine insinuasset. Dum hæc in spem pacis tractarentur, Cæsar Antonium Peronotum ipsius Granuelij filium, iampridem ad arcana scrinij consilia admissum, ad Henricum regem Bononiam oppugnantem misit, ut Cæsaris difficultates, adeundæque Lutetiæ consilium explicaret, peteretque, ut castra in Parisios mouere uellet, ut communibus uiribus Lutetiam B occuparent. Quòd si proprio occupatus bello id facere nollet, saltem hoc sibi indulgeret, ut incolumi fœderis amicitia, de pace cum Francisco transigere liceret. Quamobrem Henricus sua certa spe expugnandæ Bononiæ innixus, Antonio ita respondit, In potestate Cæsaris fore cum Gallo rege de pace pacisci, idque se æquo laturum animo, modò recentis inter ipsos icti fœderis iura nequaquam præuerteret. Pluris namque Henricus propinquam obtinendæ Bononiæ spem, quàm Lutetiæ possessionē existimabat, quòd Motrellum quoque magnis uiribus à Talboto oppugnatum, sibi cessurum confideret. Itaque Cæsar redeunte Antonio consilia pacis explicauit: nam plerique nihil stultius & perniciosius fore iudicabant, quàm si Cæsar in urbem Lutetiam longè omnium amplissimam irrumpere properaret, instante ualidissimo regis exercitu, quandoquidem irrumpentes milites ad prædam ita dilapsuri crederentur, ut non facilè quum exterior hostis ingrueret, cogi, aut in aciem produci aduersus regios posse quisquam ducum existimaret: quandoquidem certa fames, obsidente suburbana rege, uictoribus, & incolis extimescenda censeret. Quòd si cuncta prosperè Cæsari prouenirent, nihil tamen eum tanto periculo quæsiturum apparebat, quàm ut alieno commodo salutem & dignitatem suā intempestiuo tempore periclitaretur: quoniam fœdere erat adscriptum, ut si parta uictoria, Parisiorū Lutetia potirentur, ea urbs non Cæsari, sed Britannico imperio cederet. Vrgebat etiam Cæsarem ad cōplectendam pacem pecuniarum inopia usqueadeò, ut quum fremerent Germani, præteritaque iam & instantia stipendia flagitarent, ipse ingenti animo ad milites prodiret molliendis eorum animis, sic, ut paucorum dierum sibi dari spacium, ut debita dissolueret, indignis propè precib. peteret, & se ipsum in promissæ pecuniæ fidem, in ipsorum manus dediturum esse profiteretur. Quo pudore adducti mi-

lites

lites Germani, ad unum omnes manum sustulerūt, quod erat pacati animi signum: atque inde Cæsaris uexilla in Suessiones uersa sunt, apud quorum urbem perscriptæ sunt distinctius pacis leges: atq; in hunc maximè modum, consentiente utriusque uoluntate, & Cæsar & Franciscus conditionibus subscripserunt, quæ pari utrinque lætitia susceptæ fuere, quum Franciscus grauissima calamitate miseros Galliæ populos liberatos perspiceret, & Cæsar ipse difficili periculosoq; negocio cum dignitate se explicasset. Sed Franciscus eo etiam sollicitius atq; cupidius, ut Galliæ cisalpinæ imperium Cæsari detraheretur, quòd Cæsarem ad totius Italiæ imperium aspirare plerique prædicarent, uel uno argumento, postquam Pontifici, ne usquam commouere se posset, graues Tridentini concilij compedes iniecisset, quæ eo nomine uidebantur honestissimæ, quandoquidem ex eo digna sacerdotibus morum censura, & inducti à Luthero dogmatis salubrior interpretatio & cōstitutio quæreretur. Quā rem tametsi Pontifex non obscurè prouidebat, tamē ad retinendam sinceræ pietatis existimationem, nō prius producti concilij quibusdam sanctionibus odiosa disputatione ad decretū relatis admonitus est, quàm se acerrimè perstringi, nec iam perplexè offendi uir prudentissimus agnouit, ita ut ex authoritate Pontificia, quæ quorundam oratione præsulum in dubium reuocari uidebatur, de suspensione trāslatione que concilij apud Bononiam cogitare inciperet. Itaque inter reges dissidentes totius causæ iugulū ab utroque grauiter petebatur: id enim unū & certum erat Mediolanēsis imperij expostulatio: qua re impetrata, Franciscus se domui suæ peregregiè consuluisse uidebatur. Cæterùm Cæsar adeò perplexa dubiaque conditione id se concessurum promittebat, ut neque Pontifex, neque plerique alij ullam obsignato fœderi fidem haberent, quando ea libera B li concessione, reliqua Cæsaris consilia euerti iudicarent, appareretque Cæsarem ea astutè polliceri, ut aliquod maius inde nancisceretur munus, aut aliquam non omnino indecentem uel ineptam à fœdere discedendi ex interuallo temporis causam expectaret. Summa siquidem conditionum ineundæ concordiæ hæc erat, ut uterque ueterum contentionum & odiorum memoriam ex animis expelleret, & nouo affinitatis uinculo iungeretur. Promittebat Cæsar se aut filiam, Philippi Hispaniæ regis designati successorisque sui sororem, Carolo Aureliano nuptui daturum, cui dotali nomine Belgarum regna obuenirent, aut si quid hanc affinitatem impediret, loco filiæ, Ferdinandi fratris Pannoniæ atque Bohemiæ Austriæque regis filiam eidem Aureliano in matrimonium collocaturum, quæ dotali iure Mediolanensem principatum secum traheret. Qua in re deliberanda Cæsar octimestre spaciū deposcebat, quo spacio, tum ipsius Philippi filij, tum Ferdinandi fratris uoluntates certius exploraret, ut inde intra quatuor demum menses, hoc est, post integrum annum, cum alterutra uirgine nuptiæ celebrarentur. Si autem Cæsari magis expediret fratris filiam quàm suam ipsius natam Carolo desponsare, confectis statim nuptijs, Mediolanensis imperij possessionem Aurelianus hac lege acciperet, ut donec masculam susciperet prolem, Mediolani & Cremonæ arces Cæsariano pręsidio custodirentur. Tum uerò Carolo Sabaudio cuncta quæ illi uel in Allobrogibus uel in Subalpinis adempta fuissent, optima fide restituerentur, liceretq; Gallo regi eas retinere arces tādiu Gallicis præsidijs custodiēdas, q̄diu Galliæ cisalpinæ arces, quas diximus, Cæsariano præsidio tenerentur. Reliquæ uerò cōditiones initæ pacis atque percussi fœderis eò pertinebant, ut de iurisdictione quorundam oppidorum Belgicæ prouinciæ præclarè diffiniretur, restituerēturq;

A ea omnia utrinque quæ mutuis armis ex usu belli occupata fuissent post inducias ad Nicæam Prouinciæ authore Paulo pontifice confectas, relinquereturque locus his principibus nominatim tanquam socijs atque amicis, si noui fœderis beneficio uti uellent. Hi fuere ipse Henricus Britanniæ, Sigismundus Sarmatiæ, Ioannes Lusitaniæ, & Christiernus Danimarchię reges, atque item singuli sacri uel prophani iuris Germaniæ proceres, qui ad dicendum creandumq; Cæsarem suffragiorum iura obtinent, & præter hos dabatur etiam aditus ad idem pacis & fœderis beneficium Heluetiorum reipublicæ tredecim pagis, cui annexa est triū Grisonij nominis gentium fœderata ciuitas, atq; item in Italia, principi Venetorum, atq; item Dynastis Carolo Sabaudio Allobrogum, Cosmo Medici Florentiæ, Herculi Atestino Ferrariæ, Guiedobaldo Vrbini, liberisq; ciuitatibus Genuensium, Senensium atq; Lucensiū. Hæc confecta transactaq; sunt apud Crepinium in Suessionibus castellum, adstipulantibus utrinque mutuo sacramento Cæsarianis & regijs, ei negocio præpositis. Hi fuere Nicolaus Peronotus Granuellius Cęsariani scrinij magister, & Ferdinandus Gonzaga, primam apud copias post Cæsarem in exercitu militaris imperij authoritatem obtinens. Ab regijs uerò Hanebaldus ipse Amiras, & Nulleius senator supplicibus libellis præfectus. Dati autem sunt obsides in fidem concepti fœderis, duo cardinales, Ioannes ipse Lothoringus & Medonius, quem dudū Lutetiæ in eo propinqui belli metu, tumultuq; præfuisse diximus. Ad hos sacratos uiros accessere Valeius citerioris Britanniæ opulentissimus regulus, & Agnodeus adolescens ipso Amirante Hanebaldo genitus, decimo quarto Calen. Octobris, quarto, & quadragesimo anno supra quingentesimum atque millesimum à partu Virginis.

SVPPLEMENTI

LIBER XXVIII.

HOc confectæ pacis nomen, incredibilem cunctis mortalibus lætitiam attulisse uisum est, propter exoptatam diu sperati ocij trāquillitatem. Sed non deerant, qui eam successu carituram prædicarent, quòd Cęsar tam graui pondere obligatæ fidei distentus esset, ut id ægrè laturus esse crederetur. Sed fortuna Cæsaris notis & commodis arridens, uiam inuenit, qua eum damnosę transactionis solicitudine liberaret. Carolus enim Aurelianus, postquam in complexū Cæsaris deuenisset, in pestiferum incidit morbum, ita ut paucissimus diebus apud Firmū monasteriū quinto Idus Septembris M. D. XLV. sæua morte eriperetur, iuuenis omnibus corporis atque animi dotibus, totius Gallię iuuenum florentissimus: quem unum, præter ipsos Gallos, populi Insubres tanquam exoptatum summæ benignitatis principem maximè luxerunt, quum de fortunis suis, & de tranquillitate seculi facile desperarent. Cæterū Anglus post expugnatam Bononiam, atq; eam expulso Varuenio, Obiei Mareschalci, prouinciæque Morinorum, præfecti genero, Anglicis præsidijs confirmatam, & desperatam Motrelli oppidi deditionem, quod Obieius defenderat, pacem cum Gallo rege facere recusauit, uel satagente plurimum in eam Ioanne Bellaio Parisiensi Cardinale. Quibus de rebus, contendente iam Cæsare ad Samarobrinam, quæ Cameracum dicitur, uniuersæ Gallorum copiæ duce Delphino, discedentis Henrici regis & Britannorum uestigiis ita institere, ut

penè

penè nouissima hostium agmina consequerentur, atque eos multis impedimentis exuerent, conuersisque continuò signis, Delphinus Bononiā repentinus inuaderet, tanto impetu, ut inferiore oppidi parte, multis Anglorum interfectis, atque magna simul præda potiretur: uideriq; posset, superiore etiam oppido potiri, nisi aduersæ tempestates uentorum & imbrium, quæ tolerari non poterant, impedimento fuissent. Instituta demum à Francisco rege cùm terrestris, tum nauali obsidio, accersitis è Marsilia usque rostratis nauibus atque triremibus: quæ per fretum Gaditanū Hispaniam circuire iussæ, Britannicis nauigationibus multa inferebant detrimenta, usqueadeò ut Hanebaldus cui aderat Petrus Strozza & Leo frater triremibus præfectus, prælio nauali cum Dumbelio Henrici præfecto, certaturus crederetur. Hisce de rebus fiebat, ut Henricus longè maximis sumptibus fatigatus, ad cōsilia pacis quæ nuper reiecerat, reuerteretur. Ea uerò celerius omnium opinione confecta est anno à natali Christi Dei filij, M. D. XLVI. haclege, ut Francisco regi Bononiam certo auri pondere redimere liceret: quod aurum resarciendi bellici sumptus octo pensionibus in singulos annos à Gallis penderetur. Dum obsidere Bononiam terra mariq; pergit Gallus, & Cæsar Vormatiæ, quæ olim Borbetomagū in Vangionibus fuisse putatur, ad conuentum imperij X. cal. Aprilis inchoatum expectatur, renunciatum est eum articulari morbo affectū, statim interesse nō posse. Hanc ob causam Ferdinandus rex postulata quædam proponit, quorum primū fuit, de reijcienda ad instans concilium, Spiræ nuper decreta religionis actione: secundum, ut in iudicum imperij decuriam sumptus conferantur: tertiū fuit de certis in Turcicum bellum auxilijs constituendis: ad quæ principes Smalcaldici fœderis respondēt, si ex decreto Spirensi, de religione amicè transigatur, & pax à Cæsare concedatur, quæ Pontificis concilio non turbetur, se nihil recusare, quo minus in Turcicum bellum auxilia decernantur, et si qui alij sumptus necessarij ad communis rei conseruationem esse uideantur. Quod autem ad concilium Tridentinum, & si quod aliud tale esset, attineret, se id pro legitimo concilio, quale promissum esset, nō habere: id se antea semper esse professos, quoties eius mentio incidisset. Dum hæc agerentur, Cæsar XVII. cal. Iunij Vormatiam uenit, quem postridie eius diei Alexander Farnesius secutus est, concitandi scilicet Cæsaris ad bellum in Lutheranos suscipiendum causa, ut postea apparuit, à Paulo pontifice patruo missus. Cum uerò ne cum Cęsare quidem de postulatis conueniret, legatum ad Solymanum Cæsar de inducijs impetrandis mittit, ne ab eo eius de Germanicis rebus susceptа consilia impedirentur. Mittitur & ad Poloniæ regem Sigismundum, ut si protestantes ad sanitatem redire nollent, is cōsilio atque auxilio Cęsarem iuuare non grauaretur. Missus erat ad Vangionum comitia à rege Galliæ legatus, sicuti in pactione Suessionensi erat constitutum, qui Germanos hortaretur, ut quod concilium Cæsar, & Galliæ rex comprobarent, id ipsi ne repudiarent, sed ei sese pacatè submitterent. Is erat Grinianus Galliæ Narbonensis præfectus: qui quidem suo functus est munere. Idem egerunt cum protestantibus Granuellius & Nauius: sed protestantes idem quod antea Ferdinando, responderunt. Iam circiter idus Martias, qui præessent concilio nomine pontificis, uenerant Tridentum, Ioannes Maria Montanus, qui postea Paulo Farnesio in pontificatu successit: & Marcellus Ceruinus, qui Montano, & Reginaldus Polus cardinales. Venit aliquanto pòst Iacobus Mendozza Hispanus, qui Cæsaris atque aliorum Hispanorum moram apud patres in concilio excusaret. Interea temporis dum Grinianus à sua prouincia apud Vangiones abest, Ioannes Minerius ei absenti suffectus, impetrata à rege eius edicti, quod in Valdenses qui circa Aquas Sestias Merindoli & Caprieræ, alijsque aliquot in pagis agerent, ante quinquennium factum erat, executione, miseros homines tanta clade eorum oppidis & pagis exustis affecit, ut ad octingentos more pecudum, nulli neque ætati neque sexui parcens, trucidarit: capti partim supplicio affecti, partim ad triremes damnati. Eodem tempore Franciscus Lotharingiæ princeps relicto infante filio, cui nomen est Carolo, ex hac uita migrauit. Pueri tutela, post multam altercationem, matri eius & patruo commissa est: nec multo pòst in Polonia moritur regis Ferdinandi filia, Sigismundi Augusti Poloniæ regis filij uxor: Philippo uerò Caroli Cæsaris filio, nascitur filius: sed regina ipsa mater paulo pòst excessit ex uita. Cum autem uideret Cæsar principes imperij minus frequentes ad Vangionum conuentum aduenisse, alium indicit imperij conuentum in sequentē annum Ratisbonæ peragendum: iubetque principes omnes, nisi aduersa ualetudine impediantur, adesse: se enim & iudicij Cæsarei emendationem, & religionis tractationem eò reijcere. Itaque Theologos qui de religione agant, sub calendas Decembres adesse imperat. Ipse uerò pridie nonas Augusti Vormatia discedit, & secundo Rheno Coloniam deuehitur: ibi actione aduersus Hermannum Colonien sem episcopum, immutatę religionis instigatus à Pontifice instituta, ad Belgas reuersus est, ad constitutum tempus in Germaniam ad comitia rediturus. Iisdem fermè diebus, Henricus Brunsuicensis regulus, quòd multa in protestantes hostiliter tentasset: quodque de finibus esset ei non exigua cum Saxone contentio, ante biennium sua ditione pulsus, aduersus Cæsaris & Ferdinandi edicta, armis eam recuperare aggressus, cum ei magna celeritate à Lantgrauio & Saxone Mauritio obuiam itū esset, seque circumuentum conspiceret, deditionē ea conditione fecit, ut ipse cum filio qui cum patre militabat, in Lantgrauij potestatem ueniret. qui ubi in eius conspectum uenit, Si in tuam, inquit, potestatem uenissem, quomodo mecum egisses? nō diu certè mihi lucis huius usuram concessisses. Ego uero tecum mitius agam. Ad hunc modum locutus utrunque custodiæ tradit. At Henrici copiæ iam uno agmine cum discedere cogitarent, Lantgrauius, ne per occasionem aliquid hostile mouerent, eis signa tormentaque circiter octodecim ademit: simulque sacramento adegit, ne intra sex menses in se aut in socios militarent. His peractis, Saxo atque Lantgrauius ad Cæsarem totam rem perscribunt, ab eoque petunt, ut propter neglecta imperij decreta, uiolatamque publicam pacem, Brunsuicensis, eiusq; socij proscribantur. quo nuncio accepto, Cæsar legatum ad Lantgrauium mittit, eum monens, ut uictoria moderatè utatur: utque pro ueteri principū consuetudine, captiuos liberaliter honesteque accipiat, atque ita se in omnibus gerat, ne quis uim ab eo iure possit metuere. Quod ad pœnas attinet, cum in eum statum res deuenerit, existimare se Henricum uiolatæ pacis satis pœnarum dedisse, ut non sit opus nouæ pœnæ irrogatione eum mulctari. Sperare autem se Lantgrauium totam illam causam legitimæ disceptationi permissurum. Ad ea Lantgrauius ita respondit, ut suæ æquitatis & moderationis fidem facere conaretur: peteret nihilominus, ut ex imperij legibus ipse cum socijs proscriptionis tabula mulctentur. Erat tum Cæsar in Belgis, constituebatque nonnulla, quæ ad eius regionis tranquillitatem & usum conducerent: nec tamē belli aduersus Smalcaldicos, ut cum Pontifice composuerat, curam remittebat. His rebus ex sententia compara tis, cum iam nouum adesse annum cerneret, qui numeratur

meratur à Christo nato M. D. XLVI. Cęsar per Sycambrorum & Menapiorum fines, qui nuper pacati erant, in Germaniam ire contendit: peractisque prius Traiecti Aurei uelleris conuentibus, & Italiæ, Hispaniæ, Germaniæ principum aliquot noua lectione sodalitio aucto, quum Traiectū superius peruenisset, quod est ad Mosæ ripam situm oppidum, plerique Germaniæ principes & ciuitates legatos ad eum miserunt non incertis rumoribus permoti, quibus sparsum esse dicerent, Cęsarem maxima manu atque infestis armis in Germaniam contendere: eius rei signa extare nō leuia, quòd cum Gallum habeat pacatū, & cum Turca fecerit inducias, copias tamen ipse conducat, & idem pontifex in Italia faciat. Agunt præterea de Colonien si electore, ut Cęsar eam causam cum cæteris de religione coniungeret, & actionem contra ipsum institutam rescinderet. Cæsar de apparatu belli negat: quanquam haberet fortasis causæ nonnihil, si id crederet quod ad se delatum esset, Smalcaldicos Francofurti in proximo conuentu, aduersum se coniurasse. De Colonie si uerò respōdet, se iustas & graues causas in ipsum habere: egisse tamen cum eo leniter, & clementer. Sed quādo id petant, se rem omnem ex principum cōsilio proximis Ratisbonēsibus comitijs esse trāsactурum: atque ita eos dimittit. Eodem ferè tempore Alphonsus Daualus pro Cæsare apud Insubres præfectus moritur, uir bellicis laudibus abundans: in eius locū à Cęsare suffectus est Ferdinandus Gonzaga è Sicilia accitus, ubi pro rege eā prouinciā administrabat. Procedebat interea Ratisbonēsе collo quiū, & iam Bucerus atq; Maluēda doctor Parisiēsis de causis, medijsq; cōsequendę salutis disceptabāt, quū literæ Cęsaris afferunē, quibus nouę collocutoribus, quod ad religionē attinet, leges præscriberētur: quæ cum protestantium principibus non probarentur, suos illi Theologos reuocarūt: quo factū est, ut institutа disceptatio abrūperetur. Dum hæc agerentur, & patres in concilio Tridentino de extirpandis hæresibus decernunt, Martinus Lutherus Islebij quæ fuit eius patria, ex hac uita placidissimè migrauit xij. calen. Martij, cū esset annos natus tres & sexaginta: qui annūs scansili annorum lege, fatalis & seniorum cōmunis pernicies habetur. Est autem Islebium Saxoniæ oppidum, in Mansfeldensium regulorum ditione, ære Cyprio quod ibi fodi tur celebre, non procul ab Hercynia sylua, Bacenis à ueteribus appellata. Sub exitum autem Martij Cęsar Traiecto discedens, qua proximum iter in Germaniam per Leodiorum & Lucemburgensium fines erat, cum quingentis equitibus cataphractis Rhenum superare contendēs, Spiram peruenit. Ibi cum esset ad dies aliquot moraturus, uenerunt ad eum Fœdericus Palatinus & uxor Cæsari è sorore neptis. Venit & Philippus Lantgrauius Cattorum princeps. Et Lantgrauius quidem, tum Nauij tum Granuellij consilio acceptis, tamen prius à Cæsare publicę fidei literis, uterque autem ut suo arbitratu de rebus uel publicis uel priuatis cum Cæsare ageret, ac præsertim de communi totius Germaniæ pace atq; cōcordia. Cæsar uisus est se facilem illorum præbere uotis, hortatusq; Lantgrauium uehementer ad comitia Ratisbonensia ueniat. excusat Lantgrauius oftenso periculo à Brunsuicensibus socijs, si longius à suis finibus abscedat. Tandem humaniter, atq; ut uidebatur, amicè dimissus Lantgrauius, et Palatinus discedūt. Palatinus paucis pòst diebus, immutata per suam ditionē in plerisq; pontificia religione, cum protestantibus sese adiunxit. Cęsar interea Spiræ diebus omnino quinq; cōsumptis, Rheno superato, eam Germaniæ partem, quæ hodie Sueuia dicitur, percurrēs, Danouertum uenit: hinc profectus Ingolstadium, atq; inde Ratisbonā, ubi anno superiore conuentus erat indictus, se cōtulit.

Est autem Ratisbona liberarum ciuitatum, qua Austriam spectāt, ad Istri ripam extrema. Ampla est, antiqua & nobilis, intra Bauariæ fines cōprehensa, ab Augusta Vindelica octodecim, ab Ingolstadio nouē miliaribus distans. Hanc sibi Cæsar non modò conuentus habendi, uerùm etiam belli gerendi peraccommodam urbem, delegerat. Cognito Cæsaris aduentu, per legatos qui à principibus ac ciuitatibus eò conuenerant, de repub. Christiana summisq; imperij rebus cœptum est agi. Sed Cęsar quo maturius posset cœpta perficere, tribunos & cęturiones aliquot Ratisbonam ad se clanculum euocarat: quod quū sagaciter olfecissent, qui aderant à principibus & ciuitatibus oratores frequentes, Cæsarem adierunt, dicentes se habere quædam quę de communi consensu ab eo peterent. Horum hæc erat summa: intellexisse se tribunos militū atq; præfectos ab eo accersiri, per quos in Germania delectus habeātur: magnopere orare se & cupere certiores fieri, nū arma capiat, & quibus id bellum moueatur, sese paratos esse imperata facere, commeatu, cęterisq; rebus quæ ad bellum usui essent, iuuare, quemadmodum superioribus temporibus sedulò semper à se factū esse docere possint. querunturitem de cæde Ioānis Diazij Hispani Neoburgi facta, & de parricida, qui captus teneatur, supplicium sumi postulant. Ad ea Cæsar paucis respondit: iubere quidem se militū cohortes aliquot conscribi, quibus contumacium quorundam insolentiam compescat. Porrò, hinc se suorum animos ęstimare uelle, ut quorum opera & auxilio ad id bellū usurus sit, beneficio eos ac liberalitate sua prosequatur: fore quoq; ut optimū imperatorem, & clementē in se dominum experiātur. Contrà qui fecissent, eodem prorsus habiturum se loco, quo hostes ipsos in quos id bellum susciperetur. De cæde Diazij ita respondit, ut diceret se ea de re cum fratre deliberaturum. De Colonien si quoq; electore, cum essent de pontificis in eū iniuria questi, non aliud responsum tulerūt, quàm se, qui ecclesiæ iura tueri debeat, pontificem suo iure agere permittere, præsertim in eum qui neq; suis neq; pontificis mandatis parere uoluerit. Pontifex enim iam summum uirum, atq; octouirali creandi imperatoris potestate præditum, diris deuouerat, diplomateq; Coloniam misso, omni exuerat autoritate. Sed quoniam de Diazij parricidio facta est mentio, operæ precium erit paucis rem atrocissimam exponere. Ioannes Diazius Hispanus, cum se Argentoratū religionis causa contulisset, Martino Bucero eius ciuitatis Theologo, perquàm familiaris euaserat. Erat enim, quod eius gentis est propriū, ingenij acumine præditus, & cognitioni linguarū, rerum quoque atq; artium multarum scientiam adiunxerat: in primis uerò utriusq; Theologiæ cùm Scholasticæ quam uocant, tum eius quæ ex sacris Dei Christiq; oraculis hauritur, non uulgariter peritus. Hunc secum Bucerus ad Ratisbonensem conuentum duxerat, qui dum illic ageret, cum Petro Maluēda & ipso Hispano doctore, sępè congressus fuerat, utpote cū quo Lutetię nonnullā consuetudinē habuerat. Conabatur autem Maluenda illum à Lutheranis abducere: dolebatq; uehementer, tam excellens ingeniū à pontificijs defecisse. Diazio frater erat Alphonsus Iurisconsultus, qui Romæ suam operam consultoribus elocabat. Is igitur simul ac audiuit fratrem in Germania cum Lutheranis facere, ratus hoc ad suā & patriæ publicam infamiam pertinere, dolore incensus amaro, in Germaniam paucis diebus peruolauit. Vbi Ratisbonam peruenisset, & fratrem Neuburgi esse accepisset, eò contendit: ac primum ubi eum cōueniisset, omnibus machinis eum à secta Lutherana dimouere, atq; in suas partes trahere conatus est. Ad extremum, cum satis animaduerteret se nihil omnino proficere, & uicissim Ioānes fratrem

in suam de religione sententiam docendo traducere conaretur, finxit Alphõsus sibi nouo quodam lumine mentem illustrari, ut ea iam uideat, quæ prius uidere non poterat, nimirum ueteris erroris caligine præpeditus. Hoc cum Ioannes animaduerteret, sustulit manus, fratremq; est tenerrimè complexus, ut facilè quisq; credit, quod maximè cupit. Hic Alphonsus fratrem hortari, & rogare, ut quando sint eiusdem animi atq; sententiæ, secum in Italiam ueniat, ut & alios in eandem sententiam inducant, & unà cõiunctissimè uiuant. Id sibi tunc integrum nõ esse, per ea quæ cum Bucero negocia susceperat, affirmat Ioannes: alio fortasis tempore se eius uoluntati obsecuturum, qui nihil charius haberet, quàm cum unanimi fratre semper esse: atq; ita fratrem dimittit, qui eadem uultus & uerborũ simulatione discedit, quasi in Italiã rediturus. Verùm non multo pòst clam in oppidum redijt: summoq; mane sicarium, quem secum Roma duxerat, ut si nõ posset fratrem à sententia abducere, eum interficeret, ad fratris diuersorium cum literis quasi de itinere scriptis mittit: quò cum uenisset, diceretq; se à fratre literas afferre ualde necessarias, facilè admittitur. cũq; Ioannes è lecto sese statim ad eum contulisset, literas accipit, quas dum legeret attentissimè, proditor ille à tergo stans, securi ei caput diffidit, ad cuius ictum amissa cum uoce uita, concidit Diazius: percussor autem sese ad urbis portam citato gradu proripuit: & consenso equo, ipse cum Alphonso qui eum præstolabat, magna celeritate Italiã uersus cõrendunt. nõ potuere ita effugere parricidæ, quin indice commonstráte, qui eos erat cõsecutus, Oeniponti cõprehenderent, quos cum ad necé poscerent Otho Henrichus princeps, & Palatinus, literæ à Cæsare allatæ ferebantur, quibus totam causę illius cognitionem ad se reuocabat. Sed postea fratricida cum sicario dimissi sunt, fortasis id postulante pontifice, ut ea uictima Concilij Tridentini initia consecrarentur.

Vt autem ad ea quæ in Cæsareo conuentu agerentur, reuerramur, Cęsar cõuocatis ordinibus, causam indicti conuentus exponit: nimirum se uehementer cupere pacatam uidere Germaniã, dissidio religionis sublato. Itaq; petere, ut si quid consilij in ea re habeant, liberè communicent. De Augustali item iudicum decuria ordinanda, qua ratione fieri debeat: præterea quos ipsi idoneos arbitrentur, qui in eam decuriam legantur, eos ut exhibeant, atq; sumptũ omnem repręsentent. Solent Electores communicare consilia, sed hoc rempore Moguntini & Treuirenses legati secessionem faciunt a Colonienſibus, Palatinis, Saxonicis, Brandeburgicis, & ad pontificios transeunt: & re deliberata Concilium Tridentinum approbant, & Cæsarẽ, ut illud tueatur, & Protestantibus persuadeat, hortantur, quo nimirum & eò ueniãt, & synodi decretis atq; cognitioni se submittant. Protestantes uerò Cęsarem orant, ut firmã pacem & æquabile ius constituat, ut religionem legitimo Germanię Concilio, uel imperij conuentui, uel colloquio doctorũ, certis legibus instituendo, permittat. Dum his de rebus deliberatur, ecce fama spargitur, à Cæsare & Ferdinando & pontifice maximos fieri belli apparatus. Nam quia pacem Gallię rex cum Cæsare colebat, & inducias in hũc annum Turca largitus erat, idoneum hoc uidebatur esse rei gerendæ tempus. Quum ergo belligerari Cęsar omnino decreuisset, nona die Iunij Tridentinum cardinalem celerrimo cursu cum mandatis Romam mittit ad pontificem, auxilia promissa conquirendi causa. Biduo pòst centuriones omnes, tribunos atque duces cũ pecunia dimittit, ut euestigiò delectus habeant. Burensi Comiti Maximiliano iam antè mandauerat, ut quantas omnino posset equitum peditumque copias per inferiorem Germaniam conduceret. Albertum etiam & Ioannem Brandeburgicũ A & ordinis Germanici magistrum Volfgangum iubet conscribere equitatum. Nam duo illi, quanquã erant religionis, & Ioannes quidem etiam fœderis Protestantium: tamen quòd Cæsar non propter religionem, sed quorundam rebellionis ulciscendæ causa, bellum susci pi diceret, suam illi operam addixerant: & erat Ioannes Henrici Brunsuicensis captiui gener. His rebus commoti, deque communi Germanię periculo soliciti Protestantiũ legati, reliquos imperij ordines, ut Cæsarem unà secum adeant, belli deprecandi causa, rogant: uerùm id frustra fuit. in primis autem Moguntini recusabant, & Treuirenses. Lantgrauius, qui diligentissimè perueſtigaret omnia, subinde missis Ratisbonam literis, quid cõperisset, & quid diuersis ex locis ad se delatũ esset, nunciabat: & ut equitum cohortes aliquot, iam antè propter belli suspicionem conductæ, retinerẽtur amplius, & nouæ conscriberentur, monebat. Illi uerò, quòd Cæsaris postulata nihil hostile: sed summã lenitatem studiumq; pacis præ se ferrẽt, nullum eo quidem anno bellum esse futurum putabant. cùm autem ipsa res declararet nõ esse uanum rumorem, quum iam non in Germania tãtum, sed per Italiam quoq; manus cogerentur: Hispanorum etiam aduẽtarent copiæ, sextodecimo calend. Iulij adeũt Cæsarem: & quia plena sunt omnia motibus bellicis, nũ ipsius hæc fiant imperio scisciantur. Ad ea respondet Cæsar, nõ aliud se habere propositum, quàm ut concilientur ordines: & pax atq; ius per imperium ualeant. in eo qui sibi paruerint, eos omnem abs se beneuolentiam expectare iubet: qui secus facient, in hos pro iure & auctoritate sua sibi agendum esse dicit. Paulo pòst Granuellanus & Nauius ad se uocant quarundam fœderis Protestantium ciuitatum legatos, Argentinæ maximè, Noribergæ, Augustæ & Vlmæ: & ad singulos separatim locuti, bellũ hoc non aduersum ciuitates, uerùm in quosdam parari dicunt rebelles, qui læsæ maiestatis crimen admiserint, qui Cæsaris auctoritatẽ uiolauerint, qui principum aliquot atq; episcoporum facultates occuparint, qui per occasionem ne ciuitatibus quidem sint parciturí. Fidem igitur & officium Cæsari præstẽt, nec aduersarijs opem ferant, ut ne Cæsar causam habeat offensionis in ipsos. Scripserat Cæsar in eandẽ sententiam ad ciuitates, & ad Virtembergicũ quoque principem. Mauricius, qui uigesimo quinto die Maij Ratisbonam uenerat, Iunij die uigesimo discedit, ubi Cæsar priuatim cum eo diu multumq; sermocinatus fuit. Eius uerò quę fuerit summa colloquij, res ipsa pòst declarauit. Protestantium legati, quum ad uim & arma spectarent omnia, neque sine periculo de rebus necessarijs uel deliberare possent, uel ad suos etiam perscribere, discedunt. Idib. Iunij Cæsar legatum mittit ad Heluẽtios, & initio præfatus de sua in ipsos beneuolentia, de charitate erga rempublicam, maximè uerò Germaniam, studioq; pacis, Germanię quosdam ait esse principes, qui sub Euangelij prætextu multa seditiose faciant, leges omnes euertãt, ut sublatis iudicijs nihil sit amplius quod metuant. Eorum audaciam eò nunc progressam, ut contra suum honorem & magistratum nitantur, & uim atq; bella minentur, nec obscurè præ se ferant, quasi per suam abtentiam inuadere cogitent & opprimere communem patriam. His ergo rebus coactum arma sumere, ut pro sui muneris atq; loci dignitate, periculum à republica depellat, & illos coherceat. Superioris Germaniæ ciuitates, & dux Virtembergicus, audito Cæsaris responso, quod per Nauium dedit, cõtinuò datis literis ad Saxonem & Lãtgrauium fœderis duces, quid agatur ostendunt, & omnem fidem opemq; polliciti, quantas omnino possunt, peditum copias conscribũt: & omnino primi fuerunt in armis. Exercitus autẽ erat bipartitus, unũ agmen erat Vlrichi principis, ad uiginti-

ginti quatuor signa peditum: & in his ex nobilitate A bonæ priuatim dixerint, referunt: nimirum Concilij contemptũ, huius causam esse belli. Porrò quanquam Cæsaris hoc erat consilium, ut conductis undique copijs, quàm posset occultissimè Smalcaldicos adoriretur, priusquam essent instructi: tanta tamen erat illorum diligentia, tantus hominum ardor, & ad hoc bellum alacritas, ut ad decimam sextam Iulij diem Lantgrauius suas copias educeret, tametsi per inferiorem Germaniam Burensis Maximilianus exercitum iam propè totum haberet instructum, nec in quem primum facturus esset impetum constaret. Primus impetus à superioribus Germanis, qui iam erant expediti, factus est in hostem ex Vindelicis. Quum enim crebris nunciis afferretur, pontificis copias iam superatis ferè Alpibus imminere Germaniæ, præuertendum esse iudicabãt. sic autem res habet. Ex Italia uenientibus per Tridentum est iter Oenipontem, Ferdinandi ditionis oppidum. Inde duabus omnino uijs in Bauariam itur, ubi tum Cæsar erat, uel secundo flumine Oeno per Copstenum, uel ad lęuam per medias Alpes. Propè ad exitum Alpium habet arcem Erebergum, editissimo loco positam, rex Ferdinandus: & ea est natura loci, propter angustias & crepidines uiarum & præcipitem despectum, ut qui hunc aditum teneat, quantumuis magnas copias aditu prohibere possit. contendit igitur eò cum mediocri manu Iulio mense Sebastianus Schertelius, mandato legatorum, qui Vlmę cõuenerant: & ex itinere capta Fiessa, oppido episcopi Augustani ad Læchum flumen, aditum etiam illum & arcẽ deditione facta per milites præsidiarios, occupat. Erat eius consilij, continuato itinere per Alpes, Oenipontem etiam capere, & firmo præsidio munire. sic enim utranquite tenuisset uiam, qua iter est in Germaniam ex Italia: & milite Cęsarem atque commeatu, ijs quidem locis intercluisset. Sed in hoc tumultu, quum iussu Ferdinandi repentè ad arma uocati essent omnes per agrum Tirolensem, magnæ manus cõueniunt Oenipontem, ductore Francisco Castellato, Tridenti præfecto, & ad oppidi defensionem relicto præsidio, uias & aditus occupant. Itaque Schertelius, impositio in arcem Erebergum præsidio, & oppidum Fiessam retrocedit, & cum suis deinde copijs, ad eũ exercitum, qui per superiorem Germaniam collectus, ad Danubium erat, proficiscitur. Interim Saxo & Lantgrauius cum suis copijs procedunt, & per Franconiam profecti; ad socios contendunt. Erant tum in ipsorum castris, Electoris Brandeburgensis & Mauricij ducis legati, de permittenda intercessione missi: quum autem illi rem ad socios reijcerent, nihil actum fuit. Erat id temporis Ratisbonæ Cæsar, & præter Hispanos ad millia tria, peditum Germanorum millia circiter quinque, & ad septingentos equites, nullæ adhuc ad ipsum copiæ tunc conuenerant, Saxonem atque Lantgrauium Cæsar decimotertio calendas Augusti, publicis literis proscribit uti perfidos, rebelles, seditiosos, læsæ maiestatis reos; & communis ocij perturbatores, mandans ne quis opem illis ferat quocunque modo, neque se causæ illorum adiungat. Qui secus fecerint, & fortunarum & uitæ discrimen adituros, quique profecti sunt ut illis militent, redeant quamprimũ: ipsi uerò omnes subministrent auxilia, neque fœdere uel pactionibus ullis impediri se patiantur, se enim illa omnia rescindere. Deinde nobilitati & populo ditionis ipsorum, fidem atque iusiurandum, quo sunt eis deuincti, remittit, & publica fide cauet, si morem gerant: qui recusant, eodem modo quo illi pœnas daturos. Inter hæc Hieronymus Franchus, Legatus pontificius Luceriæ agens, solicitabat Heluetios, ut fœderi, quod nuper ad exitum Iunij pontifex atque Cæsar inierant, adscriberentur: quandoquidem locus sit relictus alijs, qui uelint in eam

societatem uenire. Quòd fœderis causam pontifex enunciarit, callidè factum esse nonnulli putant, ut hac ratione Cæsarem summis difficultatibus obijceret. Molestè quidem tulerat, Cæsarem aliam belli causam, quàm religionis præ se ferre. In hoc tempore Bauariæ ducis filius Albertus, Ferdinandi regis filiam Annam, alterâ uerò Mariam, Gulielmus dux Cliuēsis, in matrimonium ducit. Peractæ sunt utriusque nuptiæ Ratisbonæ, medijs in turbis atque motibus bellorum. Consessui patrum Tridenti dictus fuerat dies ad exitum Iulij: sed dilata res fuit in anni sequentis initium. Erant autem Tridenti præter cardinales pontificis legatos, & Tridentinum atq; Pachecum Hispanum, Archiepiscopi quatuor, episcopi triginta tres, & in ijs duo Galli, quinque Hispani, Illyricus unus, reliqui omnes Itali, Theologi doctores monachi triginta quinque, ex alijs uerò non monasticæ professionis duodecim, plerique omnes Hispani. Cæterùm in quatuor illis Archiepiscopis erant duo ueluti personati, Olaus Magnus Vpsalensis, Robertus Venantius Scotus. Id autem sic accidit, cùm Suetiæ rex Gustanus, Danię finitimus, religionem mutaret, quod fuit anno millesimo quingentesimo & trigesimo septimo, Ioannes Magnus, Archiepiscopus Vpsalensis, qui mutationem illam improbaret, relicta patria Romam cōfugit, eoque uenit mediocri cum comitatu. Venetias profectus, deinde factus est eius ciuitatis Patriarchę uicarius. Eam uerò conditionē postea pertæsus Romam reuertit, & in angustias redactus, quum diuenditis equis, familiam ferè totam dimisisset, à Paulo pontifice collocatur in hospitali domo, quam uocant sancti Spiritus, in eaque tenuis & pauper uitam finijt. Erat cum eo frater Olaus, huic pontifex Archiepiscopatum illum Gothicum, licet extra commercium ecclesiæ Romanę positum, contulit, & concilio interesse iussit, & ad uictum quotidianum dat aureos menstruos quindecim. Alter ille Scotus, quum Archiepiscopatum Armacanensem esse in Hibernia pontifici demonstrasset, titulum fuit ab illo consecutus. erat autem cæcus, & tamen non solùm sacrificabat, uerumetiam per celeres equos currebat. Hos ergo duos pontifex in cœtu patrum esse uoluit, ostentationis causa tantum, quasi duo isti populi tam longinqui, Gothi & Hiberni, potestatem ipsius agnoscerent: quum illi reuera, præter umbram & nudum titulum nihil haberent. Calendis Augusti Cęsar, proscriptionis, quā suprà diximus exemplum, Mauricio Augustoque fratri mittit, & datis ad ipsum & populum communibus literis, eadem ferè, quæ proscriptionis tabula continebantur, commemorat: & quia proscriptis agnatione sit & necessitudine coniunctus, ita quidem ut in illorum possessiones atque bona ius aliquod sibi fortè uendicare possit, grauissimis uerbis mandat, ut sibi in occupandis illorum prouincijs adsit totis uiribus: imò ut ipse quamprimum occupet omnia, & sui iuris tuendi causa detineat. nam alioqui fore ut occupantis omnia fiant. Ad septimum Augusti diem, Mechliniæ, quod est Cæsaris ditionis oppidum Brabantiæ pulcherrimum, puluis tormentarius in turri quadam in mœnibus repositus, à fulmine incensus, ipsam turrim primum à fundamentis euertit, proxima deinde ędificia, intra & extra urbem, ad quingentos in circumitu passus inuasit, exijs pleraque incendit, plurima diruit, ac disiecit, nonnulla concussit ac disrupit, atque ex ijs lapides ingentes correptos, plerosque ad sexcentos passus longè contorsit: atque ita corruptis tectijs ac dendudatis, totam propemodum urbem deformauit, arbores radicibus euertit & ambusit. Perierunt in ea calamitate homines plus minus ducenti, partim incendio absumpti, partim ruinis ædificiorum ac lapidibus & tegulis obruti, præter eos, qui grauiter uulnerati mortem effugerant, quorum ingens erat numerus. Ex his complures biduo ac triduo, nonnulli quatriduo pòst, è cellis subterraneis, in quas confugerant, plerique mortui, qui uel fame uel spiritu pręcluso extincti erant, pars uiui, qui penu ibi condito inuento, uitam ibi toleraverant, reperti atque extracti sunt. Præterea ingens numerus iumentorum atque pecorum cum stabulis deflagrauit. Murus autem, qua parte turris steterat, ad ducentos amplius passus dirutus ac solo æquatus fuit. Quia Protestantes iam cum omnibus copijs erant ad Danubium, Cæsar qui nondum esset instructus, Augusti mensis initio relicta Ratisbona cum præsidio, Landishutum petit, Bauariæ ducis oppidum ad Isaram flumen, & pro mœnibus castra ponit. Donauerto, Saxo, Lantgrauius atque socij, missis literis tertio Idus Augusti, quo sint in ipsum animo, iuxta belli morem atque legem denūciant, & amplioris cautionis loco eam qua deuincti fuerant fidem & officium renunciant, profitentes palàm & more soleni, se animo paratos ut ipsius ac eius sociorum bellum à se depellere cogitent, ac necessario defensionem suscipiant, quam & diuinum & naturæ quo que ius concedit. Hanc epistolam per adolescentem quendam nobilem & tubicinem, uti fieri solet, ad Cæsarem mittunt in castra: ille autem non modò non accipit, uerumetiam iubet, capitis denunciata pœna, ut eam suis referant. hoc insuper addit, si quis in posterum ab illis ad se ueniat, fore ut loco muneris ac torquis aurei laqueum ferat. Deinde proscriptionis tabulam illis tradit, & grauissimis uerbis mandat, ut suis eam reddant. Postea Protestantes quò sit eundum deliberant. Erant qui Landishutum dicerent, ubi Cæsar erat. quum autem periti regionis docerent interesse paludes, ita quidem ut angustis admodum uijs, per unum & alterum subinde milliare singulis eundum esset equitibus, mutato consilio Ratisbonam ire statuunt, ubi Cæsar & præsidium reliquisset & tormenta: & si Cæsar obsessis opem ferat, de summa rei posse cum eo dimicari. Promotis ergo castris pergunt, sed lentè admodum: & sub illud ferè tempus, Landishutum ueniunt pontificij milites, maxima cum Cæsaris expectatione, qui de Smalcaldicorum progressu certior factus, dimissis nuncijs illos ut accelerarent, hortatus fuerat. Pedítum erant millia decem, equites leuis armaturæ quingenti. His omnibus copijs nepotem suum ex filio, Octauium Farnesium Pontifex præfecerat. Huic adiunxerat Alexandrum Cardinalem, qui ex Italia discedens, dixisse fertur, se tantam daturum esse stragem per Germaniam, ut in Lutheranorum cruore uel natare ipsius equus possit. Non multo pòst aduenerunt etiam Hispanorum ueteranorum, quos ab Insubria & Neapoli Cæsar euocauerat, circiter millia sex. Quum igitur omnes iam conuenissent copiæ, præterquam quas ab inferiori Germania Burensis ducebat, Cæsar illinc profectus Ratisbonam redijt. Eo cognito statim oborta fuit suspicio nōnullis, quasi in Misniam atq; Saxoniā cogitaret. Confectis ergo pontibus, in alteram Danubij ripam Smalcaldicorū transportatur exercitus. Progressis aliquantulū uersus Norgouiā, nūcius adfertur, Ratisbona Cęsaré cōtendere Ingolstadiū. ibi cōuersa ratione per loca salebrosa & aspera Danubiū repetūt, ne Nuburgū, quod est supra Ingolstadiū tribus milliaribus, & Donauertum Cæsar occuparet, inque Virtembergicū agrum iter haberet expeditū. Vbi Nassefelsum uenissent, Lantgrauius postridie nō magno cū comitatu progreditur, ut Ingolstadiū contemplaretur, ignarus ibi Cæsaris esse copias: nā de paucis tantū Hispanis ibi præsidiarijs acceperat, eos q; uolebat ad pugnam prolectare. Sed dum pergit, Sulmonensis principis equites aliquot prodeunt: impetu facto desiderati sunt utrinque nonnulli, uulnerati uerò plures. E captiuis cognitum est, eo die Cæsarem castra facturum esse ad Ingolstadium. Lantgrauij factum hoc, elector Saxonię molestè tulit: & si quid eiusmodi posthac ipso faciat inconsulto, discessurum se profitetur. Copijs deinde productis omnibus in aciem & instructis, quasi prælio dimicandum esset, in castra militem reducunt. Lantgrauius paulo pòst, paucis comitatus, ex omni numerò delectis, ut aliquid certi cognosceret, exit, & uado reperto, quod nullum esse dixerant ante ipsum emissi speculatores equites, redit ad Saxonem; & equitatum traduci posse renunciat. Pridie igitur calendarum Septembris, prima luce pergendum, & occupandum locum editiorem, ubi speculā fuit Ingolstadiorum aliquando, & tormentis agendum esse placuit, si fortè Cæsar ad prælium elici posset. Multa iam nocte, per interuallū, bis Lantgrauio Saxo nunciat abijsse Cæsarem, & fumare castra: sed ille quū fidem ei rumori non haberet, quinque cohortes equitum suorum emittit, qui uadum occupent, & traducendis tormentis atque peditatu pontes efficiant. Aliquanto pòst ipse cum reliquis copijs omnibus atque tormentis, magna celeritate sequitur. Vbi uentum est ad flumen, nunciatur ei Cæsarem non se commouisse loco. Cùm id ad Saxonem deferri curasset, progressus, collem illum, de quo dictum est, occupat, & tormentorum ibi partem collocat: copias etiam ad læuam atque dextram distribuit. idem deinde Saxo facit, ubi cum suis eō uenisset. De Maximiliano Burensi dictū est antea. Is omni cōfecto exercitu, nimirum equitum ad quatuor, peditum ad decem millia, & in his aliquot Hispanorum atque Italorum cohortes, quæ Britanniæ regi contra Gallum militauerant, Augusto mense progressus è Belgis, supra & infra Mogūtiam, & ubicunque nauium esset facultas, Rhenum transmittit, licet ad alteram ripam essent à Smalcaldicis copiæ dispositæ, ut transitu illos prohiberent. Vbi iam Smalcaldicorum exercitus omnis conuenisset eo, quem diximus, loco, cœptum est omnibus tormentis in castra Cęsaris fulminari, & uehementissimè quidem. Ibi tum Lantgrauius, conuocatis ad Saxonem belli consiliarijs atque ducibus, Quòd si penes me solum, inquit, esset administratio, sicut tunc erat, quando Virtembergicum restitui, duabus equidem cum legionibus hostem adoriri primò uelim, & fossoribus adductis, munitiones illorum disturbarem, & summis deinde copijs impressionem facerem. Variantibus ibi sententijs, quum alij dissuaderent, ut rem summi discriminis, alij non improbarent quidem, modò ut ab Ingolstadijs, qui tormentis abundabant, nihil periculi esset metuendum, & equitatus etiam adhiberetur statim initio pugnæ, nihil actum fuit. Quod quidem ita reprehenditur à multis, ut hic error & ipsorum calamitatis, & uictoriæ Cæsaris initium atque causa fuisse putetur. Nam & equitatu longè superabāt, & humili tantum fossa Cæsaris tum erant munita castra. Cùm autem eius diei fulmen & impetum Cæsar sustinuisset, nocte sequenti castra sic commuuit, ut maiore deinde fiducia rem ageret, ac tempestatem omnem multo commodius ferret. Incredibilem uerò Cæsaris aiunt fuisse fortitudinem, in hoc tanto discrimine: cùm non modò timoris nullam daret significationem, sed suis etiam animum adderet, eandem subire paratus, quam illi, fortunā. Sicut Heluetios, ita quoq; Bohemos Lantgrauius atque Saxo solicitabant. Hi uerò sic respondebant, ut facilè appareret, ipsorum animos esse iam criminatione Ferdinandi regis præoccupatos. Id quum ex eorum literis illi cognouissent, sub exitum Augusti rescribunt, & religionem hoc bello peti demōstrant. Sub idem etiam tempus edunt scriptum, & à fide dignis ad se deferri dicunt, pontificem Romanum, huius auctore belli, qui superioribus aliquot annis per incendiarios conductos, igni Saxoniam grauiter afflixerit, nunc emisisse ueneficos, qui puteos & aquas stagnantes corrumpant, ut quod ferro supererit & armis, hoc isti ueneno perdant. Itaque monent in uniuersum omnes, præsertim suæ ditionis homines, dēt operam, ut emissarij illi comprehendantur, & subiecti tormentis, cùm de scelere constabit, pœnam luant. De proscriptione, & quomodo Cæsar eius formulam siue tabulas ad Saxonem siue Lantgrauium miserit, suprà diximus. Hanc igitur ut acceperunt, è castris ad Ingolstadium, altera die Septembris honoris & existimationis tuędæ causa respondent, edito scripto ualde prolixo, quo & suam innocentiam tuebantur, & Cæsaris à multis annis consilia patefaciebant. Dimissa pugnā di occasione ad Ingolstadium, sicut dixi, per triduū adhuc ibi commorati Smalcaldici, quum Cæsar interea sese diligenter uallis atque fossis munijsset, pridie Nonarum Septembris discedunt, ut Burensem transitu prohibeant, licet hoc aliqui dissuaderent, neque longius quærendum esse hostem dicerent, qui sub ipsorum oculis uersaretur. Secundis castris Nuburgum, quod iam antè præsidio firmauerant, biduo pòst Donauertū ueniunt: & prope Vendingam castra ponunt, emissis exploratoribus, qui de Burensi cognoscant. Id Cæsarem non latuit, & ab illo certior factus Burensis, ab itinere deflectit, & Norimberga Ratisbonam profectus, ad Ingolstadium Cæsari sese coniunxit in columis. Hac igitur expectatione illi deiecti, Donauertū tertio pòst die redeunt. Interea Cæsar promotis castris Nuburgum petit: & quum nulla uenirent auxilia, præsidiarij deditionem faciunt. Iis omnibus Cæsar ignouit, accepta fide ne posthac in ipsum arma ferrent. Fama deinde fuit Cęsarem cogitare Augustam. Itaque Smalcaldici Danubium transmittunt, ut eius iter impediant. Quum autē dispositio Nuburgi præsidio, Marxæmum peteret, illi priora in castra reuertuntur. In Galliam atque Britanniam legatos de auxilijs impetrandis Smalcaldici antea miserant, uerùm id frustra fuit. Et Galliæ quidem rex, eo quòd pace cum Cæsare facta, non sibi licere diceret, excusabat. Veruntamen quòd augeri illius potentiam nollet, Petrum Strozzam Florentinum, hominem militarem atque prędiuitem hortatus est, ut illis ad trecenta aureorum millia mutuò daret: & quo commodius id fieret, magnam pecuniæ summam, quam ei debebat, persoluit. Non recusat ille, quoniam Argentinenses, Augustani & Vlmenses fidem interponebant: & ad principes in castra, quę tunc erant Donauerti proficiscitur cum Ioanne Sturmio, qui missus in Galliam fuerat. Verùm Strozza, siue quòd rationem belli gerendi, non probaret: siue à Tornonij cardinalis, ut quidam censent, opera nulla pecunia numerata, discesit. Sed rexaliquanto pòst coronatorum ducenta millia, Saxoni atque Lantgrauio dono misit. Sub finem Septembris denuò Smalcaldici scribunt ad Tigurinos, Berhates, Basilienses, Schafusianos, & quid in animo Cæsar habeat, & quid ipsis ab eo sit periculi, si rerum potiatur, ostendunt: & considerare iubent sit ne consultum rebus ipsorum, ut Cæsari atque pontifici sese profiteantur hostes, ac deinde Cæsarem in finitimis locis adoriantur. Ad hæc illi respondent, non sibi tantum, sed & reliquis Heluetijs hæreditarium esse fœdus cum Austriaca simul & Burgundica domo: quę quidem regiones ipsis omnibus & uinum & frumenta subministrent. Itaque nullo pacto se contra fœdus quicquā esse tenraturos. Cæsar Marxæmo Donauertum contendit; sed quum castris idoneum lo-

cum non reperiret, deflectit ad dextram, & quinto Nonarum Octobris Monhæmum petit. Erat tum fortè nebula, & Smalcaldicis emissi speculatores, qui de illius itinere cognoscerent, non idem renunciabant. Vbi tandem Comes Oetingensis Ludouicus, illum magna cum exercitus parte iam transisse Vernizam flumen adferret, continuò sequuntur, & sub noctem à Cæsare supra dimidium milliare castra ponunt. Postridie rursus est oborta nebula. Primam aciem Saxo, mediam Lantgrauius, postremã Georgius Malspurgus & Rifebergus ducebant. Saxo progressus cum quinque legionibus & multis equitum turmis, ad hostem propius accedit, & excursionibus utrinque factis, res agitur. Dissipata nebula Cæsar quum primum agmen uia Norlingica procedere uideret, postremum uerò nondum apparerer, omnem educit exercitum, quasi collaturum signa. Lantgrauius ergo qui medius erat, quum ad ipsum acies hostilis obuerteretur, consilium exquirit. Erant qui Saxonem insequendum esse dicerent. quia uerò postremum agmen longius adhuc aberat, quod suo discessu præsenti uidebat expositum iri periculo, non sibi discedendum esse putabat: uerùm dimissis nuncijs, qui & illos properare iuberent, & Saxonem reuocarent, constitit immotus, in ijs quos occupauerat collibus. Erat medius inter utrumque exercitum Egra fluuius, tenuis quidem, sed difficili transitu, Cæsari præsertim, si prælio decertare uellet. Hoc ad flumen usque Burensis iam cum suis copijs peruenerat: & cùm ad prelium res omnino spectare uideretur, Cæsar illum reuocat, & grauiter, ne longius progrediatur, edicit. Sic utrinque reditum est in castra, & Smalcaldici quidem prope Norlingam. Altera luce Cæsaris aliquot equitum turmæ propius ad hostem adequitant, & manus acerrimè conserunt. Hoc in conflictu per ad uersum os uulneratur Albertus Brunsuicensis, Philippi filius, quum à compotatione tumultuariè prodijsset. Norlingam relatus, non multo pòst interijt. Cæsar ibi per dies aliquot commoratus. Octauium Farnesium interea mittit, adiuncto peditatu Germano cum tormentis, ut Donauertum occupet: fauit hominis consilio fortuna. Quumque de nocte profectus, eò prima luce uenisset, admotis scalis, oppidani sese dedunt: præsidiarij fuga sibi salutem quærunt. Eo facto, Cæsar Donauertam petit. Smalcaldicorum fuerat consilium, illius adoriri castra, uerùm discessu mutata res fuit, & per indicium illud Cæsar accepisse putatur. His ipsis diebus, Lantgrauio nunciabat dux Albanus, quid ita montes atque colles insideat? cur non in planiciem descendat & prælio contendat? Lantgrauius inuicem, se socios que fuisse per dies quinque medijs in campis ante Ingolstadium, & expetiuisse prælium: cur non conflixerit? Cur idem iam ad Norlingam non fecerit, ubi totũ ipse diem substiterit? Dum hæc in Sueuia geruntur, magna fit rerum per Saxoniam immutatio. Nam Mauricius principio belli Ratisbona domum reuersus, suæ ditionis ordines omnes conuocarat, & Chemnici, quid facto sit opus, consultarat. Illi suadent, ut è Cæsare planè cognoscat, an religionem uelit esse saluam, deinde ut ipse & Brandeburgicus Elector intercedant: quod si religioni caueatur, & intercessio locum non habeat, hortantur, quandoquidem extra causam religionis teneatur in omnibus parere Cæsari, ut quiescat, & ad prouinciæ defensionem copias conducat: ad eam rem auxilia promittunt. Cùm autem ea quæ diximus ad ipsum essent allata Cæsaris mandata, Ferdinandus etiam ex Vngaria militem euocaret, & in Bohemia manus cogeret, Friburgum rursus conuocat ordines, octauo Idus Octobris. Reperit actionem superiorem, deque ipsorum consilio se unà cum Brandeburgico solicitasse dicit Saxonem atque Lantgrauium, ut intercessionem sibi permittant, grauiter etiam illos, & quanti sit res periculi, secum expendant, commouisse: uerùm adhuc nullum esse datum ab ijs responsum idoneum, & editis libellis ad arma rem deuenisse, & leuioribus aliquot prelijs iam esse dimicatum. Et quanquam illi nõ semel ab se flagitarint opem, tamen quia Cæsar de religione sibi rectè cauerit, ideò se, quemadmodum ipsi suaserint, nihil mouisse, uerùm ad suæ regionis tutelam, in hoc usque tempus aluisse militem, & cum delectis communicasse cõsilia. Re consultata, Saxoni & Lantgrauio nunciandum esse placuit continuò, de Cæsaris mandatis, atq; Ferdinandi regis apparatu: & utrunq; rogandum, ut cladis utandæ causa, suas prouincias à Mauricio patiantur occupari. quinto igitur Idus Octobris scribunt ad utrunq; separatim, post multam cogitationem, nullam apparere sibi uiam expeditiorem, quàm si Mauricio suas possessiones permittant. Mauricius unà quoq; scribit ad socerum Lantgrauium, in eandem propè sententiã: & quia miles externus iam instet, necessariò sibi prouidendum esse dicit, ne Saxonia deuastetur. De Cęsaris profectione, Donauertam, ut dictum est antè, serò tandem acceperunt Smalcaldici. Postridie Laugingam, quod est oppidum supra Donauertam tribus milliaribus ad Danubium, ire cõstituunt, & de nocte quidem. Cùm autem incertum esset, num esset progressus Cæsar: & si Laugingam ipsi petant, ac Cæsar interim sit à tergo, periculum esse nõnulli dicerent, ne Norlingam occupet, ac deinde per uallem Remsiam in agrum Virtembergicum inuadat, mutato consilio, diem unum ibi substistunt. Tertio Idus Octobris Smalcaldici promotis demum castris, quum allatum esset, Cæsarẽ tenere iter Vlmense, Giengam postridie uenisse, quod est ad idẽ flumẽ oppidum, nõ longè supra Sonthæmum, sic ut inter utrunque exercitum medius laberetur amnis. Quũ ibi consisterent, nõdum tensis tabernaculis, equites aliquot in monte uicino conspiciunt. In his erat Cæsar ipse, qui cum Albano processerat speculandi causa. Ducebat eo die primum agmen Saxo, celeriterq; contendit ad hostem, & Lantgrauio, ut confestim sequatur, nunciat: cum uerò pedem referret hostes, cunctanter agit, & in monte Lantgrauiũ operitur. Amissa tunc fuisse putatur pulcherrima rei bene gerendæ occasio. Nam neq; uado transiri flumen poterat, & unus modò pons erat ijs locis. Et ut fortè per eum Cæsar euasisset, præcipui tamen duces in magnis erant angustijs futuri, quod ipsimet postea feruntur non dissimulasse. Propter pabuli autẽ & cõmeatus inopiã, & anni tempus, & assiduos imbres, contagio & lues inuasit castra Cæsaris, & hoc ferè tempore domum ex castris proficiscitur cardinalis Farnesius, & Italorum aliquot cum eo cohortes. Cęsar etiam eadem de causa mutare locũ, & in uetera prope Laugingã castra reuerti coact⁹ est, pridie calẽdarum Nouembris. Bohemi militant quidem Ferdinando regi, sed admodum inuiti, propter antiquũ fœdus, quo domui Saxonicę coniuncti sunt. Deinde quòd non necessarium bellum esse dicerent, & quòd Electori plerique putarent iniuriam fieri: Ferdinandus autem peruicit, & ex Pannonijs atque Silesia militem euocauit, ut illos uel nolentes cogeret. Equites Pannonij uulgò dicũtur Hussari, genus hominum ualde rapax & immite. Conductis ergo copijs, quum iam finibus egrederentur, Sebastianus Veittemullus, ductor exercitus, ad xiiij. calẽd. Nouembris, missis literis bellum Saxoniæ ducis populo denũciat. Eodem ferè tempore Mauricius, Dresda dat literas ad Electorem, quid Cæsar sibi mandarit, & quanto sit res in discrimine, nuper ipsum è suæ ditionis ordinum literis accepisse. Iam uerò, quum sibi suoque populo Cæsar de religione cauerit, ideò se, de consilio suorum, constituisse, quò

quò uidelicet Cæsari satisfiat, & suum quoque ius integrum sibi permaneat, inire rationem, ne ipsius ager atque prouincia in alienas manus deueniat: atque istud quidem ita se, tum suo tum fratris Augusti nomine, ipsi denunciare. Quòd si tempus olim erit, quo Cæsari ac regi Ferdinando reconciliabitur, non se recusare, si quidem illi patiãtur, quò minus suæ ditionis ordines, inter utrunque de summa rei tractent. In eadem planè uerba scribit Electoris filio Ioanni Gulielmo, & ut literas ad parentem scriptas curet perferri, monet. Bohemi interea & Hussari, in finitimum electoris agrum, Vœrlandiam irruunt: cædibus, direptionibus, incendijs atque libidine grassantur. Sed non diu commorati Bohemi, quoniam inuiti, sicut diximus, militabant, tertio idus Nouembris discedunt à signis, & dilapsi domum recurrunt. Hisce ferè diebus Cæsar iterum castra mutat, eadem de causa, qua prius: & locum magis commodum atque siccum deligit, ut militem uehementer afflictum reficeret, & commeatus difficultatem subleuaret. Plerique omnes in hyberna ducendum esse militem suaserant: sed unus ipse qui loca prius explorauerat, continendum esse statuit exercitum, & alendum bellum. Mauricij factũ plerique admodum reprehendebant, quòd illi, quẽ loco parẽtis colere debebat, qui fortunarum ipsius omnium propè solus author erat, tam indignam referret gratiam: & prodibant in illius inuidiam atque ignominiam libelli, & carmina. Ea re cognita, scriptum edit purgandi sui causa. Per hoc tempus recruduerunt in Gallijs in Lutheranos persecutiones. Nam quatuordecim alligati singulis palis, eodem tempore uiui cremantur, reliquis circiter quinquaginta partim uirgis & fustuario, partim exilio fuerunt multati. Smalcaldicorum legati, quos sub exitum Octobris Vlmæ conuenisse diximus, cùm sententijs non conuenirent, mense Nouembri Giengam ad castra profecti fuerant, ut facilior esset deliberatio. Ibi proponitur, quia socij religionis nulla aut perexigua dent auxilia, & dilabente quotidie milite propter anni tempus & alia incommoda, diminuatur exercitus: è tribus unum esse deligendum, ut aut prælio contendant, aut discedant, præsidijs in hyberna dispositis: aut pacem inducias que faciant. Re deliberata, pacis mentionẽ posse fieri placuit, & adhiberur Adamus Trottus, qui per causam electoris Brandeburgensis, aditum habebat ad eius fratrem Ioannem Marchionem. Cùm autem Cæsar, qui rationes illorum omneis, & incommoda per indicium ex propinquo cognouerat, & nuper è Saxonia lætum acceperat nuncium, duras admodum conditiones proponeret, decerni tur ut reliquis omnibus abductis copijs in Saxoniam, equites mille, & ad octo millia peditum relinquantur in hybernis, ad eamque rem sumptum faciant dux Virtembergicus, & Germaniæ superioris ciuitates. Itaque ad ix. calend. Decemb. discedunt, facto prius decreto, ut in Galliam & Angliam altera legatio mittatur, & pridie idus Ianuarij Francofurti deniuò conueniatur. Sic ergo parum feliciter fuit administratum bellum. Cuius quidem mali præcipua fuisse causa putatur, quòd non ex unius arbitrio res ageretur. Cùm enim æquali essent potestate præditi Saxo & Lantgrauius, non semel accidit, ut in disceptando peropportunæ dilaberentur occasiones. Saxoniæ uerò dux, etsi neruo belli destitutus erat, tamen ingressus iter cum copijs, Gemundam, oppidum Sueuiæ, tormentis oppugnat, deditione capit: à senatu deinde pecuniam exigit, quæ uiritim collecta fuit. Pòst pridie idus Decembris Francofurtum uenit, ab ijsque nouem aureorum millia consequitur. Moguntino autem ad quadraginta millia imperat. Progressus inde, Fuldensem abbatem prædiuitem & alios quosdam pontificiæ religionis, eodem modo tractat. Rotenburgi Cæsar cùm esset, Burensem ab se dimittit, & ut rationem ineat occupandi Francofurti, mandat. Postea sub idus Decembris, dat illinc literas ad Virtẽbergicum principem Vlrichum. Earum literarum exemplum ad eius ditionis populum unà mittit, & ne deinceps ei pareant, edicit: sed missis ad se legatis audiant, quid imperet. Fidem etiam & iusiurandum, quo sint ei deuincti, remittit. Cùm hæc Cæsar scriberet, iam ipsius copiæ, Albano duce, uenerant ad fines agri Virtembergensis. Vlrichus uerò princeps, in arce Tuelam, extra regionẽ, altissimo & prerupto monte positã, sese recipit, & exitinere, cũ Cæsaris ei redditę essent literæ, illi suppliciter & demisse admodum scribit. Per hosce dies uenerunt ad Cęsarẽ equites cataphracti Neapolitani circiter quingenti, Ioãne Baptista Spinelo ductore. Pòst hæc Cæsar Halam oppidũ Sueuię, nuper ei reconciliatũ, profiscitur. Eò uenit ad ipsum elector Palatinus Fridericus. Is cccc. equites auxilio miserat Smalcaldicis, quũ essent ad Ingolstadiũ. Itaq; Cæsarẽ adit, & non ipsius oppugnandi causa, uerũ quòd ex fœdere priuato teneretur Virtẽbergico duci, factũ hoc esse demonstrat. Cæsar eũ acribus uerbis excipit, & enumeratis quæ cõtulisset in ipsum beneficijs, grauiter incusat: ueruntamen ignoscit, & ut errore hunc atq; culpã in posterũ accuratiore fide cõpenset, hortat. Sub initium belli, Palatinus, quũ de constituendis ecclesijs cogitaret, Paulum Fagium, hominẽ facundum atq; doctũ, Argentorato uocauerat Hedelbergam, ut in renouanda religione cæteris præiret, ac uiã cõmonstraret. In hac autẽ Cęsaris fortuna quod inchoatũ ibi fuit, totum intercidit. Aliquot pòst diebus, ueniunt ad Cæsarem legati Vlmenses, & quũ supplices facti culpã agnoscerent ac deprecarentur, reconciliati fuerunt. Cæsar eos mulctat centũ millibus aureorũ, tormentis xij. & decem signa peditum illis imponit. Burensis interea Lantgrauij ditionẽ, quæ supra Francofurtũ est, ingressus, oppidũ Darmstatum, partim ui, partim deditione capit, arcem incendit, & multitudini parcit. Defendebat enim illud ciues tantũ & ex agris collecta turba. Pòst præter Francofurtũ tendit: & quũ eius per uim capiundi, præsertim malè affecto milite, & eo anni tempore spem nullã haberet, copiarũ partẽ Rhenũ trãsmittit, & ad Moguntiã se iubet expectare. Quumq; nihil minus ipse cogitaret, & domũ iam esset rediturus, ecce Francofurtenses missis legatis deditionẽ faciunt, & imperata se facturos demonstrãt. Saxoniæ dux ubi iam ad suos fines cũ exercitu peruenit, Decẽbris xj. cal. Ian. mittit literas ad ordines Mauricianos. Daniæ rex, etsi confœderatus erat, tamẽ nullã opẽ Smalcaldicis tulit. Cæsar Hala profectus, Hailbrunũ & oppidanis in gratiam receptis, Albanũ immittit in agrum Virtembergicũ, ut suprà diximus. Is deditione captis aliquot locis, multũ damni dabat. Solicitãte uerò Palatino principe, Virtembergicus, iij. non. Ian. reconciliat. Postea ueniũt Meminġi, Bibraci, Rauesburgij, Campodunenses, Ilmenses legati, supplices q; facti pœnã deprecantur: & quòd in ipsum deliquerint, partim errore suo, partim aliorũ culpa factũ esse dicunt: obsecrare ut ignoscat, neq; de suis priuilegijs & immunitatibus quicquã diminuat. Per hosce dies Genuæ fuit nata seditio, in familiam Auriam, cuius tum erat princeps Andreas, rei naualis peritia longè omnium clarissimus, eiusque Reipublicæ beneficio Cæsaris facilè primus. Huius uerò turbæ dux erat & signifer Comes Fliscus, in eaque fuit trucidatus inter alios, Andreæ gentilis atque propinquus Ioanninus Auria, uir magnæ uirtutis. Quòd nisi Fliscus fortè dilapsus in mare perijsset, in maximo discrimine res futura fuisse creditur. Sed illo sublato, socij facinoris diffugiunt, eamque tempestatem illico secuta

fuit magna tranquillitas. Huius seditionis autores, Cæsar Farnesios, & in primis Petrum Aloisium, Placentiæ ducem existimauit. Aduentante cum exercitu Saxoniæ duce, Mauricius Lipsiam præsidio munit, & suburbia incendit. Eodem tempore ueniunt illuc equites Pannonij supra mille. Idibus Ianuarij fit oppugnationis initium, sed oppidanis fortissimè sese defendentibus, infecta re discedit sub eius mensis exitum. Crebris autem tormentorum ictibus ac ueluti grandine quadam, oppidū uehementer dilaceratum fuit, & planè deformatum. Illinc Saxo profectus, non solùm amissa deinde recuperat per Thuringiam & Misniam, sed Mauricium quoque suis oppidis exuit, incolumi tantum Lipsia & Dresda. Magdeburgicum etiam & Halberstatensem episcopatum ad se traducit, facta cum episcopo Ioanne Alberto transactione. Pridie quàm Lipsiam oppugnaret, Ferdinandus rex Bohemis mandat, ut sumptis armis auxilio proficiscatur Mauricio. Parebant quidem illi: sed iniusi postea domum redierunt. Itaque Ferdinandus rursus idem mandat. Ibi populus Pragensis, cuius est ijs locis authoritas præcipua, senatum rogat, det operam, ut rex mandatum aboleat, quod cum ipsorum libertate pugnet, & cui non possint honestè parere: nullam enim subesse causam, cur in Saxonem electorem arma ferant, & multis in rebus eandem ipsorum esse religionem, quæ sit illius. De Pontifice dictum est antea, quemadmodum lata sententia Colonien sem archiepiscopatu priuarit & omni functione. Quum id faceret, omne ius & authoritatem simul attribuit Adolfo Schauenburgo comiti, quem superioribus aliquot annis archiepiscopus inter omnes unum sibi delegerat adiutorem. Cùm fidem igitur & iusiurandum remisisset omnibus, ille, quem diximus, adiutor, quem fratris loco semper dilexerat, succedit. Erat archiepiscopi frater Fridericus, episcopus Monasterien sis, ecclesiæ Bonnensis præpositus, uti uocant. Priuatus autem ea præfectura fuit, eiúsque tulit exuuias Gropperus. idem accidit Stolbergio comiti, Colonien sis ecclesiæ decano, qui constanter archiepiscopum defenderat. Mox per totam regionē, archiepiscopi noui mandato, religionis facta fuit immutatio, & quicquid Bucerus instituisset, aboletur. Smalcaldicorum legati, quum Galliæ regem adijssent, Britanniam petunt, ut idem apud utrunque perficerent. Sed iam tum grauiter rex Henricus ægrotabat. Iam enim planè in senium uergens, & multo succi abdomine grauis & iners effectus lacessente atroci febre, propter squam inflammationem in crure uirulenti herpetis, uitam cum morte commutauit, quum ætatis annum quinquagesimum septimum ageret, & ferè triginta octo annis regnasset, relicto regni hærede Eduardo puero ex Ioanna Semera suscepto, ea conditione, ut à Thoma Sentero auunculo instruendus, regni administrandi artibus regeretur. Eduardo si is impuber decessisset, Mariam, & Mariæ Helisabetam ex altera coniuge filiam, substituit. Post quinquagesimum autem diem ab Henrici morte, ipse quoque Franciscus Francorum rex apud Rambuletum oppidum in finibus Parisiorum, atroci eum quatiente morbo, è uita migrauit. Natum ei erat circa sedem malignum ulcus, quod serpendo ad ueficæ penetralia peruadebat, & cuncta humani ingenij remedia respuerat. Hic erat duobus ferè annis Henrico ætate minor: cæteris in rebus uera æstimatione morum & naturæ dotium planè æqualis. Cæterùm Franciscus decumbens, quum æquissimo animo fatalem horam sibi adesse præsentiret, & reliqua de more religionis, peregisset, Henrico filio pietatem in omni re constantissimè colendam commendauit: & quædam ei arcana tuendo regno opportuna communicauit: & quibus maximè artibus gentium subiectarum certissimum studium promereretur, præcepit, ut populos tributis, propter immodicos belli sumptus, à se necessario institutis, & acerbius quàm deceret exactis, subleuaret, ut hac liberalitate firmior, atque antiquis Galliæ hostibus superior euaderet. Peculiari autem nomine Hanebaldum Amirantem, propter spectatam eius fidem atque uirtutem, mirificè commendauit. Atque ita cum regnasset annis triginta duobus, pridie calendarum April. ex hac luce migrauit. Sub idem quoque tempus, è Britannia redierē in Galliam Smalcaldicorum legati, ut cum Francisco reliqua conficerent. Sed ut in Anglia Henricum, sic in Gallia Franciscum lethali morbo affectum inuenerunt. ex quo ut diximus, mors est consecuta. Itaque hoc etiam ad reliquam Cæsaris fortunam accessit, quòd reges hi duo potentissimi, quibus nec opportunitas, nec, ut plerique tum putabant, uoluntas, etiam deerat illius & impediendi, & certè retardandi cōsilia, mortui sunt eodem propè tempore. Lipsiæ durante obsidione, Brandeburgicus elector intercedit, & missis ad utrunque legatis, actionem sibi permitti flagitat. Elector quidem non abnuit. Mauricius autem grauiter incusans illum, quòd tam acerbum bellum gereret, sexto demum die, paulo respondet alienius, quum fruſtra uideret oppidum oppugnari. Cæsar paulo antè quàm Smalcaldici mense Nouembri discederent, negocium dedit quibusdam, ut licò nouis conscriptis copijs, bellum in finitimis Saxoniæ locis facerent, ne qui sunt ijs locis ordines atque ciuitates, Lantgrauio uel Saxoni possent opem ullam ferre. Posteaquam in Saxoniam Albertus marchio peruenit, Mauricius oppidum Rochliciam illi attribuit. Cuius usumfructum habebat Lantgrauij soror uidua, Georgij Saxoniæ ducis nurus. Eo cognito, Ioannes Fridericus elector, qui tum Aldeburgi erat, tribus ab illo miliaribus, calendis Martijs Ernestum Luneburgicum, Volratum Mansfeldium cum aliquot equitum turmis, ac deinde Recrodum cum sua legione peditum de nocte præmittit: ipse cum reliquis copijs subsequitur. Postridie, antequam luceret, pauci quidam equites præmissi, excubitores inuadunt. Ex ijs nonnulli capti fuerunt, reliqui fuga petunt oppidum. Erant in suburbio signa peditum quatuor. His comitati aliquot equites Albertini, & prima luce egressi, manus conserunt. Repulsi in suburbium sese referunt. Cùm autem Elector, qui secundam aciem ducebat, uenisset, & ex monte uicino tormentis in oppidum fulminaret, pedites etiam impetu facto suburbium incenderent: illa, quæ diximus, peditum signa quatuor, per pontem, equites uerò per Muldam flumē, in fugam abeunt. Pedites ergo, qui iam suburbium tenebant, magnis animis progressi, oppidum inuadunt, diripiunt, & hosti tormenta adimunt. Dum hæc ita geruntur, Albertus fugam circumspicit, & flumen petit, sed ab Ernesto Luneburgico interceptus, ad Electorem deducitur. In oppido præsidio erant peditum signa sex. Hi sese consociant cum reliquis equitibus, & defensionem parant, sed uicti multitudine deditionem faciunt omnes, & armis exuti, non se militaturos in Saxonem atque socios intra sextum mensem promittunt, atque ita dimittuntur. Ferdinandus rex, ubi Dresdam peruenit ad Mauricium, octauo die Martij scribit Bohemis, Ioannem Fridericum constituisse ipsos inuadere. Prouideant ergo suis rebus, & Sebastiano Veittemullo, quem sibi per absentiam suam legauerit, obtemperent. Brandeburgicus Elector solicitè quidem agebat pro Lantgrauio, & ad Ferdinandum quoque rem detulerat, sed durissimæ ferebantur conditiones. Sub hoc tempus rex Ferdinandus, & Mauricius & Augustus frater cum suis copijs

copijs Pricciam ueniunt. Tuleruntid grauiter Bohemi, quòd in suos fines illi iam essent ingressi. Per literas itaque Ferdinandum orant, ne patiatur exteras nationes introduci: nam & noui & periculosi rem esse exempli. Sed & ipsi Mauricio & Augusto fratri scribunt, ut è suis finibus quàm primum excedant absque maleficio: nam alioqui se consilium ex tempore esse capturos. Cæsaris illæ copiæ, quas nobilibus aliquot oppressis, & capta Minda, Bremam iuisse diximus, ad exitum huius mensis mediocrem cladem acceperunt, amisso belli duce præcipuo, Selandiæ præfecto, Groningo. Cæsar Norlinga profectus Noribergam, inde petit Egram proximè ad Bohemorum fines oppidum, ditionis Ferdinandicæ. Mandauerat rex Pragensibus aliquoties, ut discederent ab armis. Per eos reliqui ordines facti cer tiores, pridie Nonarum Aprilis illi rescribunt: quòd arma sumpserint, & cum copijs progressi sint, eo fieri, ut ab se suisque finibus uim iniustam depellant, præsertim per ipsius absentiam. Rogare autem ut ad Cæsarem intercedat, ne Saxoni bellum faciat, sed amicè disceptationi rem permittat. Eodem tempore, delecti qui Pragæ erant, rursum missis literis in omnes partes, monent ordines grauissimis uerbis, ut arreptis armis quamprimùm accelerent, patriæ tuendæ causa. Nam ad extremum discrimen rem esse deductam. Sub hoc tempus, qui Tridenti erant patres, Bononiam eunt. Discedendi causa ferebatur, quòd aër huius loci minus esset salubris, ita dictante Hieronymo Fracastorio Veronensi, qui patrum concilij medicus erat, & à Pontifice menstruos habebat aureos ad sexaginta. tulit hoc indignissimè Cæsar, & suæ ditionis Episcopis atque Theologis mandabat, ne pedem illinc mouerent. itaque concilij pars Tridenti, pars altera Bononiæ fuit. Aprilis die decimotertio, delecti Pragenses denuò scribunt ad ordines regni, grauiterque monent, ut fœderi, quod sit ipsis cum domo Saxonica, satisfaciant. Queruntur etiam à nonnullis iam illud esse uiolatum. Itaque mandant, ne quis deinceps in illud committat: eodemque die dant literas ad Ferdinandum, & ne militiam hanc suam ægrè ferant uel ipse uel Cæsar: ad hæc, ne Saxonem electorem oppugnet, orant: primùm, propter fœdus: deinde, quòd ille de causa cognosci cupiat. Cæsar eodem die discedit Egra cum omni exercitu, comitatus Ferdinando fratre, qui grauis armaturæ equites habebat sexcentos, Hussarorum autem mille, & peditum signa decem. Aderant quoque Mauricius & Augustus frater cum totidem copijs. Decimo tandem die, quum continenter iuissent, prope Misenum, ubi Saxo tum erat, decimo calendarum Maij peruenit. Eo cognito, Ioannes Fridericus, oppido relicto, quum pontem sublicium incendisset, prope Mulbergum ad Albim castra ponit. Cæsar autem ueritus, ne Vittembergam se reciperet, opere præsidioque munitum, & primarium eius ditionis oppidum, accelerandum ratus, iussit progredi copias, quum diem unum quieuissent: octauo calendarum Maij, mane uenit ad Albim. Erant ad alteram ripam dispositæ stationes à Saxone cum tormentis, ut Cæsarem impedirent, quo minus aut effecto ponte, uel uado reperto flumen transmitteret, tum etiam, ut eum pontem, quem è scaphis atque lintribus ipsi confectum habebant, defenderent. Quum autem adesse Cæsarem omni cum exercitu uiderent, & Hispanorum agmen unum, circiter mille, magno impetu prorueret in flumen, sic ut brachijs tantum extarent, & confertim eiacularentur, illi flammam in scaphas conijciunt, quæ partim exustæ fuerunt, & à ripis paulatim discedunt. In hoc rerum statu, Saxo, qui tunc sacram concionem audiebat, præmissis impedimentis, ipse postea subsequitur, & Vittembergam iter habet. Cæsar autem, qui in celeritate momentum omne positum esse uideret, uado reperto, primùm Hussaros, & leuiorem omnem equitatum transire flumen iubet. Post ipse quoque cum grauiori armatura transit incolumis: neque cunctandum ratus, donec impedimenta simul & peditatus adessent, progreditur, & tribus transAlbim milliaribus, ad syluam Lochanam Saxonem offendit. Ibi suos ad uirtutem cohortatus, initium prælij facit. Poterat Saxo uim tantam sustinere, & fortè profligare etiam, si quidem exercitum omnem habuisset coniunctum. Nam & Vittembergæ & passim erant in præsidio relictæ magnæ manus, & Gulielmus Thumsernus cū suis copijs aberat, nec in tanta Cæsaris celeritate conduci potuerant. Itaque numero uictus & multitudine, cùm ad noctem usq; pugnatum esset: ipse per sinistram maxillam accepto uulnere aduersō, quū fortiter sese defenderet, capitur, & ad Albanum abductus, Cæsari deinde sistitur. In cuius aspectum ubi uenit, Equidem me tibi captiuum, inquit, statuo, clementissime Cæsar, & ut custodiam mihi ponas principe dignam oro. Tum ille, Nunc ergo sum tibi Cæsar, ait: accipiá te pro merito. Ferdinandus paulò acrius illum adortus est uerbis, & quòd ipsum atque liberos omnibus fortunis euertere tentasset, incusat. Quo tempore Cæsar prope Misenum accessit, deinde postridie, & eo die, quo flumine transmisso pugnauit, & aliquot post diebus, solis aspectus ualde fuit tristis, obscurus, pallidus, & ueluti caligine quadam obductus, ita quidem, ut plerique longissimè à Saxonia remoti, & ignari quid ageretur, iudicaret magni aliquid portendi. Nec enim in Germania solùm, sed per Galliam etiam & Britanniam id fuit obseruatum. Capto Saxone Cæsar Vittembergam petit, eoq; cum exercitu iiij. non. Maij peruenit, & triduo post Ioannem Fridericum ob rebellionē, ut ait, capitis damnat. Ille uerò quū audisset, animi consternati significatione nullam dedit, sed existimare se respondit, Cæsarem non ita secum esse acturum. Veruntamen si fixum hoc ei sit atq; decretum, petere ut certò sibi renuncietur, quò de rebus ad uxorem atq; liberos pertinentibus constituat. Brandeburgicus autē elector, ubi de facto prælio cognouit, statim iter arripit, & ad Maij diem sextum in castra uenit, & Cæsaris animum mitigat, ut Saxone conseruato sententiam mutaret. Conditiones ergo Cæsar proponit, quas ubi Saxo ratas habuit, xv. cal. Iun. uitam redemit. Inter alias hæc etiā præscripta fuerat, ut quicquid concilium aut Cęsar de religione decernerēt, approbaret. Quum autem ille minimè assentiretur, in eoq; permaneret, nec ullius periculi rationem in eo haberet, Cæsar eam par ticulam induci iussit & obliterari. Antequá hæc cō stituerentur, Cæsar è castris ante Vittembergā conscribit ordines imperij, ut sub idus Iunij Vlmæ conueniāt fœderis ineundi causa. Etsi cum Saxone Cæsar transegerat, uti diximus, tamen qui Vittembergam defendebant milites præsidiarij, ad tria circiter millia, & ciues etiam recusabant facere deditionem, nisi princeps ipse mandaret. Oppidanos enim terrebat in primis licentia militaris, quum ex ipsis propè mœnibus atq; uallis conspicerent, quantum damni darent per agros Hispani præsertim & Vngari. Saxo igitur duodecimo calēdarum Iunij, quū frater & filius, & consiliarij quidam prodissent ex oppido, militiæ sacramentum eis remittit, & ut ante diem tertium illinc discedant, iubet. Facta deditione, Saxonis uxor Sibilla Cliuensis, egressa cum filio & fratre mariti uenit in castra, & supplex facta, Cæsarem multis cum lachrymis deprecatur pro coniuge. Cæsar eam perhumaniter accipit & confirmat, deinde Saxoni permittit, ut oppidum ingressus, per dies octo cum uxore & liberis commoretur. De Erico Brunsuicensi diximus antea.

Is, ut

Is ut agrum ſuum ab iniuria defenderet, undecimo A calendarum Iunij diſcedit ab obſidione Bremæ: idem facit Vrisbergerus, qui alteram exercitus partem ducebat, & inter eos de loco conuenit, ubi ſuas copias iterum coniungerent. Ericus autem incidit in hoſtem. Hi erant Hamburgenſes, qui Bremenſibus auxilio uenerant. Pugnatū eſt acriter in ipſam uſque noctem, & Ericus tandem profligatus, ac in Viſurgim flumen compulſus cum equitatu, multos è ſuis deſiderauit. Ipſe tamen tormentis omnibus amiſsis euaſit incolumis, & pòſt ad Cæſarem profectus, culpam omnem in Vrisbergerum contulit, qui ſibi opem non tuliſſet. Dum hæc geruntur, Mauricius & Brandeburgicus pro Lantgrauio diligenter intercedunt: & quo commodius res agere tur, Lipſiam illum euocant: ſed quum Cæſar omnino uellet ut abſque conditione ſeſe dederet, arces etiam omneis atque tormenta traderet, infecta re domum redit, eoque die Veiſſefelſum uſque proficiſcitur, quatuor à Lipſia milliaribus. Octauo idus Iunij, Cæſar iam moturus caſtra, milites præſidiarios Vittembergа rurſus euocat: confeſtim Mauricius ſuos immittit, & quum eodem die conſules atque ſenatum uocaſſet in arcem, de priuilegijs ipſorum atque libertate nihil ſe uelle diminuere dicit, ac ſimul in ſuam fidem illos per iuſſurandū adigit. Eſt enim Vittemberga ſeptemuiralis ditionis oppidum primarium, qua Cæſar Mauricium nuper donauerat, publicatis Ioannis Friderici bonis, uti diximus. Oppidani pòſt & nobilitas orant Mauricium, uti ſcholam in hoc tumultu bellico dilapſam reſtauret. Cæſar deinde rebus ad Vittembergam conſtitutis, Halam Saxoniæ proficiſcitur, quod eſt ad Salam flumen oppidum, inde petiturus Heſsiā, niſi Lantgrauius tranſigeret. Quum autem in his eſſet anguſtijs Lantgrauius, nec aliter poſſet, Mauricij fidem atque Brandeburgici ſecutus, iter ingreditur, & decimooctauo die Iunij Halam uenit ſub ueſperum, medius inter Mauricium & Brandeburgicum, qui obuiam ei Numburgum uſque proceſſerant. Poſtero die mane, Chriſtophorus Carlebicius ad Lantgrauium ueniens, pacis formulam exhibet, uti ſubſcribat. In ea fuit additum, Cæſaris eſſe interpretari ſingula eius capita. Lantgrauius ergo, quoniam id in illa, quam Brandeburgicus & Mauricius antè miſerant, perſcriptum non erat, epiſcopo Atrebatenſi renunciat, non ſibi eſſe integrum ſubſcribere. Is perſcribam eſſe tum neglectum ait, ac rurſus idem urget. Sic ille morem gerit. Amplius deinde petit Atrebatenſis, quia de religione ſibi uelit caueri, ſicut Mauricio cautum ſit atque Brandeburgico, ut ipſe uiciſsim caueat, & Cæſari promittat uelle parere concilij Tridentini decretis. Tandem in hæc uerba ſubſcribit Lantgrauius, liberi, pij & generalis concilij decretis: quo quidem in concilio non minus reformetur caput quàm reliqua membra, uelle ſe parere, ſicut Mauricius & Brandeburgicus facerent. Hi enim ab Auguſtana confeſsione non ſe diſceſſuros ei promiſerant. Eo facto, ſub horam quintam poſt meridiem, ubi Cæſar in ſolio domi ſuæ conſedit, electores duo, quos dixi, Lantgrauium adducunt, qui quum ad Cæſarem propius ueniſſet, in genua ſubſedit, & proxime illum cancellarius Guntherodus, qui de ſcripto recitans, ueniam illius nomine petebat à Cæſare. Cæſar ad ea, per Georgium Seldum, ubi deliberaſſet, etſi grauiſsimam pœnam ſit meritus, ut & publicè conſtet, & ipſe fateatur, ſe tamen ait & pro ſua liberalitate, & quoniam principes aliquot interceſſerint, non recuſare quin & à proſcriptione liberetur, & neque ſupplicio, quod ſit commeritus, neque carcere perpetuo, neque bonis etiam mulctetur amplius quàm ſit in formula pacis definitum: ipſius etiam nobilitati atque populo ſeſe ignoſcere, modò pacta ſeruent, & ſuum hoc tantum beneficium deinceps agnoſcant. Lantgrauius, qui ſalua putaret omnia, Cæſari gratias agit, & cùm diutius eum Cæſar inſidere genibus pateretur, iniuſſus conſurgit. Pòſt aliquanto Brandeburgicus accedit, & ipſum atque Mauricium unà ſecum apud Albanum ducem eſſe cœnaturos dicit. Ille ne tum quidem aliquid odorari potuit. Quum ad Albanū uenſſent, cœnatur: à cœna Mauricius & Brandeburgicus cum Albano & Atrebatenſi colloquuntur. Multa iam nocte Mauricius & Brandeburgicus illum ad ſe uocāt, & per Euſtachium Schlebium oſtendunt ſe per omnem uitam, ut uiros principes deceat, egiſſe fideliter, & ſi quid eſſent polliciti, ſeruaſſe diligenter: eandem fidem ab alijs etiam expectaſſe: nunc uerò ducem Albanum & Atrebatenſem dicere, ipſi pernoctandum ibi eſſe, cuſtodibus admotis. Ea re nihil unquàm ſibi grauius accidiſſe nec acerbius: uelle autem cum ipſo Cæſare colloqui, & ſperare nō detentum iri. Tum ille, ſe quiduis potius expectaſſe, quàm ut id fieret: ipſorum fidem ſecutum eò uenisſe. Scire ipſos, quomodo ſibi liberisque deuincti ſint. Satisfaciant igitur ei promiſſo & obligationi. Cùm uerò manendum eſſet, Mauricius & ex Brandeburgici conſiliarijs nonnulli cum eo per noctem illam commorantur. Poſtridie Cæſarem adeunt, & grauem habent querimoniam: & quanti exiſtimationis ipſorum interſit, demonſtrant. Cæſar, cauiſſe quidem illi dicit, non quòd omnino non eſſet detinendus, ſed quòd non perpetuò, nec aliud ſuæ fuiſſe uoluntatis oſtendit. Lantgrauius quò libertatem quàm primum recuperaret, pecuniam non multo pòſt omnem dependit, arces demolitur, & machinas tradit. Porrò tormentorum, quæ partim ab illo, partim à Saxone & Virtembergico & à ciuitatibus eſt conſecutus Cæſar, ingens erat numerus, nimirum ad quingenta. Quorum deinde nonnulla Mediolanum, alia Neapolim, alia in Hiſpaniam miſit, reliqua per Belgium diſtribuit, tanquam uictoriæ trophæa & monumenta. Conſtituerat autem Cæſar bellum facere Magdeburgicis, qui ſunt infra Vittembergam, ad Albim iter bidui. Nam hi prope ſoli minus ei ſatisfaciebant: ſed hoc ipſo tempore Galliæ rex Henricus militem in Germania conducit per Sebaſtianum Vogelsbergium, ad ſigna decem: id erat Cæſari ſuſpectum. Itaque tum propter hanc cauſam, uti creditur, tum quòd illos alia uia poſſe coërceri putaret, Hala profectus, iter ſuū in Germaniam ſuperiorem conuertit, & quinto calendarum Iulij Io. Iacobum Medicem Marignani regulum Ferdinando fratri mittit auxilio cum ſignis octo peditum Germanorum. Erat tum Ferdinandus Letmericiæ, occaſionem expectans rei gerendæ. Quumque de ſucceſſu Cæſaris audiſſet, & capto Lantgrauio, calendis Iulij miſsis literis ad Pragenſes, mandat, ut pridie nonarum Iulij ſibi præſtò ſint in arce Pragenſi, ſeſeque cognitioni ſiſtant. Poſteaquam eò uenit cum copijs, in publico conſeſſu rem omnem anteactam, & quot modis in ipſum deliquiſſent, exponit, & læſæ maieſtatis crimen admiſiſſe dicit, & ut ad ſingula reſpondeant, iubet. Ibi tum illi facti ſupplices, ipſius uoluntati ſeſe permittunt: & ne iure ſecum experiatur, flagitant. Itaque rex, quum & Ferdinandus filius, & Auguſtus Mauricij frater, & alij quidam proceres intercederent, quas uoluit eis conditiones propoſuit. Ad populum re delata, quum ex captiuis ad quinquaginta dimiſiſſet, tranſactum eſt. Dùm in Germania Cæſar triumphat, grauis orta fuit Neapoli ſeditio: cuius hęc erat cauſa, quòd prorex Petrus Toletanus, pro more Hiſpanię uellet de cuiuſq; fide & religione inquirere. Tulerunt hoc im patienter ciues, alioquin etiam pertæſi Hiſpanorū imperium, & poſt aliquot utrinq; pugnas in urbe,

Hiſpani

Hiſpani ſuperiores extiterunt, ut qui propugnacula tenerent, & arces. Itaq; mulctatis aliquot, reliqui iubentur exulare. Cæterùm inquiſitio Hiſpanica, quæ tam eſt hodie celebris, inſtituta fuit olim à Ferdinando & Eliſabetha Regibus in Iudæos, qui poſteaquā Chriſto eſſent initiati, ſuos ritus atq; leges retinerent. Nunc autem, quando Lutheri nomē eſt inuulgatū, in omneis promiſcuè, qui uel minimùm ſuſpecti ſint, exercetur. Cæſar Hala digreſſus Bambergā uenit, ut in ea propinquitate magis terreret Bohemos, & fratri tanquam neruos adderet. Hic quum eſſet, conuentum denūciat Imperij, ut ad calendas Septębris Auguſtæ cōueniant omnes. Hoc ipſo tempore Mauricius Melanchthonem, Pomeranum, Crucigerum, theologos Vittenbergicos, perhumaniter accipit Lipſiæ, quò illos euocauerat, & de ſua in religionem uoluntate multa locutus, Eccleſiæ ſimul & ſcholæ miniſterium illis commendat: & ut pro ſua conſuetudine pergant, hortatur, & ſtipendia conſtituit, donis ornatos dimittit. Galliæ rex, qui calendis Aprilis parenti ſucceſſerat, viij. cal. Auguſti Remis ueteri regum ritu inauguratur. Interea Cæſar reliquos imperij ordines pecuniam poſcit ob ſumptus belli, quòd ipſorum cauſa potiſſimùm, & pro ſalute Germaniæ ſuſceptum eſſe dicebat. Nobilitas etiam omnis, & ij qui Smalcaldicis militauerant, tota paſsim Germania mulctātur. Eius uerò pecuniæ, quam à principibus atque ciuitatibus tum Pontificijs tum Lutheranis conſecutus eſt Cæſar, ſumma cenſetur ſupra decies ſexies centena aureorum millia, ut quidem ex rationibus editis apparet. Magdeburgicos etiam Cæſar euulgatis literis proſcribit. Sed & Ferdinandus rex, propter ſuis finibus illatum bellum, à Smalcaldicis, præſertim à ciuitatibus pecuniam exigit, & ab Auguſtanis quidem ac Vlmenſibus ingentem ſummā conſequitur: deinde Vlricho Virtembergico, quaſi fidē & ſuperiorum annorum pacta uiolaſſet, litem de tota prouincia facit. Heluetios quoque Cæſar de nouo fœdere ſolicitat. Baſileam tamen & Tigurum & Schafuſium & quoſdam alios eximit, quòd ad imperium eos pertinere diceret. Illi de communi conſilio reſpondent, cum Auſtria cumque Burgundica domo ſibi fœdus eſſe, cui firmiter inſiſtant: nec eſſe quòd aliam ſocietatem ineant. Idem ſe uiciſsim ab ipſo etiam expectare. Sub finem Iulij menſis, Auguſtam Cæſar uenit cum Saxone captiuo. Lantgrauiū uerò Donauerti reliquit ab Hiſpanis diligenter cuſtodiendum. Eodem ferè tēpore, Gerardus Veltruichus, qui ad Turcam ierat, redit ad Cęſarem, pactis inducijs in annos quinque. Non multo pòſt autē, hoc eſt iiij. Idus Septemb. Petrus Aloyſius Farneſius, Pauli pont. max. filius, Octauij cui in matrimonio erat Margarita Cæſaris filia, pater, à triginta ſex coniuratis nobilibus Placentiæ cui imperabat, miſerè eſt per colloquij ſpeciem trucidatus, ſuſpenſus, raptatus ac dilaniatus. quo facinore patrato, pręſtò fuit Ferdinandus Gonzaga in Inſubria pro Cæſare præfectus: qui illico in urbem admiſſus, eam in Cæſaris poteſtatem aſſeruit. Ex quo facinore graues ſubortæ ſunt inter Cæſarem & Pontificem omneſque Farneſios ſimultates, uſqueadeò, ut ipſe Octauius Cæſaris gener, ſe in regis Galliæ clientelam, ut ſe Parmæque principatum tueretur, conijceret. Per eos quoque dies, Angli maximo prælio Scotos debellarunt, Somerſeto duce, qui regis erat auunculus. Belli cauſa fuit eadem quæ prius etiam Henrico fuerat, nempe, quòd Scoti promiſſam Eduardo regi ſponſam non darent. Quæ multorum malorū cauſa fuit, quibus etiamnūc Scoti uexantē. Quomodo patres qui erant Trideti, Bononiam concilium tranſtulerint, iam dictum eſt. Illud uerò Cæſar grauiſsimè tulit. Quare ubi Auguſtam ueniſſet, cardinalem Tridentinum Romā celeriter mittit initio Nouembris, qui cum Pontifice agat de ſynodo Tridentum quamprimùm reuocanda. Cardinalis igitur v. idus Decembris, in frequentiſsimo ſenatu cardinalium præſente Pontifice rem ut erat iuſſus, proponit. Quinto pòſt die, quàm Tridentinus oraſſet, Iacobus Mendoza Cæſaris mandato eodem in auditorio loquitur in eandem ſententiam: Etſi uel dilationem uel excuſationem aliquam Pontifex interponeret, in mandatis habere ſe dicit, ut cæterorum regum atq; principum legatis adhibitis, palàm de uitio ſynodi profiteatur. Hoc ipſo tempore, Rhemorum archiepiſcopus, quem æſtate ſuperiori cardinalem eſſe creatum diximus, Galliæ regis nomine Romam profectus, ad Pontificem atque cardinales orationem habuit. Nam Galliæ rex, quòd interfecto Petro Aloyſio Placentinorum principe, Pontificis animum eſſe uehemēter exulceratum ſciret, & propter translatum Tridento concilium, offenſionem augeri uideret, tempus hoc idoneū eſſe iudicabat, quo ſuum ad uſum atque compendium iſtud traduceret. Pontifex ubi poſtulata Tridentini & Mendozæ cognouit, uelle ſe dicit cum patribus qui Bononiæ ſint deliberare, & ad cæteros etiā orbis Chriſtiani principes rem deferre. Montanus legatus rē in conſiliū adducta Pontifici reſcribit, Patres nō uidere, quomodo ſalua dignitate & exiſtimatione ſynodi de reditu deliberari poſsit: niſi qui ſunt Tridēti Bononiam prius accedant, & ſeſe reliquis coniungant, & concilij poteſtatem agnoſcant. Deinde opus eſſe, ut patribus antè caueatur, fore uidelicet, ut concilio ſeſe Germania ſummittat, eiusque decreta comprobet, quæ uel iam facta ſunt, uel in poſterum fiēt, ſic ut à nullo retractentur. Ad hæc quia rumor increbuit, populare futurum eſſe concilium, cupere ſibi patres hoc etiam nomine prius caueri. Quum ergo Pontifex, & Bononiæ congregata ſynodus in ſententia perſiſterent, Cæſaris legati Bononiam ea de cauſa miſsi, Franciſcus Vargas, & Martinus Velaſcus, cùm ſenatum ſibi dari poſtulaſſent, ueniunt in conſeſſum. Aderat cardinalis Montanus & circiter quadraginta quatuor, tam epiſcopi quàm eius ordinis alij proceres. Ibi Vargas diploma, quo poteſtatem ei Cæſar agendi faciebat & collegæ, quum nuper illud exhibuiſſet repetit, & uerba facturus interpellatur à pręſide cōcilij cardinali Montano. nam in literis atque diplomate Cæſar nō concilium, ſed conuentum Bononienſem uocabat. Quum deinde Vargas mandati literas palàm recitaſſet, ipſius collega proteſtationis formulam legit, & in acta referri petit. Ibi cardinalis Montanus de uoluntate patrum grauiter locutus, iniuriam ſibi fieri demonſtrat, & Deum teſtificatur, ſeque paratos eſſe dicit mortem oppetere potius, quàm pati tale exemplum in eccleſiam introduci, ut uidelicet magiſtratus ciuilis pro ſuo arbitratu concilium cogat. Cæſarem eſſe eccleſiæ filium, non dominum aut magiſtrum: ſe uerò, ſuosque collegas eſſe Romanæ ſedis legatos, neque iam recuſare, quo minus & Deo primùm, & deinde Pontifici ſuæ legationis rationem reddant. Quod reliquum eſt, fore ut paucos intra dies ipſorum proteſtationi reſpondeatur. In eandem ſententiam eodem ferè tempore Mendoza, cùm à Cæſare ueniſſent literæ, quibus mandabat, uti pergeret, Romæ conteſtatus eſt ad Pontificem atque cardinales, exterorū regum atq; principū adhibitis legatis, uti iuſſus erat.

SVP-

SVPPLEMENTI
LIBER XXIX.

ALbertus Brandeburgicus in Poloniæ regis fidē ſeſe dederat, & Pruſſicæ reipub. formam mutauerat, unde etiam Cæſarei fori ſententia fuerat proſcriptus. Quamobrem Polonus in comitijs imperij Cęſarem & reliquos ordines non ſemel ſolicitauit: ut, quoniā ille in ſua eſſet clientela, proſcriptionem aboleret. Cùm autem in hunc uſque diem nihil impetratum eſſet, & in hac Cæſaris uictoria periculum aliquod grauius impendere uideretur, Polonus hunc ad cōuentum legationem mittit, cuius erat princeps Stanislaus Laſcus. Is orationem ſcripto comprehenſam, Cæſari & ſenatui principū Ianuario menſe tradit, anno Virginei partus M. D. XLVIII. eius hęc erat ſententia: Certum eſſe Pruſsiam, poſt hominū memoriam, & inde ab eo tempore, quo religione Chriſtiana primum imbuti fuerunt, & iure belli & pactionibus ad Poloniam pertinuiſſe. Cęſar ubi de poſtulatis cognouit, ad ordines imperij refert, & Volfgango Pruſsiæ magiſtro dat orationis exemplum: cui ille lingua populari reſpondit, quo reſponſo aduerſarij rationes refutare conabatur. Poloniæ legatus aduerſarium quidem ſcriptum parauit, ſed non exhibuit: nam utriuſq; rationibus auditis, delecti fuerunt ex omni numero qui cognoſcerent. Horum ſumma deliberationis erat, ſententiam in Albertum pronunciatam eſſe tuendam: ſed tamen, quoniam executionis permagnam eſſe difficultatem uidebant, ad Cæſarem omnia reijciunt. Verùm Sigiſmundus rex, aliquanto pòſt, quum Sarmatarum imperium unum & quadraginta annos iuſtiſsimè ſapientiſsimeque tenuiſſet, anno ætatis ſuæ octuageſimo primo ex hac uita Calend. Aprilis exceſsit: uir præter generis ſummam claritatē, belli pacisque artibus, atque frequentibus uictorijs clariſsimus: ſed ante omnia, pacis atque honeſti ocij diligentiſsimus cuſtos. Genus ducit ab Igillionibus Sarmatis, qui Samagitiam incolunt: unde aliquot eius gentis ac Lituaniæ principes nomen, parua facta mutatione, traxiſſe uidentur. Hinc Iagello, Suitrigello, Carigello, Scirgello. Sed Sigiſmundus Caſimiri filius, auum habuit Iagellonem illum Magnū Lituanorum ducem, ut illi uocant, qui ad regnum Poloniæ ſuſcipiendum accitus, cum religione nomen mutauit: Vladislaus enim tūc fuit appellatus. Fuerunt autem tres Sigiſmundo fratres, omnes reges: Ladislaus Vngariæ atque Bohemiæ, Ludouici regis pater: Ioannes Albertus, & Alexander, qui ordine in Polonia, poſt Caſimirum patrem regnarunt. qui cum ſine liberis deceſsiſſent, Sarmatarum imperium ad hunc Sigiſmundum natu minimum, delatum eſt: quod ipſe Sigiſmundo Auguſto ei ex regina Bona Io. Galeacij Sfortiæ Inſubrum principis filia, nato tradidit, quem nunc Sarmatæ regem iuſtitia & pietate inclytum colunt: qui nunc in matrimonio alteram iam Cæſaris Ferdinandi filiā fœminam lectiſsimam habet. Cardinalis Tridentinus iam antè redierat Auguſtam. Cùm ergo Cæſar eius audito ſermone, & Mendozæ quoque literis acceptis Romę datis ad exitū Decembris, concilij ſpem exiguam eſſe uideret, rem ad ordines defert, & quo modo res ſe habeat exponit, ſeque legato ſuo Mendozæ nunciaſſe dicit, ut de concilij translatione Romæ conteſtetur. Petere igitur, ut omni depoſito affectu, cogitent quanti & reipublicæ & cuiuſque priuatim intereſſit, aliquam fieri conciliationem. Delecti ſunt igitur nonnulli, qui rem agerent: ſed quū inter hos minimè conueniret, Cæſari cauſa tota permittitur. Itaque negocium fuit datum nonnullis, ut & doctrinæ & ceremoniarum & emendationis eccleſiaſticæ capita conſcriberent. Hi erant Iulius Pflugius epiſcopus Numburgicus, Michaël Sidonius, Ioānes Islebius Agricola, qui ante annos duodeuiginti Saxonicæ doctrinæ confeſsionem unà cum Melanchthone & Brentio defenderat. Hi ergo de dogmatis librum conſcribunt: ſed admodū arcanè, & quum diu multumque tractaſſent, & crebrò ſub incudem reuocaſſent, Cæſari demum exhibēt, ut poſtea dicemus. Elector Brandeburgicus Ioachimus, qui conciliationi ualde ſtudebat, communicato conſilio cum Iacobo Sturmio, & datis ad ſenatū Argentinenſem literis, orabat, uti religionis gratia Bucerum ad ſe mitterent: nam detrectante conciliū Pontifice, Cæſarem aliam inſtituiſſe rationem: & magnam eſſe ſpem emendationis. Mittitur itaque Bucerus, qui ſub exitum Ianuarij ſilētio profectus, non procul ab Auguſta ſubſtitit, donec princeps acceſſeret. Quomodo Britanni maximo prælio Scotos deuicerint, libro ſuperiori diximus: quum autē de propoſito nihil Scoti remitterent, & Galliæ regis pollicitationibus niterentur, Angliæ protector Somerſetus, & reliqui conſiliarij ſcripto ualde prolixo, nonis Februarij, ad pacē illos hortantur. Hoc tempore per Galliam, in primis uerò Lutetiæ, propter Lutheraniſmum rurſus excitantur incendia, quum interim in Anglia de Miſſa pontificia prorſus abroganda deliberaretur. Mauricio Cæſar honorem ſeptemuiratus, & Ioannis Friderici prouinciæ maximam partem iam antè, ſicut diximus, attribuerat in caſtris ad Vittembergam: ſed hoc in conuentu publica & ſolenni ceremonia, tanquam in poſſeſsionem illum mittit, & in ſuam imperijq; fidē accipit, quod tum ei promiſerat. Fuit hoc vj. calen. Mart. qui quidem dies eſt Cæſari natalis. Hæc omnia poterat Ioannes Fridericus, ex ędibus ubi diuerſabatur, ſpectare: & quidem ſpectauit. nam in eodē foro res agebatur. Bucerus, de quo diximus antè, uocatus demum Auguſtam uenit, & ad electorem Brandeburgicum diuertit. Iam confectus erat ille, quem ſuprà diximus inſtitutum fuiſſe, de religione liber. Eum, ſicut erat ſcriptus, Bucero tradit Brandeburgicus, & uti ſubſcribat, petit. Ille, quum euoluiſſet, quòd pontificiam doctrinam in eo conſtitui uideret, non ſe poſſe probare dicit. Tulit hoc iniquè Brandeburgicus, & grauiter ei ſuccenſuit, & eſſe ſcriptum moderatū iudicabat. Sic enim ei perſuaſerat Islebius. Vrgebat quoque Bucerum Granuellanus per internuncios, & ſi probaret, ampliſsima dona promittebat: quum autem pollicitationibus nihil efficeret, cœpit comminari. Sic ille nō abſque diſcrimine Argentoratum ſe recepit. Nam per agrum Virtembergicum erant paſsim Hiſpanorum præſidia. His etiam diebus Auguſtam uenit rex Tunetanus Muleaſſes, quem Cæſar ante annum decimumtertium in regnum reduxerat. Huic filius natu maximus exoculauerat, occupato regno. Profugus igitur & miſer ad Cæſarem ex Aphrica ſeſe contulit: neque multo pòſt eò uenit etiam alter filius. Liber ille de religione conſcriptus, non ſemel, ut antea dictum eſt, ſub incudem reuocatus, quum diu multumque iactatus eſſet inter ordines priuatim, Romam quoque mittitur. Nam etſi totus ferè papiſmus in eo ſtabilitur: tamen, quòd aduerſarijs eſſent conceſſa nonnulla, Pontificem prius eſſe conſulendum placuit. Is deinde Cæſari per cardinalem Sfondratum has animaduerſiones aperit: Vt preſbyter ordinatus ducat uxorem, & ſacrum officium adminiſtret, eſſe inauditum. Conſuetudinem illam ſumendi cœnam Domini ſub utraq; ſpecie eſſe abrogatam, & in his duobus indulgendi facultatem nulli competere, præterquam pontifici Romano & concilio: religionis antiquæ ſectatores non eſſe his dogmatis alligandos. Verū ſi qui Lutherani uelint ab ini-

ab incœpto deſiſtere, nō eſſe repudiandos. Illud de duabus miſsis intelligi debere ſolū de Lutheranis: pſalmodia oportere ubiq; reſtitui: diebus feſtis celebrādam eſſe cuiuſq; eccleſiæ patroni memoriam: ijs, qui iam ſunt ſacerdotes, aut poſtea fient, abſtinēdum eſſe à coniugio: ſacrorum bonorum & iuriſdictionis oportere fieri promptam reſtitutionem: nec utendum in eo forma iuris ordinaria, ſed de plano cognoſcendum, & manu regia conficiendum eſſe negocium. Cæſar igitur idibus Maij conuocat omnes ordines, & de ſua in Germaniam charitate præfatus, librum recitari iubet. Ibi Moguntinus, qui primum inter electores locum obtinet, non exquiſitis ordinum ſententijs, conſurgit, ac ueluti publico nomine, Cæſari pro tanto labore, ſtudio, cura, diligentia, charitate patriæ, maximas agit gratis: & quoniā antehac ipſius fidei rem permiſerint, ac nunc in eo ſit elaboratum, æquum eſſe dicit, ut gratiſsimis animis hoc ipſum agnoſcant, & decreto pareant. Hanc gratiarum actionem Cæſar habuit pro cōmuni aſſenſu & approbatione, nec ullam pòſt excuſationē admiſit, ut poſtea dicemus: & librum typis euulgari iubet, Latino ſimul & populari ſermone. Interea Ferdinādi filius Maximilianus, Auguſta profectus, in Hiſpaniam contendit, ut natu maiorem Cæſaris filiam Mariam, in matrimonium ducat. Mauricius non multo pòſt editum à Cęſare decretū, abit. Ioannes uerò Brādeburgicus, electoris Ioachimi frater, Cæſarem adit, & Ferdinādo rege præſente, petit, ut in eo ſibi parcat, & de ſuis in ipſum officijs quædā locutus, hac potiſsimum fiducia ſe militaſſe ipſi proximo bello dicit, quòd de religione ſibi cauiſſet. Cęſar, ordinum imperij cōſenſum hunc eſſe, nec ab eo recedi oportere dicebat. Ille contrà, non omnes aſſenſiſſe, neque ſe ex conſcientia decretum hoc laudare poſſe reſpondit. Volfgangum Bipontinū principem ex familia Palatina, qui legatos ibi habebat, Cæſar iubet ipſum adeſſe. Cumq; ueniſſet, inſtat ut ratum habeat decretum. Ille religionem nullam aliam ſe nouiſſe dicit, præter eam in qua ſit natus, & ad hoc uſque tempus educatus. Itaque ut ſui rationem habeat petit, & ſe facturum in eo dicit, quantū omnino poſsit ſalua conſcientia. Halæ Sueuorum erat Ioannes Brentius. Hic & ante annum ſecundū in magno fuerat diſcrimine, quum Smalcaldicis dominum reuerſis, Halam Cæſar aduentaret: & nuncin multo uerſabatur maiori. Tunc enim, paulo antè quàm Cæſar accederet, quidam Hiſpani ſatellites, cùm in oppidum ueniſſent, ad illius ædes rectà contendunt, & intromitti poſtulant, alioqui minantur atrocia. Poſtridie uerò, quidam ex optimatibus, Hiſpanus, ordinis Eccleſiaſtici, pulſis illis, domum totam occupat, & ingreſſus bibliothecam, omnia perquirit. Ibi cum literas aliquot reperiſſet amicorum, datas ad Brentium, & familiariter ſcriptas de communium temporum perturbatione, magnam ei conatur inuidiam conflare, cùm eas apud ſuos diuulgaſſet. Vbi uerò Cęſar Halam ueniſſet, & clementer ageret, neque propter doctrinæ genus offenſionis ullam daret ſignificationem, Brentius iuſſus, ſicut alij plerique per Germaniam, uiri docti, quid eo de libello ſentiret, explicare: à ſacris literis illud diſſentire pronunciat, idque ſcripto demonſtrat. Quod cùm in pontificiorum manus ueniſſet, legatis Halenſibus mādat Granuellanus, nomine Cæſaris, ut quidem aiebat, darent operam, ut Auguſtā ille pertraheretur uinctus. Admonitus autem ab amicis, in uicinum agrum ſecedit: neq; multo pòſt Halam uenit Hiſpanorum turma. Porrò, Sueuiæ ciuitates pleræque omnes, authoritatem ſecutæ Cæſaris, imperata ſe facturas promittebant. Itaque doctores paſſim multis ex locis migrabant, ne quid ſua profeſſione commiterent indignum. Andreas Oſiander Noribergam ideò reliquit, inque Pruſsiam ſeſe recepit. Virtēbergicus princeps, cuius in agro paſsim erant Hiſpanorum præſidia, quum à Cæſare mandatum ueniſſet, librum iam editum pro concione recitari iubet, & ne quis contrà faciat, edicit. Per Granuellanum & Atrebatenſem epiſcopum Cæſar Saxoniæ ducem captiuum urgebat, ut decreto pareret, & editi libri doctrinam ſequeretur. Et quanquam pollicitationibus animum eius tentabant, & ſpem aliquam libertatis oſtendebant, conſtans ille tamē in ſententia permāſit, & ſuperiori, inquit anno, quādo conditiones mihi Cæſar tulit, hæc etiam perſcripta fuit, ut & ipſius & conſilij de religione decreta futura probarem. Cùm autem intelligeret, me nullius periculi metu poſſe induci, ut aſſentirer, conditionem illam remiſit, neq; de religione quicquam deinde mecum egit. Quod maximi certè beneficij loco tunc habui, & hoc uelut onere grauiſsimo ſub leuatus, reliquas omnes calamitates, eò facilius & æquiori animo tuli, ſperans futurum, ut religio mihi mea deinceps permitteretur libera. Nunc autem, quando rurſus urget ac mādat, ut decreto facto ſubſcribam, equidem profiteor me iam inde ab adoleſcentia ſic inſtitutum, ac deinde ſacrorum librorum lectione ſic eſſe confirmatum, ut hanc doctrinā planè conuenire cum Prophetarum & Apoſtolorū ſcriptis, nec ullius erroris conuinci poſſe, iudicem. Hac nimirum de cauſa & parens meus & ego, nōnulliq; alij principes, eius doctrinæ confeſsionem ſcripto comprehenſam exhibuimus olim, & legitimo permiſimus concilio. Cùm ergo hac ſui cognitione me Deus illuſtrarit; non mihi licet ab agnita ueritate diſcedere, niſi ſempiternum exitium mihi conciliare uelim. Itaq; ſi decretum hoc reciperem, quoniam multis in locis, & grauiſsimis quidem, à ſacra ſcriptura diſsidet, damnarem quam ſum hucuſq; profeſſus, Ieſu Chriſti doctrinam, & uerbis atq; ſermone probarem, quod uitioſum & impium eſſe ſcio. Quod cùm ita ſit, & quoniam his uinculis eſt alligata conſcientia mea, maiorem in modum, & per miſericordiam Dei, quam humano generi per Filij ſui immolationem impertiuit, oro & obſecro, ne Cæſar hoc meum factum implacatè ferat. Quòd enim Auguſtanæ confeſsionis doctrinam retineo, ſalutis meę cauſa facio, & rebus omnibus poſthabitis, quo modo poſt hanc ærumnoſam uitam, ſempiternæ uitæ particeps fiam, cogito. Cùm in eo firmus & immotus perſiſteret, durius aliquando tractari cœpit: adempti enim fuerunt ei libri ſacri, & iniunctum, ut dieb. uetitis abſtineret à carnibus. Ille etiā, quo fuerat uſus ad hoc uſq; tempus permiſſu Cęſaris, Euangelij doctor, quum præſens imminere ſibi periculū uideret, mutata ueſte, clanculum ſe ſubducit. Dum hæc in Germania Cæſar molitur, publico decreto Miſſa per Angliam abrogatur, neque multo pòſt captus fuit Stephanus epiſcopus Vintonienſis, qui cō tendebat, decreta quę fierēt in hac ætate regis adoleſcentuli, nullius eſſe momenti. Iuſſus fuerat anno ſuperiori continere ſeſe domi, & abſtinere à publico. Nuper autem dimiſſus, quum ſententiam mutaſſe putaretur, concionem habuit ad regem cæteroſque proceres, & quum in ea mentem ſuam explicaſſet, cuſtodiæ mandatur. Quòd in futuros uſus pecuniam conferri Cæſar poſtulauit, ordines, etſi graue ſibi eſſe dicerent, approbarunt. Ferdinando quoq; regi in ſingulos induciarum annos aureorū millia centena promittunt: ſed à Cæſare petunt inuicem, ut præſidia deducat, & copias militum huc illuc diſpoſitas, quæ paſsim per agros & opprida plurimum damni darent, rebus iam pacatis dimittat, & miſeros homines, quorum magnæ ſint querimoniæ, reficiat. Cæſar cauſas ait ſubeſſe graues, cur in hoc tempore militem exauthorare non poſsit: ad damnum uerò datum quod attinet, illud, ſe quidem conſcio, minimè fieri. Vt imperij forum Cæſar

hoc tempore pro suo arbitratu constituat,& supplementi loco iudices adiungat, ordines ei permittūt, & sumptum ipsi pollicentur. Vltima die Iunij fit comitiorum finis: at Cæsar omnibus persuaserat, ut concilio se submitterent, idq́ue sua fiducia, qui daturus esset operam, ut legitima sit actio. Nunc ergo fit decretum, Tridenti cōtinuandum esse concilīū, seq́; curaturum Cæsar promittit, ut quam primum ibi redintegretur. Quod quum factum erit, postulat ut omnes, Ecclesiastici præsertim, & cōfœderationis Augustanæ socij, publica fide, quam sit eis præstiturus, eò ueniant. Futurum enim, ut piè & Christianè, iuxta sacras literas & Patrum doctrinam, res agatur omnis & definiatur, depositis affectibus: & ut ipsi, quantū satis est, audiantur. Pòst, alia recitantur decreta, sicuti fieri solet, in primis illud de religione: grauibusq́; uerbis mandatur, ut omnes obtemperent, sicut Idibus Maij pronunciatū fuisse diximus. Authores libri tres antea nominauimus; ex ijs Ioannes Islebius liberale donū à Cæsare simul & Ferdinando rege tulit, ob nauatā operam. Michaël uerò Sidonius episcopatum Merseburgēsem in Saxonia deinde est cōsecutus. Hinc iocus illorum, qui chrisma dicebant ab eis & oleum pontificiū inter alia defendi, ueluti rem sacram & saluti necessariā, ut ipsi nimirum discederent unctiores. Facti decreti fama longè lateq́; mox disseminata fuit. & Veneti quidē decimo quarto calen. Aug. edicto cauent, ut qui libros habeant, in quibus aliquid sit perscriptum contra fidem catholicā, intra diem octauum perferant ad certos homines: nam postea fore ut inquiratur, & in eos, qui meriti sint, uindicetur: delatoribus uerò silentium & donum pollicentur. Habet perpetuos ibi legatos pontifex, ut in regum aulis etiam. Hi multorum oculis & auribus uident & audiunt, & sæpè sunt authores, ut eiusmodi decreta fiāt. Sed tamen hac utitur cautione Senatus Venetus, ut episcopis aut inquisitoribus pōtificijs minimè permittat iudicium, sed adhibeat semper locorum præfectos & iurisconsultos, qui testimonia cognoscāt, & prouideant, ne quid improbè uel auarè committatur in suæ ditionis homines. Legem hanc tulerunt anno M. D. XXI. quum in agro Brixiano quæsitores illi ualde sæuirent in miseros homines, quasi ueneficos, & cum Sathana cōmercium habērtes. Nunc autem, postquam longè lateq́; radices egit Lutheri doctrina, eandem legem seruant. Hoc fere tempore Galliæ rex copias auxiliares in Scotiam mittit aduersum Anglos, & in his Germanos, ductore Ringrauio. Quanquam Cæsar acerrimis uerbis edixerat, ne quis editum de religione librum ullo modo impugnaret, uaria tamen exierunt scripta, quæ totam eius doctrinam damnarent. Legatum Cęsar ad Noribergenses & quosdam alios miserat, qui decretum factum eis persuaderet. Quum is in ea profectione uenisset ad Saxoniæ ducis captiui filios, idē egit: sed illi constanter negabant: ad Cæsarem ergo reuersus, rem omnem exponit. Itaq; captiuum principem Cæsar denuò solicitat, deq́; filijs ipsius queritur, quòd & decretum nuper factum repudient, & illud oppugnari tum scriptis tum concionibus permittant. Petit igitur agat cum illis, ut de utroq́; sibi satisfaciant. Ad hæc ille quamobrem editi libri doctrinā ipse non probet, nuper se demonstrasse Granuellano & Atrebatensi. Quod quum ita sit, non se posse filijs esse authorem, ut quod ipse pacata conscientia facere nequeat, hoc illi faciant. Orare se plurimum, ut boni consulat, & se suosq́; liberos tueatur. Hęc illius constantia, & in rebus aduersis animi fortitudo singularis, magnum ei conciliauit amorē passim apud omneis. Quemadmodum in Saxonia Bremenses & Magdeburgici, sic in Germania superiori, soli Constantienses, Heluetijs uicini, nondum erant reconciliati Cæsari: sed publica tandem acce-

A pta fide, legatos Augustam mittunt, pacificandi causa. Cæsar leges fert admodum duras, & in his etiā, ut librum euulgatum recipiant, ex eoq́; religionem constituant. Legati conditiones sibi mitigari petūt: sed id frustra fuit, & intra certum diem iubentur respondere. Cæsar iij. Non. Augusti consules & omnē senatum Augustanum, & è præcipuis ciuibus nonnullos ad se uocat, & multis è senatu motis, nouos allegit pro suo arbitrio. Tribus etiā simul abrogat, & capitē sancit, ne qua ciuium deinceps conuenticula fiant atq; societates: & literas omneis, quibus tribuum iura cōtinentur atq; priuilegia, nouo senatui mox exhiberi, & hanc reipublicæ formam uoce pręconis publicè pronunciari iubet, & ne quis eam impugnet, uitæ periculo denunciat. Legatis Constantiensium Cæsar huius mensis die quinta primū respondet per Atrebatēsem episcopum, & infecta re dimittit. Eodem die, Hispani, quos in oram illā commigrasse diximus, ad tria millia peditum, Constantiā petunt, & Vberlinga de nocte profecti, pars per syluam iter faciunt, ut prima luce, quo tempore concionem in templis haberi sciebant, urbem inuaderent: pars in sylua remānsit, occasionem expectās. Sed ecce, quum iam luceret, Hispani, parietem qui mediam fossam diuidebat, machinis prosternūt, & per fossam tunc propè siccam, in oppidanos excubitores confertim irruunt. Mox etiā illi, quos in sylua remansisse diximus, accurrunt, & ui magna portam unam refringunt. Sed fortissimè ciues dimicabant, & tormentis rem agebant, interfecto duce Alfonso Viue, statim in primo congressu. Quum uerò tantę multitudinis impetum uix ægrè sustinerent, paulatim retrocedunt, & in ponte Rheni diu multumq́; confligunt, & uix tandem in urbem recepti, quum hostes portam ualidè concuterent, tormentis maioribus eos petūt ex mœnibus atq; portis, & multos B interficiunt. Postquam illa uia, quam diximus, non successit, Cæsar diuulgatis literis Constantienses proscribit. Ibi cœptū est agi tumultuosius in urbe. Nam & recentis periculi memoria, & futuræ calamitatis expectatio uehementer eos angebant, præsertim quum nihil humani præsidij uel opis appareret. Erant in numero ciuiū nonnulli, qui uocibus odiosis hæc omnia exagitabant. Senatus igitur horum importunitate coactus, principes aliquot & Heluetios quoq́; per literas orat, ut Cæsarem deprecentur. Hi missa legatione, de Cæsaris animo perquirunt, ferre ne possit intercessionem: simul orāt, ut clementer eos tractet. Cæsar autem sic illis respōdet, ut facilè uiderent, non ei gratū fore. Nam, quòd in proscriptorum gratiam aliquid facere uelint, ual de sibi mirum esse dicebat. Itaq; multi, qui religionis immutationem non probabant, alio sese conferunt. Lindauienses, qui sunt contra Constantiam, ad alteram partem lacus, masculè quidem antea Cęsari respōderant: nunc autem uicino territi exemplo, decretum & ipsi recipiunt. Cæsar Augusta profectus, relicto ibi præsidio, reipublicæ & mutatæ causa religionis, cum reliquis copijs Vlmam petit. Eò quum uenisset, senatum abrogat, & nouum instituit, & ecclesiæ ministros, in quibus erat Martinus Frechtus, eo quòd religionis decretū repudiarent, custodiæ mandari iubet. Detēti per quatriduū in urbe, quinto die, quum Cæsar illinc abiret, reuincti catenis, ut diximus, & impositi currui, deuehuntur Kirchenum, stipati circiter ducentis Hispanis. Cæsar non diu Spiræ commoratus, quum Moguntiam uenisset, secundo flumine Rheno descendit in inferiorem Germaniam, & Saxonem atq; Lantgrauium, qui Hala Sueuorū nuper adductus erat, quū eius uxor denuò esset deprecata, captiuos abducit, diuersis nauibus impositos. Constantienses nuper proscripti, quum in magnis essent angustijs, neq; salutis uiam ullam uiderēt, ad extremum perfugium

decurrunt,

decurrunt, & Austriacæ domui sese dedunt in perpetuum. Ferdinandus igitur in suam tutelam eos recipit, & mox præfectum eò mittit ex nobilitate quendam. Post hæc, ministris ecclesiæ mandatur omnibus, ut intra diem octauū urbe excedant. Hoc mense, Mauricij Saxoniæ ducis frater Augustus, in matrimonium ducit Christiani Daniæ regis filiam, Annam. In pactis dotalibus conuenit, ne quid bonorū Ioannis Friderici, uerùm ex patrijs bonis, Mauricius hæreditatē ei daret. Erat id temporis magna seditio per Aquitaniam, propter salinas & uectigalia. Totius autem regionis principatū obtinet Burdegala, urbs ampla & copiosa & maritima, quæ ditionis Anglorum aliquando fuit. Hi cum primis etiam rebellabant, & præfectum regium trucidauerant. Quum igitur ad exemplum & magnum periculum ea res pertineret, Galliæ rex, Anneo Memorantio magistro equitum, & Aumalio ductoribus, copias eò mittit, peditū signa xxxj. qui sumpto de multis supplicio Burdegalenses in ordinem redegerūt. Est in agro Patauino Citadella oppidum. Hic ciuis quidā, homo forensis & causidicus ualde exercitatus, Franciscus Spiera, incredibili quodam ardore cœpit complecti protestantium doctrinam: & quum in dies magis atq; magis proficeret, accusatus apud Legatum pontificium, quæ dixerat recantare iussus est. Verùm non multo pòst in ægritudinem incidit, tum animi tum corporis, deq́; misericordia Dei cœpit desperare. Neq; iam cibū amplius capere: & quū per uim ingereretur, subinde respuebat. Atq; ita miser in eo statu ac desperatione uitam finiuit. De Gallis antè diximus, qui per æstatē Scotis auxilio profecti fuerūt: hi tandem mortui regis filiam Mariam, unicam hęredem, sex annorum puellam, in Gallia abducunt, ut eius consequendę spem omnē Anglis adimerent. Philippus Cæsaris filius, tunc xxj. annorum iuuenis, euocatus à patre, ad iter B sese comparat, relicto ibi petruele sororio, qui per suā absentiā reipub. præesset. Eodem tēpore qui annus fuit salutis M. D. XLIX. motus fuerūt per Africam. nam Zeriphius quidam, à paruis, ut aiunt, initijs auctus, & regnum adeptus, uicinum regem Ecsanum, finibus expulit, qui pòst ad Cæsarem uenit Augustam, de sua fortuna conquerens, & opem implorans. De Magdeburgicis antè diximus, quomodo Cæsar eos proscripserit: cùm autem decretū religionis nuper euulgatum repudiarent, aucta fuit offensio. Sic ergo nouis edictis Cęsar in eos agit, & in prędam omnibus objcit, & uicinos principes ac ordines grauiter monet, ut bellum eis faciant, & quacunque ratione possint, noceant. Angliæ status hoc tempore cœpit esse turbulentus. Is quem diximus regis auunculus regni protector Eduardus Somersetus, fratrem habebat germanum Amirantem: de quo suspicionem cōcepit, aut sibi persuaderi passus est, quasi regnum affectaret, & regem uellet in suam redigere potestatem. Itaque comprehendi iubet, & habita quæstione, capitis ille damnatur, & xiij. calend. April. securi percutitur. Archiepiscopus Cantuarienſis, Thomas Crammerus Anglię primas, uir excellenti doctrina, totus in hoc erat, ut studia literarum atque pietatis excitaret. Cùm ergo statū Germaniæ & doctorum hominum ibi periculum uideret, crebris literis Bucerum in primis & Paulum Fagium, Hebraicæ linguæ peritissimū, solicitabat, ut in Angliam uenirent, omnem amorē atq; fidem eis pollicitus. Itaq; de assensu & uoluntate senatus Argentoratensis calendis Aprilis in Angliam migrarunt. Eodem die Philippus Austriacus amplissima cum pompa Bruxellam, ubi pater erat, ingreditur. Quum per fines Mauricij res ad mutationem uideretur spectare religionis, Lubecenses, Luneburgenses, Hamburgenses euulgato scripto librum & decretum Augustanum prolixè confutant. Pontifex

A tres episcopos miserat, qui in hæresim lapsos in gratiam reciperent per Germaniam. Hanc pontificis largitionem uel in dultum, ut ipsi uocant, Cæsar iliçò mittit ad episcopos Germanos, ut leniter atque placidè rem agant, utq́; blāditijs, exhortationibus, precibus, omnia prius quàm execrationibus atque minis experiantur, pro se quenq; separatim omnes monet. Moguntinus ergo cùm ad alios tū ad Lantgrauianos præfectos & cōsiliarios dat literas, & de sua solicitudine pastorali, deq́; Cæsaris fide & diligentia multa locutus, petit, ut ecclesiæ ministris formulam istam à pontifice missam exhibeant, eiq́; iubeant parere. Sed illi ita respondērunt, ut intellige ret Mogontinus eos in suscepta sententia uelle permanere. Per Angliam hoc tempore fuit orta duplici nomine seditio popularis. Vna propter rem agrariam. Querebantur enim uulgò nobilitatem occupasse magnam agrorū partem, qui promiscuæ multitudinis antea fuissent: sed in primis offensi mutatione religionis, uolebant Henrici de religione decreta restitui. Cùm igitur ad arma concurrerent, & magni res esset periculi, nec admonitiones locum haberent, rex & consiliarij, licet inuiti, copias in illos emittunt, & diuersis locis profligant, millibus aliquot trucidatis. Hanc speculatus occasionē Galliæ rex, qui iampridem inhiabat amissæ Boloniæ, castella quędam & arces ad oram illam maritimam inter Boloniam atq; Calerum, partim ui partim deditione capit, eaq́; ratione milites præsidiarios Boloniæ in maximas difficultates & angustias conijcit. Grauissimè tulerunt hunc casum Angliæ proceres: & quia summam rerum obtinebat protector regis auunculus, in ipsum deriuata fuit omnis culpa, quòd non in tempore munisset loca rebus necessarijs. Hac in dies augescēte criminatione & inuidia, protector initio mensis Octobris de communi consilio procerum, Vindesore captus, ubi tum rex erat, Londinum in carcerē abducitur. Interea dum Gallus hæc molitur in Anglos, Cæsar per Flandriam & Hānoniam & Atrebates filium circūducit, in eius q; fidem populum adigit periusurandum. Pòst, Antuerpiam simul ambo redeūt sub idus Septembris. Quarto Idus Nouembris è uita decedit Paulus tertius pontifex, quum ageret annum lxxxij. Pridie quàm obiret mortem, aboleuit uectigalia, quæ salinis & plerisq; rebus alijs impositum erat, non sine gemitu populi. Nono pòst die cœptum est fieri funus per dies nouem continuos. Interea cardinales absentes undique ad urbem conuolant. Erant omnino tres factiones cardinalium: una Cęsaris, altera regis Galliæ, tertia Farnesiorum. Galli, Tranensem, Saluiatū, Rudolphum, Lotharingum, Theatinum: Cæsariani uerò, Polum, Burgensem, Carpum, Crucciū, Moronum, Sfondratum poscebāt. Et de Polo quidem atque Saluiato frequens fuit per urbem excitata fama. Nam etsi magno silentio rem tegi uolebant, tamen quia subinde multi prodibant è conclaui, per causam aut simulationem ægritudinis, non potuit esse clàm, & ad Cæsarem atque Galliæ regem enunciatum fuisse dicitur, quicquid ageretur. Quò minus uerò Polus rem obtineret, Theatinum cardinalem obstitisse ferūt, quòd diceret eum Lutheranismum redolere. Sub initium Februarij mensis, anno salutis Christianæ M. D. L. Anglici Gallicíque legati cōueniunt, pacis tractandę causa. Nam amissis aliquot castellis, ut antè diximus, Angli erant in angustias coniecti. Per hos dies è carcere liberatus fuit regis auunculus protector, quum id regi pergratum esse uiderent consiliarij: & quoniam Beruicensis Comitis impulsu potissimum captus fuerat, inita fuit hæc ratio, ut per affinitatem inter eos redintegraretur amicitia. Protectoris itaq; filiam, Comitis Beruicēsis filius in matrimonium ducit: deinde Beruicensis à rege donatus est ducatu Nurthūbriæ.

Sed non fuit hæc diuturna neceſsitudo, ſicut infrà dicetur. Romæ interim feruebant omnia ſtudijs diuerſis atque factionibus, ut antè docuimus. Farneſij in primis toti in hoc erant, ut ſuarum partium aliquis crearetur: & initiò quidem, Cæſarianis cardinalibus, ut aiunt, ſeſe cõiunxit Alexander, Pauli nepos, eiusque clientes aliquot cardinales; Pauli pontificis beneficiarij. Cùm autem Gallicani ſua ſuffragia darent Saluiato Florentino: ueritus ille, ne proximis comitijs renunciaretur Saluiatus põtifex, ad ipſorum partes accesſit, primùm ſtipulatus ab eis, quemadmodum pro certo dicitur, ut Saluiatũ prẽterirent. Hac demum ratione, Ioannes Maria Montanus, quem Tridenti atque Bononiæ præfectum fuiſſe concilio diximus, vij. Idus Februarij creatur pontifex, & Iulius tertius appellatur. Is autem ſemper & Gallicarum partium, & Farneſiæ domus fuerat habitus ſtudioſiſsimus. Biduo pòſt, aureum, uti uocant, portam aperit pontifex, ad quam infinita erat hominum turba, conſequendæ peccatorum remiſsionis cauſa. Malleolo pontifex aureo portam ferit, ſic enim habet ceremonia: quem deinde honoris cauſa largiri ſolet alicui. Nouus pontifex, galerum ſuum cardinalitium, cui uult largitur, antiqua conſuetudine. Iulius autem, quo tempore Bononię fuerat legatus, in delicijs habuerat adoleſcentẽ quẽdam, Innocentiũ. Hunc, tametſi reliqui minus probarent, imò reclamarent, in cardinalium adoptauit collegium, & in domeſticam cõſuetudinem rurſus admiſit, eique cognomen ſuum & inſignia quoque attribuit. Romæ fama erat, & libellis quoque perſcriptum fuit, à Ioue Ganymedem foueri, licet deformem. Sed nec ipſe pontifex hoc ad reliquos cardinales diſsimulare, & per iocum fertur aliquando commemorare, quàm ſit laſciuus adoleſcens & importunus. Tertio Idus Martij Cæſar ſcribit ad ordines imperij, uelle ſe conuentus agere ordinum imperij. Quamobrem mandare, ut ad vij. calend. Iulij Auguſtæ Vindelicorum ſibi præſto ſint omnes. Ad hoc tempus Anglici Gallicíq; legati, quum diu rem diſceptaſſent, pacem faciunt. Boloniam igitur Angli, totos ferè ſex annos iam occupatam, Gallis reſtituunt, non ſine plurimorum admiratione: Galli uerò pecuniam illis dependunt. In ea pace comprehenſi fuerunt Scoti. Magdeburgici, cum crebris edictis peterentur à Cæſare, Martij die xxiiij. rurſus aliud ſcriptum, ad uicinos potiſsimum euulgant, in quo ſuæ fidei rationem copioſe reddunt: refutant obiecta crimina, & calumnias eſſe docent aduerſariorum. Poſtremò, uim & arma deprecãtur, & ſi res ita ferat, à finitimis auxilia quoque petunt. Ad exitum Maij Cæſar unà cum filio, Bruxella diſcedit, & Auguſtam, ad comitia cõtendit, adducto ſecum Saxoniæ duce captiuo, Lantgrauio autem Mechliniæ relicto. Septimo calend. Aug. Cæſar Auguſtæ facit initium imperij conuentus. In eo proponit de continuando concilio, de ſeruando religionis decreto, nuper Auguſtæ facto, de mulctandis cõtumacibus, de reſtitutione iuriſdictionis & bonorum ſacrorũ. Re deliberata, maiori parti placuit, continuandum eſſe concilium. Mauricius uerò per legatos non aliter ſe probare illud oſtendit, niſi ut res omnis ab initio retractetur, & Auguſtanæ confeſsionis theologi non ſolùm audiantur, ſed decidendi quoque poteſtatem habeãt, ut pontifex concilio ſe ſubmittat, neq; præſidis locum obtineat, & iuſiurandum epiſcopis remittat, quo liberè ſentẽtiam dicant. Hanc eius cõteſtationem publicè recitatam, legatus pòſt in acta referri uoluit, ſicut fieri conſueuit, ſed denegatum hoc ei fuit. Sub exitũ Auguſti menſis, Granuellanus, qui Veſontione, Sequanorum oppido, nuper uenerat Auguſtam, è uita decedit, non ſine magno Cæſaris mœrore. Henricus Brunſuicenſis interea Brunſuicum urbem, cui propter religionem & alia quędam, multis annis admodum erat infeſtus, obſidet: & quum ipſorum agris multum damni deciſſet incendijs atque direptionibus, neque tamen urbem expugnare poſſet, interuentu quorundã Cęſar utriſque mandat, ut diſcedant ab armis, & apud ſe cauſam dicant. Fuit hoc Septembri menſe. Cæſaris exercitus obſidebat tum Africam, urbem Aphricæ, quam alij Aphrodiſium, alij paruam Leptim olim dictam putant. Eam urbem tenebat Dragutus, archipirata nobilis, qui Turcæ nuper ſeſe coniunxerat. Summæ rerum Cæſar præfecerat Siciliæ prorege. Is, quum tormentis aliquandiu fulminaſſet, certior factus, imminere Dragutũ, & adducere nouas copias, accelerandum ſibi eſſe uidebat. Itaque iiij. Idus Septembris terra mariq́ue militem immittit, & aliquot horarum ſpacio ui capit. Dragutus ad Turcam confugit, Byzantium profectus. Ea res noui belli dedit occaſionem, quod Turca non in Cæſarem modò, ſed in Ferdinandum quoq; regem deinde ſuſcepit. Cęſar interea multum inſtat, ut utrunque decretum Auguſtæ factũ ſeruetur: & de Magdeburgicis atq; Bremenſibus grauem habet querimoniam. Nam hi ſoli reſtabant omnium ciuitatũ, tametſi Bremenſes nõ erant proſcripti. Venerat autem eo tempore regina Maria, cùm alijs, tum hac etiam de cauſa, ut edictum illud nuper in Belgis promulgatum mitigaretur. Niſi enim ita fieret, fore dicebat, ut quæ nunc ſit totius orbis frequentiſsimum emporium; Antuerpia, ſplendorem ſuum amittat. Seditionis quoque paſsim permagnum eſſe periculum, ſi quidem in executionem res uenire deberet. Cæſar uix ęgrè tandem aſſenſit, & mutatis ijs, quæ pertinent ad exteros negociatores, nomen in quiſitionis, inuiſum omnibus tollit, cætera ſuo loco manere iubet atque ſeruari. Cognita Cæſaris in Magdeburgicos uoluntate cõtinuò multi ſeſe comparant ad militiam: in his erat Mauricius, & electos Brandeburgicus cum Alberto patruele, & Hericus Brunſuicenſis. Deinde nobilitas etiam omnis appellatur, ut equitatum adducant. Progreſsi igitur quarto Nonas Octobris non procul ab urbe caſtra faciunt, & ſexto pòſt die, noctu, magno cum clamore procurrunt uſque ad foſſas atque portas, experiundi cauſa, quid oppidani uel poſſent uel auderẽt: ſed reiecti tormentis, multos è ſuis deſiderarunt, & quum in caſtra pedem referrent irati, leproſorum hominum domicilium in itinere inflammant, planè contra militiæ leges atque diſciplinam. Poſtridie rurſus dimicatum eſt leuiori prælio, quum oppidani feciſſent eruptionem. Erant enim alacres, & cùm alij multi, tum ex nobilitate complures, confluxerãt eò, uiri militares. Sub initium Nouembris mortem obijt Vlrichus dux Virtembergicus, pendente lite, quam habebat cum Ferdinando rege, ſicut ante dictum eſt: ei ſucceſsit filius Chriſtophorus princeps omni genere laudis cumulatus. Mauricius, qui iam antè ſeſe bello Magdeburgico immiſcuerat, traductis ad ſe copijs, publico nomine belli ſummę præficitur. In bellũ uerò decernuntur aureorum millia lx. menſtrua, proq́; ſumptibus iam factis perſolui iubentur millia centum. Cõtinuò magnis uiribus rem gerit, & conſtructis aliquot caſtellis, ut in ijs milites hyemarẽt, ſub exitum Nouemb. urbẽ aggreditur. Eſt autẽ urbs tripartita: eius unã partẽ, quæ noua dicitur, noctu magno ſilentio conſcenſis mœnibus atq; portis occũpat, neq; prius hoſtile ſignũ dedit, q̃ militẽ introduxiſſet. Excitati clamore ciues, quicunq; reperti ſunt in armis, trucidanſ: reliqui capti atq; direpti pelluntur. Magdeburgẽſes igitur, ut hoſti commoditatẽ hanc eriperẽt, emiſſo milite locum incendunt, ea parte, quę ad ipſos pertinebat: alteram deinde partem, quæ Sudeburgum dicitur,

tur, exurunt etiam, receptis in urbem oppidanis. Erat in urbe Albertus comes Mansfeldius, non quidem à Cæſare proſcriptus, uerùm exutus facultatibus, quum in Ioannis Friderici Saxoniæ ducis fide permanſiſſet & amicitia. Quomodo Lantgrauium Cæſar Mechlinię reliquerit, Auguſtam proficiſcens è Belgis, dictũ eſt antè. Mauricius quidem & Brandeburgicus, ut dimitteretur, inſtabant: ſed reſponſum fuit, non illum modò, ſed filios etiam & conſiliarios ita ſe gerere, ut nondum liberari poſsit. Cuſtodes quoque dicebant ei, fore, ut in Hiſpaniã abduceretur. A filijs igitur opem implorat, & Mauricium atque Brandeburgicum citari iubet, ut ſe ſiſtant iuxta formulam obligationis, & promiſſum impleant. Filij morem gerũt, & per legatos grauiſsimis uerbis non ſemel illos monent atque citãt. Sed quum ſpem nullam uideret Lantgrauius, conſtituit omnino profugere, ſi poſſet, & cum ſuis quos euocauerat ex Heſsia, uarias rationes init. Verùm hi periculo deterriti, remiſsius agebãt. Duobus tandem perſuadet, Conrado Bredeſtenio, & Ioanni Rommelio. Hi per totum iter inde ab ipſius finibus, Mechliniam uſque celeres diſponunt equos, quibus conſcenſis effugeret. Sed per quendam ipſius famulum hoc tempore res emanauit: qui familiariter cuidam dixerat Mechliniæ, futurũ, ut intra paucas horas liber eſſet. Quum id, ueluti per manus traditum, ad cuſtodiæ præfectum, in ipſo propè fugæ momento & articulo delatum eſſet, omnis illa ratio concidit, & ex ipſius miniſtris duo fuerunt ſubitò confoſsi, quidam comprehenſi & capite mulcta ti: ipſe uerò deductus in arctiorem cuſtodiam. Decimo autem quarto calend. Ian. pedites equitesq́ue Magdeburgici omnes qui non erant deſtinati uigilijs, poſt mediam noctem urbe excedunt, ut equitatum hoſtilem, quodam in uico non procul opprimerent. Magni quidem res erat periculi, quòd inter hoſtium caſtra faciundum erat iter: ſed tamen feliciter ceſsit. Poſtridie prima luce domum illi repetunt, & turmam equeſtrem habent obuiam, ductore Georgio Megelburgio, qui tandem conſerta manu, cùm à fronte premerent equites, à tergò pedites inſtarent, captus & in urbem adductus fuit, ille ipſe qui belli fecerat initium. His diebus ex Hiſpanis Auguſtam uenit Maximilianus Auſtriacus, gener Cæſaris, Bohemiæ rex deſignatus, per abſentiam reuocatus à patre Ferdinando rege, quem inter atque Cæſarem actio tunc erat ardua, de imperij ſucceſsione. Cæſar enim, qui ſciret, quanti eſſet momenti, Germaniæ coniunctio, filium hærẽdem, qui tam laris & diuerſis finibus eſſet regnaturus, hoc ueluti firmamento ſtabiliri cupiebat. Ferdinandus autem rex, qui ſpectaret idem, neq; ſuam, neq; ſanè filiorum expectationem atq; commoda diminui oportere iudicabat. Porrò Maximilianus, qui egregiam indolem præ ſe ferret, & multas calleret linguas, Germanicam in primis, & morum elegantia polleret, admodum erat gratioſus atq; popularis. Per hoſce dies Mauricius & Brandeburgicus elector, pacis cõditiones Magdeburgicis proponũt, & ut ſe dedant fidemq́; præſtent ipſis & archiepiſcopo, petunt. Id ſi faciant, fore, ut religio & Auguſtæ quondam exhibita doctrina ipſis permittatur, & de ipſorum priuilegijs, iure ac libertate nihil decedat, munitiones etiã urbis atq; facultates permaneant ſaluæ, nulla cuiquã uis intentetur. Senatus uerò deditionem facere, & præſidium recuſabat admittere. De Stephano Vintonienſi epiſcopo diximus, quamobrem captus in Anglia fuerit: cùm aũt in ſententia perſiſteret, neq; decreta iam facta, quæq; deinceps fierent in hac ætate regis, de religione, uellet approbare, epiſcopatu fuit exutus huius anni, qui fuit M.D.LI. menſe Ianuario, & in carcerẽ reductus. Idibus Februarij dimittitur imperij cõuentus. Hoc ipſo tempore, Galliæ rex, Henricus in ſuam fidem atq; cliẽtelam accipit Octauiũ Farneſium, qui & priuatim erat inimiciſsimus Ferdinando Gonzagæ, Cæſaris per Iuſubriam præfecto, propter cædẽ patris, & in ea uicinitate Placentiæ, quam Cæſar tenebat, ueritus, ut Parmam ſuis ipſe uiribus retinere poſſet, opem aliunde petiuit, & Gallicum præſidiũ in urbem admiſit. Eam rem permoleſtè Cæſar tulit, & Iulius pontifex in primis. Februarij die penultimo, Bucerus Cantabrigiæ uitã finit, honorificè admodum ſepultus, & doctorum hominum celebratus epitaphijs. Ad Magdeburgum res agebatur leuioribus prælijs, & crebris eruptionibus: & quum Albis exundaſſet, oppidani fabricatis nauibus, aduerſo & ſecundo flumine cõmeatum importabãt. Varia ſubinde conſpiciebantur id temporis prodigia per Saxoniam, in his terni ſoles, totidemq́ue lunæ, modò pallidi, modò ſanguinei coloris. Magdeburgici de auxilijs appellabãt urbes maritimas per Volratum & Ioannẽ Mansfeldium, Alberti comitis filios: uerùm id fruſtra fuit. Tertio idus Aprilis Pontifex edito ſcripto, Farneſium Octauiũ grauiter incuſat. Quum calendæ Maij uenirent, Tridenti inchoata quidẽ fuit actio concilij, Idibus Nouemb. à Iulio indicti, ſed quia perpauci tum adhuc aderãt, & Parmenſe bellũ interueneratin Calendas uſque Septemb. producta res fuit. Superioribus aliquot menſibus in ſuam familiam Mauricius aſcripſerat Hedeccum à Cæſare proſcriptum, & Lipſiæ præfecerat. Is propter religionem bene cupiebat Magdeburgicis, & pacis erat conſiliarius, ut eo confecto bello, Mauricius tentaret maiora. Iam tũ enim inita fuerunt eius belli conſilia, quod in Cęſarem poſtea ſuſceptum eſt, ut ſuo loco dicetur. Veruntamen de pace tum cõuenire non potuit, quòd duriora proponerentur, idq́ue ſtudio, ſicut multi putant, dum tempus duceret Mauricius, & occaſionem expectaret agendi, quæ tunc data fuit, poſtquam Galliæ rex bellum Cæſari fecit. Farneſius neque Romam uenit citatus à Pontifice, & Galliæ regis confirmatus præſidijs, Parmam ſuſcipit defendendam. Ferdinandus Gonzaga delectus à Cæſare ad hanc prouinciam, belli facit initium, & populatus agros, Parmam, Pontifex uerò Mirandulam obſidet. Nam & Gallicarum erat partium Mirandulanus, & niſi diſtineretur, Octauio plurimùm poterat & Parmenſibus commodare. Gallię rex interim leniendi Pontificis & cardinalium ſenatus cauſa, per oratorem ſuum Paulum Thermeum Romæ demonſtrat, ſe quòd Octauium in ſuam fidem acceperit, nullam reprehenſionem mereri. Nam hoc eſſe propriè regum, miſeris & oppreſsis ſubuenire. Deinde nullum ſe quæſiuiſſe priuatum in ea re compendium: ſed quicquid fecerit, eccleſiæ Romanæ cauſa feciſſe, maiorum exemplo, qui & facultatibus illam præcæteris amplificarint, & armis quoque non ſemel protexerint. Cæſar antea miſsis in Germaniã literis, præſertim ad Auguſtanæ confeſsionis ordines, idoneè ipſis cauerat, hortatus, ut ad calendas Maias adeſſent Tridenti, ſed quia propter bellum Parmenſe reiectus fuit concilij dies ad initium Septembris, iterum monet, ut omnino ueniant, æquitatem omnem atq; fidem pollicitus. E ciuitatibus aũt ſoli Argẽtinenſes, quid uicini, quid etiã longinquiores in eo facere cõſtituiſſent, miſsis internũcijs exquirebant. Et Mauricius quidẽ Philippo Melanchthoni mandauerat, ut doctrinæ capita conſcriberet, quæ pòſt publicè exhiberẽt. Eo confecto libro, quũ ad octauũ Iulij diem Lipſiæ conueniſſent omnes theologi & paſtores iuſſu principis, recitatur ſcriptum, & omnium aſſenſu comprobatur. Eandem quoq; rationem princeps Chriſtophorus Virtembergi-

cus instituit,& authore Brentio conscribitur eiusdē generis libellus. Dux Virtembergicus patris exemplo Ioannem Brentium ob insignem eruditionem fouit,ad piæ doctrinæ restaurationē usus illius opera: pòst etiam ecclesiæ ministerio restituit atq; præfecit Sturgardiæ. Mauricius datis ad Cæsarem literis,nunciat se quidem ea fide quam dedisset,fore cōtentum,neque magnopere quicquam in eo desiderare: sed audire concilio Constantiensi decretū esse factum, ut in hæreticos aut alioqui suspectos inquisitio fieret, si fortè ad concilium uocati uenissent,de que ipsorum crimine pronunciaretur, etiam si Cæsar ipsis idoneè cauisset. Hoc decretum in publicis extare monumentis, & quod ita statuissent, ipsa re comprobasse, necato Ioan. Husso, qui Sigismundi Cęsaris fidem secutus eò uenisset. Quod cùm ita sit, non se posse quenquam è suis mittere Tridentum, nisi qui sunt ibi proceres Ecclesiastici, fidem quoq; suam communi concilij nomine interponant, sicut in concilio quondā Basilien si factum sit,quod proximum ab illo fuerit. Bohemos enim exemplo superiori cōmotos, noluisse tum eò uenire, nisi prius accepta fide publica totius concilij. Petere igitur,ut ipse pro sua uel authoritate uel gratia hoc apud illos efficiat. Nisi enim ad eandem formam, ut olim Basileæ,cauеatur,non debere sibi uel etiā alijs eiusdem professionis esse fraudi,si neminē è suis eò proficisci patiantur. Augusti die uigesimo sexto manè post concionem, ecclesiæ Augustanæ doctores atq; ministri, numero decem, accersiti fuerunt in ædes Atrebarensis episcopi. Quum hi uenissent,illis mandatur, ut intra diem tertium ante solis occasum ex urbe decedāt: ne posthac intra fines imperij, & quā latè Cęsaris patet iurisdictio, concionem ullam habeant: ne quem ex propinquis aut amicis conueniant,neque sui discessus causam ulli dicant, ne cui pòst in urbe scribant, aut quid cum ipsis actum sit, exponant. Ad eundem modū fuit actum etiam deinde cum ludimagistris, cumque Memingensibus, & alijs per Sueuiam, qui & ipsi uocati eò uenerant. Etenim & docendi munere & reditu ad suos, illis interdicitur. Saxoniæ autem dux captiuus, ubi cognouit,per internuncios & consolatus est, & pecunia quoq; iuuit discedētes. Pulsi & eiecti,partim ad Heluetios, partim aliò confugerunt. Eius rei fama cùm increbuisset, multos perterrefecit. Nam quòd ibi contigisset, quin idem alijs etiam in locis fieret, nemo dubitabat. Sed ecce dum in eo metu sunt omnes, bellum Cæsari Galliæ rex facit, & simul naues aliquot Belgicas inuadit,captasq; trahit in portum & diripit, & in Taurinis oppida multa capit, & in his Cherium atq; Sandamianum, ductore Brissaco. Mirū plerisq; uisum fuit, regē in hac tanta fortuna Cæsaris atq; splendore, ausum fuisse amicitiam ei renunciare:sed & Cæsari præter opinionē accidisse fertur. Rex autem, quòd per latus Octauij se quoq; uulnerari diceret, quòd de Turcis iam mare nauigantibus compertū haberet,deinde quòd de Mauricij uoluntate per internuncios accepisset:& quòd in ea corporis imbecillitate, ac subinde recurrente morbo,non diu posse Cæsar uiuere putaretur, magno rem animo fuit aggressus. Eodem propè tempore Turcica classis,quum arcē Melitæ frustra tentasset,Tripolim Africæ capit. Dum hæc geruntur, uenit cōcilij dies,calendæ Septembris. Eum ad diē præstò fuerunt præter Italos & Hispanos episcopos,Moguntinus & Treuirensis, magna omnium, ut quidem apparebat, lætitia & congratulatione: neq; multo pòst,etiam Colonien sis. Pontificis nomine præerat cardinalis Crescentius: huic erant adiuncti archiepiscopus Sipontinus,& episcopus Veronensis. Prima die Septembris,facta sessione,ecce ex improuiso Galliæ regis orator, abbas Bellosanus,cum literis quæ ad conuentum Tridentinum

A erant inscriptæ.Eas ubi reddidit legato Pontificis, inscriptione lecta, cœptum est disceptari, cur conuentum potius quàm concilium appellet: non esse recipiendas eas literas,neque legendas, nisi mandatum habere se demonstret. Quum que tumultuosus admodum esset excitatus clamor, ab Hispanis præsertim episcopis,ac ille diceret,literis comprehendi mandatum,legatus Pontificius consurgit, & in sacrarium templi seuocat patres. Re disputata, quòd in bonam partem accipi posset inscriptio, placuit illum esse audiendum. Lectis itaq; literis priuatim, quibus & dolorem suum rex,& iniuriam sibi facta breuiter significabat, & fidem haberi legato postulabat,denuò confederunt omnes. Tum ille prolixa orationem de scripto recitat. His literis perlectis, patres fore dicunt, ut in proximo consessu respondeatur:si quidem concilium esse Tridenti rex agnoscat. Quæ uerò nunc acta sint,non admittere se, nisi quantum iure liceat:ideoque ne testimonium quidem aut documentum ullum huius actionis ei cōmunicari posse. Altera die Septembris, data sunt theologis themata, quæ discutiant, & suam quisque sententiam de singulis dicant,ut in futuro consessu definiantur. Aderant autem magno numero theologi,Hispani,Itali,Germani, quos & Pontifex & Cęsar,eiusque soror Maria miserant,quos etiam Colonien sis & Treuirensis, & Hispani atque Itali episcopi secū adduxerant. Ad hos deferebatur summa cognitionis, nec alijs qui non essent eius professionis, & qui titulum doctoris non haberent, pronūciare quicquam licebat. Et theologi quidem quid sit ipsorum sententiæ,de singulis rebus demonstrant. Episcopi uerò soli,cumq; his pauci quidam alij mitrati,definiendi potestate obtinēt:quod ita decretum, sacrosanctum esse iubent,& canones uocant. Hæc ita quidē publicè fiunt:sed qui res Ro

B manas familiarius nouerunt, aiunt omnia dogmata Romę iam antè conscripta iussu pontificis, ad legatum suo tempore mitti, ut præscriptū illud atq; formulam in differendo theologi sequantur. Nam ex ijs complures, ac episcopos quoque multos alit ibi pontifex,& ridiculo prouerbio dici solet,Spiritū sanctum Roma subinde Tridentum uenire inclusum manticę. propterea nimirum,quòd crebrò pōtifex celeribus equis quid fieri uelit, per literas atq; mandata suis ibi legatis nunciat. Pridie Non. Septembris Magdeburgum uenit Hedeccus:per eum Mauricius antea propositas conditiones ita mitigabat, ut illi pergendum esse in actione statuerēt. Interim erant induciæ, quæ pòst etiam in plures dies extractæ fuerunt. Galliæ rex alienato ab se pontifice, scriptum edit, & de iniuria sibi ab illo facta, deq; causa belli Parmensis,& cur Octauium in suam fidem susceperit,multa locutus edicit,graui cōstituta pœna, ne qua pecunia Romā deinceps deferatur. Fuit hoc regis edictum publicè recitatum Lutetiæ vij. idus Septembris,cùm paucis antè diebus aliud fuisset illius euulgatum in Lutheranos decretum longè graui ssimum, quod superiorum annorū eius generis decreta partim confirmaret,partim ubi non satis accuratè scripta uidentur exacueret,& ad summam sę ueritatem nihil reliqui facit,& qui denunciarint ali quid, magnis propositis prę mijs atq; pollicitationibus inuitat. Ex aula deinde Cæsaris prodijt scriptū, quo belli Parmensis cōmemoratur origo, quamque iustam habeat pontifex causam offensionis in Octauij & Mirandulæ dominum, quamque sit irrequieta mente Galliæ rex, qui omnes undequaque captet occasiones, eoque totis uiribus incumbat, ut Cæsaris honestissimos conatus impediat & euertat. Gallię regis nomine postea respōsum ad ea prodijt. Pacificationis causa fuę ditionis ordines conscribit Mauricius, & sub finem Septēb. Vitēbergam uenire iubet,eò quoq; legatos uti conuenerat,

Magde-

Magdeburgici mittunt, qui decimo pòst die domū A redeunt,ab Alberto Brandeburgico deducti. Suprà diximus,quemadmodum Mauricius datis ad Cæsarē literis,flagitarit, ut nomine concilij theologis idoneè caueret. Cæsar itaq; suis oratoribus mādat, ut rem ad partes deferant & perficiant. Cùm ergo dies Octob. xj. uenisset,fit consessus,& proponūtur de more themata uentilanda. Cùm autem in spem ueniant, fore ut protestantes breui ad conciliū accedant,& ad pristinā ecclesiæ concordiā redeant, largiebantur ipsis tutum itum & reditum:& eorū themata definitionem in uigesimū quintum Ianuarij diem producebant, ut antè eum diem adesse, ac sua in medium proferre possint. Quum uerò Mauricius eodem planè modo suis uellet caueri, quo Bohemis olim cautum fuisset:hi paucissimis uerbis,& admodum neglectè formulam conscripserunt,nullo adhibito signo uel testimonio publico. Postea decretus fuit alter consessus ad xxv. Nouemb. diē, Brandeburgicus etiam elector Ioachimus, misso legato Christophoro Strasio iurisconsulto, suum officium & obsequentiā tunc patribus deferebat. Virtembergæ transactum de bello fuit:& quanquā nō statim soluebatur obsidio, Magdeburgi tamen amici fuerunt inter eos cōgressus Octobris die xij. His aūt diebus Henricus Hasius mandato Cæsaris per Sueuiam profectus, passim reipub. statum mutat, & nouos instituit senatores, ut ante annum tertiū Augustæ factum fuisse docuimus. Concionatores etiam & ludimagistros,nisi decreto religionis parerent,abrogat. Virtembergicus princeps,missis duobus legatis Tridentum, Ioanne Theodorico Plenin gero,Ioanne Heclino mandabat, ut & illam doctri nę confessionē scripto comprehensam, publicè exhiberent,& uenturos dicerent theologos, qui cōpiosius omnia tractent atq; defendant,modò iuxta Basilien sis decreti formulam ipsis caueatur. Tertio non. Nouemb. Hedeccus à Mauricio missus, uenit Magdeburgum,& eductis militum præfectis in uicinum castellum,planè transegit,confectis & obsignatis ea de re literis. Et militi quidem fide publica fuit cautum,ut tutò liceat abire. Sed mox quum essent exauthorati,tacitè retenti fuerunt & rursus cō ducti. Egressis eodem die militibus præsidiarijs, qui erant ad duo millia peditum, equites ad centū xxx. Mauricius quinq; signa peditū introire iubet, & postridie obuiam eunte senatu urbem ingreditur cum uniuersis copijs,& in Cæs. imperij, suamq; fidē qui dux belli fuisset, omnes adigit:pòst relicto præsidio cæteros educit. Maluit sibi Mauricius urbem parére quàm Cæsari, quod ipse pòst euētus docuit. Ad hunc modū liberati Magdeburgici, præter multorum expectationē summam nominis gloriā adepti sunt apud exteras nationes, quòd propè soli per omnem Germaniam exemplo suo docuissent quid possit constantia. Per eos dies, quibus erat in urbe Mauricius,non obscurè significabat quid sui esset animi,uelle se nimirum etiam sui capitis periculo liberare socerum,nec id postridie dissimulauit, inter pellatus à quodam. Legatos iam antea miserat ad Cæsarem,Lantgrauij causa liberandi: Daniæ quoq; regem & multos Germaniæ principes in eo sibi cō iunxerat,sicut infrà dicemus:& nisi impetraret, planè constituerat rem tentare uiribus, deque eo cum Galliæ rege pactus iam erat. His ferè diebus ab Hispanis Genuam appulit cum liberis & uxore Maximilianus gener Cæsaris. Cæsar digressus Augusta, Nouembris initio uenit Oenipontem, quod tridui uia Tridento distat. Hoc & concilij & belli Parmensis causa feciss e putatur, ut in ea sua propinquitate diligentius administraretur omnia. Paulo pòst Tridentum uenit Argentinen siū legatus, Ioannes Sleidanus, ut cum Mauricianis & Virtembergicis communem causam ageret. Huic autem ciuitati sese cō

B iunxerant Eslinga, Rauesburgum, Rutelingua, Biberacum, Lindauia, & ut ipsorum nomine simul ageretur, potestatem fecerāt. Nouembri mense Pontifex, uno eodemque die tredecim creat cardinales, Italos omnes. Hæc enim ueluti præsidia, muniendi sua causa comparare solent. Quomodo suos ad Cæsarem legarit dux Mauricius pro Lantgrauio, dictū est paulo suprà. Iis autem erant coniuncti Brandeburgen sis electoris legati. Sub initium igitur Decembris admissi, quum suorum principū nomine multam ei salutem essent precati: bene lōgam ad ipsum orationem habent. Qua finita Ferdinandi Romanorum regis, Alberti Bauariæ ducis, & Luneburgen sium fratrum literas, pro Lantgrauio scriptas ei tradunt. Qui uerò per legatos deprecabantur, hi erant principes, Fridericus Palatinus elector, Volfgangus Bipontinus, Ioānes Marchio Brandeburgicus, Henricus & Ioannes Albertus, Megelburgij duces, Ernestus Marchio Badensis, Christophorus dux Virtembergicus. Daniæ quoque rex, missis legatis, in eandem ferè sententiam Orat. Cęsar, interiectis aliquot diebus respondet: quia negocium sit arduum, & deliberationem postulet, deq; Mauricio sit interim apud se facta mentio, quasi grauibus alijs de causis breui sit ad se uenturus, ita quidem, ut datis ad eum literis, illum indies expectet, ideò se, quòd illo præsente rem commodissimè tractari posse putet, eousq; uelle differre. Non multo pòst uenit ad Mauricium, Lantgrauij filius, natu maximus, Gulielmus: & quoniam legationis futuræ spem sibi fecerit, & uerò menses iam aliquot exierint, postquā legati sint iter ingressi, quid actum sit, exquirit. Ille quòd legati Danici paulò serius, & tunc primū aduenerint, cum Augusta Cæsar Oenipontem peteret, moram interuenisse: deinde, quid Cæsar responderit, ostendit. Agebantur hæc autem ad speciem,

C consiliarijs nonnullis adhibitis, quos instituti consilijque sui minimè cōscios esse uolebat Mauricius. Hoc igitur Cæsaris accepto responso, statim ad gerendum bellum animum adiecit, & anni solùm tēpus expectabat idoneum. Ad decimumquintū cal. Ian. Episcopus Varadien sis Dalmata, nuper factus cardinalis, è medio tollitur, ob suspicionem societatis Turcicæ, domi suæ confossus. Eius cędis author fuit Ioannes Baptista Castalius, Italus, quem Cæsar iam ante in Vngariam miserat, ut Ferdinandum regem ope consilioque iuuaret. Vxor uidua Ioannis regis Isabella, quum Transyluaniam ægrè se posse tueri uideret, pacta cum Ferdinando rege, summā administrationis ei permiserat,& traditis ornamentis, insignibusque regni, in Poloniam redierat. Hac ergo ratione totam penè Transyluaniam Ferdinandus occuparat, adiutore Varadien si. Sed quia pòst ille noua consilia moliri uisus est,& dominatum affectare, capitis adijt discrimen. Milites, tam illi, qui Magdeburgum oppugnarant, quàm qui defenderant, hyemabant per Turingiam & loca uicina, multumque damni dabant, præsertim ecclesiasticis, & in his quoque Moguntino, cuius fines ad ea loca pertingunt. Eo commoti Moguntinus, Treuirensis, Colonien sis: & ille quidem ob acceptum detrimentum: hi uerò, quòd eum casum ad se quoque recidere posse uidebant, statuerunt redire domū, missis ad Cæsarem ea de re literis & internuncijs. Cæsar autem, qui magnopere uelle r continuari concilium, Anno Iesu Christi filij Dei M. D. LII. tertio nonarum Ianuarij uehementer eos obtestabatur ne id facerent. Paucis antè diebus, Tridentū redierat Monfortus. Adeunt igitur eum Virtembergici, & quemadmodū per cardinalem atq; Toletanū nihil adhuc effecerint, demonstrant: & quoniam ipse cum collegis uicem ibi Cæsaris gerat, sui principis postulata petunt audiri. Cùm autem ne tunc quidem satis commodè responderetur, illi re propè de-

pè desperata, domum cogitabant reuerti. Septimo idus Ian. ueniũt eò legati Mauriciani, de quib. paulo antè Cæsar perscripserat, Volfius Colerus, Leonardus Badehornus, iurisconsultus. Eorum aduentu recreati fuerunt ij, quos diximus, episcopi, & Cæsaris oratores in primis, quò iam de Mauricio, qui pacis consilia sequeretur, nihil amplius dubitandũ crederent. Tertio die pòst quàm uenerunt, apud Cæsaris oratores mandata sua proponunt. Initiò commemorant, quemadmodũ theologis uenturis non satis idoneè cautum sit à concilio, & hanc esse causam, cur princeps neminem miserit. Verùm ut id fiat, hæc ipsius esse postulata: primùm, ut ad formulam decreti Basilienſis caueatur ijs, qui sint uenturi, sicut Bohemis cautum sit olim: ut ab actione cessetur interea dum illi ueniant: ut cùm uenerint, anteacta omnia retractentur, & dies designatus prorogetur, ut concilium habeatur, in quo nationes omnes atque populi conueniant: ut ne præfidis authoritatem sibi sumat Pontifex, uerùm concilio se submittat, & iusiurandum episcopis omnibus remittat, quò liberæ sint omnium in concilio uoces, & minimè præpedita iudicia. Illi, & de ipsorum aduentu lætari plurimùm, & ad patres omnia se relaturos dicebant. Ex legatis nemo Crescentium aut eius adijt collegas, ne quid eis tribuere uiderentur: sed, quoniam ut Cæsari mos gereretur, & imperij decreto satisfieret, misi fuerant, idcirco ipsius oratoribus, qui summus esset ac præcipuus magistratus, ut intercesſoribus utebantur. Is quem suprà diximus Somersetus, Anglię regis auũculus, hoc mẽse, Londini fuit securi percussus, & cum eo quidam familiares. Quin hoc Northumbriæ ducis impulsu fieret, nemo dubitabat. Qui erant prudẽtiores, iam tunc incipiebant metuere optimo regi, quem sublatis propinquis, periculo magis expositum & insidijs esse uidebant. Cùm iam futuri consessus immineret dies, Cæsaris oratores, uocatis ad se Mauricij legatis exponunt, quid in ipsorum causa cum patribus egerint: Impetrasse qualem optarint fidei publicæ cautionem: intermitti quoq; actionem, & extractum iri, dum illi ueniant & adesse possint. His ita dictis, Mauriciani simul & Virtembergici, & Argentinenses, communicato consilio eius, quam acceperant, cautionis formulam simul expendunt. Et quia Basilienſis decreti singula capita iam antè descripserant, ut essent in conspectu, ea præsertim, in quibus momenta rerũ posita sunt, non erat eis difficile, quibus locis hoc ab illo dissideret, animaduertere. Cùm ergo percurrissent, illicò deprehendunt præcipua loca partim esse mutata, partim omissa. Nam in ea quæ Bohemis olim data fuit cautione, hæc insunt inter alia: ut decidendi quoque facultatem habeant: ut sacra scriptura, & ueteris ecclesiæ praxis & concilia, interpretes cum scriptura sacra consentientes, in omni controuersia sint loco iudicis: ut ipsis domi liceat sua sacra perficere: ne quid in ipsorum doctrinæ contemptum aut uituperationem fiat. Biduo pòst, patres in domo legati pontificij, mane conueniunt omnes, unaque Cæsaris oratores. Hi Virtembergicos eò uocant, quod se facturos ptidie dixerant. Introducti iubentur exponere mandata. Cumque suæ legationis fidem, exhibito diplomate fecissent, præfati quædam, doctrinę cõfessionem descripram in medium proferunt, & scribæ concilij tradunt, uti fieri solet. Venturos etiam à suo principe theologos dicebant, qui copiosius omnia tractent: uerùm his conditionibus: primùm, ut de partis utriusque uoluntate iudices idonei deligantur, qui theologorum actionem audiant, deque rebus controuersis legitimè cognoscant. Eodem die sub uesperum uocati sunt ab ijs eundem in locũ Mauriciani. Cùm ueniſſent, oratiõe prolixa sui principis postulata recensent, in eundem modum, ut nu-

per ad Cæsaris oratores: nisi quòd exitus erat neruosior. Vbi hoc etiam dicebatur, eum, qui uulgò sit in Pontificiorum templis, cultum & agendi modũ, non esse ueram religionem, sed fucum & umbram religionis. Postridie, qui fuit octauus calend. Febr. fit consessus publicus. Auctior tunc erat numerus militum, & hominum etiam turba frequentior ex diuersis locis, quòd ualde celebrem eius diei futuram putabant actionem. Finitis omnibus ceremonijs atque sacris, de suggestu recitatum fuit: Protestantium causa rem omnem differri ad xiiij. calend. April. quem quidem ante diem tempestiuè sint adfuturi, quò sua proponant. Paulo pòst, plerique cœperunt dicere, concilium iri prorogatum, & Mauricium, facto cum Galliæ rege fœdere, bellum in Cæsarem parare. Subobscurus quidem erat hic rumor initio, sed inualescebat indies, ac silentio missus fuit ad Cæsarem Tridento, qui de ipsius uoluntate cognoscereret. Pòst etiã à Cæsare quidam huius rei causa uenit eò: sed tegebantur omnia singulari studio. Sub exitum Februarij theologos Norimberga reuocat Mauricius, qui sui ad Cæsarem aduentus excitata iampridem fama, cùm iter ingressus aliquousque processisset, domum reuertit, & delectum habere militum instituit, ut postea dicemus. His rebus cognitis, quum crebri superuenirent alij post alios nuncij, neque iam ulla resideret amplius dubitatio, Moguntinus & Colonienſis, ad quem ex inferiori Germania multum erat nuper aduectum alimoniæ, magna celeritate comparatis equis quinto idus Martij, prima luce discedunt. Theologos quoque paucis diebus adfuturos dicunt, qui doctrinæ confessionem nuper oblatam consessui, copiosius exponant. Interea legati Mauriciani magnis erant in angustijs & solicitudine. Nam & callidè rẽ egisse, & sui principis consiliorum esse conscij, & omnia simulasse putabantur. Cum interim ipsi, neque scire se quicquam eorum quæ domi gererentur, nec ullas etiam literas adferri confirmarent, & qua uia domum redirent absque periculo, nescirẽt. Et quoniam augeri discrimen interposita mora uidebant, magno silentio, quum iam diluesceret, abeũt. Pòst quam Tridento Mauriciani discesserant, uenerunt eò theologi Virtembergici quatuor, in ijsque Ioannes Brentius, & Argentinenses duo. Virtembergicus princeps, doctrinæ confessionem à suis exhibitam, typis interim excudi iusserat, eiusque legati, quos dixi, pòst etiam theologi pauca quædam attulerant exemplaria, quæ nonnullis communicata, à multis, quanquam fortasse non omnes eodem consilio desiderabantur. Dissidebant tum inter se patres, nec eodem spectabant omnes. Hispani enim et Neapolitani & Siculi, & quicunque partium erant Cæsaris, & cum his oratores, urgebant in primis actionis continuationem. Pontificij autem, quòd Hispanos emendationem aulæ Romanæ moliri crederent, impedimentum aliquod inferri cupiebant: & quoniã episcopi præcipui ex Germanis iam abierant ob ciuiles motus, eandem occasionem & ipsi expectabant, eoque magis, quòd Mauricium & cõfœderatos iam esse in armis, quotidianis literis atque nuncijs perferebatur. Galliæ quoque rex, per cardinalem Tornonium de pace diligenter agebat cum Pontifice: quę si fieret, quoniam tunc in armis erat Gallus aduersus Cæsarem, nemini dubium erat, quin eius quoque gratia concilium dissolueretur. Calendis Aprilis, Mauricius atque socij, Vindelicorum Augustam obsident, & tertio die deditione capiunt, ut post dicetur. Biduo pòst legati Virtẽbergici, uocati in ædes Toletani, ueniunt, adductis theologis duobus, ut erant iussi, Brentio, & Ioanne Marpachio Argentinenſi. Pictauius incipit, & primo quidem de suo studio ac uoluntate, deinde de Crescentij ualetudine, & quemadmodum, nisi illo

præsente

præsente, nihil agere collegæ uoluissent, atq; etiam Patres, demonstrat. Illi quum deliberassent, agnoscere se studium ipsorum atq; diligentiam aiunt, ue runtamen longè aliud expectasse, magisq; certum ad sua postulata responsum, quòd suis renunciarẽt. Nunc uerò, quum ita res habeat, capiẽdum sibi esse consilium ex tempore. Postridie, maxima celeritate, nuncij & literæ uenerunt, captam esse Augustã, & principes rectà ad alpes cõtendere, ut aditus omnes & clausura uiarum occupent. Itaq; mox fuit per agrum omnem Tirolensem, imperata militia, & copiæ conductæ, iussæque omnes Oenipontem conuenire. Iam autem omnes abierant episcopi Germani: solùm restabat Spirensis & Monasterienſis uicarij. Eo allato nũcio, statim episcopi Itali profugiũt, Atheſi flumine secũdo deuectis impedimentis. His ergo rebus commoti Virtembergici, quum iam ultrò concilium dilaberetur, oratores Cæsaris adeũt: ab his dimissi, meridie discedunt, & horis aliquot pòst, cardinalis Tridẽtinus illis occurrit, qui Brixna celeribus equis Tridentum petebat: & quum Virtembergicos esse audiret, de Brentio perconctatus, humanissimis uerbis compellat. Biduo pòst, occurrunt eis Ferdinandi regis filiæ, quæ per Oenipontẽ petebant Brunecum, quod est ad Venetorum fines in alpibus oppidum. De patribus antea diximus, quomodo non eodem spectarent. Hispani quidem episcopi uidebantur præ cæteris esse diligentiores: ex Germanis quoq; nonnulli præ se ferebant, opus esse multa reformatione: sed eorum, qui omnium optimè sentiebant, hæc erat mens, ut ecclesiæ disciplina & mores emendarentur, ut luxus, ambitio, & parum honesta uitæ exempla tollerentur, ut suam quisq; procuraret ecclesiam, & singuli quidem singulas obtinerent, neq; plures uni permitterentur. Ad hæc, cogitabãt etiam, ut quidem apparebat, pontificis Romani potestatem intra certos fines includere, nec illius aulæ tantũ facultatis in omnes prouincias attribuere. Hæc & id genus alia quædam, reformationis uocabulo comprehendunt, & ea quidem fatentur ad se propriè pertinere, ac emendationem postulare. Sed quãtum ad doctrinam pertinet, nec errorem agnoscebant ullum, nec errare posse cõcilia statuebant, & aduersarios in sua demum castra transituros, concilioque parituros putabant. Ad calendas Maij designatus fuerat dies consessui. Reuerò desperata, qui supererant patres, tertio calend. Maij conueniunt, & propter regum principumque discordias, in biennij tempus concilium extrahũt, & amplius eò, si fortè disidia nõ componantur. & iam cum Galliæ rege pontifex transegerat. Paucis deinde lapsis diebus, Cęsaris etiam oratores abeũt. Crescentius uerò legatus, ualetudine detentus hærebat. Qua cœperit occasione Crescẽtius legatus ęgrotare, quoniam ipsius amici ac familiares qui decumbentem aliquando consolati sunt, ita referunt, addendum esse putaui. Martij die uigesimo quinto, scribendis literis ad pontificem ualde fuerat occupatus, & laborem ad noctem usq; continuauit. Ibi surgens, ut sese reficeret, ecce uisus est illi canis quidam ater, inusitata magnitudine, flãmantibus oculis, auribus ad terram propè demissis ingredi, & ad ipsum rectà contendere, deinde sub mẽsam dilabi. Perculsus & obstupefactus, ubi demũ sese collegit, famulos inclamat qui erant in anteriori cubiculo: iubet adferri lumen, & inuestigari canem: quum autem nusquam appareret, ne in uicino quidem conclaui, grauem fusce pit cogitationem, & in morbum incidit, ut antè dixi. Moribundus etiã, subinde suis acclamasse fertur, ut canem, qui lectum conscenderet, arcerent. Quemadmodum in postremo Germanię conuentu belli Magdeburgensis administratio, communi concilio Cæsaris & reliquorum ordinũ permissa fuerit Mauricio, suprà diximus. Eo durãte bello, quod fuit annuum: ille qui copias haberet in sua manu, rationem inire cœpit liberandi Lãtgrauij soceri, quum eousq; Cæsarem hac de re frustrà non semel interpellasset. Cattis igitur per iusurandum in suam fidem adactis, & facta pace cum Magdeburgicis, & Oenipontem missa legatione, sicut libro superiori docuimus, Galliæ regem fœdere sibi coniũgit, & datis obsidibus utrinque cauetur, & scriptis editis belli causam explicandam esse placet, ut sibi multorũ animos adiungerent. Albertus etiam Brãdeburgicus, clam in Galliam profectus ad regem; huic negocio totum sese dabat. Interea milites, tam ij, qui Magdeburgum propugnauerant, quàm qui circumsederant, Mullusij, uicinisq; in locis hyemabant, multumq; damni dabant Nortusianis & Erfurdensibus. Eius rei causam quum Cæsar ex Mauricio, qui totius belli dux fuerat, perquireret, responsum tulit, ob non soluta stipendia tumultum fieri: Hanc enim subiecit causam, quum ei reuera militarent, & tacitè sacramento deuincti essent. Primo statim uere, suis opportunè reuocatis, militum cœpit habere delectus, quos magno silentio per hyemem collegerat, & ad omnes imperij ordines euulgatis literis, in rebus humanis nihil sibi tam esse charum dicit atq; concordiam: sed in primis optare se, religionis fieri conciliationem iuxta Propheratum & Apostolorũ doctrinam, cuius quidem rei spem aduersarij sæpè fecerint, tum priuatim, tum publicis quoq; decretis: sed nihil esse præstitum, & illos non modò secus interpretari iã pollicitationes illas atq; decreta, uerumetiam tollere in uniuersum atq; rescindere. Hoc etiam dixisse, nõnullis, nisi mos ipsis geratur, non esse, quòd superioribus promissis magnopere quis fidat aut innitatur. Etenim tũc, quum illa promiserint, aliam fuisse temporis cõditionem: nunc autem obtemperandum esse. Futurum aliquin, ut in eos, qui recusent, animaduertatur. Nam huc pertinere, quòd concionatores & ecclesiæ ministros, extra fines imperij passim eijciunt, & non solùm legitimi, sed ne pontificij quidem concilij decretum expectant, & ab ipsa statim executione rem ordiuntur: quapropter etiam si mentis & conscientiæ seruitutem hanc armis ab se suisq; depelleret, non sibi posse dari crimini. Alterum, de quo sermonem instituerit, ad socerum Lantgrauium spectare, qui contra fidem detineatur captiuus. Tertium; & præcipuum quidem illud, ad omnes, & ad commu nem omnium parentem Germaniam pertinere, cuius hercle miserrima sit conditio. Nam contra leges atq; pacta militem externum adductum esse intra fines imperij, qui multis nunc annis inueterauerit, & passim in agris & oppidis, aliorum fortunas exhauriat, & omne genus libidinis exerceat. Ad hæc, inueniri subinde nouas rationes exigẽdæ pecunię, & priscam libertatẽ non uno modo labefactari, nec ulli ordini, ne septemuiris quidem sacrosanctis imperij principibus parci. Albertus autem Marchio Brandeburgicus, in eandem propè sententiam scriptum edit, & opprimi queritur Germaniæ libertatem ab ijs ipsis, qui tueri illam debebant & amplificare. Galliæ quoq; rex, editis literis, hoc potissimũ se spectare dicit, ut constituta religione, prosit reipublicę, maximè autem amicis. Hoc scriptum editum lingua populari, præferebat in fronte pileum inter duos pugiones, idq; symbolum esse libertatis, ascriptum erat. Deinde suberat titulus regis, qui se libertatis Germaniæ & principum captiuorum uindicẽ nominabat. Hoc symbolum nonnulli repertum in uetustis numismatis, & à percussoribus C. Cæsaris usurpatum fuisse dicunt. Hæ principum, & regis literæ, per Germaniam disseminatæ, spem in alijs, in multis uerò solicitudinem atq; timorem excitarũt. Mauricius, qui dissimulanter ageret omnia, calendis Martij conuentus agit ordinum suę ditionis, &

inter alia proponit, quia citetur à Lantgrauij filijs, ut se sistat, non sibi licere tergiuersari diutius, aut illorum expectationem fallere: discessurum igitur ad illos fidei seruandæ causa. Pareant autē interea, moremq; gerant Augusto fratri, quem sibi per suam absentiam legauerit, & ad finium defensionem copias cogāt, ne quid imperatis accidat. Rebus autem domi constitutis, & consiliarijs aliquot adiunctis Augusto fratri, paruo cum comitatu cōtendit ad illas, quas per Turingiam habebat copias, & progressus, Lantgrauij filium operitur. Lantgrauij filius productis copijs, quum decimo quinto calend. Aprilis uenisset Erlebachum, adesset etiā orator Gallicus Fraxineus, à Francofurdijs inter alia petunt uterq; per literas, ne Cæsaris ullum admittant præsidium. Et quanquam illi non satis apertè nec idoneè respondebant, tamen quia progrediendum erat, nihil est actum aliud: sexto pōst die Mauricio sese cōiungit. Deinde per Roteburgum, Dingelspœlum, Norlingam, magna celeritate petunt Donauertum. Roteburgi sese coniungit ipsis Albertus Marchio Brandeburgicus, cum suis tum equitum tum peditum copijs. Quacunq; transirent, suam in potestatem redigunt oppidanos, & ijs quos antea Cæsar delegerat abrogatis, nouum institūt magistratum: simul pecuniam illis imperant atq; tormenta. Et quia præsidio non magno tenebatur Augusta: deinde, quòd ijs ipsis ferè diebus muri pars quędam atq; ualli collapsa fuit, maximis itineribus, & ultima die Martij, ne nocturno quidem intermisso tempore pergunt, & calendis Aprilis ad meridiem eò perueniunt, & factis decursionibus hostile signum edunt. Erant in urbe Cæsarianorum ad quatuor signa peditum: sed quum oppidani quarto pōst die deditionē faceret, discedendi fuit illis facta potestas. His ferè diebus princeps Salernitanus, per occasionē dissidij cum prorege Neapolitano defecit à Cæsare, Galliamque petiuit. Dum hæc in Germania geruntur, Gallię rex ingenti cum exercitu progressus, Tullum & Virodunū, ad Galliæ fines oppida imperij capit: deinde Lotharingiam petit, & principem puerum in Galliam mittit, circiter nouem annorum, suamq; filiam in matrimonium ei spondet. Dumq; his rebus ipse detinetur, legatus eius Anneus Momorantius, qui primam aciem ducebat, Metim urbem imperij celebrem occupat iiij. Idus Aprilis, quum & modicum esset intus præsidium, & Galli imperij liberandi causa, regem arma sumpsisse dicerent. Capta Augusta, ueteriq; senatu ecclesięq; ministris publicis literarū significatione restituto, quem Cęsar aboleuerat, iure quoq; suffragiorum reddito tribubus, confœderati principes Vlmam recusantem ipsorum fœdus, contendunt. Quò quum pridie Idus Aprilis uenissent, urbem obequitant. Cumq; tormentis peterentur, iniuriarum sibi satisfieri, & aureorum millia trecenta eo nomine postulant, ijsq; denegatis hostiliter agunt. Mauricius autem illinc profectus, Linciū petit Austriæ oppidum, ut de pacis conditionibus ex Ferdinando cognosceret. Is enim de uoluntate Cæsaris intercedebat. Deinde Cęsar præcipuos Germanię principes literis erat hortatus, darent operā, ut incendium hoc restingueretur, & pacis inirentur rationes, cui minimè sit ipse defuturus. Aprilis ultimo die principes ad Danūbium reuertuntur, milia ribus aliquot infra Vlmam. Interea Brādeburgicus Albertus Vlmensium uicos & oppida uastat incendijs, & pecuniam extorquet, & ipsorum arcem Helfestænum excelso loco positam capit. Calēdis Maij Lantgrauij filius & Ioānes Albertus Megelburgius Gundelfingam traduncunt copias, & totos ibi dies octo Mauricium ab Austria reuertentem expectāt. Qui quum uenissent, postridie recensetur exercitus ad Laugingam, Ottonis Hērici Palatini oppidum, qui & ipse in Mauricianum fœdus cōcesserat. Nam A & huius prouinciam recuperauerant à Cæsare possessam, & episcopum Augustanum finibus eiecerāt. Inde conuerso itinere petunt alpes. Colligebat interea Cæsar copias ad alpiū radices, quæ Rutæ oppido conueniebant. Galliæ rex per Lotharingiæ fines cū exercitu uenit Tabernas quinto Non. Maij quatuor ab Argentorato milliaribus, ditionis episcopi oppidum. Postulauerat ab Argentinensibus antea, uti rebus necessarijs exercitui subueniret. Ea de causa missi fuerunt ad eum legati, Sarburgum, septem ab urbe milliaribus, qui certum frumēti modum atq; uini deferrent. Occupata Lotharingia, & urbe Meti, Argentinenses è uestigio conscripserāt, ad quinque circiter militum millia, præsidij causa: deinde multa tum publica tum priuata ędificia circum urbem & hortos & arbores, & quicquid omnino uel prospectū impediebat, uel hosti poterat commodare, demoliebantur: & quia parte cum primis erat necesse, nouam urbis munitionem instituebāt. Qua re animaduersa Galli Nonis Maij promotis castris Haganoam, inde Vinsseburgū petebāt. Huc ad regem uenerunt legati à Palatino principe, à Moguntino atq; Treuirensi collegis, à Cliuensi ac Virtēbergico, qui reipublicæ causa Vormaciæ nuper conuenerant. Eorum hoc erat postulatum, ut ab agrorū uastatione rex abstineret, & miserę multitudini parceret: & quando quidem libertatis Germanię causa belligerari iē profiteatur, sisteret exercitum, nec ultrà progrederetur. Eodem ipso tempore, quod fuit undecimo die Maij, literæ fuerunt ad regem allatæ Mauricij, quibus prescriptum erat quid esset actum Lincij: simul petebat Mauricius, uti rex, quem ipse quoq; comprehendi uoluisset in actione pacis, explicaret, quibus conditionibus uellet cum Cæsare pacisci. His acceptis literis rex, cui præter spem hoc accidisse putatur, biduo pōst castra mouet, & relicta B Germania Lotharingiā denuò petit. In Germaniā rege profecto, Cæsaris copiæ Belgicę Martino Rossemio ductore, Campaniæ Gallicæ fines lōgè lateq; uastabant incendijs. Reuersus autem in castra Mauricius, alpes unà cum socijs petit, ut antea diximus: & cùm propius eò ueniisset, Gallici oratoris hortatu statuit eos adoriri milites, quos ijs locis Cęsar conscribi iusserat. Et cum peditatu progressi, ducentis tantum adhibitis equitibus, Fiessam cōtendunt: & quum Ruta non procul abessent, ad uiarum angustias deueniunt occupatas à Cæsarianis militibus circiter octingentis, cum duabus machinis campestribus. Impressione autem facta, quum in eas angustias penetrassent, loco deijciunt hostem, qui fuga dilapsus, ijs qui prope Rutam castra fecerant, timorem ac trepidationē adfert. Principes è uestigio secuti, imperum in illos quoq; faciūt, ac demum profligant. Altera luce pergūt ad eam, de qua nō semel diximus, arcem Erebergū, eamq; deditione capiūt: Mauricius deinde magno fuit in discrimine. Quū enim progredi uellet, milites illi quibus præerat Rifebergus, recusabant, nisi stipendium ipsis extraordinarium ob captam arcem penderetur. Id autē ini quum esse dicebat Mauricius, & simulè seditiosi unum, qui prę cæteris fortiter clamabat, comprehendi iubet. Ibi uerò cæteri omnes nō hastis modò, sed sclopetis etiam displosis illum petunt, ita quidem, ut celerrima fuga uix ægrè uitam seruaret. Cęsar autem ubi de capto Erebergo cognouit, noctu maxima celeritate tumultuariē discedens Oeniponte cū Ferdinando fratre, qui persuadendæ pacis causa nuper eò uenerat, & per alpes quà Tridentum itur, ad lęuam deflectens, Villacum, quod est in Carnis oppidum ad Drauum flumen, à ueteribus, ut quidam putant, Iulium Carnicum appellatum, sese recipit, quum Saxoniæ ducem, Ioannem Fridericum, totoiam quinquennio captiuum, paulo antè dimissum, ne uidelicet hostis ad suam gloriam istud referret:

quod

quod quidē ipse captiuus etiam minimè uolebat. Liber factus, nihilominus Cæsarē, quocunq; iret, comitabatur. Vbi uenit Oenipontem Mauricius, quicquid ibi repertum est rerum Cęsaris & Hispanorum, & cardinalis Augustani, direptum fuit: Ferdinandi regis autem atque ciuium bonis nihil est datum damni. Prius, quàm Mauricius rediret Lincio, Brandeburgicus Albertus, digressus cum suis copijs, Volfgango, Teutonici, quem uocāt, ordinis magistro, direptionibus & incendijs plurimū damni dat, & quum ab eo pecuniam exegisset, in Noribergensium fines transit. Exercitus eius erat, equitum ad duo millia, peditū signa undeuiginti. Quūque responsum, quale uoluit, nō ferret, à Norimbergensibus, arcem Lichtenauum & adiunctum oppidum diripit, incēdit, funditus euertit, & quum oppidanis pecuniam imperasset, in suam & Georgij Friderici patruelis ditionem illos per iusiurandum adigit, & urbem obsidet. Itaque Lantgrauij filius, equitum duas cohortes, quas in Volfgangum, ordinis Teutonici magistrum ei attribuerat, ilicò reuocat, & ad se redire iubet, maxima cū illius offensione. Truculentum ergo bellum orditur, & uicos illorum ditionis ad centum, castella uerò, ciuiumq; uillas ad septuaginta, simulq; templa, quum ea dispoliasset, syluam insuper, quam habent amplissimam, incēdit, & ad ter mille iugera exurit. Vicinis autem, ex nobilitate, & alijs iam antè, nisi parērent, bellum denunciauerat, in primis autem episcopo Bambergēsi & Virciburgico, quos etiam in hoc rerum statu ad grauissimas conditiones adegit. Et Bambergensis quidem, ut se suamque prouinciam periculo iam imminenti subduceret, pacem ab eo maximis iacturis redemit. Nam sue ditionis oppida & præfecturas ad uiginti, coactus fuit ei dare, cōfectis ea de re literis xiiij. cal. Iunij: simulq; clientelas & beneficiarios omneis ei permittit. Vircibur B gicus autem aureorum millia ducenta uiginti dependit, & simul eius debita, quorum erat summa circiter trecenta quinquaginta nummūm aureorū millia, in se recipit & persoluere pollicet. Pacis hę fuerūt leges, sed tandem legatis ciuitatum Sueuiæ & ipsius Mauricij intercedentibus, pax inter Albertum & Norimbergicos est constituta his conditionibus: aureorum millia ducenta dependant: tormēta magna sex, instructa rebus omnibus tradāt: principes cōfœderatos, ut Augustani, fauore prosequātur: ipse uicissim illis ablata restituat. Itaq; xij. cal. Iul. urbis obsidio totius propè Germaniæ celeberrimæ potentissimæque, & rebus omnibus instructissimæ, sed & in primis munitæ, soluitur. Galliæ rex, Germaniæ finibus egressus, tripartito demum exercitu Valderfingā uenit, quod est ad Saram flumen, Lotharingicæ ditionis oppidulum. Ibi consociatis copijs, viij. cal. Iun. progressus, & traiecto Mosella flumine, quum in Luceburgicum agrum uenisset, populationibus & incendijs omnia uastat, exemplo Rossemij prouocatus. Mauricius tractandæ pacis causa Passauium se contulerat, quod Beodurum olim fuisse crēdimus. Ibi actione repetita Linciana, calēdis Iunij, copiosius omnia proponit & explicat: quæ quum ad Cæsarem in primis pertineant, petit ut iam emendentur, imperioque sua restituatur dignitas, nec alijs, ut eam ludificent atque despiciant, permittatur. Intercessores, communicatis consilijs, ea postulata nihil habere iudicabāt iniqui: sed tamen ut Cæsari & suus constaret honos, & eo facilius persuaderi posset, nonnulla, quæ publici status emendationem attingunt, ad communem imperij conuentum posse referri censent. Erebergo capto, direptoq; pōst Oeniponte, diximus quemadmodum socij principes, itinere conuerso, per alpes, ad exitum Maij redierint Fiessam. Inde profecti, xiij. cal. Iul. cum copijs omnibus ad Eiste- A tum castra ponunt, quod est Bauarię finitimū oppidum episcopale, magnoq; desiderio neq; sine solicitudine Mauricium expectant. Qui cùm tandem eò uenisset, quo loco res uersaretur, ostēdit, & ultima Iunij die per dispositos equos illinc Passauium reuolat, ut ad constitutum diem adesset. Socij uerò principes motis postridie castris, quarto pōst die Roteburgum, quod est ad Duberum flumen, Franconiæ uicinum oppidum, perueniunt. Albertus autem Marchio suum institutū nihilo secius urgebat, & ad pacem adacta Norimberga, nobilitatem etiā & ordines ijs locis imperata facere cogebat. Nam etsi communem causam agebat initiò, sicut edito scripto facturum se professus fuerat, tamen nō erat eius fœderis, & soluta Vlmæ obsidione, cœpit quodammodo suum priuatū agere negociū, uel quòd uni sibi uellet acquirere quicquid belli dedisset fortuna, uel quòd Mauricij factum improbaret, uél q; à Galliæ rege solicitatus, aliò spectaret. Deinde in Archiepiscopi Moguntini fines progressus ad Mœnum flumē plurimum damni dat, & ingentem pecuniæ uim ab eo postulat. Cumque de summa nō conueniret, Moguntinus, in Rhenum antea demersis maioribus tormentis, iij. non. Iulij, discedēs, fuga salutem petit. Passauium ubi uenit Mauricius ad diem dictam, Ferdinandus rex qui ad Cæsarem erat profectus, Passauium reuersus, quę Cæsaris esset in singulis rebus uoluntas, intercessoribus ostēdit. Itaque pridie calendas Augusti, præter multorum expectationem, de summa rei transactum est. In reliquis, ad persuadendum comparatis argumētis, hoc etiā erat, cogitare secum debere Mauricium, nisi conditiones admittat, quantum ei periculum incumbat & à Cęsare, qui firmissimum iam habeat exercitum, & ab eius patruele Ioanne Friderico, quem libertati restitutum, Cæsar propediem sit remissurus domum: Lantgrauij uerò filium in quantum discrimen sit & parentem captiuum, & omnē prouinciam adducturus. Iulio mense, Galliæ rex, captis aliquot Lucemburgicæ ditionis oppidis, ut suprà demonstrauimus, exercitū in Atrebates adduxit: sed nulla re memorabili perfecta, quò militē ex labore & contagione reficeret, ijs locis, quæ cēpisset, præsidio munitis & opere copias dimisit. Albertus qui Francofurtum socijs aduentantibus, in uia sese coniunxerat, relictis illis ad obsidionē, Rhenum petit, & Vormaciam atque Spiram in suam redigit potestatem, pecuniam simul & tormenta imperat. Quocunq; ueniret, sacrifici uel iam antè profugerant, uel mutata uestę, professionem & ordinem suum dissimulabant. Et cùm per Franconiam aduētaret exercitus, episcopi uicini ac reliqui eius ordinis præfecti, fuga sibi consulebant. In hoc autē ipso temporis puncto certior factus Albertus, ad pacēm spectare Mauricium, relicto Spiræ præsidio, Francofurtum redijt cum copijs, & obsidionem, à qua Mauricius, facta iam pace discesserat, urget, positis castris ad diuersam oppidi partem, cis Mœnū flumē, loco paululū editiore, unde tormentis commodissimè res agi posse uidebatur. Pacificationem autem hanc indignissimè tulit, deque Mauricio loquebatur admodum odiosē, neque uoluit comprehendi. Molestè quidem & rex transactionem tulit: sed quum Lantgrauio magnum esse periculum audiret, nisi pactio fieret, assensit, & obsides in Germaniam saluos remisit. In hoc tempore, Senenses, Galliæ regis impulsu & auxilio, præsidium Hispanorum eijciunt, & arcem ibi cœptā ędificari diruūt, & in libertatē sese uindicant. Albertus interea maximam pecuniæ uim ecclesiasticis imperat, Mogūtinis præsertim atq; Spirensibus. Quum ea dari nō posset, plerisq; fuga dilapsis, utriusq; urbis templa dispoliat, tectum quoq; plumbeum templi primarij Spirensis demoliri cœpit, deprecante uerò sena-

tu,destitit.Idibus Augusti,Colonien sis archiepisco A
pus Hermannus,iam ætate grauis, in patria uitam
clausit,& qualē expetiuit finem,habuit.Nam cū ab
amicis aliquando admoneretur, quantum inuidiæ
sibi conflaret ex religionis mutatione, respondere
solebat,nihil esse,quod inopinanti posset accidere.
Lantgrauius è custodia dimissus, uti cōuenerat, &
domum proficiscens,ubi Traiectū uenit, Mosæ ui-
cinum oppidum,Mariæ reginæ mandato denuò si
stitur, & Hispanis datur in custodiā, ijs, qui totum
iam quinquennium ipsius fuerant custodes. Eius
autem rei causa fuit,quòd Rifebergius,qui Lantgra
uij filio militauerat,cum suis copijs omnibus ad Al
bertum transisset. Qua quidem re pacem esse uiola
tam regina dicebat.Sed paulo pòst dimissus,quar-
to idus Sept.ad suos postliminio reuersus est. Quū
ad Treuiros Albertus aduēt aret,Georgius Holius,
è Cæsarianis ducibus unus, militum signa decem
adduxerat,urbis defendendæ causa. Verùm ab op
pidanis exclusus,qui præsidium recusarent,Lucem
burgum copias reducit : Albertus autem in urbem
receptus, militem per urbem & loca uicina distri-
buit.Cæsar dies aliquot Augustæ cōmoratus,eum,
quem principes confœderati nuper constituerant,
senatum, & unà tribus omneis abrogat, & prioré
reipublicæ formam, & senatum ab se constitutum
restituit, & è ministris ecclesiæ tres remouet: alijs
autem, ut iuxta confessionis Augustanæ formulā
doceant & agant,permittit.Quo die Cæsar Augu-
sta discessit,humanissimis uerbis,& prolixè de sua
beneuolentia pollicitus,Ioannem Fridericū Saxo-
niæ ducem ab se dimittit, qui & postridie domum
uersus proficiscitur.Cæsar uerò Argentoratum uer
sus profectus,quum xvij.cal. Octobris quēdam in
uicum milliare unum ab urbe ueniisset, copijs om-
nibus per agros huc illuc circū fusis, in diem quin-
tum ibi permansit:& prima luce iusso progredi ex- B
ercitu,ipse non magno cum comitatu, sub meridiē
uenit in urbem,nunquam antè uisam,à qua aman-
ter & honorificè exceptus fuit.Galli interim,ducto
re Guisano, Metim & Nanceiū in primis muniūt:
frumentum etiam omne atq; pabulum ex agris eò
conuehunt. Decimosexto cal.Nou. Caspar Hedio,
præcipuus tūc Argentinēsis ecclesiæ minister, mor
tem obit.Eodem quoq; die, Conigspergij, hoc est,
Regiomōte,quod est Prussiæ oppidum maritimū,
è uita decedit Andreas Osiander. Cæsar Haganoa
Landauium petit, & ibi supra dies sexdecim com-
moratus,pulcherrimo cœlo,nō sine multorum ad-
miratione, tandem iter ingreditur Metense, & xj.
cal. Nouembris urbem obsidet. Plerique ciues ac
senatores,permissu Gallorum,discedunt:alij in Lo
tharingiam, alij uerò Argentoratū. Erat tum in Lo
tharingiæ finibus, ad oppidum Pontamossum, Al-
bertus Brandeburgicus, cum quinquaginta signis
peditum,& equitatu non paruo. Quumque de sti-
pendijs tam præteriti quàm futuri temporis inter
ipsum Galliæq; regem non conueniret,interuentu
quorundā reconciliatur.Cæsari, qui & culpam om
nem ei condonauit, & actionē in eum institui belli
causa uetuit, & transactionem cum episcopo Bam
bergensi factam atque Virciburgensi,confirmauit.
Eo cognito, Guisani principis frater Aumalius,
qui magno cum equitatu missus erat in Lotharin-
giam à rege,ne quid Albertus, de quo dubitabant,
damni daret, statuit eum adoriri. Pedites pugnam
detrectabant ob nō soluta stipendia. Salus ergo to
ta pendebat ab equitatu, quos amicè compellans
Albertus, & ad uirtutem cohortatus, impetum in
eos facit.Fauit hominis consilio fortuna: perrum-
pens enim per mediam aciem, dissecit & in fugam
præcipites egit:tamersi numero longè superarent,
plurimis & quidē ex nobilitate interfectis. Auma-
lius ipse tribus acceptis uulneribus, capitur. Hoc

ipso tempore Cæsaris exercitus Belgicus popula-
tur Galliam,& arcem ijs locis munitissimam Hes-
dinum capit,quam pòst Galliæ rex deinde recupe-
rauit, & missis in Germaniam literis acerbè Cæsa-
rem perstringit, & ut secum amicitiam colant,acce
pti beneficij memores,acrestitutæ sua opera liber-
tatis,hortatur. Faciebat tunc bellū Hērico Brunsui
censi Volratus Mansfeldius, Alberti filius,eumque
totis propè finibus eiecerat. Henricus ergo Metim
in castra uenit ad Cæsarem, deque sua fortuna con
questus,opem implorabat:sed id fuit alieno tēpo-
re.Galli Meti circumsessi à Cæsare, crebras faciunt
eruptiones, præsertim in Alberti castra. Erat autē
hyems asperrima & niuosa:& quanquam ingētem
habebat exercitum Cæsar, ab oppugnatione tamē
abstinuit,& cuniculis demū rem tentabat:sed frus-
tra, quum & anni tempus impediret, & hostis per
indicium id accepisset. Hyemis intemperie Cæsar
coactus,re desperata,sub exitum Decembris obsi-
dionem soluit. Ex contagione autem atq; frigore
propè tertia pars exercitus miserè perijt. igitur ob-
sidione liberati initio anni M. D. LIII. Galli sup
plicationes faciūt ad templa Diuorum,ob rem be-
ne gestam. Postridie conquiruntur libri Lutherani
per ciuium domos,& à carnifice palàm exuruntur.
Ad exitum Februarij mēsis, Galliæ rex,cui iam cre-
uerat animus ob defensam Metim, scriptum euul-
gat typis excusum, ad imperij ordines omneis,acu
sеatum in primis,& infestum Cæsari. Nam & in o-
dium conabatur illum & contemptū etiam addu-
cere.Eodem tempore & in Taurinis,& in Hetruria
bellum per acre gerebatur. Conabatur enim Cæsar
Senas,quę eiectis Hispanis,Gallorum opera sese in
libertatem asseruerāt, recuperare. Quamobrem ad
Florentini principis copias,quibus Medices Mari-
gnanus præerat,Petrum Toletanum Florentini so
cerum, qui prorege Neapolitanum regnum admi-
nistrabat, copias Neapolitanas, & in his cataphra-
ctorum aliquot alas,in Hetruriam adducere iusse-
rat, ut unà cum Florentini copijs arctius Senas ob
siderent, & tandem, uel dolo, uel ui, uel fame, ad
deditionem compellerent.Sed Toletanus,nō mul
to pòst,excedens è uita, alijs hæc peragenda reli-
quit. Ioannis Friderici atque Mauricij principis le-
gati conueniunt, ut ipsos concilient. Nam ille suis
in literis atq; moneta,quam cuderet,Electoris no-
men & gladios binos transuersos, quod est septē-
uirale Saxonis insigne, sibi usurpabat, & Gotham
arcem,permittente Cæsare,rursus muniebat.Id au
tem grauiter tulit Mauricius,& ad suos ordines de
eo querimoniam habuit.Horum erat omnium sen
tentia,rationes ineundas esse pacis. Itaq; missi fue
runt legati,sicut diximus,uerùm frustra. Quum re
iectis pacis conditionibus Hedelberga profectus
Albertus cogeret exercitum,Bambergicus & Vir-
ciburgensis alteras obtinent ab imperij iudicibus
vj.Non. Maij literas. Iis & Mogūtino & Palatino,
& Mauricio,& Prussiæ magistro,& Ioanni Frideri
co & Virtembergico & Lantgrauio & Norimber-
gicis atq; uicinis omnibus mandatur,ut opem illis
ferant. Mauricius, qui alioqui suspectum,haberet
Albertum, & hoc bello se quoq; crederet obliquè
peti,muniendi sui causa, fœdus cum Brunsuicensi
facit,& episcopis atq; Norimbergicis opē promit-
tit.Interim Albertus,cōductis copijs progreditur,
& per episcoporum atq; Norimbergensiū fines om
nia uastat incendijs atq; direptionibus, & Bamber
gam, oppidum regionis primarium capit,& nobi-
litati Franconicæ bellum indicit, nisi morē ipsi ge-
rant, & Schuinfurtum imperij oppidum occupat,
præsidioq; munit.His ipsis ferè diebus, Lauginge,
iussu Cæsaris, conueniunt Bauarus & Virtember-
gicus unà cum alijs,ut Oetingenses Comites, paro
tem atq; filios pacarent. Nam inde à bello Smalcal

dico,

dico, Ludouicus pater, & filius eiusdē nominis,ad A
obsidionem usque Metensem,incertis uagabantur
sedibus,quòd contra Cæsarem militassent. Posses-
siones autem omneis tenebant permissu Cæsaris,
Fridericus atq; Volfgangus filij, religione à patre
dissidentes. Quum ad actionem uentum esset,licet
diligenter elaborarent principes, nihil tamen po-
tuit constitui. Vt his turbis atq; motibus Germa-
niæ remedium aliquod adhiberetur, imperij con-
uentum Cæsar Maio mense indicit ad idus Augu-
sti:& quum inde ab exitu mensis Aprilis,Terouen
nam obsedisset,Morinorum oppidum, Gallicæ di-
tionis,xij.cal.Iul.oppugnatione capit,& direptam
incendit, ac diruit. Captus ibi fuit Momorantij fi-
lius. Angli,missa legatione splēdida,pacem aliquot
iam mensibus solicitabāt : idem faciebat pontifex,
uerùm id frustra fuit. Belligerante autem per Fran
coniam Alberto,Mauricius atq; socij exercitum eò
mittūt. Albertus igitur, relicto Schuinfurti & alijs
in locis præsidio,quum passim extorsisset pecuniā,
multis è Norimbergica ditione simul & Bamberga
secum abductis captiuis obsidibus, in Saxoniā ma
gna celeritate contendit. Copiæ Henrici Brunsui-
censis,quæ in Franconiam profectæ fuerant ducto
re Philippo filio,quum Schuinfurtum frustra ten-
tassent, ac domi periculum esse uiderēt, Saxoniam
repetunt.Idem faciunt Mauriciani,quibus præerat
Hedeccus,& prope Nortusium Mauricio sese con-
iungunt. Tandem omnibus coniunctis copijs, in
agro Hildessemēsi castra ponit, Mauricius ad Oste
rodum,& calendis Iulij,non ipse modò,sed & Bo-
hemię Cancellarius,Henricus Plauius, Ferdinandi
regis nomine bellum Alberto denunciant, ac mit-
tunt literas. Perlectis literis, ipse rem cum suis cō-
municat, & an secum uelint periclitari fortunam,
rogat.Confirmantibus illis,adolescētem nobilem,
qui literas attulerat,accersit,& ad eum sermone cō B
uerso,Princeps,ait, tuus, iam antè fidē ter uiolauit,
& sceleratè egit, & hoc quartum est facinus eiusdē
generis. Veniat: experiar quid possit: hoc illi meo
nomine renūcia. Sic locutus, aureos aliquot ei do-
no dat,uti fieri consueuit, & dimittit. Norimbergē
ses interim & episcopi,per absentiam Alberti,in di
tionem eius inuaserant. Ille,in uulgatis literis,acer
bè criminatus erat Norimbergicos,quasi fidem at-
que pacta uiolassent, & inito fœdere cum perfidio
sis episcopis,pontificiam doctrinam rursus ample-
cterentur.Ad hæc illi pòst, edito libro respondent,
& ordine rem omnem, inde ab anno superiori cō-
memorant.Eduardus sextus,Angliæ rex,in dubita
tæ & summæ spei princeps prid.Non.Iulij, ut qui-
dem in uulgus editum fuit, è uita decedit, morbo
tabifico seu potius,ut pleriq; existimarunt,ueneno
dato,circiter annorum sexdecim adolescens, maxi
mo certè bonorū omnium dolore. Nam eius interi
tum est maxima secuta rerum Angliæ cōmutatio,
sicut infrà dicetur.Certè,tātę regem expectationis,
Europa seculis aliquot nullum habuit. Inde à tene
ris annis optimè formatus & institutus ad pietatē
atq; literas,nō Latinā modò, sed Græcam & Galli
cam quoq; linguam nouerat,& puriorem doctrinā
uehemēter amabat, & doctis omnibus hospitium
dabat atq; patrociniū,Germanis,Italis, Gallis, Sco
tis, Hispanis,Polonis. Quum Albertus, ut ad eum
reuertamur,Visurgim flumē transisset, nona die Iu
lij pòst meridiem summis copijs prælium commit
titur. A multa dimicatione,penes Mauricium, qui
uinceret equitatu, fuit eius diei uictoria, sed ipse
sclopeto traiectus ilia,biduo pòst uitam finiuit: Al-
bertus Hanobriā peruenit incolumis. Desiderata
sunt ad quatuor circiter millia, pleriq; omnes equi
tes:captiuorū ingēs fuit numerus.Henricus Brūsui
censis eo in cōflictu duos amisit filios, Carolum &
Philippum. Galliæ rex,noua tunc agitasse concilia

cum Mauricio,deq; illius interitu non parum indo A
luisse fertur.Mauricius ergo uitam quidē ipse pro-
fudit, sed Alberti tamen uires atq; robur admodū
fregit. Nam ab eo prælio uix unquā ille potuit uel
mediocres recolligere copias. Inter Mauricium &
Albertū, cùm essent æquales, maxima semper fuē-
rat necessitudo, sic ut nihil esset illis coniunctius.
Tribus enim bellis ambo simul Cæsari militarunt,
Gallico,Smalcaldico,Magdeburgico: deinde,quar
tum atq; postremum hoc in Cęsarem susceperunt.
Sed natis offensionibus, uti dictum est, hunc tam
funestum habuit exitum ipsorum amicitia.Cęsaris
exercitus,Terouenna diruta, progressus è Morinis
in Atrebates, arcem Hesdinum Iulio mēse ui capit.
Interfectus ibi fuit Oratius Farnesius,Galliæ regis
gener:ex nobilitate multi capti fuerūt,& inter hos
primi nominis,Gallię Marescallus Marchianus,Ar
duennæ syluæ incola. Sub initium Augusti mēsis,
domū è Dania reuersus Augustus Mauricij frater,
aliquot pòst diebus re deliberata cum suis, in fidē
suam adigit omnem populū, & in his, Virtember-
genses, ut sibi suisq; liberis masculis addicti sint:&
si nulli superfint, in Ioannis Friderici & liberorum
eius, ditionem redeāt, si quidem ille Cęsari pareat,
& superiorum annorum pacta seruet:sin minus,ut
tum Lantgrauio sint fideles. A morte Mauricij, Ioā
nes Fridericus ex filijs alterum, Ioānem Gulielmū
miserat ad Cæsarem in Belgas,ut sua recuperaret.
Eodem ferè tempore mittebant etiam eò legatos,
per absentiā Augusti, nobilitas & reliqui ordines,
ut ipsorum principem Cæsar haberet commenda-
tum. Ad Ferdinandum etiam & Daniæ regem Ioā
nes Fridericus eisdem propè de causis miserat lega
tos. Sed Cæsar à sua priore sententia dimoueri nō
potuit.Extincto Angliæ rege,quod fuit prid.Non.
Iulij,sicut antè dictum est, quarto pòst die, Ioanna
Suffolcia regis Henrici proneptis è sorore, pronun
ciatur regina,simulq; de scripto recitatur,quemad-
modum Eduardus de consensu procerum grauissi
mis de causis Mariam & Elisabetham sorores exhę
redarit,& regni successionem ad Ioānam transmi-
serit.Tulit hoc indignissimè populus,& omnis no
bilitas,non tam studio Mariæ, quàm odio Northū
brij ducis, quum nemo ferè dubitaret, quin huius
esset author ipse consilij,nimirum ut hac uia regnū
tanquam in suam domum deriuaret. Dum hæc ge
runtur, Maria cōfugit in Norfolciam ad castellum
Framingam,& opem implorans, pro regina sese ge
rit.Eo cognito,Northumbrius cogit copias,& Lō-
dino profectus, de reliquorum assensu illam petit,
ut cōprehendat. Sed interim qui erant in urbe con
siliarij, quum offensionē ordinum non ignorarent,
& per Norfolciam magnæ manus ad Mariam con
fluerēt, mutata uoluntate, Mariam eligunt reginā,
& Ioānam custodię tradunt. Quod ubi peruenit in
castra,pleriq; omnes,quoniam inuiti militabāt, &
illum alioquin oderāt, deficiūt, & allatis Londino
literis atq; mandatis, Cantabrigię captum Northū
brium viij.cal.Aug.in urbem adducunt.Incredibi-
le est quibus cōuicijs atq; probris eum populus ac
ceperit, dum alij proditorem, alij parricidam & re
gis innocentissimi carnificem uocant. Postea Lon
dinum regina Maria uenit,& arcem ingressa,quam
Turrim ipsi uocant, Norfolciæ ducem iam propè
septem annis captiuū, & Vintonien sem, & Dunel
mensem Tonstallum, & quosdam alios pontificiæ
religionis,ab episcopali functione remotos, è car-
cere liberat, & loco restituit. Vndecimo uerò cal.
Sept.Northumbrius læsæ maiestatis damnatus, ca
pite mulctatur. Alius quidam eodem tempore se-
curi percussus, uir equestris ordinis, Thomas Pal-
merus,Euangelij doctrinā maxima constantia pro
fitebatur. Cantuarien sis non multo pòst in carcerē
ducitur, & Archiepiscopus alter Eboracensis:item

Londinensis Ridlæus, Vigornienſis, & alij quidam A epiſcopi, propter religionem, & cõciones in Mariã habitas iuſſu conſiliariorum, priuſquam regnum obtinuiſſet. Capitur etiam Hugo Latimerus, quem rex Eduardus à patre captum propter doctrinam è uinculis exemerat. Petrus Martyr Vermilius Florẽtinus interim, etſi periculum ſuum intelligebat, tamen quòd in leges regni nihil commiſerat, innocentia ſua fretus, non ſibi diſcedendum putauit, niſi impetrata dimiſsione. Cùm igitur id obtinuiſſet, literis publicis acceptis, manu reginæ ſubſcriptis, Argentoratum, unde profectus in Angliam fuerat, & paulo antè eum Bernardinus Ocellus Senenſis, incolumes peruenerunt. Ioannes Laſcus, Polonus genere nobilis, Hieronymi frater, uir inſigniter doctus, ante hyemem profectus erat illinc cum nonnullis, qui cum diu incertis ſedibus oberraſſet, per Daniam atq; Saxoniam, Emdam oppidum Friſiæ tandem peruenit, ibiq; conſedit. Ad calendas Octobris Maria deinde regno inauguratur. Poſt præliũ illud quo Mauricius fuit ſublatus, Henricus Brũſuicenſis & Albertus, pro ſe quiſq; ſeſe colligũt, & copias reſtaurant. Albertus Brunſuico ſuas educit copias: & quum in hoſtem incidiſſet, quod fuit non procul ab urbe, manus cõſerit: ſed numero uictus, præſertim cùm ipſe nullum, Henricus autem ad uiginti ſigna peditum haberet, in fugam cõijcitur ac profligatur, tametſi cruentam hoſti uictoriam reliquit. Turcicę claſsi ſe coniunxerant Galli duces aliquot, Maſsilia profecti: & his ferè diebus Corſicã inſulam, quæ Genuatum eſt ditionis, capiunt, oppidis aliquot exceptis. Per hanc æſtatem peſtilentiæ uis magnam edidit ſtragem Lutetiæ, atq; interim propter Lutheraniſmum multi fuerunt exuſti. Eodem ferè tẽpore, quos captiuos tenebat Albertus non exigua pecunia numerata, in Galliam rediere. Ad hoc tempus Galli clàm profecti, Vercellas Tau B rinorum oppidum, quod Hiſpani tenebant, ex improuiſo per inſidias capiũt: ſed quòd in ea propinquitate agri Mediolanenſis ægrè illud poſſe defendi crederent, aduentaret etiam cum copijs Gonzaga Cæſaris legatus, direptione facta, domũ opportunè, onuſti prẽda rediere. Non multo pòſt nuncia tum fuit atq; perſcriptum de Turcarum imperatore Solymano, qui filium ſuum natu maximum, Muſtapham, propter ſuſpicionem proditionis & uiolatæ fidei, ſtrangulaſſet ipſe. Ferunt ſecundę uxoris impulſu, quæ filium ſuum augeri cuperet atq; parẽti ſuccedere, factam eſſe cædem. De archiepiſcopo Angliæ Cantuarenſi dictum eſt antea. Is & Ioanna regina, cum tribus filijs Northumbrij ducis producti in publicum Nouembri menſe, damnati ſunt capitis, ob intentatum læſæ maieſtatis crimen: ſed regionis conſuetudine reducti ſunt in carcerem, & deprecantibus nonnullis aſſeruati. Per Angliã agebantur hoc tempore conuentus omnium ordinũ: & quoniã Eduardo rege facta fuerant decreta, quibus pontificis Romani leges, quod ad religionem attinet, abolebantur, cautum hoc in cõuentu fuit, ne quid ea decreta ualerent: ſed ut eam ſequerentur omnes religionẽ, quæ fuiſſet Henrico rege moriente relicta: deinde, ne ſacrificis & eccleſiæ miniſtris, qui deinceps conſtituentur, ulla fiat moleſtia: diuortiũ quoq; Catharinæ, quæ Mariæ mater fuerat, illicitum fuiſſe pronunciatur. Interea Cæſar, ut tandem conficeret, quod iamdudum occultè molebatur, reginæ Angliæ cũ Philippo filio cõnubium, legationem ampliſsimam in Angliam miſit, cuius erat Ægmondanus, princeps. Venerunt hi Londinum initio Ianuarij, qui fuit annus à Chriſti Seruatoris natali, M. D. LIIII. remq; ex ſententia confecerũt. Tulit eam rem indigniſsimè populus: atq; ex nobilitate complures. quamobrẽ communicatis inter ſe conſilijs, ſeceſsionem nõnulli duce Thoma Viato, fecerunt. Is per Cantium excitata ſeditione, graues habebat conciones & acerbas, tum in reginam ipſam, tum in eius conſiliarios, qui externis nuptijs miſerrimã, eamq; perpetuam in nobiliſsimum Britanniæ regnum ſeruitutem induce rent: & damnatam atq; exploſam põtificum Rom. ſuperſtitionem, poſtliminio reuocarent. His rebus cognitis, regina Londinum uenit: & in Viatum habita oratione admodum criminoſa ac peracerba, quid eius ſit conſilij oſtendit: multa inſuper de ſua in patriam charitate commemorans, de coniugio à ſe nihil niſi de procerum conſilio conſtitutum eſſe, conteſtatur. Hac oratione cum multorum animos placaſſet, urbis defenſione certis hominibus commendata, Penbrucco comiti uiro ſtrenuo, foris rẽ adminiſtrandam committit. Iam Viatus & Suffolcius erant uoce præconis perduelles proclamati: nec procul ab urbe aberant coniurati. nã poſtridie, quo illa in urbe agebantur, ſuburbium illi occuparant, fore putantes, ut cives ſeſe eis adiũ gerẽt: uerùm quo minus id fieret, cùm Thameſi flumine, cuius pontem reſcindi iuſſerat regina, tum uerò multo magis reginæ præſidio prohibebantur. Interea, Suffolcius in diuerſa regni parte, ab Hũtingtonio, quem eò regina cum equitatu præmiſerat, captus eſt. Biduo pòſt, cõiurati, quum eam partem fruſtra tentaſſent, conuerſo itinere ſupra Londinum aliquot miliaribus, Thamaſim traijciunt, & urbem rectà petunt. Ibi tandẽ Viatus, ab ijs copijs quas duce Penbrucco regina emiſerat, interceptus, cum aliquot alijs in carcerem abducitur. Pridie uerò idus Febr. Northumbrij filius Guilfordus Dudleus, unà cum ipſius uxore Ioanna Suffolcia, quam Eduardo regi ſubſtitutam fuiſſe diximus, capite mulctãtur, quòd contra legitimam ſucceſsionem ad regnum aſpiraſſent. Ioannæ ſortem plerique omnes miſerabantur, quòd innocẽtiſsima puella, liberaliter educata, literisq; & linguis, & ſingulari exculta pietate, tantam in calamitatem incidiſſet, non ſanè alia de cauſa, quã quòd regnum oblatum non conſtanter repudiarat. Antequam ſecuri percuteretur, quum eſſet in publico conſtituta, concionẽ habuit ad populũ plenam modeſtiæ, pietatis & fidei. Mox puellis pediſſequis linteolo ſibi oculos uelandos præbuit: & Chriſto Ieſu ſeſe commendans, carnifici cer uicem feriendam præbuit. Iisdem diebus Londini & Veſtmõſteri, ubi regina tum erat, plurimi ad ſũplicium, & quidem ex nobilitate, rapiuntur. Alij uerò & in his primi nominis Stafordus cũ uxore uxoris ſorore, & Eliſabeta Sandeſia lectiſsimis puellis, Suffolcia Suffolciæ ducis uxor: præterea Petrus Carrus, Ricardus Moriſinus, Ponetus Vintoniẽſis epiſcopus, Vrotus, Ioannes Chekus, & Antonius Cookus, quibus duobus uiris ſumma eruditione & pietate præditis, rex puer literis & moribus informãdus erat traditus: atq; alij innumerabiles, pars in Galliam, pars in Germaniam dilapſi, euaſerunt. Dux uerò ipſe Suffolcius, quem captum fuiſſe memoraui mus, capitis pœnam luit, nono cal. Martij. Eodem die Sibylla Cliuẽſis Ioannis Friderici Saxoniæ ducis cõiunx, uoti ſui compos mortẽ cum uita commutauit. Nam ſæpenumerò dixerat, dum maritus eius à Cæſare captiuus teneretur, ſe æquiſsimo animo ex hac uita abituram, ſi modò uirum ſuum liberum & incolumem domi prius uidere liceret. Quo die illa obijt, natus eſt Auguſto Mauricij fratri filius Alexander appellatus. Vxore non multo pòſt ſecutus eſt Ioannes Fridericus, nimirũ v. Non. Martij. Nam quũ de cõtrouerſia quæ illi cum Mauricio primùm, deinde cum Auguſto fuerat, tranſegiſſet, & pacta decumbens confirmaſſet, filijsq; ſeruanda mandaſſet, extremum diem placidiſsimè clauſit, & liberis, populoq; ſuo, pacem atq; otiũ reliquit. Vt autem in Britanniã reuertamur, unica erat reginæ ſoror

ſoror Eliſabetha, quã Henrichus ex Anna Bolenia A ſecunda uxore, ut alibi dictum eſt, ſuſceperat: puellã literis, religione, pudicitia & forma excellens. Hanc tum quòd conſcia eius ſeditionis putaretur, tum quòd de religione nollet ſorori acquieſcere, cuſtodiæ tradita eſt. Verùm ea de ſuſpicione Viatus, qui pòſt Idibus Aprilis capitis ſupplicio affectus eſt, in quæſtione illã atq; Cortenæum regij ſanguinis iuuenem lectiſsimum, quem regina ob eãdem ſuſpicionem cõprehẽdi iuſſerat, prorſus liberauit. Eodem tempore Cantuarienſis & Londinẽſis epiſcopus, & Hugo Latimerus, primùm Vindeſoram, pòſt Oxonium abducti, atq; ab his Cantabrigiẽſisque academiæ theologis diu uexati, cum in ſententia permanerent, in cuſtodiam reducti fuerunt. Per hoſce dies cum Cæſaris, Coſmi principis, & pontificis copiæ Senas obſidere pergerent, Petrus Strozza, qui ab Henrico Galliæ rege ad urbem illam tuẽdam miſſus erat, ex inſidijs hoſtes adortus, magnũ eorum numerum concidit. Illi tamẽ redintegratis uiribus obſidionem continuarunt. Itaq; rex Henricus Rhetorum tria circiter milia euocari ex Rhetis alpibus iuſsit, qui obſeſsis opem ferret. Interea temporis Carolus Sabaudus, magna ſui regni parte ſpoliatus, annis curisq; confectus fato conceſsit, unico ex tot liberis relicto filio Emmanuele Philiberto, excelſi animi iuuenẽ, qui in Cęſaris caſtris, ut pote ex coniugis ſorore nepos, à puero fuit educatus. Eodẽ anno iiij. Non. Iun. obijt M. Antonius Triuiſanus Venetorũ princeps, quem patres ſuperiore anno prid. Non. Iun. ad principatum extulerant, eodem huius anni die funere elatum uiderunt. In eius locum à patribus ſuffectus eſt Franciſcus Venerius, uir ſumma cum laude in maximis reipub. muneribus uerſatus. Non quieſcebat interea Gallus: nec Cæſar pacati quicquã cogitabat. Nam iam antè ex Italia lectiſsimos quoſq; centuriones in Belgas euocarat. Verùm Gallus anteuertens, ad exitũ Iunij, cum lectiſsimis copijs Sueſsionum, quę Campania dicitur, fines egreſſus, ad Moſam flumen ordines agens, in prouinciam extremis Neruiorum finibus coniunctam, inuaſit. Ibi Bouinum oppidum atq; Dinantum aliaq; nonnulla cepit, & Mariæburgum captum, opere præſidioq; muniuit. Cæſar autem nihil ſibi iam cunctandum ratus, Bruxella digreſſus, copias ad Sabim flumen, ubi Namurium eſt, infra Dinantum quinq; milliaribus, educit. Rex ui debatur ad prælium ſpectare: cumq; duceretur tẽpus, nec hoſtis ſeſe daret, in Hannoniam deflectẽs, Binſium oppidum arcemq;, reginæ Marię deliciis, deditione capit, diripit, incẽdit, & longè lateq; omnem illam regionem deuaſtat. In Atrebatum deinde finibus Rentinum obſidet: aduentante autẽ Cęſare, cuius iam copiæ omnes conuenerant, ab obſidione diſcedit, factis utrinque leuioribus prælijs. Hæc in Belgis Auguſto menſe gerebantur, quum eodẽ ferè tempore regis exercitus in Hetruria, cui præerat Strozza à Cæſariano Florentino, q; milite duce Marignano ad pugnam prouocatus, ſolis prope pugnantibus Rhetis, quum ſeſe in fugam equitatus turpiter effudiſſet, magna clade profligatus eſt: quę pugna & Coſmo, qui iam planè perierat, de ſuis rebus aliquanto melius ſperandi occaſionẽ attulit, & res Senenſium prorſus deiecit ac perdidit. Paulo antè, nimirũ xiiij. cal. Auguſti, Philippus Cęſaris filius ex Hiſpania claſſe in Angliam appulit, & quarto pòſt die, Vintoniam, ubi regina eum expectabat, uenit. Poſtridie reginam adijt, cum qua familiariter diu locutus, altera die quæ D. Iacobo Hiſpaniæ patrono ſacra eſt, peractæ ſunt regio apparatu nuptiæ, Vintonienſi uerba faciente. Aderat Albanus, & alter Cæſaris legatus, qui inter ſolennia nuptiarum palàm diceret, à Cęſare regnum Neapolitanum regi filio nuptiarum cauſa tradidiſſe. Pòſt illinc digreſsi, deducente regina tandem magnifi- B centiſsimo ſplendore & comitatu, Londinum urbem primariã, & regũ ſedem ingreſſus eſt. Nõ multo pòſt, ſub finem ſcilicet Octobris, eidem Inſubriæ principatum opulentiſsimũ hæreditario iure poſſidendum Cęſar conceſsit. Rentini obſidionẽ ſicut antè diximus, ſoluerat Gallus, Heluetiasq; cohortes dimiſerat: reliquum uerò militem in præſidia diſtribuerat. At Cæſar nõ procul ab Heldino, quòd anno ſuperiore captum oſtendimus, idoneum ſpeculatus locũ, nouã ibi munitionẽ atq; oppidum inſtituit: & quo perfici poſſet, exercitũ aluit, qui rapinis & incendijs Morinorũ & Ambianorũ fines miſerè uaſtauit. quo facto & ipſe dimiſit copias, una atq; altera legione retẽta. Eodem tempore Gallus nouas ſubmiſit in Hetruriã copias, & in his Germanorum aliquot cohortes, ut Senẽſium res iam propemodũ deſperatas, recrearet. nam & foris acriter obſidebantur, & intus fame inopiaq; omniũ rerũ premebantur, adeò ut breui deditionẽ, niſi ſuccurreretur, facturi uiderentur. Interea ex Anglia in Brabãtiam ad Reginaldũ Polũ cardinalẽ legati, quorũ princeps Pagetus erat, uenerũt, ut eum domũ reducerent: qui ubi in patriam perueniſſet, nono cal. Decẽbris, magnis honoribus quacunq; iter feciſſet, exceptus: & mox loco priſtino ſuę; ſtirpi & familię, & hæreditati fuit de communi ordinum conſenſu (erant enim regni comitia) reſtitutus, unde rex Hericus eum deiecerat. Quinto pòſt die uenit in cõcilium, ſeq; cum ampla poteſtate à põtifice legatum eſſe ad inſtaurandã religionẽ, oſtenſo diplomate fidem fecit. Itaq; illius opera effectũ fuit, ut abolitis omnibus duorũ regũ, Henrici & Eduardi decretis, in integrũ pontificatus Romani autoritas per totã Angliã reſtitueret: cum tamẽ ipſe in Italia Lutheranus haberetur, & ab ijs qui eũ intimè nouerãt, magna ex parte eſſe affirmaretur. Cùm igitur menſe Ianuario anni M. D. LV. dimiſſus eſſet procerũ cõuentus, initio Februarij Londini quinq; clari uiri, quòd ad pontificiã religionẽ redire nollent, capitis ſunt cõdemnati: Ioãnes Hopperus epiſcopus Cloceſtrenſis, Ioãnes Bratfordus, Laurẽtius Sanderus, Rolandus Taillerus Iuriſconſultus, & Ioan. Rogerus: nec multò pòſt, Dauidẽſis epiſcopus. Dum hęc in Belgis atq; Britannia geruntur, in Taurinis non quieſcit Briſſacus, qui pro rege Galliæ prouinciam adminiſtrabat. Nam quemadmodũ Eporediã menſe Decẽb. ſuperioris anni, tormẽtis aliquandiu pulſatũ deditione ceperat, ſic & Caſale Mõtis ferrati capũt, magni momẽti urbẽ, noctu cõſcenſis ſcalis feliçi dolo, & paulo pòſt etiam arcem ui quaſſatam, & Moncalŭum inter Aſtam & Caſale medium, oppidum firmiſsimũ, huius anni Martio menſe occupauit. Sed Hiſpani ſequenti anno ſumma ui oppugnatũ Sueſſano regulo autore, quẽ rex Philippꝰ dimiſſo Madrucio cardinale, Inſubrib. præfecerat, receperũt. Dũ hæc à Gallis gerunt, Iulius tertius põt. Max. Rom. è uiuis exceſsit: cuius in locũ purpuratorũ ferè omniũ ſuffragijs ſubrogatus eſt Marcellus Ceruinus Ethruſcus à Mõtepolitiano, uir eruditus, & morũ honeſtate quadã cõmendatus, ſecus q; Iulius Montanus, homo libidine infamis, & tota uita diſſolutus. Hic cũ nomẽ ſuũ retinuiſſet, Marcellus ſecũdus eſt appellatus. Sed nõ diu ſedẽ illã tenuit. Quũ enim creatus eſſet v. idus April. ſequẽtis mẽſis cal. uitã cũ põtificatu reliquit. Huius ſubitus interitus nihil boni Senẽſibus portẽdere uiſus eſt: erat enim Senis oriundus. Nã uicẽſimo ab eius obitu die, poſtq; Hiſpanicũ præſidiũ profligaſſent, tertio tandẽ anno diuturna obſidione ad rerũ omniũ ſummã inopiã redacti, rege uerò Galliæ finitimis, hiſq; grauiſsimis bellis diſtracto, urbem antiqua libertate nobiliſsimã, Cæſari dedidere. Hanc biẽnio pòſt, Philippus Cæſaris filius patris regnis potitus, Coſmo Florẽtinorũ principi partim ſumptuũ quos in id bellũ fecerat, nomine, partim certo auri põde

re dato,posfidédá tradidit:ut triū nobilissimarū ci
uitatū quæ uetusto libertatis iure floruerūt,Floren
tinorū nimirū,Pisanorū & Senensiū imperio, unus
potiret.Mortuo igitur Marcello, Ioannē Petrū Car
raffam Neapolitanū, qui antea cardinalis Theati-
nus erat,purpurati patres x.cal.Iun. Pontificē lege
runt: cuius pontificatus magnorū in Italia motuū
extitit causa. Nam cū pontificij principatus cliētes
uocari iussisset, in hisq; esset M.Antonius Colūna,
ei quoq; diē dixit,ut de certis rebus rationē redde-
ret.M.Antonius qui satis cōpertum haberet, se ad
ueterē inimicum sine maximo periculo uenire nō
posse,nō Romā,sed Neapolim proficiscit.Ibi Ponti
fex,qui nihil q̃ causam quæreret,ex qua suorum ne
potū fortunas augere posset, ubi eum minus pare-
re suis mādatis uidet,perduellem declarat,& simul
copias in eius ditionē,quæ in Equicolis est, mittit:
Tagliacozziū & Palianū,cęteraq; castella occupat:
ibiq; fratris sui filiū FedericūCarraffam Paliani prin
cipē solēni ceremonia cōstituit. Obsidebāt eo tēpo
re Galli Vulpianū,oppidū inter Eporediā & Tauri-
num sitū,magno Gallorū incōmodo, à Cæsare Ma
sio Neapolitano custoditū.Quū uerò iam fame alia
rumq; rerū difficultate premeret,nec diu uideretur
posse subsistere,Albanus regulus,quē Philippus re
bus Italiæ moderādis miserat,cum xx.millibus pe
ditum,equitū uerò quatuor, ut cōmeatu atq; alijs
necessarijs reficeret,eò progredi cœpit. Id ubi Galli
accepissent,quòd se longè eis impares esse uiderēt,
copias relicta obsidione,in loca munita retraxerūt.
Albanus interea ad oppidum accedens,cum nemo
obstaret, cōmeatum quē secū aduexerat, intromi-
sit:confirmatisq; militū,qui in præsidio erant, ani-
mis,Vercellas uersus copias reduxit.In ipsa uia duo
sunt siue oppida,siue castella, inter se admodū pro
pinqua,à Vercellis nō procul posita, quorū alterū
quod ad dextrā est,& Duriæ adiacet flumini;San-
germanū,hoc est fanū Germani uocāt: alterū ad si-
nistrā Sanha,quod fanū Agathæ,siue Santagatham
sonat,appellant.Fanum Agathæ Galli, Sangerma-
num Cæsariani,ut & Vercellas obtinebant. Vt igi-
tur hoc impedimentū tolleret, & uiam ad urbē ex-
pediret Albanus, & aliquid tamen exercitū redu-
cens ageret,fanū Agathæ obsidione cinxit, & mox
etiam grauioribus tormentis promotis, mœnia la-
tè deiecit & aperuit. Sed intus tanta uirtute atque
cōstantia à Ludouico Birago, Vicoq; mercato Insu-
bribus & strenuissimis ducibus defendebat,ut de-
sperata expugnatione,cū ibi dies xxx.nequicq̃ cō-
sumpsisset, Albanus repentè & noctu clàm castra re
duceret.quæ reductio fugæ similis, magnā ijs qui
cōmeatum in castra,mercesq; multiplices cōuexe-
rant,quę multitudo ingens fuit, calamitatē attulit.
Quippe discessus castrorū ignari, manè à Gallis ex
oppido effusis, intercepti ac direpti sunt. Albanus
ipse Pontesturiā oppidū paulùm supra Casaleuasiū
ad Sturiæ ripā,qua in Padum influit, situm, cum co
pijs sese recepit: ibiq; magnā exercitus partē dimi-
sit:ipse oppidū præsidio ualloq; firmissimo muniē-
dum curauit. Qua re cognita Brissaccus, qui omni
occasioni uigilantissimus imminebat, copias suas
rursus cōiunxit,atq; ad Vulpianū oppugnandū re-
uersus,aggeres præaltos cōtra eorū munitiones e-
rexit:in quibus collocata tormēta ita rem gerebāt,
ut nusquā defensores tuti cōsistere ualerēt:alijs aūt
tormētis oppidi atq; arcis muros ita perrupit,ut ad
inuadendū militi aditus pateferet. Itaq; qui erant
in pręsidio,cum se nō amplius tueri posse cernerēt,
nec ulla spes esset, Albanum opē maturā laturum,
utpote qui exercitū dimisisset, decimosexto ab op-
pugnatione die, deditionē fecerunt. Non erat tum
in oppido Masius.nam antè æger ipse,mutandi cœ
li salubrioris causa, exierat. Eodē ferè tēpore initio
autumni, Io.Iacobus Medices Marignani regulus
Mediolani,in sua nimirū patria, senex & diu æger,

A mortuus est:uir bellica laude clarus, uel rebus po-
stremò in Hetruria feliciter gestis, nisi ex priuata
fortuna,initio malis artibus ad eum gradum perue
nisset. Aderat iam annus à Christi domini ortu M.
D.LVI. cum mense Ianuario Cęsariani & Galli a-
pud Belgas essent in hybernis: quo etiā tēpore in-
ter eos de pace deq; inducijs cœptū est agi. Propter
ea legati ultro citroq; missi,ac tandē Guienæ apud
Caletum partes cōuenere:& à Cæsarea quidē par-
te,Reinaldus Pierodamus & Lalanus comes,aurei
uelleris eques:à Gallis uerò ipse Gallicæ classis prę
fectus,& Mareschalcus Santandreanus, & Sebastia
nus Bassafontanus. Hi cum de pace cōuenire non
possent,in quinq; annos inducias fecerūt:quæ pòst
Lutetiæ & Bruxellis sancitæ sunt,dum ad integras
pacis cōditiones perueniri posset. Obstabat enim
maximè integræ pacificationi restitutio eorū quæ
per aliquot retro annos erāt ab utraq; parte occu-
pata:præsertim uerò,quòd Cæsariani uellent Phili
bertū Sabaudum in suū patrimoniū restitui. Indu-
ciarū cōditiones hæ fuerunt, ut utraq; pars oppida
à se occupata,donec amplius decerneret, retineret:
ut pontifici neuter uim inferret, sed in his inducijs
contineret: ut Neapolitani exules(quos inter erat
Salernitanus princeps)interea nō reuocarentur:ut
rex Galliæ Philiberto Allobrogi tantū auri pro E-
poredia urbe pendat,quantū Veneti pronunciaue-
rint.Fuit & de captiuis longa cōtentio. Petebat e-
nim Galliæ rex,ut sibi Momorātij filius dimitteret:
se uicissim Arescotium principē Philippum Groiā
dimissurū.Sed dum ea de re disceptat, & ab Aresco
tio nescio quid prætexitur, tēpusq; interim elabit,
Arescotius fallaciter euasit:Momorātius uerò xxv.
millibus aureorū nummûm liberatus est.Hanc pe-
cuniā Philippus Cæsaris filius, unà cum reliqua ex
captiuis redacta,Philiberto consobrino suo dona-
B uit.Hic Momorantius dum in Flandria captiuus a-
geret,cum puella quadam nobili de matrimonio,
ut fertur,tantū egit,ut ægrè fuerit dimissus, cum ei
Henrici regis filia extra matrimoniū nata, quā an-
tea Horatius Farnesius in matrimonio habuerat,
destinata esset.Ita inducijs cōfectis milites utriusq;
partis dimissi sunt. Atq; hæc quidem spe quietis &
ocij omnes implebāt,sed è cœlo prodigia secus por
tendebāt. Mense namq; Februario,alijsq; ferè duo
bus sequentibus,in cœlo ardere cometes uisus est,
quē terris dira minari fatidici canebāt. Nec fefellit
euētus.nam præter horrida bella, mortes etiā prin
cipum & magnorū uirorum, mutationes item insi
gnes sunt secutæ.Sors igitur illa fatalis primū atti-
git Fridericum Septēuirum Palatinum, cui sangui-
nis propinquitate in septēuirali dignitate successit
Othenricus.Eodem fato sublatus est Adolphus se-
ptemuir, Agrippinus, quē Hermanno eiecto suffe-
ctum diximus:atq; in huius locum collegij suffra-
gijs,Antonius Sauēburgus suffectus fuit. At in An-
glia duriora fata Thomā Cramerū Cantuariensem
præsulem, regniq; Anglicani præsidem, quē suprà
captum memorauimus,obruerunt. Nam post diu-
turnum carcerē,religionis pontificię uiolatę factus
reus,uiuus exustus est Oxonij xij.cal.April. Per ea
tempora Philippus Cęsaris filius,iam Belgarū pos-
sessionē à patre adeptus, totius prouinciæ præfe-
cturam, quæ antea Mariæ Cæsaris sororis fuerat,
Philiberto Allobrogum principi cōmisit: Cæsar ue
rò rebus suis per inferiorē Germaniam cōpositis,
maximis antea curis morbisq; cōfectus, initio au-
tumni Bruxellas cōuocatis prouinciæ magistrati-
bus,multa de sua in ipsos & ciuitates charitate, de
laboribus & curis pro ipsarū securitate susceptis,
de ætate item ingrauescēte,& corporis sui imbecil-
litate locutus,filium pręsentē eis diligenter cōmen
dauit, ut eum tanq̃ legitimū hæredē & dominum
agnoscerēt,eiq; parerēt. Id si facerēt,ipsos uicissim
eum benignū & clementē dominum sensuros. His
omni-

omnibus peractis,cum multam salutē curis uirisq;
omnibus dixisset (Maximilianū enim fratris filiū
suumq; generum cum filia,qui postremò eum salu-
tatū uenerant,iam antè cum muneribus dimiserat)
cum sororibus Maria atq; Eleonora,Gandauū pro-
fectus est:inde in Selandiā nauigauit, ubi cum dies
aliquot egisset,cōmodam nactus tempestatē, in Hi
spaniam felici cursu peruenit.Est in Hispania Beti-
ca,regio quæ nunc Extremadura dicitur,nō procul
à Merida,quæ olim Augusta Emerita fuit:ibi in lo-
co amœnissimo Monacorū est collegium, cui à san
cto Iusto nomen impositū est.Hunc locum sibi de-
legit Carolus Cæsar,ubi uitam procul ab omnibus
negotijs & strepitu ageret,instrumento illo mirabi
li oblectatus,in quod Leonellus mathematicus in
signis,omnē cœlestium orbium,siderum & motuū,
addito etiam octauæ sphæræ motu perpetuo, diui
no prorsus artificio,incluserat:huiusmodi machina
nullis retro seculis,neq; audita est neq; uisa. His tē
poribus Farnesius Cæsari socero & Philippo recon
ciliatus,Placentiam recepit, è qua trucidato patre
fuerat exclusus,ut alibi ostensum est.Filium tamen
suum egregia indole puerū fidei datę obsidem Phi
lippo regi dedit.Eodem fermè tēpore Ioannes Lu-
nā Hispanus, Mediolanensis arcis præfectus, cum
multos annos Cæsari fideliter militans, magnis ho
noribus functus esset, quorundam obtrectatione,
in suspicionē apud regem Philippum uocatus est.
Itaq; Bruxellas in Brabantiā à Philippo uenire ius-
sus, relicto filio arcis custode, uenit, & magno ani-
mo causam suam agere cœpit. Verùm cum uideret
obtrectatorum gratia & potentia rem de die in diē
extrahi, sæpenumero de iniuria calumniaq; liberè
conquestus,eamq; ferre ultrà nō ualens, ad Galliæ
regem rectà contendit:cui cum causam sui à Philip
po discessus exposuisset, est ab eo honorificè acce-
ptus. Erat etiam eodem tēpore Franciscus Taber-
na Mediolanensis in eandē suspicionē pertractus,
ac repetundarū postulatus.fungebat enim amplis-
simo in Insubria munere publica Mediolanensis im
perij acta manu & signo regio confirmandi, utpote
Senatus princeps,quē Magnū Cancellarium uocāt.
is quoq; Bruxellas sese sistere iussus, etsi Cæsarē fi-
lium iam senatoria dignitate pollentē misisset, qui
apud regem patris aduersam ualetudinē excusaret,
ipse nihilominus in arcē Mediolani uenire iussus,
custodiæ traditus est:ubi cum iam bienniū egisset,
tandem mortuo inimicorū eius antesignano, uiro
principe,& ipsius est cognita innocētia: & ipse ab-
solutus,pristino honori uel cum accessione est resti
tutus.Sed his paulisper sepositis in Pānoniā trans-
eamus.Rex Ferdinandus castella quædam in Vn-
garia præsidijs iam antè firmauerat, quasi aliquid à
Turcis metuendum præsagiret: quæ sanè eum con
iectura nō fefellit.Nam paulo pòst Turca iter dire-
xit in Stiriam, & in tractum Quinquetemplorum
ac Vissemburgi,expugnauitq; Coppam,Capesniua
rum,& Babozam,excepta arce Sigetio quinq; mil-
liaribus à Quinqueecclesijs urbe distante, quæ fide
egregij militis Marci Horbati est defensa. Huius er
go propugnandæ causa, & ad arcendas certas &
quotidianas incursiones in Stiriam, rex mense Ia-
nuario Viennam conuentum instituit ex quinque
inferioribus & Austriacis nationibus. Præterea al-
teram in Hungaria Bresburgi,postulans ut auxilia
in illam expeditionem conferrent. Interea motus
in Vngaria oriuntur,Bebecco Vngaro autore, pro-
pter Erlā in Transyluania & Zipsum: idcirco Theo
doricus Marcellus missus ad domandos rebelles
cum trecentis equitibus,quos nigros & leuis arma
turę uocant,additis totidem Pannonijs,quos Hus-
saros appellant,qui primùm quidem aliquot arces
expugnarunt, sed demum in proditionem incide-
runt.Postea aperiente sese uere, ponte iunxit Tur-
ca Tragam, misitque Hali Bassam cum mille &

A quadringentis militibus ad Sigetium expugnan-
dum.Rex Ferdinandus interea misit duodecim pe
ditum uexilla, ductore Nicolao Poluillero,in infe-
riori Austria & Sueuia collectis: adiunctis præter-
ea tum leuis,tum grauis armaturæ equitibus, ad
arcem Babozam, quæ est inter Stiriam & Sigeti-
um, recuperandam. Hi cum peruenissent Caui-
scham, & inde Babozam ire contenderent, Hali
Bassa tentabat eos depellere, relictoque Sigetio
ad aliquot menses graui obsidione presso, multa
huc tormenta de nocte aduexit: quorum aduentu
cognito,nostri fortiter cum ipsis manus conserue-
runt,inq; fugam compulerunt. Interea in eminen-
tiora loca machinas Turcæ euexerunt,unde nostris
magna sunt illata detrimenta, adeò ut multi præ-
stantes,præcipuè ex equitibus perierint:postea tra
iecerunt fluuium Rymuiam,sed magna cum suorū
cæde pulsi sunt. Pugnatum est fermè totum diem,
adeò ut iustum prælium fuisse uideatur. Maximas
res hìc gesserūt Nicolaus Poluillerus comes,& tres
Austriaci,Othohenricus Pucheius, & Ruber & Gy
lis,qui pòst cum muneribus sunt equites aurati à
rege Ferdinando creati. Cùm autem oppugnarent
arcem,præter gregarios occubuerunt, fratres Pol-
uilleri Staynbrunnus Elsatus equitum præfectus,
Sigersdorfius Steinerus,qui peditum ordines duce
bat,Egenolphus Zellius, multi quoque capti fue-
re.Ex Turcis uerò plures perijsse putantur, & præ-
ter reliquos magni nominis,pręfectus Coppę. Etsi
igitur nostri strenuè cāpo potiti sunt,tamen ob cō
meatus & pulueris sulphurei inopiā, obsidionē sol
uerūt,& ad duo miliaria Gorgū nimirū,instrumētū
omne & impedimenta salua reportarūt,ibidē quid
ulterius rex uelit, expectaturi. His rebus cognitis,
rex filium archiducē Austriæ Ferdinandū cum in-
strumentis, equitibus & peditibus misit, adiuncto
B ipsi principe Plauicēsi,& Carolo Cherotino,qui ex-
pugnarunt Carothnam,ubi circiter ducenti Turcę,
& totidem Hungari ceciderunt. Hæc insperata res
cōmouit hostem, ut arces & munitiones & maiori
bus præsidijs instructas, Babozā, Sanmartinū,Ge-
rosgalū,Seliā,Sanlaurentiū,& Caliangen incēderit,
tormēta disiecerit,& Quinquetemplū urbē confu-
gerit.Respirauit hac re Marcus Horbatus, & dictū
petiuit locū,multisq; uillis & pagis incēsis, incidit
in Turmā Turcarū,à quibus stipendia militi ferebā
tur,atq; his prostratis,haud paruā cōsecutus est prę
dā.Adamus cognomēto Gallus, pręfectus Raben-
sis,qui antea Stuluissemburgū inuaserat, suburbiū
cremauerat,& multa pecorū millia abegerat, tunc
oppidū Sian inuasit:ibi aliquoties centū Turcas &
totidē trāsfugas Christianos uicit,& cū magna prę
da,sine ulla sua clade,domū redijt. Iidē pagi à Tur-
cis deserti sunt & cōbusti, quo uia tuta esset, postq̃
ipsi à Siegerio pulsi fusiq; fuerunt. Post hæc extre-
mo ferè autūno,à Quinquetēplo profecta sunt cir-
citer quatuor millia Turcarū ita cōparata, ut aduer
sum Christianos castrametari uelle uiderent:sed o-
pere nihil tentarūt. Cumq; frigus incesseret,& com
meatuū magna penuria foret,Ferdinandi filius,sub
finē Octob.Viennā uenit.Hæc cū in Vngaria gere-
rent,& Pontifex nihilo segnius contra M.Antoniū
Columnā ageret, Colūna qui se imparē Pōtifici esse
uideret,Philippi regis opē implorauit. Is aūt haud
esse sui muneris ratus clientem,& suis partibus ad-
dictum hominem deserere,cum Pontifice per suos
egit,ut is Marco Antonio sua relinqueret: esse alias
rationes, easque honestiores suos augendi,quàm
per aliena incommoda,quibus sibi & suis inuidiam
odiumq; conflaret.Se uerò,si quid Pontifex optet,
ad suorum honestum commodum & dignitatē, li-
benter gratificaturum:sin pergat, neque de seueri-
tate quicquam remittere cogitet, non defuturas
sibi rationes,quibus cū suorū clientū fortunis,tum
uerò suæ dignitati sit cōsulturus. Hæc & alia cū illi

Pontifici ostenderet, Pontifex neq; precib. neq; mi A nis potuit permoueri. Itaq; Philippus Albano, qui tũ Neapoli pro rege remp. administrabat, mandauit, daret operã, ut & Colũna sua recuperaret, & põtificẽ ad officiũ reuocaret. Paruit Albanus, atq; eò usq; progressus est, in Velitris, Tibure, & Hostia occupatis, urbẽ obsideret: quã etiam capere potuisse nõnulli putant, nisi religione retentus, sacrosancto Pontifici parcendũ esse duxisset. Interea Pontifex Gallũ solicitare, misso ad eũ fratris filio Carolo Caraffa cardinali, qui regi Senẽsi bello militauerat, nõ cessabat. Annuit Gallus Pontifici, & primũ Aquitanorũ, qui Vascones appellantẽ, cohortes aliquot nauibus impositas submisit, qui ei interea dum maiores copiæ parabantẽ, subsidio essent. Neq; tamẽ contra inducias se facere uel Gallus uel Philippus existimabant, quòd non inter se & suis de rebus, sed uterq; pro altero, cui deesse nõ posset, propugnaret. Sed postea Henricus Guisanũ cũ uiginti milibus peditũ, & quatuor millibus equitũ Romã iussit contendere, ut Pontificẽ liberaret: qui ubi superatis alpibus in Taurinos descendisset, & secundũ Padum exercitũ ageret, Valentiã initio anni M. D. LVII. peruenit. Est aũt oppidũ ad Padi ripã infra Casaleuasium ad xij. millia passuũ, quod Valentiũ ueteres appellarunt. Id oppidũ Mediolanensiũ paret imperio. Huc cũ uenisset Guisanus Gallici exercitus imperator, petiuit ut sine maleficio sibi transitus per oppidũ permitteret. quod cum nõ modò negaret, uerumetiã sclopetis rem è muris gereret, essentq; quidam interfecti, Galli oppidũ aggressi, ceperũt: impositoq; præsidio, per Æmiliam & Flaminiã, Romam cõtenderunt. Ibi aliquot mensibus nulla memorabili re gesta cõtritis, nisi quòd Hostiæ arcem & quædam alia recepta sunt (agebat enim segnius pontifex, nec quod erat pollicitus præstabat, utpote iam ad pacẽ proclinatus) Guisanus, rege eum in B Galliã reuocante, exercitũ incolumẽ initio hyemis reduxit: & Põtifex paulo pòst restituto Columna, Philippo est recõciliatus. Eodem ferè tẽpore, quo Guisanus Valentiã occupauit, Albertus Brandeburgensis ille, qui superiorib. annis tot turbas in Germania excitarat, cùm maiora moliretur, ætatis suæ anno XXXV. graui oppressus morbo, suum obijt diem: atq; in hunc modũ duo clarissimi & acerrimi Germanorũ duces ætate parẽs, Mauritius & Albertus paucis annis interiere. Mortua est quoq; Bona Sfortia, huius qui nunc Sarmatis imperat, Sigismũdi Augusti mater, cum ante sese Barium in Apuliã dotalẽ ab Aragonijs principatũ, relicto Poloniæ regno cõtulisset. Inuentũ est post eius mortẽ testamẽtum, siue codicillus, in quo illa Philippũ Caroli Cæsaris filiũ scripsit hæredẽ. Atq; ita priuato filio rege, & filiabus quatuor, quas habebat, ad quos iure materna bona pertinebãt, alienũ asciuit hæredẽ. Iis deinde fermè tẽporibus Brissaccus in Taurinis Clarascum & Valfeneriã, quæ Cæsarianorũ præsidijs tenebantẽ, cùm aliquandiu obsedisset, in suã potestatẽ redegit: progressus deinde Cũneũ oppidũ tormentis murũ uerberauit, & ad loca murorũ aperta milites egit: sed illi semel atq; iterũ à propugnantibus fortiter repulsi sunt. Quod uerò redintegratis uiribus ad eandẽ oppugnationẽ nõ redierit, res in Belgis infeliciter gestæ, ut pòst dicẽ, obstitere. nam equitatũ in Galliã Henricus transire iussit. Post captã Valentiã, etsi utriq; factũ excusarẽt, dum Cęsariani partim negarent, partim illud ad militis alicuius priuatã improbitatẽ referrẽt: Galli cõtrà se ab illis prius lęsos & prouocatos, & inducias ruptas esse ab eis prædicarent, certũ est ab utrisq; deinceps de bello esse cogitatũ. Itaq; renouatũ est inter duos potentissimos reges atrox bellũ: cuius maturandi occasionẽ præbuisse uidẽt, quòd Gallicę classis præfectus Douacũ Belgarũ oppidũ, quibusdã ad defectionẽ ex oppidanis pollicitationib. persuasis, adoriri, atq; eximprouiso capere tentasset: sed re cognita, uoti cõpos esse nõ potuit: magnã tamẽ pecoris multitudinẽ abegerunt. Tum uerò Philippus totis uiribus, sibi in Gallicũ bellũ incumbendũ ratus, in Galliã Aprili mense traiecit, ut Anglos aduersus Gallos excitaret, atq; ut eorum pecunia & milite ad id bellũ iuuaretur, quod & reginæ uxoris autoritate obtinuit. Itaq; de cõmuni Angliæ procerum consensu missus est Fecialis, qui Henrico bellum denunciaret. Susceptt hoc nunciũ rex hilari fronte, Fecialẽq; aureo torque donatũ dimisit. Ex eo tẽpore utrq; rex delectibus & in Germania & alijs in locis habẽdis operã dedit: & ad Gallũ quidem Ringrauius & Riffenbergus ueterani Germanorũ duces primarij, ad quindecim millia peditũ, equitũ uerò quatuor adduxerunt. Delectũ uerò Philippi nomine habebat præcipuè Ericus Brunsuicensis regulus, qui & ipse magnã uim equitũ peditũq; in Belgas eduxit. Ex Italia quoq; Philippus ueteres aliquot belli duces, & in primis Ferdinandũ Gonzagã, Castalliũq; Neapolitanũ, ut eorũ consilio & opera in eo grauissimo bello uteretur, in Belgas euocarat. Interea tẽporis à Liuonibus in Prussos & Lituanos bellũ exortũ est. Nam in Prutenorũ & Lituanorũ fines incursionibus factis, iam quẽdã munita occuparãt in finibus loca, sed citò Sigismundi Augusti Sarmatiæ regis uirtute ac diligẽtia ad pacis cõsilia recurrere coacti sunt. Cùm enim inuictũ regẽ cũ LX. millibus equitũ, quibus & Albertus Prutenorũ princeps suas copias adiũxerat, aduẽtare, & iam ad eorũ fines peruenisse uiderẽt, copias quas eduxerũt, intra Liuoniæ fines celeriter reduxerũt: ac missis de pace legatis, cõditiones nõ iniquas à potẽtissimo rege acceperũt: ut simul ferè diceres, bellum & exortũ esse & extinctũ. Agitata sunt & eodẽ tẽpore in Germania comitia à Ferdinando rege, ea præcipuè de causa, ut & sumptus & auxilia in bellũ Pannonicũ suppeditarentur, sed parũ est effectũ. In Belgis aũt bellũ ferue re cœpit: Gallus enim mense Iunio iam aliquot oppidis & castellis captis, & in his Lentiũ apud Atrebates ad Ambianũ castra posuerat, sperãs se Atrebato posse potiri. nã cõmeatus inopia laborabat, qđ quidẽ mirũ nõ erat in oppido obsesso, quũ passim in Germania, potissimũ uerò in ea quæ hodie inferior uocatur, locisq; uicinis annonę summa caritas fameq; uigeret. Quamobrẽ Philippus nihil iam sibi cunctandũ ratus, copias quas magnas atq; firmas haberet iam cõparatas, emittere statuit. Ac primũ Anglos monet, ut ipsi in cõtinentẽ copias traijciãt, & infestis signis ab illa parte illatis, Gallis terrorẽ detrimẽtaq; quãta maxima possint, afferãt. Ipse Philibertũ Allobrogũ regulũ, cui pro summa eius uirtute & affinitate, egregiaq; in se fide & uoluntate summã belli administrãdi potestatẽ tradiderat, præmittit. Is igitur in hostiũ terras irruẽs, Rancroiũ arcẽ, Mariæburgũ & Guisiũ oppida munitissima præter gressus, natura cuiusq; loci explorata, & oppidorũ situ diligẽtissimè cognito, consiliũ tegẽs ubiq; suũ, de improuiso tandẽ fanũ Quintini obsidet. Qua de re ab exploratoribus Gallus certior factus, quòd intelligeret pmagni interesse, si eo oppido hostes potirentur, nulla interposita mora, suos laborãtes nouo cõfirmare præsidio cõmeatuq; molitur. Re aũt nõ semel frustra tẽtata, ad postremũ Anneũ Momorãtiũ Galliæ equitũ magistrũ, peditatu equitatuq;, alijs itẽ rebus necessarijs egregiè instructũ, magna etiã procerũ ac nobiliũ corona comitatũ eò mittit. Profectus igitur Momorãtius, suos iubet hostẽ leuib. prælijs distinere, interea ipse in oppidũ q̃ uoluit immittit. Cũ aũt in regia castra suaq; præsidia redirẽt, neq; lõgius ab hostiũ castris abessent, q̃ quò glandes tormẽtis emitti posse peruenire possent, tormẽtis dispositis in tentoria Philippeorũ magno impetu dissplodere cœperũt. Intererat aũt palus, quã Somona efficit amnis. Itaq; cum ad arma esset conclamatũ, Philibertus

tus illico iubet copias Somonam transire: ipse acie A instructa, cum equitatu satis progressus, in conspectu hostium legiones tardius subsequentes, expectare cogebatur. Sed ne Galli sensim elaberentur, ueritus, ne occasionem rei bene gerendę amitteret, equestri prælio hostes aggredi constituit. Erant autem præter alios equitũ circiter decem millia Germanorum, Erico Brunsuicensi duce, quorum singuli præter hastas & gladios, quatuor aut quinque rotulæ circumactu ignem concipientes, sclopetos gestabant. Hi unà cum alijs, in hostem non procul aboppido Quintini impressionem faciunt, ad pugnã illi se uicissim quantum possunt, comparant: uerũ cum se impares esse uiderent, & ualidissimi equitatus uim ferre non possent, sese in fugam uerterũt: qua in fuga suorum peditum turbatis ordinibus, eos prædæ & cædi hostibus obiecerunt, qui eos è uestigio magna celeritate insecuti, magnam stragẽ edunt, quamplurimosque capiunt. Reliqui cum se destitutos & circumuentos uident, abiectis armis se dedunt. Peditum ad tria millia capta feruntur: equitũ nobilium magnus numerus, inter quos Momorantius ipse cum filio, & Ludouicus Gonzaga, Mantuani ducis frater, Ferdinandi uerò Gonzagæ ex fratre nepos, elegantissimus ac summæ spei adolescens, itemque à sancto Andrea Marescalcus, & ipse Germanarum cohortium dux Ringrauius, & alij plurimi captiui ad Philippum regem, qui nondum in castra peruenerat, abducti fuerunt. Signa ferè omnia & tormenta in manus hostium deuenere. Hac uictoria ad fanum Quintini potitus est Philippus quarto idus Augusti, Anno Christiano M. D. LVII. Aliquot pòst diebus, urbs ipsa, quum deditionem facere nollet, expugnata est, direptaque, & magna cædes passim fœdata. Gallicæ classis præfectus Antonius Castellionis Cardinalis frater, & Brolius, qui oppido propugnando præerat, in ho- B stium potestatem uenerunt. Est non procul à Quintini fano arx satis munita, quam Castellum uocãt, ad eam cum accessissẽt Harembergensis Comes oppugnandam, isq; machinas murales admouisset, pilarum uim sustinere non ualens, ea lege deditionẽ fecit, ut liberis corporibus hostis loco potiretur. Hãc in eodem tractu sita arx altera, quæ Han uulgò dicitur, loci natura superiore munitior, imitata: ubi globorum aliquot fulmina sustinuisset, ijsdem conditionibus hostem admisit. Inde exercitus uictoris pars, traiecto Somona flumine, Nouiodunum, oppidum inter Belgas situm, Suessionibus finitimum & Veromanduis contendit: omniq; præsidio uacuum, cepit, exussitq;. Eandem fortunam sensit & Channiacum oppidum. His rebus in hũc modum gestis, quòd iam hyems instaret, haud longius sibi progrediendum esse rex Philippus existimans, fanum Quintini & arcem Hani propugnaculis ualIo & fossa muniri curauit. Inde Philibertus Allobrox, Nouiodunensium & Veromanduorũ agros cum exercitu ingressus, ab oppido Royæ, quod in finibus Bellouacorum est, initio facto, omnia longè lateq; flãmis & populationib. uastans, Ribemõtem primò uenit, ubi sex diebus quieti datis, ad Cameracense castrũ cõtulit copias: ibi militũ parte exautorata, altera in hyberna reducta est: quo tẽpore Ferdinãdus Gonzaga, iam ætate grauis, & acerbissimis articulorum doloribus affectus belli consilia cũ morte cõmutauit. Paulò pòst q̃ nepotẽ suũ, quẽ captũ fuisse diximus, certa pecuniæ summa numerata, liberandũ curat. At Gallus tãta clade accepta, nõ tamen animũ demisit, sed nouis delectibus imperatis, pro sua & Gallici nominis dignitate, nihil intentatũ relinquere statuit. Itaq; reuocatis Guisani copijs, quas Romã ad ferendã Pontifici opẽ missas fuisse ostendimus, quæ tunc in Piceno Flaminiaq; uersabantur: necnon & Brissaci ex Tauris, equitatu nouas res tentare cogitauit. Nec Heluetij in tam graui casu regi amico & socio defuere. Nouiquoq; delectus Io. Gulielmo Saxoue principe ac duce in Germania habiti. Vbi aũt in unũ copiæ conuenere, Guisanũ omnib. præfecit: eiq; Termeũ Strozzamq; cum aliquot alijs proceribus adiunxit, quorum consilio operaq; uteretur. Is igitur mense Decembri, rigenteq; hyeme, educto exercitu, ea specie quasi ad Fanum Quintini recuperandum tenderet: de improuiso conuersis itineribus, Caletum uersus iter arripuit. Acceperat enim per exploratores, non satis firmo præsidio Caletũ ab Anglis teneri. Quãobrem obseruata æstus maris reciprocatione, terrã mariq; oppugnationem aggrediuntur, ac primum arcem obiecta portui, quã Risbanum siue Risebeã tum uocant, tormentis quassare incœptant, qua citò expugnata, portum armatis nauibus occupant, & militẽ exponũt, qui maris recessu usus, per ipsos Euripos ad ipsam urbis portam contendit. Sed ex oppido glandium procellam displosis paruis tormentis, aliquot Strozzæ milites (nam is sibi eam partem sumpserat inuadendam) prosternũtur. Ab altera parte quæ meridiem spectat, arx erat lato ualIo munita. Hanc oppugnabat Guisanus cum maiore exercitus parte, adeò grauiter, ut defensore muri corona uallumq; ipsum nudaretur. Neq; tamen eò die quo cœpta est oppugnatio, oppidũ capi potuit: superuenit enim nox, quæ pugnã diremit. ea nocte Strozza promotis tormẽtis, ad pontẽ ipsam portã uehementer quassare cœpit: qua re territus præfectus defensionẽ deserit: atq; ita irrumpẽtes milites, oppidũ munitissimũ, & per ducẽtos annos ab Anglis possessum, & defensum capiũt ac diripiũt, anno à Christo nato M. D. LVIII. tertio non. Ianua. Ibi Guisanus impositio præsidio, ac Termeo urbis custodiæ præfecto, statim Guiennã cõtendit. Guiena oppidũ est parũ, sed operib. bene munitũ: arcẽ habet ad Septentrionẽ firmissimã: distat oppidũ à Caleto tribus Gallicis milliarib. mediũ inter Caletũ, Bononiã & fanũ Othomari, quod Santomerũ uocãt. Fuit Guienna nõ secus atq; Caletũ ab Anglis ante ducẽtos annos occupata, cũ antè ei dynastię, quę à Guienna nomẽ habet, quidã, ut Gallici annales ferunt, magister equitũ Galliæ imperaret. Huc igitur cũ Guisanus uenisset, promotis maiorib. tormẽtis, ab omni ferè parte, quatuor cõtinuos dies eã uerberaret: quarto die cũ miles undiq; scansionẽ faceret, relicto oppido, sese in arcẽ qui propugnabãt, recepẽre. Verũ Galli eos insecuti ad arcis usq; portas, materia admota atq; accensa, portis ignẽ implicuerũt: sic oppido arceq; potiti, utrũq; direptũ incenderũt. His rebus ipsis ferè brumę diebus cõtra omniũ expectationẽ gestis, terror est iniectus hostib. recreata Gallia, quæ ex rebus superiore anno infeliciter ad Sanquintinũ gestis, totq; claris ducib. orbata mœrebat. Neq; ob id tũ Guisanus sibi quiescendũ duxit: sed aliquid præterea tẽtandũ & conandũ, unde magis eius uirtus enitescret & hostes ulciscerẽt. Qua re cõuersis signis, quasi incertis itineribus oberras, tandẽ Lucẽburgũ uersus, ad lęuã deflectẽs, Thionuillã, quã quidã Theonis, alij Theodonis uillã uocant, extremo Maio peruenit. Thionuillã locũ miri ficè munitũ præsidio tenebat Philippus, qui locus nõ longè abest à Diuoduro, quã hodie Metim uocant, inter Mediomatrices & Lucemburgum, ualde ad prohibendum Gallorũ progressum opportunus. Alluit enim Mosella flumine, ex quo educti riui lati & profundi, totũ ambiũt oppidũ, fossasq; replẽt. Nã ipse oppidi ambitus, oui nõ admodũ oblõgi formã refert. Paruũ est oppidũ, muro lato, & tribus propugnaculis ualidissimè munitũ. Guisanus ubi eò peruenit, distributis in duas partes copijs, alterã Neuersij regulo attribuit, alterã sibi sumit: atq; ita à duabus partibus, qua oppidi binæ erãt portæ, binaq;

binaque propugnacula, castra posuit. Deinde ante omnia aquas ab oppidi munitionibus, Mosella flumine aliò deducto, auertit: & quatuor pontibus Mosellæ alueum circa oppidum constrauit. Ad hęc fossam à suis castris, ad Neuersij castra deduxit, ut ultro citroque milites tutò commeare possent. His in hunc dispositis modum, & muralibus tormentis, quatuor in locis collocatis, mœnia latè aperuit, & propugnacula ita comminuit, ut ad aggressionē militibus uia satis ampla pateret. Sed qui in oppido erant, tanta uirtute resistebant & propulsabant, ut uix ter conati, oppido potiri potuerint. Expugnarunt tamen decimo Calend. Iunij, sed non sine multorum militum & ducum iactura. Nam ibi perijt Petrus Strozza Florentinus, reginæ Galliæ propinquus, belli dux peritus, & egregiè fortis, sed in tota ferè uita fortuna usus aduersa. Quum enim ipse cū Guisano paululum ad loca circa oppidum speculanda esset progressus, & ut fit, humi procumberet, ex oppido tormentum displosum in eam partem in qua ipsi erant, fuit. Coniecta pila, incidit in saxū & fregit, cuius fragmento Strozza grauiter percussus, paulo pòst interijt. Eodem tempore quo hæc à Guisano exercitus Gallici imperatore, ad Thionuillam gerebantur, Termeus Caleti, & Senarpo Bononiæ præfecti, ultra Grauelingam, Duncherqum maris portum, Neoclesia olim dicta, oppidanis diffugientibus de improuiso ceperunt: uerùm cum id se retinere non posse uiderent, præda onusti, magnisque gregibus abactis, abitum adornabant, quū ecce magnæ adesse equitum peditumque copiæ nunciantur, duce Ægmundano comite, cui adiunxerat rex Philippus Benicurtium, & Rentiacum regulum, cum suis pariter copijs: nam bipartito exercitu profecti sunt, ut hostem interciperent. Pedites ducebat Lazarus Suuendius, homo egregiè pugnax & ueteranus. Hi nacti hostem non procul à Graueling a in patenti planicie, acie instructa, ei pugnæ potestatem fecerunt. Sed Galli qui se longè inferiores numero esse cernerent, intra uallum se toto eo die acie instructa continuerunt. Eo qui secutus est die, agmine quadrato progressi se Caletum recipere conabantur: uerùm Ægmondanus eos sic abire non est passus. Nam illico miro impetu & ardore hostes aggressus est. Sustinuerunt primò Gallorum equites egregiè hostium equitatus impetū: conseruerūt & peditum cohortes acriter manum: sed cùm Galli numero & uiribus uincerentur, eorum cœpere acies langueſcere, ac paulatim pedem referre: acrius deinde urgente hoste, terga uertere. fit magna cædes: permulti in fuga, acriter insequente hoste conficiuntur: sed multò plures capiuntur, utpote intercluſi. Termeus quoque ipse, & Senarpo, alijque duces & tribuni in hostium manus deuenerunt. Hac potitus uictoria Philippus, hostium terras cum ualidissimo exercitu ingressus, tandem non procul à Dorlano oppido castra metatus est. Hoc nuncio accepto Guisanus, ueritus ne hostis uictoria insolens ulterius progrederetur, instauratis ruinis, impositoque Thionuillæ præsidio, castra inde mouēs ad Mosam amnem accesit, intentè quid hostis moliretur obseruans: qui & ipse Namurum ad idem flumen accesserat. Ibi cum utriq; aliquandiu expectando sese obseruassent, tandem Guisanus copias ultra flumen ad Guisam oppidum in Veromandorum finibus educit. Neque tamen ob eam rem Philippus castra mouit: quæ res magnam admirationem in animis omnium excitabat, cum uiderent duos tantos talesque exercitus, usqueadeò propinquos, nihil tamen sese commouere, totam æstatem frustra atque in ocio terere. Sed erat in causa occulta de pace tractatio, quæ per captiuos Momorantium, Santandream, & maritimis rebus præfectum, quē in oppido Sanquintini captū fuisse memoranimus, atq; Termeum intercedente quoq; Christierna Lotharingi ducis matre, fœmina lectissima, uehementer urgebat. Itaq; tandē pax tot annos frustra exoptata, tam sæpè tentata, inter duos potentissimos reges, Henricū atq; Philippū, Philibertū itē Taurinorū atq; Allobrogū dominū, cuius potissimū causa bella gerebant, facta est: sed occultata diu, ne fortè milites quibus pacis nomē est odiosum, consternati, aliquid noui incœptarēt. qua etiam de causa diutius in castris retēti sunt, atq; sic tandē dimissi, quasi de pace cōuenire nequiuissent, & sequenti anno bellū redintegrandū foret. Erant enim in utriusq; castris, ultra centū & triginta milia militū, quorū maxima pars è Germanico tū pediratu, tū equitatu constabat. Rumor tamē cōfectę pacis sensim erumpēs, apud omnes inualescebat: & bellis iam prorsus defessas nationes, magnopere recreabat. Interea Philippo regi nunciū de patris morte, paulo pòst etiā uxoris Angliæ reginæ allatū est. Itaq; sese Bruxellas ad suorū lugenda funera, dum pacis prodendæ tēpus ueniret, recepit. Nam ut hic & sequēs annus hoc lætæ pacis nuncio, tanq; serenitate post multos nebulosos atrosq; dies, restituta fuit illustris, sic plurimorū interitu regū insignis atq; funestus: id quod etiā luridus dirusq; cometes acutū in occiduā mundi plagā uibrans telū Augusto mense uisus, nō obscurè denunciare, minariq; uidebat. Itaq; hoc ipso anno in Hispania quarto Non. Sept. mortua est Eleonora Cæsaris soror, quā Franciscus Galliæ rex in matrimonio habuerat. Hāc paulo pòst secutus est Cęsar ipse Carolus, x. cal. Sept. uir quidē uel magnis imperatorib. cōparandus, nisi eū fortuna ad extremum destituisset, quæ eius uirtuti perpetua comes antea fuisse putabat. Hanc fortunæ mutationē cū uir prudentissimus ipse sentiret, sese maturè satis atq; honestè à negotijs omnib. retraxit, & cōtulit in portū. Ex illo nāq; tēpore quo Mauricius Saxo cū socij tumultu Germanico eò Cęsarē adegit, ut Ioannē Fridericū Saxonē, & Lantgrauium principes è custodia liberos emitteret: & proscriptos plerosq; tum principes, tum alios belli ducesad sua postliminio redire augusta autoritate permitteret, eius autoritatis magna facta est diminutio. Nam & ipse eo tumultu uitandi periculi causa se Vilachū (quod Vacoriū quidam olim fuisse uolunt, alij Iulium Carnicū) receperat: pòst etiā redintegratis uiribus ingenti exercitu tērauerat Metim: unde cum nihil effici posse cerneret, tertia exercitus parte morbis inediaq; amissa, sese intra Belgas suos, inde biennio ferè pòst in Hispaniam recepit: ubi, sicuti diximus, uitā cum morte apud Sanctum Iustum cōmutauit. nec multo pòst eum secuta est altera soror Maria, Ludouici Pannoniæ regis quondam coniunx: itemq; nurus ipsa Cæsaris Maria, Britanniæ regina: quæ ne sola esset, paucarū horarum interuallo adfuit Reginaldus Polus cardinalis, Pōtificis Romani in Anglia à latere legatus. ac, quem admodum Eduardi regis luctuoso interitu, grauissima facta erat, pontificis Romani autoritate restituta, mutatio: sic mortua Maria, atq; ad regnū Britannicum legitima autoritate suscipiendū omniū ordinū cōsensu, assumpta Elisabetha uirgine lectissima, cuius alibi mentionē fecimus, eadem Pontificis autoritas est abrogata, exulesq; restituti. Mortuus est quoq; per eos ferè dies Othenrichus princeps, septemuir Palatinus: necnon & Cimbrorum, qui Dani uocantur, rex. Sed Cæsar antequam è uita discederet, Ferdinando fratri iam Cęsari designato, rexque ob id Romanorum appellato, imperium de manu tradidit. Nam per Aurantium principem, ei quinto calend. Martij imperij insignia Francofurtū miserat: quò etiam ut moris est, Septemuiri quos penes ius est, Augusti nuncupandi, conuenerāt: atque ita xvj. cal. Aprilis in eiusdem urbis fano, quod diuo Barptolomæo sacrum est, Ferdinandus imperator Augustus (quod Deus optimus maximus reipublicæ Christianæ & bonis omnibus felix ac faustū esse uelit) est renunciatus. Pòst autem, ipso autumno, ut dixi, nuncium de Cæsaris obitu est allatum. Philippus uerò & Henricus eam hyemē pacis confectæ conscientia quieuerunt: ineuntē uere, pacem promulgarunt, anno Christi liberatoris M. D. LIX. Huius autem pacis & fœderis hæc præcipua capita fuere: in primis, ut superiora fœdera omnia rata essent: ut reconciliati principū animi mutua præstent officia, uitentque omnia quæ huic pacificationi obesse possint: ut reipub. Christianę cōmoda uterque promoueat, damnum auertat, in illud incumbat, ut concilium generale celebretur: ut securitas utriusq; regis populis integra præstetur: ut bona eorum qui ab alterutro defecerunt, ab alterutris occupata, dominis prioribus reddātur, eisq; qui alteri parti contra alteram militarunt, uenia detur, exceptis tantum exulibus Neapolitanis, Siculis & Mediolanensibus: ut Philippus Hispaniæ rex Henrico Gallorum regi restituat Sanquintinū, Castelletum, & Haonum: Henricus uerò Philippo Theouuillam, Mariæburgum, Iuodium, Danuillerum, & Monturedium: denique quicquid alter alteri in Belgis occupauit: neque ullam munitionem in dictis locis diruet, aut exportabit: nisi quid tamē tormentorum aut commeatus, aut aliud quippiam ab utraque parte importatum sit, illud ipsum exportare licebit. Vt Gallo Terouanna, ut nunc est, restituatur: cuius muri & propugnacula, quoniam à Cæsarianis excisa fuere, uicissim à Gallis eadē Iuodij antequam id oppidum reddatur, diruantur, neu traque urbs in posterum munietur: neq; mille passibus ab ea ulla munitio excitabitur. Vt Hesdinum unà cum toto eius agro siue præfectura, Hispaniarum regi tanquam patrimoniū maneat, ita ut deinceps ei Galliæ rex, ea de re nullam controuersiam moueat. Quicquid uterque rex in Montis ferrati principatu tenet, illud ipsum duci Mantuano reddatur: sed ea conditione, ut utrique liberū sit, quod ibi extruxit, demoliri, suaque tormenta, & machinas & commeatum, & id genus alia inde exportare: utque ijs qui alteri parti aduersus alteram affuere, impunè sit. Vt Gallus Valentiam, quæ Mediolanensis est iuris & imperij, Philippo restituat: Genuensibus uerò Corsicam insulam, exportatis tamen inde quæ per Gallos fuerant importata: atque impunè sit omnibus qui Gallicas antea partes sunt secuti. Cedet item Gallus oppidis & arcibus quæ in Hetruria occupauit: sitque impunè ijs qui Montalcinum fecesserūt, modò se illi nouo Senensium magistratui subijciant. Quod ad Sabaudum attinet, ut ei rex Henricus omnia quæ cis ultraque alpes occupauit, reddat, præter Taurinum urbem, Pinarolium, Clauasium, quæ cis Padum sunt: Cherium item & Villanouam in Astensi agro, ultra Padum. omnia autē hæc ultra alpes sita: quæ quidem Gallus loca triennium tenebit, quo interea temporis, si quid iuris in eis habeat, cognosci decerniq; possit. Philippus uicissim Astam urbem, atque Vercellas retineat, quoad Gallus ea quinque oppida Sabaudo reddiderit. Vt cætera quæ restituenda diximus, intra duos menses à fœderis promulgatione restituantur. Qui prior reddere uolet, ei altera pars, quatuor quos optauerit, obsides dato. Hos ubi alter quoque reddiderit, incolumes remittito. Sabaudus neutri parti adhæreto: utriusque amicitiā colito. Neuter regum aduersus sacrosanctum Germaniæ imperium, aut eius ordines & nationes nisi lacessitus, aliquid moliuntor, sed eius quietē & concordiam pro uirili uterque fouento & procuranto. Vt autem firmiore uinculo fœdus teneretur, conuentum est, ut Philippus Henrici filiam natu maximam, cui nomen est Elisabetha, uxorē duceret: acciperetque dotis nomine aureorū nummūm quadringenta millia: Philibertus Sabaudus item Margaritam, Henrici regis sororem, unà cum dote trecentorum millium aureorum nummūm, & Biturigum principatu, qui Berri nunc appellatur. Hunc rex sorori quamdiu uixerit, utendum fruendumq; donauit. Icto fœdere atque sancito, Galli quòd ipsi uellent priores restitutionem auspicari, obsides postularunt, & acceperunt. Sanciuit autem, & sacramento confirmauit prior Philippus Bruxellis, nonis Aprilis: Henricus uerò Lutetiæ xiiij. cal. Iul. Facta præterea potestas omnibus Christiani orbis principibus & ciuitatibus, sese ad hoc fœdus adiungendi, modò à fœderis promulgatione intra sex menses obsignatis monumentis & literis id contestentur. Vt autem connubia ex fœdere ritè celebrarentur, misit Philippus Albanum regulum Lutetiam, qui regis sui nomine sponsæ fidem daret & acciperet. Itaque cum x. cal. Iul. Philibertus Sabaudus & ipse Lutetiam peruenisset, eodem die filiæ regis sponsalia sunt celebrata, Lotharingo Cardinali uerba faciente, ac soleni ritu Albano regiam sponsam tradente. per sex deinde dies, nullum hilaritatis genus tum conuiuijs, tum ludis regio apparatu exhibendis prætermissum est. Septimo uerò die, qui fuit tertius cal. Iul. Margarita regis Henrici soror modesto atque erudito ingenio uirgo, Philiberto Emmanueli Allobrogo despōsa est, & ludi equestres habiti: in quibus rex ipse Henricus extitit prouocator, unà cum tribus alijs principibus, Ferrariensi, Guisano, atque Nemurio. Prodijt autem rursus in pugnam postridie armatus rex: atque ubi summa cum omnium admiratione conflixisset, atq; ali quot hastas fortiter fregisset, admonuit eum Anneus Momorantius, ut quoniam ingens æstus esset, & ipse iam satis tum pridie, tum eo die certando laborasset, deinceps quiesceret. cui rex respondit, se iam strenuè quatuor decursionibus esse perfunctum, quintam uelle in Philiberti propinqui sui gratiam obire: idq; statim ut ipsi Philiberto significaret, Momorātij filium ad eum misit: mox cū Lorgeo satellitum suorū præfecto, iuuene forti & strenuo, tanto impetu concurrit, ut Lorgei hasta in regis pectus frangeretur, & fragmentum per galeam non rectè, ut apparuit, clausam, inter duos oculos adactum, regi alterum oculum perfoderet, & fragmenti pars intra ipsum frontis cranium altè infixa, occultaretur. Illico accurrit Momorantius cum aliquot principibus, qui regem in sella collocarunt: apertaque casside, eam plenam cruore cernentes, eum in regiam ut curaretur, portarunt. quod ubi uidit Lorgeus, ingenti dolore metuque perculsus ad regis accidit pedes, eius facti à quo omnis fraus cuipaq; abesset, ueniam petens: cui rex promptè & clementer ignouit. Ibi statim ei affuit regina cum Delphino & alijs, penè exanimata: ar rex cum potū petiuisset, hæc pauca est locutus, ut diceret, se quidem semper operam dedisse, ut pro Gallici nominis gloria, suaque patriæ ac gentis securitate, fortiter in hostes pugnans, honestam mortem oppeteret: iam uerò quando alio mortis genere sibi Dei uoluntate occumbendum esse uideat, sese ei commendare, eiusque uoluntati totum tradere atque subijcere. Ex eo uulnere orta est febris molestissima: quo factum est, ut per decem totos dies quibus à uulnere uixit, acerbissimos cruciatus senserit: actam mole stum fuit uulnus, ut ei uisum hebetaret, & loquendi facultatem ferè omnem adimeret. Itaque undecimo die, est uulneris dolore consumptus. Ita rex ætate atque opibus florentissimus inter hostes tutus, inter ipsa nuptiarum solennia, res mira, à quo casu non uoluntate interficeretur, incidit: ea re saltem felix, quòd antea filium hæredem

dem regni Scotorum reginam hæredem in matrimonio habere: quòd item duas filias, alteram Lotharingo duci, alteram Philippo regi Hiſpaniæ, ſororem Sabaudo elocatas uidit: ac, quòd omnium eſt maximum, quòd pacatum regnũ filio reliquit, qui paulo pòſt de more regum Galliæ inauguratus, Franciſcus ſecundus appellatur. Filia deinde in Hiſpaniam ad Philippum, qui claſſe poſt ſoceri caſum in Hiſpaniam ſe contulerat, adducta eſt, magnaq; totius Hiſpaniæ lætitia accepta: utpote quæ tam exoptatam Hiſpanis pacem attuliſſet. Philippus diſcedens, quòd Sabaudus in ſuum regnum reſtitueretur, neque omiſsis ſuis, aliena ſibi gubernanda exiſtimaret, Margaritam ſororem ſuam Octauij Farneſij uxorem, toti Belgarum Flandrorumq; prouinciæ præfecit. Regem eſt ſecutus Paulus quartus pont. max. nam XV. cal. Septemb. uitam cum morte commutauit. In eius locum patres poſt quatuor menſium de eligendo nouo pontifice certamẽ, tandem quarto nonas Ian. ſequentis anni Ioannẽ Angelum Medicem Mediolanenſem, Io. Iacobi Marignani reguli fratrem, quinque Cardinalium conſpiratione ſuffecerunt. Hic ſe Pium quartum appellauit. Eadem æſtate qua rex Galliæ eſt mortuus, Herculeſ quoque Eſtenſis Ferrarienſium dux, cum iter in Galliam adornaret, ardenti febre abſumptus eſt, relicto hærede filio Alphonſo, quem unum ex tribus illis cum rege Galliæ in equeſtribus ludis prouocatoribus fuiſſe diximus. Huius in matrimonio eſt Coſmi Hetruriæ regis filia. Autumno ſequenti (ut regum funera cumulemus) è uiuis exceſsit Iſabella Vngariæ regina, cui præter corporis atq; animi ſingulares dotes hęc contigerunt, ut & regis eſſet filia, & regis ſoror, & uxor & mater. Nam & Sigiſmundi Sarmatarum regis fuit filia, & huius Sigiſmundi Auguſti ſoror, & Ioannis Pannoniæ regis uxor, & Stephani qui nunc in Tranſyluania regnat, mater: quæ uarios perpeſſa caſus, inconſtantiamq; fortunæ, tamen in ipſo regno eſt mortua, & filium unicum in regni poſſeſsione reliquit. Eodẽ ferè tempore Ioannes Laſcus, diu tanquam religionis pontificiæ deſertor, à patria ſua Polonia exul, tandem uir nobilitate & literis clarus, in patria fato ſuo functus, deſideriũ ſui bonis omnibus reliquit. Hoc ipſo anno ineunte uere, Dauidis Georgij ſecta deprehenſa eſt Baſileæ. Hic Dauid Delphis in Holandia natus, uel ut alij uolunt, Gandaui, illud potiſsimum habuit, ut diuinarum literarũ libros tolleret, & CHRISTVM IESVM aboleret. Nam ſe tertium Dauidem eſſe aſſerebat, in cuius animã Dei patris, & filij & ſpiritus ſacri diuinitas omnis conſediſſet. Itaque omnes reliquos, atq; adeò Chriſtum ipſum, nihil niſi meram literam & carnẽ extitiſſe: ſe uerò eum eſſe, qui ſpiritũ ipſum dignis affla ret, cœleſtesq; efficeret. Sibi uni orbis terrarum imperium à Deo traditum eſſe, ut ad ſe uenientes bea ret, reliquos omnes perderet. Verùm ut dixi, eius ſecta deprehenſa, quam in Germania inferiore magnam habuit, cum ipſe diu Baſileæ latuiſſet, effetq; iam mortuus, eſt tamen ipſe cum eius ſcriptis quæ reperta ſunt, publico iudicio condemnatus & exuſtus. qui cum eo erant, liberis & propinquis, quòd reſipuerint, uenia data. Eodem anno rex Philippus claſſem inſtructiſsimam in Africam miſit, ad Tripolim portum & oppidum Numidiæ recuperandum, quem à Turcis occupatum anno M. D. L. antea memorauimus: recuperatum eſſe, nondum accepimus. Summa uidebatur parta Europæ pax, niſi Scoti ſub Galliæ regis mortem tumultum religionis cauſſa excitaſſent: & Moſci grauibus in Lituaniam & finitimas prouincias, quæ Sigiſmundo Auguſto parent, incurſionibus bellum denunciaſſent: aduerſus quos rex Sigiſmundus in annum proximũ cõpias ſuas ex firmiſsimo equitum peditumque Polonorum robore, comparare dicitur, hoc anno, qui eſt à ſalutari Virginis partu ſupra ſexageſimum, milleſimus quingenteſimus, quo etiam anno Italia tota frumenti inopia uehementer laborabat.

TERTII TOMI FINIS.